UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

urn:nbn:de:hbz:466:1-95210

Visual Library

T. IX. 5
Th. 937a.

~~T. VII~~
~~39. A 7~~

R.P. RICHARDI

LYNCEI,

SOCIETATIS IESV,

VNIVERSA

PHILOSOPHIA

SCHOLASTICA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. RICHARDI
LYNCEI,
SOCIETATIS IESV,

HIBERNO-GALVIENSIS, S. THEOLOGIÆ DOCT.
& Magistri Salmanticensis, & in Salmantina Academia pro Regali
Collegio Eiusdem Societ. Vespertinæ Cathedræ Moderatoris,
quondámque Sacrarum Litterarum Interpretis,

VNIVERSA
PHILOSOPHIA
SCHOLASTICA.

TOMVS PRIMVS,

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros distributam.

Tomus secundus facultatis philosophicæ in Collegio Soc. Jes. Jacobeorum a° 1661

NVNC PRIMVM PRODIT.



LVGDVNI,
Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD.

M. DC. LIV.
CVM PERMISSV SVPERIORVM.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. RICHARDI

LYNCEI,

SOCIETATIS IESV,

In Magnifica Salmanticensis, & in Salmanticina Academia pro Regali Collegio Emilidem Societ. Veteris ac Nouæ Cathedræ Moderatoris,

quondamque Sacrarum Literarum Interpretis.

VNIVERSA

PHILOSOPHIA

SCHOLASTICA.

Complectens Dialecticam, Tres Scientias de Veritate in Genere, Libros de Physica, [illegible]



Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD.

PRÆLOGIVM
TOTIVS PHILOSOPHIÆ
AD LECTOREM MEVM.



VRSVM, aut potiùs recursum hunc philosophicum semel, atq; iterum emensum denuò tamen aggredior, & non contentus senis, quibus tenuit labor meus annis, ætatibus quotquot erũt elaboro. Quid ni verò? siquidem, vt rectè Boët. 3. de consol. metr. 3.

Repetunt proprios quæque recursus,
Redituque suo singula gaudent.
Nec manet vlli traditus ordo,
Nisi qui fini iunxerit ortum,
Stabilemque sui fecerit orbem.

Sol orturus occidit, & per immensa cœli spatia volutus, fértque, refértque diem; radioso nimirum iubare auerso, reuertendi nouitatem affectans, & alternantibus crepusculis, idcircò priùs disparens, vt subinde quasi postliminio diluceſcat. Luna plenum argentosi splendoris orbem menstruis interuallis paulatim minuit; & iam corniculatim flexa, iam dimidiatim cæsa apparet; suis scilicet gradibus ad initium recurrens, vbi finem, & complementum obtinuit. Qui pridem vesper erat, idem matutinis resurgit lucifer horis. Reliqua etiam sydera in semet reditura meant, & circulos suos absoluunt, vt in eosdem illicò regrediantur. Supernorum corporum legem inferiora seruant. Tellus flores ad honorem, fructus ad maturitatem perducit, denuò tamen vernatura. Circumfluus telluri liquor, postquam occultas, apertásque vias diu egerat, mari tandem, ac amarori suo redditus, iterum terrarum ima subit, & nota itinera remetitur. Sic aëris irrequieta flamina, sic flammantis elementi crispata volumina, sic quæ sub lunæ cauo continentur mixta omnia cursus, recursusque suos habent. Quominus mirandum est, si quod natura passim præcipit, efficitque, id à nobis altior natura lex, vel potius legis instar superiorum nutus obtineat.

Nescius haud sum, quot in Philosophiam prodierint illustria monimenta, & quot in dies prodeant. Vt enim Thomistarum, Scotistarum, & Nominalium sectas venerabundo silentio prætermittam; qui non è Iesuitica nostra schola, tanquam ex equo Troico Philosophiæ duces extiterunt, ac luces emicuerunt? Quis Patre Francisco Suarez, tum in Metaphysica, tum in libris de anima sublimior? Quis numeris omnibus absolutior? Ille mihi videtur, cum se totum ad veterum scholasticorum lectionem contulisset, effinxisse maiestatem Thomæ, grauitatem Alberti, claritatem Durandi, subtilitatem Scoti, copiam Alensis, soliditatem Bonauenturæ, inuentionem Okami, acumen Gregorij, distinctionem Gabrielis, vim Bachonij, profunditatem Henrici, & in summa quidquid

in vnoquoque præstantissimum eluxit. *Nec vero* (vt cum Fabio lib. 10. cap. 1. loquar) *quod in quoque optimum fuit, studio consequutus est tantum, sed plurimas, vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenij beatissima vbertate. Non enim pluuias, vt ait Pindarus, aquas colligit, sed viuo gurgite exundat, dono quodam prouidentiæ genitus, in quo tota vires suas* Philosophia, atque etiam Theologia *experiretur.* Quis in explorando sagacior, in inquirendo solertior, in speculando subtilior, in iudicando grauior, in vinciendo nodosior, in enodando facilior, in cogitando capacior, sinuosiorque? Quis aptior, aut instructior æquiuocationes distinguere, gryphos dissoluere, scrupos tollere, & flexanimis syllogismis vera propugnare, ac falsa impugnare. Quis præstantior arguere, vt respondendi, & respondere, vt arguendi nullus omnino locus esse videatur? Iam P. Gabriel Vazquez, & in Metaphysicis disputationibus, & vbiuis aliàs, cui secundus eruditione, acumine, & spiritu? *Ingenio nonne tam graui, & vehementi excelluit, vt* (quod de Tertulliano ait Vincen. Lirin. cap. 24.) *nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit? Oratio tanta, nescio qua rationum necessitate conserta est, vt ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat; cuius quot pene verba, tot sententiæ sunt; quot sensus, tot victoriæ.*

Præterea Emin. Card. Toletus quantam vniuersæ Philosophiæ lucem adhibet? quantâ, & quàm felici indagine reconditos Aristotelis sensus sequitur, assequitúrque? quantâ iudicij maturitate, quantâ ingenij subtilitate, & sublimitate in vtramque partem disputat? Deinde P. Petro Fonseca tùm in Metaphysica, tùm in Dialecticis institutionibus, quis solidior, ornatiorve? *An non* (vt cum Plinio loquar lib. 2. epist. 3.) *proœmiatur aptè, narrat apertè, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelsè? Postremò docet, delectat, adficit. Quid maximè dubites? crebra enthymemata, syllogismi circumscripti, & effecti, quod stylo assequi magnum est.* Rursus P. Benedict. Pereira quo verborum nitore, quâ argumentorum grauitate, quâ Doctorum authoritate Physicam suam ornat, suadet, confirmat? Equidem vt ingenti voluptate, & admiratione sui, Lectorem suum semper implet, sic etiam haud paruo doloris sensu, quod non potuerit tantum opus perficere, ac reliquas Philosophiæ partes exequi. Insuper Conimbricenses nostri, quàm multiplicis sunt, ac variæ lectionis? quàm versati in Philosophorum omnium doctrina? Aristotelem autem, quem præcipuè sequuntur, quàm bellè, ac fideliter Latinitate donant? quâ eum elegantia, & claritate exponunt? quâ soliditate, quibusque neruis defendunt? vt Poëtarum floribus interdum spirant? vt Oratorum fluminibus, cum è re est, exundant? quas non ex omni genere litterarum diuitias in Philosophiam important? Eos ego dum lego, affari certè iuuat in hæc B. Paulini verba epist. 31. ibi: *Apposuistis mihi escas, quæ me esurientem facile in omnia verborum vestrorum, quasi in varia electarum gustu, & aspectu dapum scitamenta rapuerunt; vt gulæ potius meæ, quàm inopiæ memor auderem sumere, quibus paria præparare non possum.* Mox P. Anton. Rubius quanto vtriusque orbis plausu, quanto rei litterariæ emolumento Philosophiam totam in lucem ediderit, quis nisi litterarum nescius ignoret, ac nisi earum hostis, & zoilus diffiteatur? Meus etiam quondam in sacra Theologia Magister P. Petrus Hurtado de Mendoza quàm magnus fuerit Philosophiæ mystes, decies repetitæ philosophici cursus editiones testantur: semel ille edidit; iterum, atque iterum doctrinæ suæ splendor vulgauit. Vir certè fuit in inueniendis placitis profundus, in seligendis dexter, in confirmandis, quibus assentiebat, solidus, atque in infirmandis, quibus dissentiebat, acerrimus. Porrò philosophica B. Francisci Albertini principia, atque inde deducta corollaria si spectes, miram in eo ingenij felicitatem, ac facilitatem dubio marte de primatu certauisse comperies. Quid iam memorem

rem Vallios, Dandinos, Bidermannos, Bartholom. Amicos, Theophilos, Arriagas, Ouiedos, Alphonsos, Tellezios, Casilios, Comptonos, Dutricos? quorum philosophicis monumentis nihil, aut ab arte cultius, aut ab eruditione ditius, aut ab ingenij laude præstantius; Quid alios complures? quos in Bibliotheca sua longo, & honorifico censu numerat P. Philippus Alegambe, in primis numerandus ipse, tum propter doctrinam, cum propter egregia in Societatis nostræ Doctores merita.

Quæ cùm ita sint, superuacuus, irritusque labor hic noster aliquibus fortasse videbitur. Erunt enim, ni fallor, qui post numeratos Authores, aliosque innumeros, nihil vlterius inueniri, nullamque Philosophiæ accessionem fieri posse existiment, eamque proinde illustrare, aut publicitus euulgare, haud aliud esse censeant, quàm in pelagus stillas, in siluam stipites, & in clarissimum solem mortale lumen inferre. Non deerunt etiam alij, qui plura quidem inueniri posse, sed tamen inuenta sufficere putent, adeóque satius arbitrentur esse, ab antiquioribus proposita legere, quàm posterioribus legenda proponere. Alij Lectorum tædium, fastidiumque queruli repetent, ac noua tot librorum multitudine lassum, fatiscentemque mundum obrui modo non deplorabunt. Nonnulli debitam antiquitati reuerentiam prætendent, & cum sibi, & aliis nil scribendum, inueniendumve seuere præcipiunt, *Se id modestia commotos facere dicunt* (eorum more, quos carpit Cicero lib. 4. ad Herennium) *propterea quod videatur esse ostentatio quædam, non satis habere, præcipere de artificio, sed ipsos etiam videri velle artificiosè gignere exempla. Hoc, inquiunt, est ostentare se, non artem ostendere. Quare pudor est in primis ad eam rem impedimento, ne nos solos probare, nos commendare, alios contemnere, & deridere videamur.* Denique quidam pietatis patrocinia prætexent segnitie, eos imitati, qui apud Senecam de tranquillitate animi capit. 1. fantur ita: *Quid opus est sæculis duratura componere? Vis non id agere, ne te posteri taceant? Morti natus es: minus molestiarum habet funus tacitum. Itaque occupandi temporis causa in vsum tuum, non in prætorium aliquid simplici stylo scribe: minore labore opus est scribentibus in diem.*

Hæc obiiciunt ij potissimùm, qui supra Endimionem negligentiæ indormiunt, aut supra Zoilum inuidentiæ operantur. Cæterùm eorum inaniloquentiis haud magis moueri quispiam debet, quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes. Fateor plurima iam inuenta esse: habeo etiam in confesso, gratiam inuentoribus non exiguam habendam esse. Cæterùm, vt cum Seneca loquar epist. 79. *Qui præcesserunt, non præripuisse mihi videntur, quæ dici poterant, sed aperuisse.* Et paulò epistol. 64. *Multum adhuc restat operis, multúmque restabit: nec vlli nato post mille sæcula præcludetur occasio aliquid adhuc adiiciendi*: Et paulo pòst: *Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt.*

Immeritò etiam aduersarij librorum numerositatem excusant, eóque sæculum opprimi querentur: fuit enim semper ingens librorum numerus, quibus si contenta fuissent eruditorum ingenia, & nouis in lucem edendis supersedissent, ne eos quidem haberemus, quos iam maximè terimus, quosque solemus *nocturna versare manu, versare diurna.* Solus Varro innumerabiles pene libros compósuit; haud pauciores Caliterius: quatuor millia librorum Didymus Grammaticus scripsit teste Seneca epist. 88. Origenes sex millia teste Hieronymo. Augustus tanta scripsit Isidoro teste, *vt diebus, ac noctibus non solum scribere libros eius quisquam, sed nec legere quidē possit.* Quod si hi, alijque plures scriptores singulatim tot claruere operibus, quid de omnibus vniuersim existimandū est: Negat Cicero apud Senec.

epist.69. *Si duplicetur sibi ætas, habiturum se tempus, quo legat Lyricos, eodem modo Dialecticos.* Quid si vidisset, quod scriptorum myriades, non solum in vtroque illo genere, sed in omni postea prodierint?

Non tot caducas educat frondes OEtha,
Nec vere flores Hybla tot medio creat,
Cum examen alto nitidur densum globo,
Fluctusque non tot frangit Ionium mare,
Nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
Permutat hyemes ales, & cœlum secans
Torpente Nilo pensat arctoas niues.

Quod habuit ætas quæuis egregia litterarum monimenta, quot sæculum omne eruditionis plena volumina: nunquam tamen posterioribus obesse potuerunt antiquiora: imò hæc quasi semina quædam futurorum sparsa sunt, prouentum cum fœnore redditura.

Quod autem scribendi susceptus hodie labor immodestia dicitur, vereor quidem, ne nimis inutiliter, & inepte proferatur. Cuius enim immodestiæ est ab antiquioribus, si qua sunt neglecta, colligere, si qua prætercursa reperire? quam propterea laudis partem eis detrahit sedula, ac studiosa posteritas? Omnibus quidem annis noua messis albicat, omnibus noua plenis spumat vindemia labris; priorem tamen feracitatem annorum, sequentum prouentus haud negat, damnatve. Rursus nec hornatinam messem, quæ subremanent spicæ, nec recentem vindemiam, qui supersunt racemi, condemnant, sed potius commendant. Verùm ne autumni quidem reliquiæ nostræ sint; omnia, & singula à maioribus nostris tractata sunto: cuius tamen immodestiæ? cuius vitij? eadem ipsa retractare, componere, nouare, obscurisque lucem, incertis firmitatem, indigestis sedem, sparsis ordinem, informibus formam, & confusis vultum tribuere? Tandem, qui pietatis prætextu scribentes deterrent, qua in re pij videri volunt, in ea ipsa re impij admodum sunt, & iniuriam irrogant Augustino, Chrysostomo, Ambrosio, Basilio, Gregorio, Thomæ, atq; vt semel dicam, iis omnibus, qui hactenus lucubrationes suas posteris transmiserunt, inanisque gloriæ securi præsentem, & futuram etiam Ecclesiæ vtilitatem curarunt. Hos laborasse, si pium fuit, eos laborando sequi, longo licet interuallo, nullam profectò redolebit impietatem. Egregie quidem Clemens Alexandrinus lib.1. stromatum: *Vtrum autemnè omnino quidem, an est aliquibus permittendum scribere? & si prius quidem, quis est vsus litterarum?*

Aggredior igitur meæ quidem tenuitatis conscius vniuersam Philosophiam, eamque in Dialecticam, Physicam, & Metaphysicam partior. Porrò autem Dialectica communiter distribuitur in Isagogem Porphyrij, in cathegorias Aristotelis, in eius libros perihermenias, siue de interpretatione, inque eius libros de priori & posteriori resolutione, Topicos, & Elenchos. Rursus Physica findi solet in octo libros Aristotelicos; primum scilicet de principiis intrinsecis rerum naturalium; secundum de earum causis extrinsecis; tertium de motu, & infinito; quartum de tempore, loco, & vacuo; quintum de contrarietate, simultate, contiguitate, aliisque proprietatibus, necnon etiam speciebus motus; sextum de partibus quantitatiuis motus; septimum, & octauum de principio extrinseco motus. Quinetiam Physica latius sumpta distribui solet, non solum in prędictos octo libros, sed etiam in duos de ortu & interitu, in quatuor de cœlo & mundo, item in libros meteororum, atque in tres libros de anima, siue corpore animato. Postremò Metaphysica disponi solita est in duodecim libros Aristotelicos; primum scilicet de prolegomenis eiusmet scientiæ; secundum de difficultate veritatis acquirendæ, aliisque

ad

ad eundem ſcopum attinentibus ; tertium de omnibus penè quæſtionibus totius Metaphyſicæ problematicè, & in vtramque partem ſummâ breuitate diſputatis; quartum de ſubiecto Metaphyſicæ, ente nimirum, eiuſque partibus, effectibus, & principiis ; quintum de communium, & analogorum nominum multiplici ſignificato; ſextum de ente prout ad Metaphyſicam ſpectat, ab eave reiiciendum eſt; ſeptimum de primario entis ſignificato, videlicet ſubſtantia; octauum de ſubſtantia ſenſibili, eiuſque principiis ; nonum de ente, prout diuidi ſolet in actum, & potentiam; decimum de vnitate, & multitudine, earumque contrarietate, & variis ſpeciebus ; vndecimum, vbi omnia in ſuperioribus libris, nec non etiam aliqua in phyſicis tractata retractantur, & in ſummam rediguntur; duodecimum, & poſtremum, vbi etiam ſuperius dicta recolliguntur, & aliqua de Deo,& Angelo perſtringuntur.

Sed enim qui triplicem Philoſophiæ partem ita ſubdiuidunt, & methodum hactenus inſinuatam ſequuntur, multum quidem in explicandis rebus implicari, & turbari ſolent : haud enim eas continenti, & perpetuo ſtylo tradunt, haud alias ex aliis ferunt, haud tandem eas diſtinctè, & ordinatè diſponunt. Quinimo priores poſticipant, poſteriores anticipant, eaſdem repetunt, plures interrumpunt, alias confundunt, & non paucas ceu membra Pentheu diſperſas exhibent. Temporis etiam rationem nullam habent, nec poſſunt, aliqui in Dialectica exponenda duos ipſos annuos circulos inſumunt, alij ne vnum quidem; pari ratione in Phyſica edocenda aut nimium ſunt prolixi, aut admodum breues : haud etiam ſecus in Metaphyſica aut parci, aut prodigi ſunt, eámque vel in fine poſtremi anni leuiter tangunt, vel adeo extendunt, vt bonam Dialecticæ, ac Phyſicæ partem in eam transferant, illamque de Metaphyſica metametron fœda Metamorphoſi efficiant.

His malis vt occurram, diuidere libet Dialecticam actibus intellectus ad veritatem informandis, & ordinandis ex integro intentam, in denos libros. Primus eſt Summularum Dialecticæ, ſiue ſcientiæ de veritate. Secundus eidem Dialecticæ proœmiatur. Sequens eſt de veritate ſimplici, ſiue de termino. Proximus autem de veritate compoſita, ſiue de propoſitione. Subſequens de veritate mediata, ſiue argumentatiua. Sextus liber eſt de ſignis veritatis. Septimus de modo ſciendi veritatem. Octauus de vniuerſalitate veritatis. Nonus de prædicabilitate veritatis. Poſtremus de quidditate, incompoſſibilitate cum falſitate, & variis ſpeciebus veritatis. Rurſus Phyſicam in explicando corpore naturali poſitam in decem itidem libros partior. Quorum primus reliquo proludit operi. Secundus expendit compoſitionem eſſentialem corporis naturalis. Tertius compoſitionem eius continuam. Quartus cauſas. Quintus eius cauſalitatem, ſiue actionem productiuam. Sextus motum multiplicem. Septimus eiuſdem locum, tempus, & infinitatem. Octauus eſt de corpore naturali corruptibili, ſiue ſublunari. Nonus de corpore naturali incorruptibili, ſiue cœleſti. Ac tandem decimus de corpore naturali animato, ſiue viuenti. Poſtremo Metaphyſicam in ente incorporeo collocatam in decem etiam libros diſpeſco. Primus eſt proluſorius. Secundus de eſſentia, & attributis entis incorporei præciſiuè ſumpti, ſiue entis vt ſic. Tertius de prædicamentis entis incorporei præciſiuè ſumpti, ſiue entis vt ſic. Quartus de oppoſitis entis incorporei. Quintus de tranſcendentia, & vniuocatione entis incorporei præciſiuè ſumpti, ſiue entis vt ſic. Sextus de eſſentia, & conditionibus entis incorporei negatiuè ſumpti. Septimus de potentiis, actibus, &

obiectis

obiectis entis incorporei negatiuè sumpti, siue entis spiritualis. Octauus de speciebus, & habitibus entis incorporei negatiuè sumpti, siue entis spiritualis. Nonus de ente incorporeo negatiuè sumpto, siue spirituali incompleto, id est de anima rationali. Decimus de ente incorporeo negatiue sumpto, siue spirituali completo, nimirum Angelo, & Deo: atque ita Metaphysica in eo finitur, qui rerum omnium finis est, & meta. Hoc pacto res philosophiæ subiectæ pari tenore exponuntur, vno, eodémque filo tractantur, & quemadmodum inter se ordinem seruant, ita eorum explicatio ordinata est, atque distincta, vt nostræ partitionis idæam intuenti constabit. Temporis etiam ratio habetur quàm maxima: quando enim vniuersa Philosophia in plerisque nostris scholis, & non paucis externis absolui solet trium curriculo annorum, ea æquabilitate à nobis distributa est in tres decadas, vt prima Logicam continens primo anno, media Physicam complectens secundo, & extrema Metaphysicam comprehendens tertio anno exponi tota possit; præsertim succisis à legente Authorum testimoniis: cuius rei periculum ipsi fecimus, eamque haud impossibilem non semel comperimus.

Porrò autem in toto hoc opere multum authoritati, sed plus rationi, huic primas, & illi tantum secundas deferam. Authoritatem magnorum virorum nouandi studio, & acuminis ostentandi causa, & si plures sint, qui temerè respuant, temerè tamen respuendam esse qui iudicent, arbitror esse paucos. Vero namque verius est illud Alciati emblem. 69.

Ingenij est marcor, cladesque Philautia, doctos
Quæ pessum multos datque, deditque viros
Qui, veterum abiectâ methodo, noua dogmata quærunt,
Nilque suas præter tradere phantasias.

Quod si, vt ait Fabius lib. 1. cap. 10. *Summorum in eloquentia virorum iudicium pro ratione, & vel error honestus est magnos duces sequentibus*, ecquid de Philosophia dicendum est, in qua multò periculosius errauerris, & non verbi, sed veri ipsius iacturam feceris? Quocirca quoties ratio ad veritatem assequendam haud sufficit, communem aliorum authoritatem sequendam, & rationi non compertæ anteponendam, ratio ipsa dicat. Quo certè communior opinio, quo celebrior, quo liberius errat in scholis, eo magis omnium plausu veluti triumphat, tot condecorata spoliis, tot circumfusa ferculis, quot claros Magistros in sui captiuauit assensum. Qui, si antiqui, mirum quantum gratiæ, quantum fidei doctrinæ ad nos transmissæ concilient. Namque vti fluuios altius repetita commendat, atque insignit origo, sic veri scientia, quo vlteriori fonte à priscis euoluta, ad posteros, hoc amplius laude, & veneratione clarescit, tum demum augustior, si quando Ægyptiaci more Nili suamet incunabula nescit. Huc quidem alluſit Fabius suprà: *Vetera maiestas quædam, &, vt sic dicam, religio commendat.* Tanta igitur, talisque cum iure sit antiquorum authoritas, neotericorum etiam haud exigua esse debet. Vt enim cum Plinio lib. 6. epistolar. loquar: *Sum ex iis, qui mirer antiquos, non tamen, vt quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim quasi lassa, & effœta natura, nihil iam laudabile parit.* Egregie etiam, & temporibus nostris accommodatè dixisse mihi videtur Cornelius Tacitus libro tertio annal. *Neque omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda posteris tulit.*

Verum

Verumenimuerò in Philoſophia, & alia quauis ſcientia naturali diſcenda, docendave, rationem, vbi ſatis affulſerit, & veritatem patefecerit, authoritate vnius hominis, aut etiam multorum anteferendam eſſe, quis, niſi rationis impos, author non ſit? Quòrſum enim ratione præditi ſumus, ſi, ea poſthabita, alieno ſemper iudicio niti, ab eóque ne latum quidem vnguem, diſcedere cogimur? Hoc quidem, non iudicare, ſed credere; non ſcire, ſed reminiſci; non ire, ſed ferri; non ratione, ſicut homines; ſed inſtinctu, ſicut belluas, regi. Qui præceſſerunt, rationem ſequi potuere; nobis quaſi deterioris, imò alterius conditionis, ratio prærepta ſit, & iudicium omne ſublatum? & qui in reliquis maiores noſtros ſequi præcipimur, in hoc ſolo eos imitari vetabimur? Aliquid profectò intereſſe debet inter ſcientias humanas, & ſcientiam diuinam, Theologiamve. Cúmque Dei authoritas, & reuelatio huius propria ſparta ſit, ac potiſſimum fulcrum, illas contrà iudicij humani tibicine nixas eſſe, & ratione prognatas, rationis etiam iudicio ſe ſe maximè tueri oportet. Accedit, quòd Theologia, ac ſcientia à Deo infuſa rationem non ſpernit: quænam igitur dementia eſt, & quantus error eorum, qui putant ſcientiam rationis naturalis ductu acquiſitam, & ad poſteros transmiſſam, amplecti nihil debere, quod ſola ratio offerat, quodque ab authoritate non proficiſcatur. Præclarè Auguſtinus lib. 2. de ordine, cap 9. *Ad diſcendum item neceſſario dupliciter ducimur, authoritate, atque ratione. Tempore authoritas, re autem ratio potior eſt.* Quinimò Philoſophiam, prout Philoſophia, ac ſcientia eſt, ſola ratione inniti, & non niſi, provt fidei humanæ, aut diuinæ aliquid admixtum habet, authoritate eam frui docet eodem lib. c. 5. ibi: *Duplex eſt via, quam ſequimur, cum rerum nos obſcuritas mouet, aut rationem, aut certè authoritatem. Philoſophia rationem promittit* &c.

Quod attinet ad orationem, vniuerſo Philoſophiæ corpori coloris inſtar futuram; rebus quidem dicendis primariam operam, & ſtrioſas, vt aiunt, lucernas addam: dictioni tamen, aliquid etiam operæ, & curæ impendam: non oratoriè aut poëticè, ſed tamen latinè loquar, quantum in me erit: lautitias, ac veneres, fucos, & calamiſtros haud amabo: at hiſpidam, & inconſonam nominum texturam odero: verbis propriis, ac ſenſu tinctis ferri, non cothurnatis, ac ſublimibus efferri conabor: modulata, & valde exquiſita fugiam, ſed & barbara, ac portentoſa. Non noſtri poposiſti, non animi, aut virium eſt, orationem afferre floſculis vernantem, figuris luxuriantem, tranſlationibus magnificam, coloribus pictam, luminibus fulgidam, igniculis flammigantem, clauſulis rotundam, numeris tumeſcentem, periodis, verbiſque ſpumantem; non eam, quæ ſirenæi cantus inſtar aures demulceat, affectus moueat, animos ludificet, & res augeat, minuat, tollat, abiiciat, ac magica quadam eloquentiæ vi in aliam formam, habitúmque tranſmutet. Quinimo id genus dicendi affectabo, quod res huic ſcientiæ ſubiectas vſitata verborum proprietate, & apta perſpicuitate enunciet, eaſque remotis ſimulachris, quales ſuoptè ingenio ſunt, demonſtret. Recte Horat. ſat. 1.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra, citraque nequit conſiſtere rectum.

Multum eſt inter orationem phaleratam, & nudam; lautam, & ieiunam; fluminean, & aridam, redundantem, & tenuem; theatralem, & ruſticam; vermiculatam, & incondîtam; illecebroſam, & tetricam; verſicolorem, & informem; vnguẽtatam, & hircoſam. Mediâ igitur dicendi rationem inter has extremas, licet conſequi non ſperem, ſequar tamen, quoad eius facere potuero. Sequendam enim præcipit Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſt. cap. 4. ibi: *Euidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene ſonet, ſed quid benè indicet, atque intimet, quod oſtendere intendit. Vnde ait quidam, cum de tali loquutionis genere ageret, eſſe*

in ea quandam diligentem negligentiam. Hæc tamen sic detrahit ornatum, vt sordes non contrahat. Id ipsum etiam præcipit Seneca epist. 75. *Non m hercule ieiuna esse, & arida volo quæ de rebus tam magnis dicentur. Neque enim Philosophia ingenio renuntiat; multum tamen operæ impendi verbis non oportet.*

Quod denique spectat ad quæstiones, siue controuersias philosophicas; earum aliæ adeò tritæ sunt, & agitatæ, vt eas circa, nec alia, nec aliter dici queant, nisi quæ prius dicta fermè cunctis innotescunt, & in libris iam editis passim circumferuntur. Has cauebo pro virili: *Sicut enim* (vt cum Augustino lib. 4. de doct. Christ. nuper citato, cap. 10. loquar) *gratus est, qui cognoscenda enubilat, sic onerosus est, qui cognita inculcat, eis duntaxat, quorum tota expectatio in dissoluenda eorum, quæ panduntur difficultate pendebat.* Aliæ vero quæstiones sunt ab Authoribus satis in vtramque partem disputatæ; sed tamen nondum exhaustæ: has autem cur omittam? Aut cur materiam communem veluti eo ipso alienam reformidem? Nisi falsò monuit ille in arte poëtica:

Publica materies priuati iuris erit, si
Non circa vilem, patulumque moraberis orbem.

Hoc est, si non aliorum scripta, & inutilis, & inglorius penè transcribes, de tuo nihil adijciens: siue nullos tibi carceres præscribi sines, quos quantauis ingenij alacritate, vel studij improbitate nunquam, & nusquam egredieris. Aut cur non ex Hieronymi ad Gerontiam consilio, *In vetere via nouam semitam quæram, & in antiqua, detritaque materia rudem artis excogitem elegantiam, vt eadem sint, & eadem non sint: Vnum iter, & peruenire quò cupias multa compendia.* Aliæ tandem quæstiones sunt propè intactæ, & à paucis, vel à nullis præoccupatæ: harum quidem non paucas vberiori filo persequar: atque in earum materia, veluti in diuite, & recenti vena, quam potuero altissimè, effodiam. Quemadmodum enim ab aliis dicta, adeóque non dicenda, sed omittenda repetere, & nota inculcare Lectoris inlusio quædam est; ita etiam, vt Plinij lib. 1. epist. scribentis ad Cornelium Tacitum verbis vtar; *Præuaricatio est transire dicenda; præuaricatio etiam cursim, & breuiter attingere, quæ sint inculcanda, infringenda, repetenda: nam plerisque longiore tractatu vis quædam, & pondus accedit.* Reliquum est, amice Lector, vt conatus nostros, laboresque tametsi conatibus impares, æqui bonique consulas: & quidquid in toto hoc opere te offenderit (multa autem offendent) id nostræ tenuitati assignes: siquid autem minus displicuerit, id Deo bonorum omnium largitori acceptum referas.

APPRO

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS Castellanæ Prouinciæ.

PETRVS PIMENTEL, Prouincialis Societatis Iesu, in Prouincia Castellana, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Gosuinio Nichel eiusdem Præposito Generali, facultatem do, vt *Cursus Philosophicus* à P. RICHARDO LYNCEO, *Nostræ Societatis in Salmanticensi Academia Laureato Magistro, sacraque Theologiæ Professore* compositus, & eiusdem Societatis grauium doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas & sigillo nostro munitas dedimus, Salmanticæ die 14. Maij Anno 1653.

PETRVS PIMENTEL.

APPROBATIONES DOCTORVM.

HOCCE opus R. P. RICHARDI LYNCEI, *Societatis IESV, Vniuersam Philosophiam Scholasticam* complectens, Nos infrascripti Facultatis Parisiensis Doctores Theologi accuratè sublegimus, probauimusque Authorem non minus Christianè quàm subtiliter in ipso philosophari, vtpote quod nihil nisi fidei orthodoxæ consentaneum redolet, adeóque dignum nobis visum est quod prælo subiiciatur. Datum Lugduni vigesima quarta Octobris 1654.

Fr. PAVLVS LOMBARD,

Prouincialis Carmelitarum Prouinc. Narb.

Fr. CYRILLVS MOREL,

Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, necnon Carmelit. Lugdun. Humilis Prior.

Consensus Procuratoris Regij.

VISA Doctorum approbatione, Ego infra scriptus Regio nomine non impedio quin hic liber à *Philippo Borde, Laurentio Arnaud & Claudio Rigaud*, Bibliopolis Lugdunensibus excusus in lucem prodeat, cum defensione tali casu requisita & solita. Actum Lugduni die vndecima Nouembris 1654.

VINCENT. DE PANETTES.

PERMISSIO.

VISA & me non dissentiente fiat. Lugduni die vndecima Nouembris 1654.

CHARRIER.

INDEX

INDEX

Librorum, Tractatuum & Capitum totius Dialecticæ.

LIBER PRIMVS

Summularum Dialecticæ, siue scientiæ de veritate. pag. 1

LIBER II.

Procœmialis ad Dialecticam, siue scientiam de veritate. pag. 22

TRACTATVS I.

De obiecto proprio, formali, & adæquato Dialecticæ. ibid.

CAP. I. AN & quatenus voces sint obiectum Dialecticæ? ibid.
II. Difficultates aduersus doctrinam superiorem refelluntur. 24
III. An & quatenus actus intellectus sint obiectum Dialecticæ? 28
IV. An & quatenus res sint obiectum Dialecticæ? 31
V. An aut quatenus ens rationis sit obiectum Dialecticæ? 33
VI. Verioris sententiæ probatio, ac Thomistica confutatio. 34
VII. Soluuntur argumenta contraria. 36
VIII. Alia argumenta soluta. 38
IX. An, aut quatenus medium aliquod positiuum inter ens reale, & rationis sit obiectum formale Dialecticæ? 41
X. Superioris instituti prosequutio, & aliqualis Scoti defensio. 43

TRACTATVS II.

De obiecto attributionis Dialecticæ. 45

CAP. I. VEritatem actuum intellectus esse obiectum attributionis Dialecticæ authoritate probatur. ibid.
II. Nostra sententia rationibus probatur. 47
III. Rationes contrariæ solutæ. 49
IV. Aliarum difficultatum solutio. 52
V. Quatenus alij de obiecto attributionis Dialecticæ sentiant? 56

TRACTATVS III.

De modo repræsentandi Dialecticæ 59

CAP. I. QVatenus Dialectica docendo, & vtendo obiectum suum repræsentet? 59
II. An, & quatenus Dialectica instar sapientiæ, prudentiæ, intellectus, opinionis, suspicionis, artis, scientiæ obiectum suum repræsentet? 63
III. Dissoluuntur ambiguitates aduersus doctrinam præcedentem. 64
IV. An Dialectica ex modo repræsentandi obiectum suum practica, vel speculatiua sit? 67
V. Superioris instituti prosequutio. 68
VI. Solutio authoritatum aduersus nostram sententiam, & contrariæ aliqualis defensio. 71
VII. Qua vtilitate, necessitate, ac subalternatione Dialectica obiectum suum repræsentet? 73

LIBER III.

De veritate simplici, siue de termino. 76

TRACTATVS I.

De essentia veritatis simplicis, siue termini. 76

CAP. I. NOnnulla præmittuntur ad definitionem termini. ibid.
II. Aliquæ obiectiones aduersus doctrinã hactenus præmissam soluuntur. 78
III. Terminus multifariam definitur. 80

TRACTATVS II.

De speciebus veritatis simplicis, siue termini. 82

CAP. I. DIuisio termini in subiectum, & prædicatum. ibid.
II. Diuisio termini in transcendentem, & non transcendentem: & an vterque possit infinitari? 85
III. Diuisio termini in directum, & reflexum. 88
IV. Diuisio termini in æquiuocum, & vniuocum. ibid.
V. Diuisio in analogum, & denominatiuum. 91

TRACTATVS III.

De aliis speciebus veritatis simplicis, siue termini. 95

CAP. I. TErminus in communi vlterius quintupliciter dissecatur. ibid.
II. Quid quælibet concreta importent, & quo pacto? 98
III. Quid nobis inter tot Authorum placita videatur probabilius? 99
IV. Aduersus doctrinam capitis præcedentis quædam argumenta soluta. 101
V. Quatenus concreta multiplicentur. 102
VI. Quid in superiori controuersia videatur nobis verius? 103

TRACTATVS IV.

De proprietatibus veritatis simplicis, siue termini. 105

CAP. I. QVatenus præcipuam termini proprietatem, videlicet suppositionem alij Authores explicent? ibid.
II. Verior suppositionis definitio. 106
III. Aliarum aduersus nostram sententiam difficultatũ solutio: vbi an voces supponant pro rebus, vel conceptibus. 107
IV. Diuiditur suppositio. 108
V. Vlterior suppositionis diuisio in simplicem & personalem. 109
VI. Diuisio suppositionis in distributiuam & copulatam, determinatam & confusam. 111
VII. De aliis duabus proprietatibus termini ascensu nimirum, & descensu. 113
VIII. De cæteris proprietatibus termini. 115

LIBER IV.

De veritate composita, siue de propositione. 116

TRACTATVS I.

De essentia veritatis compositæ, siue propositionis. 116

CAP. I. QVonam modo definienda sit propositio? ibid.
II. Aliæ insuper sententiæ confutatæ. 118
III. Nostra sententia proponitur. 119

TRACTATVS II.

De variis speciebus veritatis compositæ, siue propositionis. 121

CAP. I. PRopositio multifariã diuiditur. 121
II. Propositionis diuisio in formalem, identicam, directam., & indirectã. 123
III. Propositionis diuisio in necessariam, contingentem, & impossibilem. 125
IV. Diuisio propositionis in finitam, & infinitam, atque priuatiuam. 130

TRACTATVS III.

De materia, forma, quantitate, & qualitate veritatis compositæ, siue propositionis. 133

CAP. I. MAteria, & forma propositionis. ib.
II. Quantitas, & qualitas propositionis. 134

TRACTATVS IV.

De oppositione, æquipollentia, & conuersione veritatis compositæ, siue propositionis. 136

CAP. I. QVatenus alij oppositionem tùm in communi, tùm in particulari definiant. ibid.
II. Verior oppositionis tùm in communi, tùm in particulari explicatio. 139
III. Oppositionum leges. 142
IV. Oppositionum proprietas, inæqualitas, conuenientia, & distinctio. 145
V. De æquipollentia propositionis. 148
VI. De conuersione propositionis. ibid.
VII. Conuersionum regulæ probantur. 149
VIII. Quædam argumenta aduersus regulas conuersionum. 150
IX. Aliæ duæ conuersiones tribus vulgaribus superadditæ. 153
X. Oppositio, æquipollentia, & conuersio propositio

propositionum singularium. 154
XI. Oppositio, æquipollentia, & conuersio hypotheticarum. 155
XII. Oppositio, æquipollentia, & conuersio complexarum. 157

TRACTATVS V.
De propositione modali, & exponibili. 158
CAP. I. QVatuor propositionum modalium species declarantur. ibid.
II. Æquipollentia, oppositio, & conuersio propositionum modalium. 159
III. Nonnullæ obiectiones contra doctrinam traditam soluuntur. 160
IV. De propositione exponibili. 163
V. Quatenus alij de propositione exponibili sentiant. 164

LIBER V.
De veritate mediata, siue argumentatiua. 166

TRACTATVS I.
De veritate syllogistica. 166
CAP. I. QVid sit syllogismus, & quænam eius forma? ibid.
II. De figura syllogistica. 169
III. De modo syllogistico directè, & indirectè, vtiliter, & inutiliter concludente. 171
IV. Alij quinque modi vtiles adduntur. ib.
V. Soluuntur argumenta quædam aduersus numerum modorum constitutum. 172
VI. Quibus principiis modorum vtilium vtilitas, & inutilium inutilitas nitantur. 175
VII. Reductio syllogismorum ostensiua, & per impossibile. ibid.
VIII. Quatenus absque reductione ad modos perfectos imperfecti irrefragabiliter concludant? 177
IX. De arte inueniendi medium. ibid.

TRACTATVS II.
De variis speciebus veritatis syllogisticæ. 178
CAP. I. DE syllogismo obliquo, & circulari. ibid.
II. De syllogismo oppositorum, infinito, & conglobato. 179
III. De syllogismo expositorio, siue singulari, 181
IV. Superioris doctrinæ prosequutio. 182
V. De syllogismo hypothetico, & disiunctiuo. 185
VI. De syllogismo modali. 186

TRACTATVS III.
De tribus aliis speciebus veritatis syllogisticæ. 188
CAP. I. QVid, & quotuplex sit syllogismus demonstratiuus? ibid.
II. Cuiusmodi esse debeant præcognita syllogismi demonstratiui. 190
III. Vlterior explicatio præcognitorum ad demonstrandum. 192
IV. De syllogismo probabili. 196
V. De syllogismo sophistico. 197

TRACTATVS IV.
De aliis argumentationibus. 199
CAP. I. DE enthimemate. ibid.
II. De inductione. 201
III. De exemplo, Epicheremate, Sorite, & Dilemmate. 202

LIBER VI.
De Signis veritatis. 203

TRACTATVS I.
De signo in communi. 203
CAP. I. QVid sit signum in communi. ibidem.
II. Enodantur aliqua dubia circa signum in communi. 205

TRACTATVS II.
De signo naturali, & arbitrario. 207
CAP. I. PEr quid differant inuicem signum naturale, & arbitrarium? ibidem.
II. An voces nostræ inter signa arbitraria vel potius naturalia sint recensendæ? 210
III. Signa arbitraria quid, & quo pacto significent? 213

TRACTATVS III.
De nomine, verbo, & oratione. 216
CAP. I. EXplicatur quidditas nominis. ibidem.
II. Essentia verbi exponitur. 217
III. Explicatur quid sit oratio, & aliqua circa eam dubia enodantur. 218

LIBER VII.

De modo sciendi veritatem. 221

TRACTATVS I.

De quidditate, & speciebus modi sciendi. 221

CAP. I. QVid sit modus sciendi? ibid.
II. Quid sit definitio, quæ eius leges? & species? 222
III. Diuisionis quidditas, species, legesque. 224

TRACTATVS II.

De quibusdam dubiis circa definitionem & diuisionem. 226

CAP. I. ENodantur quatuor p ora dubia de definitione, & diuisione. ibid.
II. Duo alia dubia de definitione, & diuisione diluuntur. 228

LIBER VIII.

De vniuersalitate veritatis. 231

TRACTATVS I.

De ratione communi vniuersalitatis. 231

CAP. I. QVidnam sit vniuersale in communi? ibid.
II. Vnitas rei vniuersalis propria. 232
III. Multiplicitas rei vniuersalis propria. ib.
IV. Verior explicatio multiplicitatis illius, quæ rei vniuersali proprie cõuenit. 234
V. Modus essendi in multis rei vniuersalis proprius. 236
VI. Amplior declaratio modi illius essendi in multis, qui rei vniuersali proprie congruit. 238

TRACTATVS II.

De vniuersalitate reali. 240

CAP. I. AN ex vnitate, siue identitate reali & distinctione opposita vniuersale ex parte rei de facto inferatur? Vbi sententia Platonis examinatur. ibid.
II. An ex identitate, & multiplicitate reali vniuersale à parte rei saltem de potentia Dei absoluta sequatur? 244

TRACTATVS III.

De vniuersalitate formali, & virtuali. 246

CAP. I. AN ex vnitate, siue identitate, & distinctione formali, aut ex natura rei sequatur vniuersale à parte rei? ibidem.
II. An ex vnitate, siue identitate, & distinctione virtuali intrinseca sequatur vniuersale à parte rei? 249

TRACTATVS IV.

De aliis speciebus vniuersalitatis physicæ, & à parte rei. 250

CAP. I. DE vniuersalitate denominatiua. ibidem.
II. De vniuersalitate causali, & relatiua. 251

TRACTATVS V.

De vniuersalitate intentionali. 253

CAP. I. AN res fiant vniuersales per intellectum? ibid.
II. Quatenus res fiant per intellectum vniuersales? 254
III. Quot fiant res vniuersales ab intellectu per obiectiuam præscissionem rationis communis à suis inferioribus? 255.
IV. Vlterior probatio præscissionis obiectiuæ. 256
V. Prosequutio superioris probationis. 258
VI. Alia denique probatio præscissionis obiectiuæ. 260
VII. Quatenus præscissio obiectiua in diuinis etiam locum habeat? 263
VIII. Soluuntur argumenta quædam aduersus præscissionem obiectiuam aliarum formalitatum ab aliis. ibid.
IX. Alia aduersus præscissionem obiectiuam formalitatum argumenta soluta. 266
X. Aliorum denique argumentorum contra formalitatum præscissionem obiectiuam solutio. 267
XI. An fiat vniuersale per operationem intellectus agentis? 270
XII. An fiat vniuersale per operationem intellectus fingentis? 271
XIII. Per quam operationem intellectus passibilis fiat vniuersale? 274

TRACTATVS VI.

De aliis speciebus vniuersalitatis intentionalis. 276

CAP. I. DE vniuersalitate vocali, & sensibili. ibid.
II. De vniuersalitate, quæ est effectus voluntatis nostræ, necnon Angelorum, ac Dei optimi Maximi. 280
III. Quædam de vniuersalibus dubia. 281

LIBER

LIBER IX.

De prædicabilitate veritatis. 283

TRACTATVS I.

De Prædicabili in communi. 283

Cap. I. AN prædicabilitas, sit essentia, vel potius propria passio vniuersalis. ibid.
II. Aliqua colliguntur corollaria. 285
III. An prædicabile sit ratio communis vniuoca ad quinque prædicabilia. 286
IV. Aliorum argumentorum aduersus priorem sententiam solutio. 288
V. Alia quoque argumenta aduersus priorem sententiam soluuntur. 290
VI. Cæterorum argumentorum aduersus sententiam priori loco positam solutio, & totius quæstionis resolutio. 294
VII. An abstrahi possit ratio communis vniuoca prædicabilis, seu vniuersalis à reali, & solius rationis, aut fictitio? 295
VIII. Quædam argumenta aduersus doctrinam superiorem proposita, & soluta. 297

TRACTATVS II.

De Genere. 298

Cap. I. QVid sit genus? ibid.
II. Aliud argumentum difficile aduersus definitionem generis. 300
III. Quod sit definitum in definitione generis? 304
IV. Quatenus genus cum speciebus comparetur? 306
V. Genus respectu indiuiduorum explicatur. 307
VI. Superioris instituti prosequutio. 308
VII. Doctrinæ nuper positæ impugnatio: vbi etiam an relatio generis ad species, & indiuidua sit vna, vel multiplex? Quodnam sit eius primum, & adæquatum correlatiuum? 311

TRACTATVS III.

De Specie? 315

Cap. I. QVid sit species? ibid.
II. Alia argumenta aduersus definitionem speciei prædicabilis. 317
III. Quænam esse possint genera, & species? 319

TRACTATVS IV.

De Indiuiduo speciei correlatiuo. 323

Cap. I. QVid sit indiuiduum? ibid.
II. Expenditur alia definitio indiuidui. 324
III. An detur ratio communis indiuidui? 327
IV. Quid alij de conceptu communi indiuidui sentiant? 329
V. Quatenus cognosci possit indiuiduum? 333
VI. Quotuplex sit indiuiduum? 334

TRACTATVS V.

De Differentia. 336

Cap. I. QVid sit differentia? ibid.
II. Quotuplex sit differentia? 337
III. An differentia subalterna sit de conceptu infimæ? 338
IV. Eligitur posterior sententia, & satis fit argumentis prioris. 340
V. Duæ aliæ difficultates circa diuisionem differentiæ in infimam, & subalternam. 342

TRACTATVS VI.

De proprio, & accidenti. 343

Cap. I. DE proprio. ibid.
II. De accidenti. 345

TRACTATVS VII.

De quinque prædicabilibus respectu Dei. 346

Cap. I. AN de Deo, Personisque Diuinis aliquod ex quinque prædicabilibus dici possit? ibid.
II. An præter quinque prædicabilia sint admittenda respectu Dei, actrium personarum alia assumptiua dici solita? 347
III. Occasione eorum, quæ disputata sunt capite præcedenti, quæritur in hoc: an numerus Prædicabilium sit rectè constitutus? 351

TRACTATVS VIII.

De prædicatione concretorum, & abstractorum, & quinque prædicabilia spectantium. 354

Cap. I. QVid de eorum prædicatione nobis verius videatur? ibid.
II. Proponuntur, & dissoluuntur argumenta aliqua contra assertiones capitis præcedentis. 355

LIBER

LIBER X. & vltimus.

De quidditate, incompossibilitate cum falsitate, & variis speciebus veritatis. 360

TRACTATVS I.

De quidditate veritatis. 360

CAP.I. AN veritas sit conformitas nostræ cognitionis cum scientia diuina? ibid.
II. An veritas sit conformitas nostræ cognitionis cum re cognita, an verò huius secum ipsa prout est extra intellectum? 362
III. An, & quousque distinguatur veritas ab actu vero? 364
IV. Distinctio, & indistinctio veritatis ab actu vero vlterius explicatæ. 367
V. Quatenus alij de distinctione, & indistinctione veritatis ab actu vero sentiant? 369

TRACTATVS II.

De incompossibilitate veritatis cum falsitate. 370

CAP.I. AN veritas eo vsque sit incompossibilis cum falsitate, vt eadem propositio ne successiuè possit esse vera, & falsa? ibid.
II. Contraria soluuntur argumenta. 371
III. Alia aduersus nostram sententiam diluuntur argumenta. 373
IV. An ita sit incompossibilis veritas cum falsitate, vt eadem propositio nequeat esse simul vera, & falsa respectu eiusdem obiecti? 376
V. Simultas veritatis, & falsitatis in eodem actu respectu eiusdem obiecti discutitur vlterius. 379
VI. An eo vsque incompossibilis sit veritas cum falsitate, vt ne respectu diuersorum eadem propositio possit esse simul vera, & falsa? 381

TRACTATVS III.

De variis speciebus veritatis. 383

CAP.I. DE veritate complexa, & incomplexa. ibid.
II. De veritate apprehensiua, & iudicatiua. 384
III. De veritate mediata, & immediata, practica, & speculatiua. 386
IV. De veritate copulatiua, & disiunctiua, causali, & absoluta. 389

TRACTATVS IV.

De veritate propositionum de futuro contingenti absoluto, & conditionato. 399

CAP.I. DE veritate propositionum de futuro contingenti absoluto. ibid.
II. Quatenus præscientia futurorum cum eorum contingentia, & libertate cohæreat? 391
III. Quatenus de præscientia rerum in æternitate, & earum futuritione sentiendum sit? 392
CAP. VLTIMVM de veritate propositionum de futuro contingenti conditionato. 395

R. P.

R. P.

RICHARDI LYNCEI,

SOCIETATIS IESV,

Vniuersæ Philosophiæ Scholasticæ

TOMVS PRIMVS.

LIBER PRIMVS

Summularum Dialecticæ siue Scientiæ de veritate.

Summula Libri primi.

1 RECTE equidem, ac sapienter Aristot. Magister Plato in Sophistâ sic fatus: *Vetus est, omniumque communis sententia, siquis ea, quæ magna sunt, rectè transigere velit, eum in paruis quibusdam illa facilioribusque, quam in maximis considerare debere.* Hac ergo, opinor, de causâ iam olim inter Aristotelicos interpretes conuenit, vt magnæ Dialecticæ paruam quandam præmitterent, & ad graues huius scientiæ difficultates elementaris hæc, & compendiaria tractatio gradum faceret. Quanquam autem vsum hunc vtilitate fultum non exigua probem & ipse; at certè abusum improbo eorum, qui, cum summulas spondent, pandectas exoluunt, & in præfixum compendium (haud sine temporis, & claritatis dispendio) sese redigere nolunt, aut nequeunt: qui plana polliciti per auia, & confraga inexpertos præcipitant, & in hoc quasi propilæo non velitantur, sed iusto Marte decertant: qui antè Dialecticam nec Dialecticæ, nec reliquæ Philosophiæ, aut etiam Theologiæ parcunt, & pro paruâ Logicâ magnum quoddam, & indigestum plurium scientiarum chaos effutiunt: Hùc de Interpretatione, de Priori, & Posteriori resolutione, de Inceptione, & Desitione rerum, de Infinito, de Mysterio Triados, ac terminis diuinis plurima congerunt. Præposterus sanè, & insanus labor; cui indulgere nec libet, nec licet. Quapropter hoc libro, seu potius libello, quidquid cæteris Dialecticæ libris continetur, primoribus, vt aiunt, labris attingam: pauca & facilia dabo: non pauca differam: plura resecabo, & breuitatem cum claritate coniunctam sequar; vtinam consequar.

Summula Libri secundi.

QVEMADMODVM *citharædi*, vt Fabij lib. 4. orat. instit. verbis vtar, *pauca illa, quæ, antequam legitimum certamen inchoent, emerendi fauoris gratia canunt; proœmium vocauerunt: atque, vti oratores quoque ea, quæ, priusquam causam exordiantur, ad conciliandos sibi iudicum animos proloquuntur, eadem appellatione signarunt*: ita librum hunc proœmialem appellari scholasticis nostris placuit: propterea scilicet, quod in eo Dialectica, antequam alia fusè disputet, de se disputare incipiat, quid propriè, ac formaliter attingat, quid extrinsecùs emendicet, quid cui attribuat, quomodo tendat, vt rationem scientiæ, & artis, speculatiuæ ac practicæ, docentis, & vtentis obtineat, quæ sit eius vtilitas, subalternatio, ac cæteræ proprietates. Nec mirum, si quam artium, ac disciplinarum omnium lucem grauissimi Authores appellant, hæc ipsa sibimet lucere debeat, atque prælucere. Sic sibi sol aureus auroram præmittit, nec prius orbem pulsis inlustrat tenebris, quam se ipsum matutinis radiis palam ostendat, ac manifestet. 2

De natura, & variis speciebus obiecti.

OBiectum in communi est, quod obiicitur actibus alicuius potentiæ, aut habitus. Sic exempli gratia color, quia videtur, est obiectum potentiæ visiuæ: & verum, quia cognoscitur ab intellectu, bonumque, quia à voluntate amatur, intellectus, voluntatisque sunt obiecta: ac denique Theologiæ obiectum, aliud est totale, & adæquatum; aliud partiale, atque inadæquatum. Illud est, quod potentia, aut habitus aliquis attingit per omnes suos 3

actus: hoc, quod tantum per aliquos: quo pacto verum, vt ad illud regrediar, est obiectum adæquatum intellectus, quia nunquam perq; nullum suum actum ab eo discedit, sed potius per omnes illud speculatur: contra vero Theologiæ tantum inadæquatè obiicitur beatitudo nostra supernaturalis, & vltima, quippè quam non per quemuis suum actum contemplatur. Obiectum formale est, quod gratia sui, siue propter se attingitur: materiale, quod alterius gratia, siue propter aliud. Itaque sanitas, quam propter se amamus, est obiectum formale voluntatis: contra verò scissio venæ, quam solius sanitatis ergo eligimus, alioqui non expetenda, eo ipso censetur obiectum materiale eiusdem voluntatis.

Alia obiecti diuisio est in obiectum proprium, alienum, & commune: obiectum proprium scientiæ est, quod illa per actus suos, non verò omnino alienos, aut etiam cum alia facultate communes attingit: proinde illud ex professo, & pro rei ipsius dignitate pertractat. Hac ratione definitio v.g. aut argumentatio Dialecticæ obiiciuntur. Obiectum alienum est, quod scientia per actus nullo modo suos, sed omnino alienos respicit; quos tamen finis sui causa sibi ascisçit, & mutuatur: propterea non nisi obiter, atque in transcursu eiusmodi obiectum delibat: hoc pacto de triangulo in Dialectica dicitur, eum habere tres angulos æquales duobus rectis: quo exemplo, & aliis mathematicis extra Mathematicam Aristoteles, & B. Thomas passim vtuntur. Obiectum commune est, quod plures scientiæ ex professo, & non veluti per transennam respiciunt, & explanant, tametsi diuerso fine, aliaue atque alia ratione: sicuti cum de prædicamentis eadem in Dialectica, & Metaphysica largo quidem, & vbere filo disputantur: v.g. an ens sit vniuocum comparatione substantiæ, & accidentis? quid vtrumque sit? quas certè quæstiones, & alias multas persimiles in alterutra disciplina provt à variis Authoribus tradita passim repereris. Quod autem hæ quæstiones ab eodem Authore tum in vna earum, tum simul in altera nunquam, aut perrarò discutiantur, non ideo est, quod alterutri earum non sint communes, ac veluti mixti fori, sed quod semel in vna traditæ, satis sint, in altera tamen eas supponi, vel leuiter perstringi: multa autem supponuntur in scientiis, quæ tamen ad eas verè, & legitimè spectant, vt norit quiuis, vel mediocriter doctus.

5 Porrò obiectum attributionis scientiæ est, id, in quod reliqua eius obiecta referuntur, cui vè attribuuntur: attributa autem sunt, quibus prædicta attributio, & relatio ad obiectum attributionis competit. Prima conditio obiecti attributionis est, vt sit in quauis scientia vnum: secunda, & à priori parum dissidens, est, vt per ordinem ad illud scientia distinguatur à quauis alia: tertia, vt nullum sit in tota scientia obiectum, quod ad illud non referatur. Sic in Theologia v.g. obiectum attributionis vnum est, nempe Deus: & per respectum ad Deum dicitur Theologia, & à quauis alia facultate non Theologica discernitur: ac denique nihil est in Theologia, quod ad perfectam Dei in hac vita cognitionem non referatur. Ordo attributorum ad obiectum attributionis in scientiis speculatiuis est arbitrarius, & extrinsecus, atque, quamuis non sine fundamento in rebus ipsis, dependens à Philosophorum arbitrio: at verò est omninò intrinsecus, & naturalis in scientiis, artibusque practicis.

6 Ratio illius prioris est, quia facultates speculatiuæ ita institutæ sunt, vt in iis obiecta attributa referantur ad obiectum attributionis in esse cogniti, eiúsque cognitionem habeant pro fine, & non è conuerso: quod autem in illis vnius obiecti cognitio ordinetur ad cognitionem alterius, tanquam ad finem, & non è contrario, arbitrarium est: cum enim reuera in Metaphysica v. g. cognitio Dei conferat ad cognitionem entis vt sic, huius vicissim cognitio non parum conducat ad cognitionem Dei; certè non ex sola natura cognitionum, & obiectorum, sed ex placito inuentorum oriri potuit, quod cognitio Dei, & cæterorum attributorum Metaphysicæ ordinetur ad ens in communi velut obiectum attributionis, eiúsque cognitionem finem habeat potiùs quam vice versa: itaque, quia sic Philosophi voluere, solum ens in ea facultate esse debet attributionis obiectum. Ratio posterioris est, quia in scientiis practicis attributa, eorúmque cognitiones non ordinantur ad cognitionem sui obiecti attributionis, sed potius ad eius exequutionem dirigunt, atque in hac directione consistit, quod illarum alia obiecta sint attributa, alia verò attributionis, at directio est essentialis actibus, ab earúmque repræsentatione indistincta: quod ergo in facultatibus, de quibus proximè sermo, obiecta aliqua sint attributa, & non attributionis, & non è conuerso, essentiale, ac non arbitrarium est. Confirmatur: quamuis cognitiones speculatiuæ Metaphysicæ ad alterius, quàm entis cognitionem conducere possint; at regulæ Medicinæ v.g. ad quid aliud, quam ad sanitatis effectionem dirigere possunt? ad nihil profectò: cur igitur hoc non sufficiat, vt sola sanitas sit obiectum attributionis Medicinæ independenter ab inuentorum arbitrio? Circa naturam, & species varias obiecti hucúsque breuiter insinuatas vide quæ latiùs disputamus in Metaphys. li 5. tract. 10. & lib. 8. tract. 5.

De multiplici obiecto Dialecticæ.

7 VOces in primis sunt obiectũ proprium, ac formale Dialecticæ. Probatur primo ex Aristotele lib 1. de interpret. cap. 4. ibi: *Orationes igitur cæteras omittantur: ad oratoriam enim artem, aut poësim illa magis consideratio pertinet: enunciatiua præsentis est propria contemplationis.* Secundò, Dialectica agit propriè, & per se de oratione, de nomine, & verbo, de definitione vocali, seu vocaliter explicante naturam rei, de termino vocali, eiúsque proprietatibus, nempe suppositione, appellatione, &c. de vniuocis, æquiuocis, & analogis, aliisque pluribus id genus. Quæ cum ita sint, dubitari nequit, quin Dialectica agat de vocibus, tanquam de obiecto proprio, & formali. Eandem rationem obiecti proprij, formalíque habent in Dialectica actus intellectus. Ita B. Thomas lib. 1. periherm. lect. 1. ibi: *cum autem logica dicatur rationalis scientia, necesse est, quòd eius consideratio versetur circa ea, quæ pertinent ad tres prædictas operationes rationis*, &c. Et patet, quia Logica propriè, & formaliter differit de genere, specie, subiecto, & prædicato; de veritate, falsitate, affirmatione, negatione, vniuersalitate, ac particularitate: at quis non videat, hæc & similia dici strictè de actibus intellectus? Idem dicendum est de rebus, quas per actus intellectus cognoscimus: siquidem cum Dialectica disputat, an veritas sit essentialis actui vero, an hoc eodem perstante mutari capax, an vera conclusio sequatur ex præmissa aliqua falsa; nónne hæc, & similia obiectum, siue rem, sine quibus nulla intelligitur veritas, aut falsitas, verissimè attingunt? Pari ratione subiici, & prædicari, de quibus passim in Dialectica, non solis actibus, sed multo maximè rebus per actus conueniunt.

Ens

8 Ens rationis, aliud est obiectiuum; aliud subiectiuum. Ens rationis obiectiuum est, quod tantum habet esse obiectiuè in intellectu, siue quod præter cognosci non habet aliud esse actuale, aut possibile: itaque est omnino fictum, & impossibile, vt hircoceruus, chimæra. Ens rationis subiectiuum sunt actus intellectus, ac denominationes ab eis prouenientes. Hoc posterius ens rationis est obiectum formale logicæ; quæ propterea dici solet ab Aristotele, & aliis scientia rationalis. Illud verò prius non est eius obiectum formale, saltem adæquatum. Denominationes enim generis, speciei, definiti, diuisi, &c. quæ formaliter considerantur à logica, non sunt quid fictum: quid enim fictius, quàm me fingere, cum definio hominem esse animal rationale? quid magis alienum à mente Philosophi, veterúmque Philosophorum aientium, quod abstrahentium non sit mendacium, quàm me fingere, ac veluti mentiri, cum abstraho animal, aliudve genus superius à rationali, illudque sine hoc, siue huius immemor concipio? Enimuero probabile est, ens medium inter reale, & rationis fictum Dialecticæ formaliter obiici: siquidem denominatio generis, v. g. alitervè cogniti artificioso modo non est ens rationis propriè tale, siue fictum, iuxta iamiam constituta: non etiam ens reale, cum ad hoc non tantum extrema realia, sed etiam eorum realis, & vera requiratur vnio: alioqui ex albedine v.g. & pariete, ac ficta eorum vnione resultare poterit verum album: at genereitas, siue cognitio abstrahens genus, & eius obiectum moraliter tantum, ac secundum quid, non verè, & propriè vniuntur.

9 Dialectica habet pro obiecto attributionis veritatem, seu qua actus intellectus dicuntur verè cognoscentes obiecta sua, seu qua hæc ab illis verè denominantur cognita. Ratio est, quia Dialectica ordinatur ad præcauendos errores; qui quidem non possunt præcaueri nisi per veritatem eis oppositam: ad hanc ergo velut ad finem illa ordinatur. Et quidem non video, quo iure dicatur, Medicinam destinari ad sanitatem, Ethicam ad bonitatem actuum voluntatis, Grammaticam ad rectitudinem vocum, & sic de aliis facultatibus practicis; & non ordinetur similiter Dialectica nostra ad veritatem assequendam, velut ad finem suum: at non ordinatur ad eam velut ad finem extrinsecum, sed potius intrinsecum, ergo vt ad obiectum attributionis: id perspicuum est, quia Dialectica per plures actus suos attingit veritatem: vt cum eam definit conformitatem actus cum obiecto, cum negat duas contradictorias esse posse simul veras, &c. Confirmatur, quia hæc scientia dicitur modus, non syllogizandi, non demonstrandi, non definiendi, &c. sed sciendi: scire autem est attingere veritatem abstrahendo à syllogismo, demonstratione, definitione, & quouis alio simili artificio Dialectico: scire ergo ita sumptum est finis, & obiectum attributionis Dialecticæ.

De multiplici tendentia Dialecticæ in sua obiecta.

10 Dialectica docens est, quæ regulas dat ad alias scientias acquirendas. Dialectica vtens dici potest quæuis alia scientia, quatenus regulis dialecticis vtens, siue prout ipsam sequens, & imitãs Dialecticam: non secus atque homo pictus ad imitationem veri hominis homo absolutè haud raro appellatur. Dici etiam potest Dialectica docens, quæ præcipit in communi; & vtens, quæ in particulari. Nec his tantum modis, sed aliis multis ea potest diuisio Dialecticæ explicari, ac defendi. Dialectica strictè loquendo neque est sapientia, nec prudentia: non hæc, quia non considerat honestatem moralem: non illa, quia res diuinas, & humanas per altissimas causas non contemplatur. At impropriè est sapientia, & prudentia: nec enim Dialecticus minus vocari potest sapiens, & prudens, quàm Iurisperiti dicuntur Iurisprudentes, & Polycletus, & Phydias sapientes sculptores. Ea item est quadantenus intellectus, quia hic non aliud est, quàm euidens principiorum notitia: quis autem neget, plura Dialecticæ principia esse euidentia? Est etiam bona sui parte opinio, propter non paucas conclusiones, quas habet merè opinatiuas, ac probabiles: necnon suspicio, propterea quod multa in ambiguo, dubioue relinquat, &, quod perinde est, problematicè disceptet. Propterea etiam est ars, cum ad instar aliarum ordinetur ad opus, regulasque ad diuidendum, definiendum, &c. præbeat. Vlterius est scientia, eo quod multas habeat conclusiones euidentes: quid enim euidentius hac v. g. conclusione? omnis oratio explicans naturam rei est definitio: sed oratio constans genere, & differentia explicat naturam rei: ergo est definitio. Et hæc conclusio, & plurimæ aliæ id genus ad Dialecticam pertinent.

11 Tandem, Dialectica docens est scientia practica, & nullatenus speculatiua. Probatur, quia scientia practica est, quæ dirigit ad effectionem sui obiecti; speculatiua verò, quæ veritatis non effectionem, sed assequutionem intendit: at Dialectica dirigit ad effectionem sui obiecti, nimirum ad definiendum, diuidendum, argumentandum aliósque actus veros in quauis materia eliciendos. Nec refert Dialecticam habere pro obiecto vel actus intellectus, vel res nec has autem, nec illos posse esse praxes: quamobrem Logicam nullatenus praxim respicere posse, ac proinde esse non posse vllo modo, vlla vè sui parte practicam, cum facultas practica, & praxis sint correlatiuæ. Non, inquam, hoc refert: siquidem in primis actus voluntatis sunt praxis: aliàs scientia moralis eos considerans non esset practica: ergo & actus intellectus rationem praxis poterunt sortiri. Deinde res possunt esse praxis respectu Dialecticæ: quippe quæ ad illas efficiendum intentionaliter, & in esse cogniti dirigit, quæ vè non sistit in sola earum contemplatione, sed ad aliquid circa eas agendum conatur: haud secus atque domifactoria etiam ligna, & lapides velut praxis respicit, eorumque intuitu est practica, quia ad aliquid circa ea faciendum ordinatur. Nisi vero quis dicat, eam, aliasque similes artes mechanicas esse aliquo modo speculatiuas: quo nihil magis absurdum.

12 Dialectica non concurrit efficienter ad actus aliarum scientiarum, sed tantùm directiuè; sicut cognitio v.g. ad amorem, præmissæ ad conclusionem. Nec mirum; haud enim est opus maiori concursu. Porro ea non est simpliciter necessaria ad alias scientias comparandas: vt enim ipsam sine alia Dialectica præuia potuimus acquirere (alioquin in dialecticis facultatibus daretur processus in infinitum) sic non est, cur alias scientias sine Dialectica possimus comparare. Cæterum negari nequit, quin impossibile sit absque Dialectica adeò facile, benéque alias scientias imbibere: quare ad eam secundum quid est necessaria. Demum Dialectica latè subalternatur aliis scientiis, & hæ etiam sunt subalternatæ respectu illius: quia mutuo se iuuant. Nihilominus rigorosè fando nec Dialectica subalternata esse, dici vè potest intuitu aliarum scientiarum, nec è conuerso: vt infra latius patebit.

Summulæ Libri tertij.

13 TErtius Liber veritatem ſimplicem, ſiue terminum ſibi vendicat: anguſtam quidem, exilemque materiam: ſed inter has anguſtias emicat noſtra Dialectica, velut equi potentis animoſitas, *cui, ſi frementi* (vt cum Sidonio loquar) *inter teſqua confraga, frænorum lege teneatur, intelliges non tam curſum deeſſe, quam campum.* Totas igitur effuſa habenas currit, atque diſcurrit: quod tamen mireris, in termino, in indiuiſibili puncto, in cogitationis ictu, in euaneſcentis voculæ minimo ſono; vt nec Circo, nec Martio campo, nec Olympico puluere, nec Iſthmica arena, nec Eleaticis ſtadiis, aut ſpatiis egeat. Breuiſſimo ſpatio clauſa, ſyllogiſmis tamen incitatur, enthymematis rapitur, dilemmatis diſſilit, epicherematis euolat, exemplis graditur, voluminoſis ſoritibus quaſi in orbem flectitur, inductionibus expatiatur. Rurſus à diſcurſu ſtatis interuallis quieſcens materiam indiuiſibilem mirè diuidit, indefinitam definit, inuiſibilem declarat, minutiſſimam extendit, & in termino, puncto, ac propè nihilo omnes ſuas partes obit, cunctas ſuas vires oſtentat.

De natura, variiſque ſpeciebus termini.

14 TErminus, de quo agitur in Dialectica, eſt perinde ac conceptus, ſeu dictio ſimplex, veluti homo. Ex hac termini definitione patet in primis vnionem eſſe terminum, nempe particulam, *eſt* in hac propoſitione, *homo eſt animal.* Quidni enim, cum non minus ſit conceptus ſimplex, quàm quodlibet ſuorum extremorum. Adde, eam ſupponere pro identitate extremorum: ſuppoſitio autem eſt iuxta omnes proprietas termini: ac certè, vt punctum continuatiuum alicuius longitudinis dicitur ab omnibus Philoſophis communis extremorum terminus; neſcio, cur tantoperè aliqui recuſent, vnionem propoſitionis eſſe illius, partiumque, quibus conſtat, terminum. Ex eadem etiam termini definitione efficitur, caſus obliquos eſſe propoſitionis terminos, cum videlicet haud minus ſint conceptus ſimplices, quam recti, quibus adiacent. In præallegata propoſitione, homo ſcilicet eſt animal, prior terminus, de quo alius enuntiatur, dici ſolet ſubiectum, ſiue terminus *à quo*; poſterior verò, qui enuntiatur, appellari conſueuit prædicatum, ſiue terminus *ad quem*: vterque autem magis ratione noſtra, quàm re ipſa diſtinguitur: homo enim obiectiuus re ipſa eſt animal: propoſitio autem alterum de altero affirmans de facto ſaltem eſt ſimplex qualitas, apprehenſioneſque diſtinctas magis ſupponit, quàm includit: quare ſubiectum, ac prædicatum formale ſunt in eo non diſtincti naturaliter actus, ſed vnius, & eiuſdem actus diſtinctæ quodammodo formalitates.

15 Terminus tranſcendens eſt, qui in omni conceptu reali includitur, vt *Reuhau*, id eſt, res, ens, vnum, bonum, aliquid verum. Non ſolum terminus non tranſcendens, veluti, *lapis*, poteſt infinitari per adiectionem particulæ *non*, ſed etiam terminus tranſcendens in hunc modum; *equus eſt non lapis*, nec refert, terminum infinitum eſſe, qui maximam habet latitudinem, & per omnia entia, & non entia vagatur, vno quodam ente excepto: qua ratione, ſi lapidem ſolum excipias, nihil reale, aut etiam fictum eſt, cui non conueniat, eſſe non lapidem: hunc autem terminum, *non ens*, haud ita vagari: Verius enim eſt, quod vagetur vi formæ, ac particulæ inficialis, & quantum eſt ex ea: quod autem abſolutè non habeat tantam amplitudinem, oritur à peculiari materia, in qua eſt, & cui particula, *non*, immediatè adiungitur: hoc autem ſatis eſt ad infinitationem entis: ſicut etiam hic terminus, *intelligibile*, eſtò per omnia entia, & non entia vagetur, non eſt infinitus, ſed finitus, quia habet ita vagari magis à materia, quàm à forma, ſeu particula vlla inficiali. Et quidem hæc propoſitio, *chimæra eſt non ens*, reuera non eſt negatiua, vt omnibus eſt in confeſſo; quare particula, *non*, qua conſtat, haud negat, conſequenterque infinitat: at non aliud, quam ens, ſuprà quod appellat. Terminus reflexus eſt cognitio cognitionis; directus verò, qui non cognitionem, ſed aliam rem cognoſcit.

Vniuoca ſunt, quorum nomen eſt commune; ratio 16
verò ſubſtantiæ nomini accommodata eſt omnino eadem. Æquiuoca, quorum nomen eſt commune; ratio verò ſubſtantiæ nomini accommodata, omnino diuerſa. Analoga, quorum nomen eſt commune; ratio verò ſubſtantiæ nomini accommodata, partim eadem, partim diuerſa. Denominatiua ſunt, quæ ab aliquo nominis appellationem habent ſolo differentia caſu, v.g. animal eſt terminus vniuocus, quia homo, equus, & cætera animalia in eo nomine communicant, illudque ſibi vendicãt: ratio autem nomine animalis ſignificata eſt omnino eadem, ac ſimilis in omnibus, nempe eſſe viuens ſenſibile. At canis eſt terminus æquiuocus, quia, etſi ſit nomen commune ſyderi, piſci, & animali latrabili; at penes has differentias, diuerſaſque rationes; non vero penes eandem ſimilémque ea ſignificat. Porrò, ſanum eſt terminus analogus reſpectu Medicinæ, hominis, & coloris: quia ratio vna voce, *ſani*, ſignificata, quoad obliquum eſt omnino eadem, cum homo, Medicina, & color in ordine ad eandem ſanitatem ſana dicantur: cæterum quoad rectum ea ratio eſt omnino diuerſa, cum aliter aliterque ad ſanitatem referantur: color ſcilicet, vt eius ſignum; Medicina verò, vt eius cauſa efficiens; & homo, vt eius ſubiectum. Denique, *albus*, eſt denominatiuum ab albedine, realis à re, & ſic de aliis.

Terminus concretus eſt, qui rem inſtar compoſiti; 17
abſtractuſque inſtar partis, eam ſignificant: qua ratione homo, v.g. ſiue albus, concreta ſunt: at albedo, atque humanitas abſtracta. Terminus [illegible] eſt, qui ſignificat rem, vt per ſe ſtantem, veluti homo; connotatiuus qui, vt alteri adiacentem, vt albus. Terminus cathegorematicus eſt, qui ſe ſolo eſſe poteſt ſubiectum, aut ſaltem prædicatum propoſitionis, vt homo, aut albus; ſyncathegorematicus eſt, qui ſe ſolo, & quin ſaltem ſubintelligatur aliud, haud poteſt in propoſitione ſubiici, aut prædicari, vt omnis, nullus. Terminus reduplicatiuus, ſiue reduplicatiuè ſumptus eſt, qui includit has particulas, *prout, inquantum, quatenus*, &c. ſpecificatiuus, qui ab iis abſoluitur. Porrò autem concretum accidentale interdum importat in recto ſolum ſubiectum, non formam: ſic in hac propoſitione, *album eſt dulce*, albedo & dulcedo non dicuntur in recto: aliàs ea propoſitio eſſet falſa, & huic æquipollens, *albedo eſt dulcedo.* Aliquando etiam ea concreta important in recto ſolam formam, non vero ſubiectum, vt cum dicitur, *album diſgregat immediatè viſum.* Conſtat enim, quod ſubiectum albedinis non diſgregat immediatè viſum. Quin etiam tam ſubiectum, quam formam in recto important interdum eiuſcemodi concreta: veluti cum dicitur, *album eſt compoſitum*; quidni enim huius enuntiationis ſenſus ſit, albedo, ſubiectum, & vnio ſunt compoſitum.

Quan

18 Quanquam rigorosè loquendo multiplicitas, vnitasque concreti cuiusuis, compositiue accidentalis pendeat ex multiplicitate, & vnitate omniũ, & singularum partium; cæterum absolutè dici solet, & non raro, ea concreta esse vnum, aut multiplex, pro vt subiectum fuerit vnũ, aut multiplex, nulla ratione habita multiplicitatis, aut vnitatis formarum: sic duo gradus albedinis eidem inexistentes parieti, dicuntur non duo alba, sed vnum: contra verò, si vna albedo poneretur diuinitus in diuersis parietibus, non vnum duntaxat, sed duo existerent alba. Haud tamen diffitemur, quin iuxta alium loquendi modum, eumque non infrequentem multiplicentur concreta, de quibus agimus, ob solam formarum multiplicitatem: sic album, & dulce dici solent duo concreta accidentalia, etsi solis formis multiplicentur, distinguantúrque. Sic etiam genus, & species; cognitum, & amatum, plura ac diuersa concreta intentionalia sunt, & appellantur: quæ tamen, quis non videat, magis diuersis formis, quàm obiectis, aut quasi subiectis constare?

De proprietatibus termini.

19 SVppositio termini est positio vnius significati pro alio, vi copulæ enuntiatiuæ termino annexę: vt cum dicitur, *canis est animal latrabile*, vocula *canis* supponit pro cane terrestri, quia copula enuntiatiua, nempe esse animal latrabile, facit, vt vnum significatum canis ponatur pro alio ex parte subiecti, siue vt non canis sydereus, aut maritimus, sed terrestris in ea propositione reuera subiiciatur. Suppositio formalis est, qua terminus ponitur pro alio à se; materialis, qua non pro alio, sed pro se: sic Petrus supponit materialiter in hac propositione, *Petrus est nomen*, & formaliter in hac, *Petrus est homo*. Suppositio rursus simplex, est qua terminus ponitur pro solo suo significato immediato; personalisque, qua pro mediato: vnde cum dicitur, *homo est species*, homo supponit simpliciter, nempe quia de solo homine vt sic per vocem *homo* immediatè repræsentato verificatur, quod sit species: contra verò, cum profertur hæc propositio, *homo est animal*, homo supponit personaliter, quia ponitur non tantum pro homine vt sic, sed etiam pro Petro, & Paulo &c.

20 Suppositio distributiua, siue copulatiua est, quæ non solum habet descensum copulatum in hunc modum, *homo est animal*, ergo Petrus, & Paulus, &c. est animal, sed etiam copulatiuum hoc pacto, ergo Petrus est animal, & Paulus est animal & Ioseph est animal, & sic de aliis. Sic etiam ex hac propositione de subiecto copulatiue supponente, nempè, nullus homo est equus, non solùm descendere licet copulatiuè in hunc modum, nec Petrus, nec Paulus, nec Ioseph est equus, sed etiam copulatiuè hoc pacto, nec Petrus est equus, nec Paulus est equus, nec Ioseph est equus. Suppositio copulata est, quæ solum habet descensum copulatum, quo scilicet non termini, sed integræ propositiones nectuntur per particulam *&*, aut *nec*, aliamvè similem: veluti omnes Apostoli Dei sunt duodecim: ergo Petrus, & Andreas, & Iacobus &c. sunt duodecim: non verò, ergo Petrus est duodecim, Andreas est duodecim &c. Suppositio determinata, seu disiunctiua est, quæ descensum habet non tãtum disiunctum, sed disiunctiuum nectentem per particulam *vel* integras propositiones, & non solos terminos ad instar illius prioris: sic cum dicitur, *aliquis oculus videt*, descendere poteris non solum ita; ergo vel dexter, vel sinister videt; sed etiam hac ratione, ergo vel dexter videt, vel sinister videt. Suppositio verò confusa est, quæ solo gaudet descensu disiuncto, disiunctiuum autem respicit: vt ex hac propositione, aliquis oculus requiritur ad videndum, rectè descendas in hunc modum: ergo vel dexter, vel sinister requiritur ad videndum; non verò in hunc, ergo vel dexter requiritur ad videndum, vel sinister requiritur ad videndum: nec mirum, quòd posterior hic descensus non valeat; perinde enim est, ac dextrum, siue existat, siue non existat sinister, requiri ad videndum; siue nos haud posse per solum sinistrum sine dextro videre: quod tamen falsum est; sicut & verissimum, nos sine dextro, aut sinistro non posse videre, quod tantùm per priorem descensum, nempè disiunctum affirmatur.

Distractio termini est, qua refertur ad tempus aliquod diuersum à tempore importato per copulam: 21
vt cum dicitur in Euangelio Matth. cap. 11. v. 5. *Cæci vident, claudi ambulant*, cæcitas, & claudicatio non tam esse, quàm fuisse supponuntur: visus autem, & ambulatio de præsenti enuntiantur. Status termini est, cum copula, & subiectum idem tempus connotant, *vt sedens disputat*: huc facit celebris illa inter Philosophos distinctio, nempe in sensu diuiso, siue distracto, & sensu compositio, siue stante: verum enim est in priori sensu, non vero in posteriori, quod cæci Christo eos illuminante viderint. Restrictio termini est, qua à maiori ad minorem significationem coarctatur: quo pacto hæc propositio, *Deus ab æterno generat*, vera est, quia in ea tacitè restringitur subiectum: vt sensus sit, Deum Patrem generare coæternum sibi Filium. Appellatio est reflexa applicatio vnius termini ad alium: vt cum dicitur, *Alexander Magnus est orator*, particula *Magnus* appellat supra Alexandrum, non supra oratorem; eaquepropter propositio est vera. Alias termini proprietates, tùm quia his affines sunt, tùm quia latiorem postulant explicationem, in præsentiarum omtitto.

Summula Libri quarti.

DIALECTICÆ nostræ quartus liber est de veritate complexa, seu propositione. Orditur autem ab eius essentia: circa quam mira varietas sententiarum. Mox ad eius species descendit: plurimas illas quidem; at omnes scitu dignas, & necessarias. Tum ad eius pergit quantitatem, & qualitatem, materiam, & formam, quibus entium naturalium molem, tumoremvè, qualitatem, & antecedentem, primariamque compositionem effingit pulcherrimo, & artificioso imitamine. Postea procedit ad plerarumque propositionum oppositionem, æquipollentiam, & conuersionem: in quibus, sicubi aliàs Aristotelis emicuit ingenium. Denique gradum facit ad propositiones modales, atque exponibiles: easque ab aliis separatas in particulari discutit, ne cum reliquis confusè claritati, & breuitati præiudicium importent. Fateor huius libri materiam, præsertim vltima, ac penultima sui parte, salebrosam admodum, ac difficilem esse; eóque nomine à quibusdam Neothericis parcissimè degustari, ac tantùm non omitti. Perperam tamen id faciunt, atque inconsultè. Siquidem, vt Senecæ verbis vtar lib. 5. de benefic. c. 12. *quemadmodum quædam in oblectamentum, ac iocum sic alligantur, vt eorum solutio imperio difficilis sit: quæ ille, qui implicuit sine vllo negotio separat, quia commissuras eorum, & moras nouit, nihilominus* 22

illa habent aliquam voluptatem: tentant enim acumen animorum, & intentionem excitant. Ita hæc, quæ videntur callida, & insidiosa, securitatem, torporem, ac segnitiem ingeniis anferunt, quibus modò campus, in quo vagentur, sternendus est, modò scabri aliquid, & confragosi obiiciendum, per quod crepant, & solicitè vestigium faciant.

De variis speciebus propositionis.

PRopositio ergo, siue complexa veritas huic subiecta libro, est actus intellectus oppositionis cum alio ex modo tendendi capax. v. g. *Petrum est homo*, est propositio, quia eum habet tendendi modum, vi cuius opponatur huic actui, *Petrus non est homo*, nec eum sinat in eodem secum intellectu cohærere: cum interim, si quis apprehendat tantùm Petrum esse hominem, haud repugnet, eiusmodi apprehensionem componi cum iudicio Petrum esse hominem negante. Propositio aut est necessaria, aut contingens, aut impossibilis. provt prædicarum connectitur cum subiecto, siue necessariò, vt *homo est animal*, siue contingenter, vt *Petrus currit*, siue impossibiliter, vt *Petrus est lapis*. Verius est, hanc propositionem, *homo albus est homo*, & aliam quancumque de subiecto coniuncto, seu complexo esse necessariam: námque homo est de essentia hominis albi, & consequenter cum eo necessariò connexus: haud secus, ac quæuis alia pars est de essentia totius sui, illúdque non citrà necessariam connexionem respicit. Dices, nullo homine albo, aut etiam non albo existente, ea propositio, *homo albus est homo*, esset falsa: qui ergo esse potest necessaria? Antecedens suadetur: tum quia sensus eius propositionis est; homo, cui inest albedo, siue qui est albus, est homo: at hæc esset tum falsa, cum vna copula sua affirmet, hominem esse album; & alia, esse hominem: ad eius autem absolutam falsitatem sufficit, vnam eius copulam falsificari: tum etiam, quia ea propositio, si sit in materia necessaria, debet esse vniuersalis, & consequenter perinde atque hæc, *omnis homo albus est homo*: conuertenda igitur est ita, ergo *aliquis homo est homo albus*: sed hæc euentu posito est falsa: ergo & eius conuertens: ita esse conuertendam patet ex hac propositione, *omnis homo est animal*, quam omnes ita conuertunt: ergo *aliquod animal est homo*. Hæc tamen non vrgent. Quod ad rationem contrariam attinet, eius antecedens est falsum. Ad primam eius probationem dicendum est, propositionem, de qua loquimur, ad summum æqui ualere huic, *homo affectus albedine est homo*, quin affici albedine affirmetur de homine, sed de eo tantum apprehendatur. Ad alteram dicendum est, propositionem in controuersia positam, vt possit conuerti, sic esse exponendam, *omnis homo albus est quid constitutum essentialiter homine*: ita autem sic potest, & debet conuerti: ergo *aliquid essentialiter constitutum homine* est homo albus: hæc autem postrema propositio non esset falsa nullo homine albo existente: tum ergo nec esset falsa hæc, *omnis homo albus est homo*.

24 Propositio vlterius, alia est infinita, siue termino constans infinito, alia finita, alia denique priuatiua. Propositio negatiua de prædicato finito non infert irrefragabiliter, ac vi formæ propositionem priuatiuam: haud enim valet, lapis non est sapiens: ergo insipiens: insipientia námque importat subiectum capax sapientiæ, secùs verò non sapere: quare hoc, non illud, poterit lapidi conuenire. Cæterum, propositio negatiua de prædicato finito infert affirmatiuam de prædicato infinito: valet enim, lapis non est sapiens; ergo est non sapiens. Nec obstat, quòd hæc consequentia sit nulla, Socrates non est lignum album: ergo est lignum non album: nam vt illatio, quam dixi, valeat; particula *infinitans* afficere debet totum terminum negatiuum: vnde rectè sequitur, Socrates est. Lignum album: ergo est non lignum album. Propositio alia est identica, cuius scilicet prædicatum, & subiectum non habent inuicem distinctionem rationis adæquatam, aut etiam inadæquatam, vt *homo est homo*: alia est formalis, cuius extrema ratione distinguuntur, *vt homo est animal, risibile est rationale*. Propositio identica non tantum in voce, sed etiá in intentione reperitur: quando námque homo identificatur secum ipso, quídni possit ab intellectu huiusmodi entitas enuntiari, atque affirmari? Quod autem Recentiores aliqui contra sentientes aiunt, hanc propositionem, *homo est homo*, esse in mente hanc, *significatum huius vocis homo est homo*, mera diuinatio est, nec vllo nititur solido fundamento. Propositio iterum, alia est directa, in qua vel superiùs de inferiori, vel æquale de æquali prædicatur, *vt homo est substantia, risibile est rationale*: alia verò indirecta, in qua inferius de superiori enuntiatur, vt *animal est homo*, seu, *homo est Petrus*. Quamuis autem nonnemo insinuet, propositionem indirectam non esse in mente, at contrarium longè verius est, vt nuper in simili manet ostensum.

De oppositione, conuersione, & æquipollentia propositionum.

PRopositio vniuersalis affirmatiua, *vt omnis homo currit*, & particularis negatiua, vt *aliquis homo non currit*, opponuntur contradictoriè: quia nimirum ambæ nec possunt esse simul veræ, nec simul falsæ. Contrà verò vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua: vt *omnis homo currit*, *nullus homo currit*, haud possunt esse simul veræ, at possunt esse simul falsæ: ideóque opponuntur contradictoriè. Propositio autem particularis affirmatiua, & particularis negatiua, vt aliquis homo currit, aliquis homo non currit, opponuntur subcontradictoriè: quia possunt esse simul veræ, non verò simul falsæ. Ac denique vniuersalis affirmatiua, & particularis affirmatiua, *vt omnis homo currit, aliquis homo currit*, opponuntur subalternè, hoc est, nec in veritate, nec in falsitate opponuntur, sed tantum in eo, quod altera sit particularis, altera vniuersalis. Propositio vniuersalis affirmatiua denotatur à Summulistis littera *A*: vniuersalis negatiua littera *E*: particularis affirmatiua littera *I*: & particularis negatiua littera *O*. Hinc vulgaris versiculus. 25

Asserit. A. negat. E. tamen vniuersaliter ambæ.
Asserit. I. negat. O. sed particulariter ambo.

Quo constituto propositio vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua significari solitæ per dictionem *Feci*, conuertuntur simpliciter: id est inuariata quantitate, & qualitate. Quantitas autem propositionis est, eam esse vniuersalem, aut particularem. Qualitas strictè sumpta est, esse veram, aut falsam: at in præsenti sumitur qualitas latè pro eo, quod est, propositionem esse affirmatiuá, aut negatiuam. Hinc valet; nullus homo currit, ergo nullum currens est homo: necnon; aliquis homo currit, ergo aliquod currens est homo. Propositio vniuersalis negatiua, & vniuersalis affirmatiua denotatæ per dictionem, *Eua*, conuertuntur per accidens: id est, variata quantitate, non qualitate: vt omnis homo currit, ergo aliquod currens est homo; & nullus homo currit, ergo 26

ali

aliquod currens non est homo. Tandem, propositio vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua significatę per dictionem, *Asto*, conuertuntur per contrapositionem : hoc est, variatis terminis finitis in infinitos, aut è contrario; sed tamen immutata quantitate, & qualitate : vt omnis homo currit, ergo omne non currens est non homo: aut aliquis homo non currit, ergo aliquod non currens non est non homo. Porrò autem prædictæ conuersiones sequenti districho comprehenduntur.

Simpliciter Feci, conuertitur Eua per acci
Asto per Contra : sic fit conuersio tota.

Propositio vniuersalis, aut particularis anteposita negatione redditur æquipollens suæ contradictoriæ: Quod si subsequatur negatio, fit æquiualens suæ contrariæ. Cæterum propositiones subalternæ ad æquipollentiam reducuntur postposita, simulque præposita negatione : vt ex sequentibus versiculis manifestè constabit.

Non omnis, quidam non. Omnis non, quasi nullus.
Nonnullus, quidam. Sed nullus non, valet omnes.
Non aliquis, nullus. Non quidam non, valet omnis.
Non alter, neuter. Neuter non præstat vtrumque.

Quod spectat ad oppositionem, conuersionem, & æquipollentiam propositionum modalium, quales sunt, possibile est, Petrum currere, aut id est contingens, aut impossibile, aut necesse; necnon etiam exponibilium, veluti tantùm homo currit, siue non tantum homo currit, &c. eas breuitatis, & claritatis gratia in præsenti omitto : latius, opportuniúsque de iis acturus in interiori Dialectica.

Summula Libri quinti.

27 ARgumentationis humanæ architecturam', fabricam, & quasi formam quintus liber explanat: proh qualem illam : in materia inuisibili conspicuam, in parua, imò & minima variam, in naturali, ac passim obuia miram tamen, artificiosam, & omnibus suis numeris absolutam, ac perfectam. Ecquis non demiretur in vnius argumentatiunculæ breuitate tot partium numerositatem, distinctionem, situm, posituram, & sine confusione consensum, concentúmque ? Quis non stupeat syllogismum propositione fundatum, assumptione erectum, conclusione fastigiatum, subiectis solidulum, prædicatis sublimem, vnionibus nexum, maiori minoríque extremis vallatum, & medio totumvndíque sibi cohærentem? Hic equidem exclamare libet, ac trita Martialis carmina tamen iterum terere.

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis
Assiduus iactet nec Babylona labor, &c.

Illic manum viguisse, hic mentem video: illic verum istud esse potuit; materiam superabat opus; hic intellectum sine materia mirè operari conspicio : illic in maximis magnum sese ostentauit, ac probauit ingenium : hic in minimis maximum; hoc autem posterius eo priori minùs mirandum, æstimandumque non esse testis esto Tertullianus de anima cap. 4. in minutissimis animalculis Dei ingenium agnoscens, ac deprædicans his verbis *quoduis animal, vnius licet puncti, aliquo alatur, necesse est : exhibeas pabuli transmittendi, excoquendi, defœcandique membra. Quid ergo dicemus ? si per hæc viuitur; erunt hæc in omnibus vtique, quæ viuent, etsi non videntur, etsi non adprehenduntur pro mediocritate : hoc magis credas, si Deum recogites tantum artificem in modicis, quantum & in maximis.* Hactenùs ille. Quis itidem non miretur epicherema, in cuius breuissimo spatio tot argumentationum varietates, sedes, ac discrimina clauduntur, vt Archimedis sphærulam, Callicratis, seu nauem, seu quadrigam. Myrmecidis formicam, Phydiæ Mineruam æmuletur. Quid memorem soritem angustiis suis maiorem, ac mille argumentationum quasi voluminibus tumescentem, vt propterea acerualem eum dici Tullio placuerit. Enthymema etiam admirationem omnem superat, syllogismo quidem simile, nisi quod, sicut Virgilianus Halesus, se se in sua colligit arma. Exemplum verò, quo exemplo satis explicem; aut inductionem, quænam inductio par esse queat? Cui iam admirationi, ac voluptati non sit triplex argumentandi figura, & in quauis figura multiplex modus? Rursus modorum, qui indirecti sunt ad directos; & qui imperfecti sunt, ad perfectos ostensiua reductio, & per impossibile quasi coactio, quàm Dædala, & admirabilis? Hæc ergo, & quæ his affinia, ad quintum, vt dixi, pertinent librum.

De forma, figura, & modis vtilibus Syllogismi.

SYllogismus est argumentatio, in qua ex duabus 28
propositionibus tertia necessariò conficitur : vt omne animal est viuens, omnis homo est animal: ergo omnis homo est viuens. In hoc discursu sunt tres termini strictissimè tales, nempè animal, viuens, & homo. Animal est medium, quia bis ponitur in præmissis, vt ex eius identitate', tum cum viuente, tum cum homine, horum inter se concludatur identitas : viuens autem dicitur maius extremum, quia in præmissis prædicatur : & animal minus extremum, quia in iis subiicitur : sicut enim maius, præstantiusque est præesse, quam subesse; & consequenter minus subesse, quàm præesse : ita etiam prædicari maius est quodammodo, quàm subiici; & hoc minus, quàm illud : nil mirum ergo, si quod in aliqua præmissarum prædicatur, sit maius extremum; & minus extremum, quod in earum altera subiicitur. Prima præfati syllogismi propositio dicitur, & est maior, quia maiori constat extremo; & secunda minor, quia minus extremum sortitur. Quod si contingat, vtrumque extremum prædicari in præmissis, & in nulla earum subiici, aut è conuerso; tum maius extremum erit id, quod prædicatur in conclusione; & minus, quod in ea subiicitur. Quare in hoc syllogismo, omnis homo est animal, sed omnis homo est viuens: ergo aliquod viuens est animal; animal erit maius extremum, quia est prædicatum conclusionis; & viuens minus extremum, quia eius est subiectum: proindeque prior propositio syllogismi erit maior, quia maiori : & altera minor, quia minori constat extremo. Quod autem aliqui putant, propositionem aliquam syllogismi esse maiorem, quia prius tempore profertur; & minorem, quia est posterior tempore ad aliam, est falsissimum : siquidem, vt alias impugnationes omittam, vt est in mente syllogismus, ita & maior, minórque : at in ea multoties contingit, syllogismum, cum sit discursus non localis, sed intellectualis, ac rationalis, non tempore, sed instanti mensurari, omnésque eius propositiones simul elici, effic:que.

Quod attinet ad figuram syllogisticam, triplex est 29
pro triplici connexione extremorum cum medio : nam si extremorum alterum prædicetur de medio in vna præmissarum, & in alia de eo prædicetur, prima existet figura: vt omnis homo est animal : Petrus est homo : ergo animal. Quod si medium in præmissis

prædicetur de ambobus extremis, & hæc illi ſubiiciantur; ſanè ſyllogiſmus erit in ſecunda figura: vt nullus homo eſt quadrupes: omnis equus eſt quadrupes: ergo nullus equus eſt homo: ſin autem vtrumque extremum in præmiſſis prædicetur de medio, & hoc illis ſubiiciatur, efficiet tertiam figuram: vt omnis equus eſt ſubſtantia: ſed omnis equus eſt animal: ergo aliquod animal eſt ſubſtantia. Quartam autem figuram etſi addant Medici, & cum iis alij; at ſatis ex vano, vt oſtendetur in tempore.

30 Modi ſyllogiſtici variantur pro varietate, ac diuerſitate quantitatis, & qualitatis propoſitionum ſyllogiſmi: hoc eſt, provt huius propoſitiones fuerint vniuerſales, aut particulares, affirmatiuæ, aut negatiuæ. Modi vtiles communiter aſſignari ſolent vndeviginti: nempè

Barbara Celarent Darij Ferio Baralipton
Celantes Dabitis Fapeſmo Friſeſomorum
Cæſare Cameſtres Feſtino Baroco Darapti
Felapton Diſamis Datiſi Bocardo Feriſon.

Priores nouem ſpectant ad primam figuram: quatuor ſequentes ad ſecundam: & ſex poſtremi ad tertiam. Barbara ergò iuxta vim diſtichi illius, *Aſſerit A. negat, E.* &c. denotat ſyllogiſmum in prima figura conſtantem tribus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis: vt omne rationale eſt viuens: omnis homo eſt rationalis: ergo omnis homo eſt viuens. Darij ſyllogiſmum conſtantem maiore vniuerſali affirmatiua, minore verò, & concluſione particularibus, aut quaſi particularibus affirmatiuis: vt omnis homo eſt animal: Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt animal. Ex dictis hactenus conſtat, formam ſyllogiſticam conſiſtere in artificio maioris, minoris, & concluſionis, provt repræſentant identitatem extremorum, tum cum medio, tum etiam immediatam, & inter ſe; figuram ſyllogiſticam in præmiſſis ſolis, quatenus repræſentãt identitatem extremorum cum medio; modum vero ſyllogiſticum in maiore, minore, & concluſione, non vtcunque, ſed vt hac, vel illa quantitate, aut qualitate præditæ ſunt.

De variis ſpeciebus ſyllogiſmi, aliarumque argumentationum.

31 SYllogiſmus obliquus in eo differt à recto, quod terminis obliquis conſtet: vt omnis captiuus eſt alicuius Domini: ſed Amurathes eſt captiuus: ergo eſt alicuius Domini Qui ſyllogiſmus ob id legitimè, & benè concludit, quia reduci poteſt ad rectum aliquem legitimum, hoc pacto: omnis captiuus eſt mancipium alicuius Domini: ſed Amurathes eſt captiuus: ergo eſt mancipium alicuius Domini. Syllogiſmus ex oppoſitis eſt, in quo ex duabus propoſitionibus oppoſitis ab aliquo conceſſis infertur aduerſus ipſum concluſio, in qua identicè idem de ſe ipſo negetur; ſi fortè ita ad ſanam mentem poſſit reduci, qui contrarias, aut contradictorias admittit: vt nullus equus eſt animal: omnis equus eſt animal: ergo nullus equus eſt equus. In Cæſare Syllogiſmus infinitus eſt, qui conſtat terminis infinitis. In eo differt à ſyllogiſmo finito, quod ex puris negatiuis aliquando concludat: vt nullum non hinnibile eſt equus: nullus lapis eſt hinnibilis: ergo nullus lapis eſt equus. Verum hic ſyllogiſmus æquiualenter habet maiorem affirmatiuam: perinde enim eſt, nullum non hinnibile eſt equus, ac omne hinnibile eſt equus: ex qua, & minori ſuperioris ſyllogiſmi ſequitur in Cameſtres prior etiam concluſio in hunc modum: omne hinnibile eſt equus: nullus lapis eſt equus: ergo nullus lapis eſt hinnibilis, Syllogiſmus conglobatus eſt, qui non duas tantum habet præmiſſas, ſed plures: vt omnis equus eſt animal: omne animal eſt viuens: omne viuens eſt ſubſtantia: ſed Alaſtor eſt equus: ergo eſt ſubſtantia. Quem modum arguendi neſcio quo iure aliqui dicant in ſola voce, non verò in mente reperiri. Syllogiſmus expoſitorius eſt, qui conſtat terminis ſingularibus: aut omnibus; vt hic homo eſt animal: Petrus eſt hic homo: ergo Petrus eſt animal: aut aliquibus; vt Petrus eſt hic homo: omnis princeps Apoſtolorum eſt Petrus: ergo omnis princeps Apoſtolorum eſt hic homo: aut, nullus impœnitens eſt Petrus: omnis princeps Apoſtolorum eſt Petrus: ergo nullus princeps Apoſtolorum eſt impœnitens. Syllogiſmus expoſitorius valet in diuinis, ſi terminus ſingularis ſine ſyncategoremate, *omnis*, accipiatur; ſecus verò, ſi cum eo ſumatur: non enim valet; eſſentia diuina eſt Pater: Filius eſt eſſentia diuina: ergo Filius eſt Pater: at valeret hæc concluſio ſi hæ præmiſſæ eſſent ex æquo veræ: omne quod eſt eſſentia diuina eſt Pater: ſed Filius eſt eſſentia diuina.

Syllogiſmus hypotheticus, aut eſt à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis cum eo connexi, aut à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis: vt ſi eſt homo, eſt rationalis: ſed eſt homo: ergo rationalis; aut non eſt rationalis: ergo nec eſt homo. Syllogiſmus modalis, ſi conſtet vtraque de neceſſe, eius concluſio non poterit non eſſe de neceſſe: ſin autem vtraque eius præmiſſa fuerit de contingenti, aut ſaltem altera, concluſio erit hoc ipſo de contingenti: veluti, neceſſe eſt, hominem omnem eſſe animal: neceſſe eſt, Petrum eſſe hominem: ergo & eſſe animal: aut neceſſe eſt, omnem currentem calefieri: contingit autem Petrum currere, ergo & continget, eum calefieri. Syllogiſmus demonſtratiuus eſt, in quo ex præmiſſis euidentibus euidenter quidpiã concluditur: ſatis autem eſt quælibet præmiſſarum euidentia: fierique poteſt, vt earum aliqua ſit euidens, ac neceſſaria ex modo tendendi, non verò ex obiecto: quippe, quod ſuſtinet eſſe contingens, & fallibile: veluti quoties interponitur tellus inter ſolem, & lunã, eſt eclipſis; ſed aſtris peruenientibus ad tale cœli punctum eſt, eritve interpoſitio telluris inter ſolem, & lunam: ergo & eclipſis. Syllogiſmus probabilis eſt argumentatio, in qua ex præmiſſis opinatiuis aliquid rectè concluditur: eſt autem ſtrictè, ac verè ſyllogiſmus, etſi eius præmiſſæ ſint re ipſa falſæ, & apparentes, ſiue tantum veriſimiles, & non veræ: quidni enim? cum connexio præmiſſarum cum concluſione non ſit apparens, ſed vera; taliſque, vt non poſſit aſſenſus concluſionis negari conceſſis præmiſſis, quin duæ contradictoriæ virtualiter ſaltem, atque implicitè deuorentur. Confirmatur: propoſitio falſa, etſi non ſit vera propoſitio, at eſt verè propoſitio, vt omnibus eſt in confeſſo: igitur & ſyllogiſmus falſi conſtans præmiſſis erit nihilominus verè ſyllogiſmus. Cæterùm ſyllogiſmus ſophiſticus ratione formæ haud eſt verè ſyllogiſmus quod ſic oſtendo; quod non habet veram, ſed apparentem formam hominis, non eſt verè homo: qua ratione homo pictus iuxta omnes non eſt verè homo. Atqui ſyllogiſmus ratione ſuæ formæ ſophiſticus non habet verã formam ſyllogiſmi: hæc enim eſt talis connexio præmiſſarum cum concluſione, vt huius aſſenſus non poſſit, debeat vè concedi illis negatis: conſtat autem in ſyllogiſmo ſophiſtico, quo de loquimur, haud reperiri eiuſmodi connexionem, aut cohærentiam propoſitionum: nec enim quiſquis concedit has præmiſſas: aliquis homo currit: ſed Petrus eſt aliquis homo; tenetur 32

hanc

hanc conclusionem concedere, ergo Petrus currit.

33 Enthymema est argumentatio ex duabus tantum pronunciatis constituta: quæ non est, cur in mente semper sit syllogismus tres propositiones complectens: siquidem vti duæ priores propositiones syllogismi connexionem habent cum eius conclusione: ita etiam vna sola propositio interdum habet connexionem cum alia; nimirum conuersa cum conuertente: veluti, nullus lapis est homo; ergo nullus homo est lapis, quidni ergo ex harum priore sola inferatur altera etiam in mente vi connexionis, quam habent; ad modū quo interius est in mente ex præmissis syllogisticis infertur conclusio? Inductio est, in qua ex sufficienti partium subiectiuarum enumeratione aliquid infertur de ratione superiori, & vniuersali: vt substantia est bonum, & accidens est bonum: ergo omne ens est bonum. Exemplum est argumentatio, vi cuius quidpiam proponitur in alio fugiendum, aut imitandum: vt Christus pro nobis passus est: quidni ergo, & nos pro nobis pati velimus aliqua? Epicherema est integer syllogismus, aut enthymema comprehensum vna dumtaxat propositione vocali: veluti, si Iudam sic increpes, cur Discipulus vendat Magistrum? Quæ interrogatio breuiuscula hunc habet sensum: Discipulus non debet vendere Magistrum: Iudas fuit Discipulus Christi; ergo, &c. Sorites est argumentatio acerualis, siue conglobata; de qua satis, paulò supra. Dilemma denique, siue argumentum cornutum est, quod ferit vtroque cornu, & concludit semper aliquid contra respondentē, vtramcumque contradictionis partem concedat: veluti si quis verum aliquod necessario reperiri in rebus probet, hunc in modum: aut est aliquod verum in rebus, aut non: si primum; obtinetur intentum: sin autem secundum; ergo verum est, nullum verum reperiri in rebus: & sic oportet, verum aliquod esse in rebus; id nimirum, quo verum omne negatur.

Summula Libri sexti.

34 TExtus Dialecticæ nostræ Liber complectitur signa veritatis: videlicet naturale, & arbitrarium, nomen, verbum, & orationem. Nullæ quidem aues oscines, nullæ volucres præpetes, nulla sinistra cornix, nulla cæsorum animantium exta spirantia, nulla spectra, infernique manes, nulli cometæ ferali crine fulgurantes tam minaciter vnquam terruere, quam Dialectica illa signa turbant, ac tremefaciunt adolescentium non paucos. Nec mirum: adeo enim salebris, ac difficultatibus plena omnia tradi à quibusdam solent; adeò plusquam Phariis, plusquam Cimmeriis immersa tenebris. Meminerint tamen ingenui tyrones non ipsius id doctrinæ vitium esse, sed docentium: quorum propterea docendi morem fugere libet, aliumque nostris Authoribus familiarem, ac magis lucidum, atque distinctum sequi. Ita erit, vt materia isthæc sponte sua tam vtilis, ac iucunda non metum, horrorémque incutiat, sed delectatione alliciat. Et quidem signis etiam naturalibus, ac non deartículatis vocibus, aut certè ad nil repræsentandum, ex instituto destinatis (de quibus pauca, sed tamen aliqua inpræsentiarum) dissidemus à stipitibus, saxis, aliisque substantiis sensu destitutis, artificialiumverò vsu (cuiusmodi sunt nomen, verbum, & oratio) à belluis, quas natura fecit mutas, atque infantes. Pulchre Fabius lib. 2. orator instit. *Ipsa ratio neque tam nos iuuaret, neque tam esset in nobis manifesta, nisi quæ concepissemus mente promere, etiam loquendo possemus.*

De signo in communi, necnon formali, & instrumentali naturali, & arbitrario.

SIgnum in communi est, quod in alicuius veritatis cognitionem quempiam ducit nec refert, aliqua signa non ad veritatis, sed ad falsitatis alicuius cognitionem, aut assensum ducere: vt cum v.g. virga aquis immersa obliqua apparet, adeóque obliquitatem, quæ in ipsa verè non est, significat tamen, atque repræsentat. Siquidem vti intellectus habet pro obiecto verum, ab eóque quoad omnes suos actus specificatur, pérque illud definitur, nimirum quia quæ etiam falso admittit, iis tamen assentitur sub ratione veri: ita similiter signa, quibus fallimur, haud persuadent, obiiciuntve nobis falsa, nisi sub imagine & specie veri: vnde, &c. 35

Signum formale est, quod informando potentiam, eamque denominando facit aliquid cognosci: instrumentale verò, quod provt extrinsecè informatum, cognitumve facit quidpiam alicui innotescere: hoc posteriori modo fumus est signum ignis: priori verò modo cognitio ipsa rationem signi sortitur. Perperam aliqui existimant, signum formale, siue cognitionem non esse propriè signum: quando namque signum instrumentale dicitur, estque propriè signum; cum tamen quod signum sit, id habeat à respectu ad signum formale, siue cognitionem, in quam ducit; quidni ipsa cognitio à fortiori sit propriè signum? Quanquam autem albedo non sit propriè album, & sic de aliis similibus concretis, quæ suprà formas suas subiectum distinctum addunt: at in aliis concretis, in quibus similis distinctio, & additio non cernuntur; aliter se habent res, & etiam loquendi modus: siquidem syllogismus v. g. est argumentum, & argumentatio: & modus vnionis est simul vinculum extremorum, & eorum vinculatio, vt sic dixerim. Proinde licet cognitio sit repræsentatio, & consequenter significatio; tamen hoc non obstante esse poterit propriè signum. Veriùs arbitror, aliquid esse propriè signum sui v. g. cognitionem supra se reflectentem: licet enim nequeat dici vlla res physicè simile sibi, nisi valdè impropriè: at cur non possit aliquid intentionaliter, & secundum quid sibi assimilari, seque repræsentare? hæc autem similitudo, aut repræsentatio sufficit ad rationem signi propriè talis, aliàs ne aliorum obiectorum distinctorum signum propriè tale esset cognitio, contrà quam est constitutum paulò supra. 36

Signum naturale est, quod ex natura sua; arbitrarium, quod ex aliorum placito aliquid repræsentat: vtroque modo hæc vox *homo* v.g. significat; nempe, seipsam naturaliter, & animal rationale arbitrariè, & ex instituto. Significatio arbitraria vocum haud consistit in relatione vlla fictitia: nec enim Deus imponens nomina rebus, propterea fingit; haud etiam in modo vocibus inhærente: quando namque Petrus per seipsum, & non per modum sibi superadditum est similis Paulo, cur etiam voces absque modi vllius intrinseci adiectione non assimilentur quodammodo rebus vocatis, earumque sint imagines, ac signa? haud etiam in voluntate institutoris vocum, easve ad hoc præ illo repræsentandum imponentis: siquidem belluæ, vt experimento constat, percipiunt signa quædam arbitraria, quod difficilè potest explicari ab iis, qui vt proximè supra philosophantur, cum belluæ non percipiant, nec possint voluntatem primi institutoris; quippe omnino spiritualem, adeoque supra omnem sensum, siue belluinum, siue etiam humanum. Rectius ergo, & longè verisimilius dici potest, voces constitui significati- 37

uas

uas ad placitum formaliter per speciem, aut quasi speciem quandam ad vocum præsentiam, sonúmque excitari solitam in audientibus de re illa, quæ per voces significatur: & sicut cognitio, quin cognoscatur, significat rem cognoscenti, nimirum quia huic inest; ita, vt species, de qua suprà, constituat voces significatiuas rerum, non est necesse, vt ab hominibus, aut belluis, cui significat, cognoscatur; sed satis est, vt iis insit, inhæreatque.

38 Voces primario, & directè res ipsas significant: hæc enim propositio, *homo est rationale*, affirmat directè atque primario, hominem obiectiue, & realiter sumptum esse animal rationale: nam si vocem hanc, *animal rationale*, de homine directa, & primaria ratione affirmaret, haud dubie esset falsa, at affirmare est significare: ergo voces directè, atque primario significant res, siue obiecta. Cæterùm hoc non tollit, quo minus etiam directè, & primariò significent etiam conceptus nostros, cum ad eorum manifestationem vitæ politicæ, commercióque humano & rationali adeò necessariam sint potissimè institutæ. Nec obest, voces, vt *quod* affirmare solas res iuxta nuper insinuata, conceptus verò dumtaxat *vt quo*: siquidem significare non tantum est adfirmare, sed etiam quomodolibet manifestare: conceptus autem non tantum vt *quo*, sed etiam vt *quod* manifestantur per voces. De quibus illud etiam adiicio contrà non paucos, eas per se, & ex intentione expressa, siue impositione loquentis haud posse perfectius, siue clarius significare rem vllam audienti, quam ipsemet eam concipit: nam si intendit, expressèque, ac distinctè præscribit audienti talem modum cognoscendi; talem certè, ac non minus perfectum debet ipsemet præhabere. At per accidens possunt voces rem clariùs, atque perfectius significare audienti, quam loquenti: vt si de Indiarum rebus qui nunquam eas vidi, loquar tamen coram aliquo, qui in Indiis natus, & educatus est.

De nomine, verbo, & oratione.

39 NOmen est vox declinata per casus, vt homo, aut lapis. Verbum autem est vox coniugata per tempora, vt amo, vel lego. Porro tametsi aliqui renuant, verbum infinitari posse; contrarium tamen probabilius est: tum quia nomen infinitatur: quidni ergo & verbum? tum etiam, quia hæc propositio, *non amo*, æquiualet interdum huic, *sum non amans*: hæc autem particula, *non amans*, infinitatem subit: eam ergo communicat propositioni illi, *non amo*, in qua delitescit, ac virtute clauditur. Oratio sunt plures dictiones congruè se habentes: quæ si congruant, connectanturue, nexu aliquo imperfecto, & grammaticali orationem parient imperfectam, vt v.g. vir sapiens: sin autem nexu perfecto, & verbo, seu copula aliqua præsertim enuntiatiua, profecto orationem constituent perfectam.

40 Hoc vltimum orationis genus, nempe enuntiatio potest signo aliquo non ad placitum, sed naturaliter tali constitui: in hac enim propositione, *Blitiri est terminus*; cur Blitiri non sit subiectum, siue terminus *à quo*? Nec refert, cum dicitur, *omne Blitiri est terminus*, syncathegorema illud, *omne*, non posse cadere supra Blitiri, quod profertur, cum sit quid singulare, adeóque eiusmodi, vt non nisi ineptè de eo dici possit *omne*: appellat ergo supra hanc particulam, *vox*, sin minus expressam in ea propositione, at saltem in ea subauditam: proinde particula ea, *vox*, sola erit subiectum propositionis, de qua sermo; Blitiri verò non tam eius subiectum, terminusvè, constitutiuus, quàm obiectum. Hoc inquam quod solet obiici, non refert. In primis enim etsi propter difficultatem iam iam obiectam Blitiri haud sit terminus, aut pars eius propositionis, *omne Blitiri est terminus*; quidni saltem huius, *hoc Blitiri est terminus*? Rursus & eam priorem potest terminare, ac constituere: cur enim *omne* non appellet in ea non suprà terminum aliquem communem subintellectum, sed immediatè suprà ipsum Blitiri, prout significat naturaliter cætera Blitiri sibi assimilia, & quatenus pro iis supponit; talem significationem, & suppositionem determinante syncathegoremate illo, *omne*, ei adhibito? Probabile est, propositionem externam non esse propriè propositionem, siue enuntiationem, cum eatenus dicatur propositio, quatenus mentalem significat, repræsentátque: admodum quo homo pictus est tantum impropriè homo, quia non alio iure, aut fundamento dicitur homo, nisi quia est veri hominis repræsentatio quædam, & imago. Haud tamen abnuerim, quin omni vacet improbabilitate, quod vocalis enuntiatio propriam enuntiationis rationem obtineat. Sed de hoc in loco.

Summula Libri septimi.

SEptimus liber est de modo sciendi veritatem, 41
eiúsque triplici specie, definitione nimirum, diuisione, & argumentatione quoad paucula, quæ supersunt. His supra vulgus idiotarum euehimur, atque in sapientum cœtu collocamur. His discimus, atque docemus. His non Logicæ solius, sed etiam scientiarum omnium lucem petimúsque damúsque vicissim: vt huc non ineptè conueniat illud Horatij.

Scire tuum nil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Definitionis artificio quid præstantius? *Primum enim hanc* (vt Augustini in Categ. c. 6. verbis vtar) *per immensum tendi oportet incipientem à genere: dehinc paulatim per partes currendo peruenire debet ad id, quod definitur: vt ij, qui signa formant, primum immensum subdeligunt lapidem, dehinc paulatim minuendo, & abscindendo superflua, ad formandos vultus, & membra perueniunt. Sic definitio à genere incipiens, depulsa paulatim generalitate verborum, ad proprium demonstrandæ rei cubile tendit accedere.* Iam sine diuisione quid aliud esset omnis facultas siue voce, siue scripto tradita, quam veluti confusum quoddam, & inordinatum chaos? Quid nisi

Rudis, indigestaque moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.

Præterea, quis pro dignitate commendet tot non interius modò, sed etiam exterius argumentandi modos à Dialecticis inuentos, & à nobis suprà insinuatos, latiúsque in tempore explicandos? Quis denique tot, támque varios argumentandi locos? De quibus bellè D. Isidorus in sua Logica cap. 31. ibi: *mirabile planè genus operis, id vnum potuisse colligi, quidquid mobilitas, ac varietas humanæ mentis in sensibus exquirendis per diuersas causas poterat inuenire; concluſum liberum, ac voluntarium intellectum: nam quocunque se verterit, quascunque cogitationes intrauerit, in aliquid eorum, quæ prædicta sunt, necesse est, vt cadat ingenium.*

De definitione, & diuisione.

MOdus sciendi id est oratio ignoti manifesta- 42
tiua est ea, quâ clarè dignoscitur, quod prius, aut non cognoscebatur, aut certè tantum obscurè.

Quo

Quocirca esse modum sciendi cuiuis propositioni euidenti, v. g. huic, *dies est*, conuenit, non vero, vt aliqui perperam existimant, soli definitioni, diuisioni,& argumentationi. Nihilominus hæ solæ sunt eius potissimæ species : atque ob id de iis inpræsentiarum. Definitio autem,vt ab ea ordiar, definiri solet,oratio explicans naturam rei,vt homo est animal rationale. Prima eius lex est, vt non pateat latius definito, nec hoc etiam latius fundatur, quam illa. Quare perperam definias animal rationale, per hoc, quod sit substantia spiritualis : videlicet, quia esse substantiam spiritualem pluribus, quam animæ rationali conuenit, Angelo, nempe & Deo. Quod si definias viuens esse principium sentiendi, definitio similiter erit vitiosa, & contra statutæ legis posteriorem partẽ, quia viuens iis,quibus sensibile,sed tamen non iis solis competit,cum de plantis etiã dicatur.Secũda lex definitionis est,vt sit clarior definito : contra quam peccat hæc ensis definitio:ensis est gladius. Tertia lex definitionis, quæ ab aliis diuidi solet in duas,est, vt nec sit prolixa, nec valdè breuis,& curta. Prolixitatis vitio laborat hæc hominis definitio; homo est animal rationale, risibile : hæc verò breuior est, quam oportet; homo est substantia rationalis, seu discursus ad sciendum plerumque indiga : omittit enim corpus, viuens, animal, qui tamen conceptus non minus, quam rationale clauduntur in homine,eique sunt essentiales, atque hoc est quod alij aliis terminis docent, definitionem debere tradi per genus proximum,non verò remotum.

43 Diuisio est oratio totum in suas partes distribuens; vt animal aliud est rationale,aliud irrationale Prima eius lex,quam in duas alij dispescunt est,diuisum ita adæquare debere membra diuidentia collectim sumpta, tantamque, ac non maiorem, quam illa latitudinem sibi vendicare, vt tamen quouis eorum sigillatim accepto latius, atque vniuersalius sit. Quapropter hæ diuisiones, substantia alia est spiritualis completa, alia spiritualis incompleta;ens reale,aliud est à se, aliud ab alio; aliud nec à se, nec ab alio; animal aliud sensitiuum,aliud rationale,nullæ prorsus sunt.Prima,quia substantia spiritualis completa, & incompleta non adæquant substantiam, cum præter eas sint aliæ plures substantiæ,videlicet corporales. Secunda, quia ens reale non adæquat eius inferiora, cum vnum ex talis diuisionis inferioribus sit ens nec à se, nec ab alio : cui tamen enti, aut quasi enti non conuenit ens reale, sed potius esse rationis, & chimericum, atque impossibile. Tertia, quia nulli competit esse animal, de quo, quod sensibile sit, non prædicetur. Altera bonæ diuisionis lex est, vt eius membra diuidentia non includantur inuicem: proinde malè diuiseris viuens in plantam, animal, & hominem, propter huius scilicet in animali inclusionem. Postrema diuisionis lex est, vt non sit prolixa: quam legem violes, si diuidas animal in hominem, canem, taurum, simiam, &c. & non potius in rationale, & irrationale.

44 Circa duos sciendi modos superiùs memoratos, definitionem scilicet, & diuisionem, duo sunt animaduertenda. Alterum est, diuisionem rei in partes actuales vix aut nè vix quidem distingui à definitione. Ecquid enim dictu est, hominis partem aliam esse corpus, & aliam animam rationalem,quam dicere,hominem esse compositum ex corpore, & animâ? Aut quid interest, si dicas, homo est animal rationale; an, hominis pars Metaphysica alia est animal, alia rationale? Nec verò definitio communiter dicitur modus sciendi diuersus à diuisione,provt hæc in partes actuales dispescit,sed quatenus in partes subiectiuas; hunc in modum,animal aliud est rationale,aliud irrationale : constat enim,animal, non per rationale,& irrationale,sed per viuens sensibile definiri. Alterum animaduersione dignum circa definitionem,& diuisionem est,alterutram interdum in integrâ propositione consistere, quandoque verò in solâ apprehensione. Prius patet : quia hæc propositio, homo est animal rationale, hominis explicat naturam : quidni ergo sit definitio, & è conuerso? Posterius haud minus est exploratum : nam de ratione definitionis esse, communiter censetur, quod sit clarior definito, quod non ingrediatur definitum, quod cum eo conuertatur : quæ nisi de solâ apprehensione quidditatis rei,siue de quidditate rei,vt apprehensa v. g. animali rationali ægrè verificari possunt, vt intuenti constabit. Quod si definitio iam in apprehensione solâ, iam vero in totæ propositione consistit, cur non idem seruatâ proportione dicatur de diuisione? Pari etiam ratione censeo, syllogismum interdum sumi pro solis præmissis, interdum vero pro conclusione duntaxat, ac multoties etiam pro huius & illarum complexo, vt latiùs ostendetur in tempore.

De locis Argumentandi vtilibus.

PRimus locus est definitionis,& definiti. Quem 45
varij variis modis explicant : Ipse sic eum breuissimè explano. A definitione ad definitum valet consequentia tum ex parte prædicati; vt Petrus est animal rationale; ergo homo : tum ex parte subiecti;vt animal rationale est substantia,ergo homo est substantia : tum ex parte vtriusque, vt animal rationale est viuens sensibile,& alia ex parte omnis homo est animal rationale, & omne animal est viuens sensibile : ergo omnis homo est animal : tum affirmatiuè vt ex nuper positis constat exemplis : tum negatiuè vt homo non est animal hinnibile : ergo nec equus;aut animal rationale non est equus : ergo nec homo est equus. Quibus autem,& quot modis valet consequentia à definitione ad definitum, totidem valet & à differentia specifica,cuiusmodi est rationale v.g.ad definitum, necnon etiam à definito ad definitionem,& differentiam specificam.

Secundus locus est coniugatorum, seu verborum 46
eiusdem generis. Eius vis est hæc : cui conuenit formaliter, aut conuenit vnum coniugatorum, & conuenit, aut non conuenit alterum seruata proportione; vt Theologia est sapientia : ergo Theologus est sapiens : aut prudentia non est calliditas, ergo prudens non est callidus; nec prudenter agere, est callidè & astutè agere. Dixi *formaliter* : quia,si tantum materialiter conuenit aliquid vni coniugatorum, necesse non est, vt id ipsum seruata proportione alteri conueniat : haud enim valet;album est dulce,albedo igitur est dulcedo. Vide elegantem huius loci vsum apud Senecam Philosoph.epist.117.

Tertius locus est partium diuidentium, siue diui- 47
sionis; & totius,siue diuisi. Sequentes maximas,aut propositiones vniuersales continet : positis omnibus partibus integrantibus, siue actualibus ponitur totum actuale, & è conuerso : sublata aliqua parte actuali, integratiuè aufertur totum actuale,vel integrale, ac vice versa : vt existit domus, ergo fundamentum, tectum, parietes, &c. existunt : non existit domus, ergo vel eius fundamentum,vel tectum, aut alia pars non existit : Franciscus est homo, ergo animal, & simul rationale : Leo non est rationalis : non ergo homo,quantumuis sit animal. Neque non etiam & has comprehendit maximas idem locus :

posita

posita aliqua saltem parte subiectiua ponitur totum potestatiuum, siue vniuersale, & conuersim: illis verò omnibus sublatis, & hoc aufertur; atque è diuerso: vt Petrus aut vegetatur, aut sentit, aut intelligit, aut se mouet de loco in locum: ergo viuit: vel è contrario; viuit, ergo rationem aliquam particularem vitæ sortitur, & vel vegetatur, vel sentit, &c. aut Petrus est homo, ergo animal; aut lapis non est animal, ergo nec homo, nec leo, nec equus, &c.

48 Quartus locus est causarum, & effectuum. Hanc in primis continet maximam: causa potens, & effectus in potentia simul sunt, aut non sunt: vt si est possibilis vis calefactiua, & est possibilis calor: si hic possibilis, & illa. Pari ratione vnius impossibilitas ex alterius sequitur impossibilitate, & è cõuerso: vt pulchrè arguit contra Chaldæos siue Genethliacos Phauorinus apud Aulum Gellium lib. 4. noct. Atticar cap. 1. Altera eiusdem loci maxima est hæc: causa necessaria in actu, & effectus in actu simul sunt, aut non sunt. Dixi *necessaria*: quia, si causa non sit necessaria, cuiusmodi est materia summè calida respectu ignis, ac motus orbium cælestium intuitu mutationum, ac vicissitudinum plurium in hoc mundo sublunari, sed minimè connexa cum effectu, haud rectè colligas, huius existentiam, ex eo quod illa existat: nec enim rectè sequitur v. g. existit nunc anima Platonis, ergo & Plato nunc existit, viuítque: voluntas tentatur ad peccandum, ergo peccat.

49 Quintus locus est adiunctorum, siue circunstantium, aut communiter accidentium: quæ diuidi solent in præcurrentia, comitantia, & subsequentia. Alia námque rem, de qua est deliberatio, tempore antecedunt, atque præcurrunt: vt signa physiognomica, prodigia & monstra, gestus & cultus corporis, nobilitas & educatio, dies aut hora natalis, merita ac beneficia collata, aliáque his similia. A signis physiognom. arguit Martial Epigram. 4. lib. 12.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luscus:
Rem magnam præstas Zoile, si bonus es

Rem, de qua est quæstio, comitantur tempus, locus, apparatus, ocij, conditio personæ, nomen, & alia id genus. A tempore, & loco sic arguitur: maritus inter amica silentia noctis, & in lecto cubans interfectus est, magis ergo est vt ab vxore quam à filio fuerit interfectus: aut è contrario: luce palam, & in itinere interfectus est, non ergo ab vxore, sed à filio. Ab apparatu, sociis, & conditione personæ arguitur ita: armatus incedebat, armatis etiam haud paucis stipatus, hostis item erat: insidias ergo moliebatur: aut è contrario, inermis ibat, solus & incomitatus, hostis ante non erat: nullas ergo insidias tendebat. A nomine arguit B. Greg. Nyssen. in epist. ad Harmonium de professione Christian. ibi: *vt enim participatione Christi Christiani appellationem adepti sumus; ita per consequens conuenit, omnium quoque sublimium nominum nos adscisere communionem, ac societatem.* Quæ subsequuntur rem, qua de agitur, huiusmodi sunt: Liuores, & tumores apparuerunt; occisus ergo, non mortuus est. Patrimonium exhausit; turpiter ergo vixit. Latuit, profugit, solum vertit; commissi ergo criminis fuit author. Supplicium diuinitus, ac miraculosè euasit; innocens ergo damnatus est. Hactenùs de adiunctis. De quibus duo animaduerto. Alterum est, quæ à nobis figillatim exposita sunt, atque in tres classes digesta, ea omnia hoc versiculo solere comprehendi.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Alterum est, tametsi adiunctorum quodlibet rem sæpè non probet efficaciter, neque omninò persuadeat, nihilominus ea haud esse parui habenda: vt enim cum Fabio lib. 5. cap. 12. loquar, *imbecilla natura, mutuo auxilio sustinentur, etsi non possunt valere, quia magna non sunt, valebunt quia multa sunt: nocebuntque etiam si non vt fulmine, tamen vt grandine.*

Sextus locus est maiorum, & minorum. Eum sic explico: à maiori ad minus valet argumentum negatiuè: siue; si id quod verisimilius videtur non est verum, nec id quod minorem præ se fert verisimilitudinem. Hoc pacto subdolus Vlysses Andromachen redarguit apud Senecam Poët. in Troade ibi: 50

Simulata remoue verba, non facilè est tibi
Decipere Vlyssem, vicimus matrum dolos
Etiam Dearum: cassa consilia amoue,
Vbi natus est?

At si diceret verisimilius erat, vt à matre Dea fallerer, Thetide scilicet Achillis parente, quam à te, quæ mortalis mortalem Astyanacta peperisti. Ast ab illa falli non potui, cum celaret Achillem, bellique Troiani periculis conaretur eripere. Minus ergo potero à te falli quæ Astyanacta tuum abscondis alicubi, & ab imminente fato omni vi, ac via niteris liberare. E contrario à minori ad maius affirmatiuè valet argumentum: siue, si id quod minus verisimile videtur, verum tamen est, & id etiam quod maiorem præ se fert verisimilitudinem: vt potuisti ferre pondus vt octo: quidni ergo possis ferre pondus vt quatuor. Non nos latet, nomina maiorum, & minorum à quibusdam aliis aliter vsurpari: adeóque aliter, vt quem nos appellauimus locum à maiori ad minus, hunc illi vocent à minori ad maius, & è diuerso. At quem elegimus loquendi modum, & paucioribus exceptionibus indigere, & Aristoteli magis esse conformem arbitramur.

Septimus locus est similium, & dissimilium: cuius efficacitas in eo posita est, quod similium idem, & dissimilium diuersum debeat esse iudicium. A simili, siue praxi sic arguas: oculi vident colorem præsentem, ergo & aures audient sonum non distantem: ignis non est frigidus; ergo nec aqua est calida, per se scilicet: vel cum Fabio declam. 4. *Miraris fatum hominis posse prædici. Defectiones syderum, laboresque narrantur: nuntiatur origo tempestatum, lassitudo ventorum; quod sydus immodicos solis ardores, quod seueras minetur hyemes, quid significent, sparsi longius crines, quid ardẽtius solito iubar, quid excussa flamma syderibus.* Et paulò infrà: *necesse est, vt maiores notas ventura promittant, quæ non temerè nascuntur: sic futuras tempestates pelagi fragor, & conscium nemorum murmur enuntiat: sic periturorum fata populorum ardentes cælo faces, & crinita syderum flamma præcurrit.* A dissimili arguas hunc in modum, cum Plutarch. in moralibus: *Luna cum soli coniungitur, tunc obscuratur, & occultatur; cum abest, lucet. Contrà proba vxor præsente marito maximè conspici debet; eodem absente maximè condi, & latere.* 51

Octauus locus est oppositorum. Primum eius axioma est: quoties alterum oppositorum, siue relatiuè, siue priuatiuè, siue contrariè, siue contradictoriæ talium conuenit subiecto, alterum ei non conuenit. Vt est Priami filius; non ergo Pater: viuit; non ergo mortuus est: aut cæcus est; ergo non videt: pulcher est, ergo non deformis: vel candidus; ergo non niger: est fortis; ergo non est non fortis: aut imbecillis; haud ergo est non imbecillis. Eleganter Boëtius de consolat. parum ab init. 52

Quid me fælicem toties iactastis amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Secundum eius loci axioma est huiusmodi: quoties prius extremum vnius oppositionis sequitur prius alterius, posterius etiam extremum vnius sequetur

poste

posterius extremum alterius : quod si posterius non sequitur posterius, nec prius sequetur prius. Vt v. g. omnis pater genuit : ergo omnis filius est genitus. Vbi duplex est oppositio : altera genitoris, & geniti; altera Patris, & filij : duplex item extremum alter-vtrius oppositionis; pater nempe, & filius, genitor, & genitus : sicut autem genitor sequitur patrem, ita esse genitum sequitur filium: & si filius non esset genitus, nec pater genuisset illum : quoties ergo prius extremum vnius oppositionis, &c. Aliarum etiam oppositionum exempla sunt. Omnis auditus est sensus; ergo omnis surditas est priuatio sensus cuiusdam: aut omnis audiens est sensu aliquo præditus, ergo omnis surdus est sensu aliquo priuatus, & si posterius horum non est verum, nec prius. Omnis temperantia est virtus, omnisque temperans virtute aliqua præditus: ergo omnis intemperantia est vitium, & intemperans vitiosus, quod si &c. Omnis homo est animal: ergo omne non animal est non homo : non vero; ergo omne non homo est non animal : equus enim est non homo : & tamen nequaquam est non animal, sed animal potius. Quamobrem in tribus tantum oppositionibus priori vnius oppositionis extremo sequente prius extremum alterius oppositionis, posterius etiam sequetur posterius, tum directè, tum etiam, quod necesse est, ordine conuerso. Cætetum in contradictoria, & postrema oppositione sequela esse nequit directa, sed tantùm contrapositа, & conuersa, vt ex dictis perspicuum est. Porro autem vt hæc doctrina valeat, termini debent vtrinque sumi in abstracto, aut vtrinque in concreto, non vero hinc in abstracto, & illinc in concreto: haud enim sequitur, amabile est cognoscibile: ergo amor est cognitio. Hoc secundo axiomate optimè vsus est Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 10. ibi. *Nùc enim iustitia malum, si iniustitia bonum. Porrò, cum cogeris iniustitiam de pessimis pronunciare, eodem iugo vrgeris, iustitiam de optimis censere. Nihil enim amulum mali, non bonum, sicut & boni æmulum, nihil non malũ; igitur quantò malum iniustitia, tantò bonum iustitia.*

53 Tertium eiusdem loci axioma, & quidem oppositionis relatiuæ proprium, est: posito aut sublato vno correlatiuo, ponitur auferturue aliud: vt, est pater; ei ergo aliquis filius est: nullus ei Filius est, non ergo pater: aut, vt illud Baptistæ de Christo & Ecclesia Ionn. 3. vsurpem; *Qui habet sponsam, sponsus est*; & sine sponsa nullus est sponsus. Excipe tamen ab hac regula, siue axiomate relatiua mutuò non connexa: Nec enim valet: erit adolescens, ergo & senex: aut non erit senex: ergo neque adolescẽs. Quartum axioma spectans specialiter ad oppositionem priuatiuam & ex parte ad contrariam, sic se habet: vt à priuatione ad habitum arguitur negatiuè, ita ad potentiam habitus arguitur ab illa affirmatiuè. Quemadmodum enim valet, est cæcus, ergo non est videns; ita etiam, est cæcus, ergo potest videre: quod enim non potest videre, esto non videat, haud propterea cæcitati vlli est obnoxium, alioqui lapis, quia videre nequit, eo ipso erit cæcus. Quæ doctrina in alipuibus etiam contrariis locum habet: nulli namque morbus inest, nisi cui sanitas potest inesse; atque, vt Senecæ epist. 124. verbis vtar, *Nulli vitium est, nisi cui virtus potest esse.* Quintum, ac postremum axioma pro oppositione contradictoria sit tale; si conradictoriorum alterum extremum subiecto non competit, nequit ei non competere alterum. Vt exempli causa. Si Petrus non est candidus, est non candidus: si non est sapiens, est non sapiens. Quod dixi de contradictoriis propriè ac formaliter talibus, tum hic specialiter, tum supra generaliter in primo axiomate, id dictum puta de contradictoriis virtualiter talibus, quæ communiter appellari solent repugnantia, seu disparata, vt Petrus non est equus, aut leo, aut aliud animal: ergo homo : aut est homo; ergo non est equus.

Nonus locus est proportionalitatis simplicis, atque 54
compositæ. Proportionalitas simplex est, vi cuius vna sola proportio comparatur cum alia, velut ei similis, aut dissimilis. Composita est, qua duæ proportiones cum duabus aliis conferuntur, tanquam ei similes, aut dissimiles. Quod attinet ad proportionalitatem simplicem, eius vis hoc vno continetur axiomate: vt se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximè ad maxime, atque è conuerso. Exempli gratià elargiri eleemosynam est laudabile: ergo elargiri maiorem est magis laudabile; & maximam maxime laudabile, in eo genere scilicet, & è contrario: elargiri maiorem eleemosynam laudabilius est, quam si minorem elargiaris: & maximam elargiri, laudabilissimum est: ergo aliquam elargiri, laudabile simpliciter est. Hic animaduerto, quoties propositiones non sunt vniuersales, sed particulares, nõ tenere doctrinã datã, nec, sicut se habet simpliciter, ad simpliciter se habere magis ad magis, aut maximè ad maxime, vel è conuerso. Nec enim ex eo quod vsus vini sit bonus, sequitur maiorẽ vsum illius esse meliorem, aut maximum esse optimum aut vice versa: videlicet, quia hæc propositio, *vsus vini est bonus*, non est vniuersalis, nec æqualet huic *omnis vsus vini est bonus*, sed potius particularis, & huic æquipollens, *aliquis vsus vini est bonus*. Idem cernere est in exercitatione corporis: quæ, moderata si sit, bona est: sin autem maior quam par est, aut summa lædit: Mille alia id genus. Præterea fieri potest, vt non sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habeat magis ad magis &c. sed potius vtrinque sit improportio, & dissimilitudo; si nimirum cætera per accidens non sint paria. Quamuis enim quod inest subiecto bono bonum sit, modulus tamen vbitatis Angelicæ inhærens meliori subiecto quam intellectio nostra, hac non est melior, magisve perfecta, sed longè imperfectior; videlicet, quia cætera non sunt paria. Cæterùm si sermo sit de intellectione Angelica, & nostra, ambæque sint æqualis claritatis, & circa idem vel æquale obiectum, haud dubiè intellectio Angelica ratione melioris subiecti melior erit quam nostra.

Quod attinet ad proportionalitatem compositam 55
sic ab ea arguitur. Vti se habent 24. ad 12. ita 16. ad 8. est enim tam horum, quam illorum numerorum proportio dupla: ergo & sicut se habent 24. ad 16. ita & 12. ad 8. est enim vtrobique proportio sesqui altera. Vlterius vt se habent 16. ad 8. ita & 12. ad 6. priorum enim numerorum ac posteriorum etiam proportio est dupla : ergo sicut habent 16. ad 12. ita & 8. ad 6. est enim vtrobique proportio sesqui tertia. Atque vniuersim in numeris, si vt se habet primus ad secundum, ita tertius ad quartum; similiter vt se habuerit idem primus ad tertium, ita & se habebit secundus ad quartum: aut, quod perinde est, proportiones hinc primi & secundi, & illinc tertij & quarti nequeunt non esse similes proportionibus primi & tertij ex vna parte, & ex alia secundi & quarti, atque è conuerso. Proportio autem dupla (vt terminos, quibus nuper vsus sum, explicem) est ea, qua posterior numerus priorem bis continet : sesqui altera qua priorem, eiúsque insuper dimidiam partem : sesqui tertia qua priorem, & tertiam eius partem.

56 Decimus, ac postremus locus est authoritatis diuinæ, atque humanæ. Ab authoritate diuina sic arguitur. Deus summè verus, & verax reuelauit, verbum æternum in tempore factum esse hominem, homo ergo factus est: pœnitentiæ Sacramentum esse, haud ergo negandum est: non esse tres Deos, tres ergo non sunt. Quatenus autem arguendum sit ab authoritate humana, his duobus axiomatis docet Aristoteles 2. top. 2. loco 3. In vsu verborum sequenda est vulgi consuetudo: in sententia de rebus ferenda iudicium sapientum. Priori axiomati nituntur hæ argumentationes. Hebe iuxta Homerum & Poëtas communiter significat Iunonis filiam, & Ganimedes Laomedontis Troiani Regis filium, à Ioue raptum: ea ergo nomina idem non significant, vt comminiscitur Pausaniasin Corinthiacis. Medici, Philosophi, & Grammatici communiter censent, fascinationem significare *passionem oculis illatam, & conceptam, profectam ex quadam affectione animi maligna, eius qui intuetur*: Fascinatio ergo non deriuatur à fando, vt aliqui malè putant, nec propriè significat incantationem. Quid plura? Catholici omnes cum Apostolo Paulo (cuius varia adducit testimonia Bellarminus lib. 1. de iustificat cap. 6.) docent, fidem non significare idem quod fiducia: frustra ergo blaterant nostri temporis sectarij, fidei atque fiduciæ eandem esse significationem. Posteriori verò axiomate fulciuntur sequentes ratiocinationes: Astrologi communiter tradunt, decem esse cælos mobiles; totidem ergo sunt & non pauciores. Pleríque Philosophi censent, continuum non coalescere ex punctis & athomis Epicureis: ex eis ergo non coalescit. Theologi omnes docent, visum corporeum eleuari non posse ad contuendum Deum: quod ergo non possit, omninò tenendum.

De locis argumentandi inutilibus, & captiosis.

57 PRima captio est æquiuocationis: nempe, cum verbum aliquod æquiuocum decipit: vt canis latrat; sydus quoddam est canis; quoddam ergò sydus latrat, ac per consequens est verum animal. Secunda captio est amphibologiæ: cum scilicet totius cuiusdam orationis ambiguitas fallit: vt Liber, qui est, solius Aristotelis, non est Petri: at hic liber, nempè Metaphysica, est solius Aristotelis: (quippe non alterius Authoris) haud ergo est Petri, tametsi eum emerit, emptúmque possideat.

58 Tertia captio est compositionis, & diuisionis: cum videlicet arguitur à sensu composito ad diuisum, aut è conuerso. Primò autem ita contingit arguere, cum modus possibile, impossibile, contingens, aut necesse componit, ac iungit in vna propositione duos terminos, in alia verò eos non componit, sed alterum præscindendo ab alio afficit: vti impossibile est prædestinatum damnari: Sed hic homo existens in peccato mortali nihilominus est prædestinatus: hic igitur homo existens in peccato mortali, tamen non potest damnari, quo nihil falsius: at ideò, quia damnatio in maiori propositione de modo impossibile sumitur in sensu, composito prædestinationis, nec refertur ad hominem prædestinatum sumptum secundum se, ac diuisim à prædestinatione: contrà verò in conclusione sumitur damnatio in sensu diuiso prædestinationis, in eaque asseritur, hominem peccatorem ne secundum se sumptum, & præscindendo à prædestinatione, ac diuisim ab illa posse damnari? Vnde nil mirum, eam conclusionem posse, & solere esse falsam.

59 Rursus secundò dicitur, argui à sensu composito ad diuisum, vel vice versa, quando fit argumentum à sensu copulato, aut disiuncto plures terminos in eadem propositione per particulam *&*, aut *vel* componente ad sensum copulatiuum, seu disiunctiuum non componentem per alterutram particulam distinctos terminos in eadem propositione, sed potiùs per diuersas eos partientem, ac diuidentem: vt omnis enunciatio est vera, vel falsa: ergo omnis enunciatio est vera, vel omnis est falsa: non est autem omnis enunciatio vera: Ergo omnis est falsa. Aut 7. sunt 3. & 4. ergo 7. sunt 3. & sunt 4. at esse tria, & esse quatuor est absolutè, & simpliciter esse quatuor: ita ergo 7. sunt 4. Tandem tertio arguitur à sensu composito ad diuisum, cum à dictione appellante suprà vnum terminum, cum eóque composita ad eandem dictionem, vt non appellantem suprà illum, nec cum eo compositam, sed potiùs ab eo diuisam discurritur: vt qui scit litteras nunc, didicit eas: at Magister reliquos docens scit litteras: nunc ergo eas didicit: vbi quia in maiori propositione vocula, *nunc*, appellat suprà *scire*, & cum illo componitur; in conclusione verò, non suprà *scire*, sed suprà *discere*, seu potiùs *didicisse*; idcirco tota argumentatio est captiosa, & vana.

60 Tertia captio principalis dici solet captio accentus; positáque est in diuersa pronunciatione: veluti, quicunque ominibus credit, peccat: at fidem habens duobus, vel tribus testibus omni exceptione maioribus hoc ipso hominibus credit: ergo peccat. Aut qui leporem venatur, currit: at ex cathedra docens, in eáque sedens leporem venatur; hoc est festiuè loquitur: ergo ex cathedra docens in eaque sedens currit: Quarta captio est figuræ dictionis: quæ scilicet vocum similitudine deludit: vt frons est fœminini generis; ergo & pons ei nomini, *frons*, assimilis. Aut; quemcunque hominem heri vidisti, & hodie vides: sed Franciscum heri sanum vidisti: ergo & hodie sanum, ac minimè ægrotum vides: vbi, qui maiorem propositionem concedit, eáque conuinci se finit, hoc ipso sumit in illa vocem vnius prædicamenti pro voce alterius longè diuersi; nempè *quemcunque pro qualemcunque*: cum prior harum vocum substantiam, & posterior qualitatem indigitet.

61 Quinta captio est accidentis, hoc est prædicati: siue non essentialis, cuiusmodi est album respectu hominis, in hac propositione, Homo est albus: siue etiam essentialis, quale est animal intuitu eiusdem hominis in hac enunciatione, homo est animal. Huiusmodi igitur captio in eo sita est, quod quidquid conuenit, aut non conuenit prædicato, existimetur conuenire, vel non conuenire subiecto. Veluti si ex eo quod album sit hominis animalísque rationalis accidens colligat quis, animal rationale esse accidens hominis, hoc pacto: album est accidens: sed animal rationale est album: ergo animal rationale est accidens hominis, adeóque non essentia. Aut si ex eo quod animal non sit species infima, hominem etiam non esse speciem infimam conficiatur, hunc in modum: homo est animal: sed animal non est species infima: ergo nec homo.

62 Sexta captio est eius, quod dicitur simpliciter, & secundum quid siuè cum additamento aliquo: tumque euenit, quando ab horum alterutro ad alterum arguitur. Vt arma sunt Domino restituenda: sed Dominus, quamuis furiosus, est armorum suorum Dominus: arma ergo ei sunt restituenda: aut è conuerso; Dominò furioso restituenda non sunt arma: sed Dominus furiosus est verè, & absolutè Dominus: Domino ergo arma sua non sunt restituenda. Septima captio est ignorationis elenchi: elenchus autem, siue

siue redargutio est syllogismus contradictoriam alicuius conclusionis negatæ inferens. Itaque, quando loco contradictoriæ infertur alia, quæ non contradicit conclusioni negatæ, quamuis ei contradicere videatur, tum certè conclusio contradictoria negatæ, totúsque Elenchus ignorari dicitur à respondente, si se eo arguendi genere prèmi patiatur. Vt, si contrà censentem, cælum non moueri deorsum sic arguas: non possunt stellæ fixæ moueri, quin cælum moueatur: sed stellæ fixæ mouentur: Cælum ergo mouetur: quis non videat, hoc syllogismo frustra respondentem oppugnari? Cùm cælum moueri non contradicat conclusioni, qua respondens statuit, asseruitque, cælum non moueri deorsum.

63 Octaua captio est petitionis principij: principium autem hic sumitur pro conclusione, quam arguens ab initio sibi proponit probandam: tum porrò peti, siue postulari ab eo qui arguit, dicitur principium, cum ad probandam conclusionem, ipsammet conclusionem aliis terminis à respondente postulat: Vt si cum Epicureorum grege sic argumenteris: iucunditas est summum bonum: ergo voluptas est summum bonum: aut Philippus est Pater Alexandri: hic ergo est illius filius. Dicitur autem peti principium non tam ex natura rei, quam ex respondentis pertinacia; cum assumit quis propositionem à conclusione probanda diuersam, eáque notiorem, sed tamen instar conclusionis ab eo, qui respondet, negatam: sic, si contrà hæreticos negantes Christum esse verum hominem arguas ita; Christus est verum animal rationale, ergo verus homo; diceris principium quodammodo petere: quia vt aduersarij negant, Christum esse verum hominem, sic & esse verum animal rationale: quare ad eos coarguendos alio medio vtendum est.

64 Nona captio est consequentis: quando scilicet ex consequenti infertur antecedens, aut ex opposito antecedentis oppositum consequentis, cum tamen è conuerso haud nisi ex antecedenti consequens, & ex opposito consequentis oppositum antecedentis liceat inferre. Exemplum huius captionis, quoad eius priorem partem, sit hoc: si quis est asinus, est animal: ergo si quis est animal, est asinus: sed tu es animal: ergo tu es asinus; vel, vt aliis terminis argui solet: qui dicit, te esse animal, dicit verum: sed qui dicit te esse asinum, dicit te esse animal: ergo qui dicit te esse asinum, dicit verum. Exemplum eiusdem captionis quoad posteriorem illius partem sit tale: si est homo, est animal: ergo si non est homo, non est animal: sed Leo non est homo: ergo non est animal.

65 Decima captio est non causæ, vt causæ: veluti qui pecuniis inhiat, damnabitur; non ergo vtendum pecuniis: quæ illatio nulla est, quia in antecedente supponitur vsum pecuniarum esse causam damnationis, cum tamen solus earum abusus homines in damnationem, & interitum mergat. Aut veluti, si Petrus non viueret non moueretur: si non moueretur, viueret: ergo de primo ad vltimum si non viueret, viueret: at falsum est, quod Petrus si non viueret, viueret: ergo & falsa est illa propositio, ex qua infertur, & causatur; nempe, si Petrus non viueret, non moueretur. Itaque hæc postrema illatio est mala, & captiosa: quia supponit, causam falsitatis in hac propositione, si Petrus non viueret, viueret; esse primam propositionem qua statuitur Petrum, si non viueret haud moriturum, cum tamen ob id præcise sit falsa, quia secunda propositio argumentationis, in qua versamur est falsa, nempe si Petrus non moueretur, viueret. Casu namque, quo Petrus nunquam fuisset à Deo productus, sane nec moueretur, nec tamen viueret: haud victurum constat: haud etiam moriturum, non minus est in aperto, cum soli viuentes possint mori, siue vitam amittere; nemoque possit, quod non habet, amittere.

Vndecima, ac postrema captio est plurium interrogationum, vt vnius: veluti si interrogeris, an Diuus Paulus, & Iudas Iscariotes damnatus sit, si neges: statim vrgeberis à sophista, hunc in modum, ergo Iudas Iscariotes non est damnatus; sin autem concedas; ab eo sic poteris vrgeri: ergo D. Paulus est damnatus. Proinde, vt neutra illatione capiaris, distinguendum tibi est ita: D. Paulus, & Iudas Iscariotes damnatus est, quoad priorem partem interrogationis, aut priorem interrogationem partialem nego: quoad posteriorem vero, concedo. Atque de his hactenus. 66

Summula Libri octaui.

OCTAVVS Dialecticæ liber est de vniuersalitate. Qua scilicet, quod multiplex est, redditur vnum, & quod vnum in plura discedit, & nec vnitas pluralitatem nec hæc illam excludit, contra quàm vtriusque conditio primâ fronte pollicetur, aut potius minatur. Pulchra sanè dissidentium proprietatum communio, & perquam vtilis ad intelligenda tum naturæ mysteria tum etiam quæ sunt supra naturam, eamquè longo superuolant interuallo. Quid intra naturæ fines, angustosque carceres admirabilius, aut ad percipiendum difficilius, quam pugnantium elementorum fœdus, & discors quædam concordia, merito cuius frigida iunguntur calidis, humentia siccis, mollia cum duris, sine pondere habentia pondus? suisque dispositа & continuata locis irresolutâ pace coalescunt, & alia ab aliis nunquam exhauriuntur? At istiusmodi contrariorum lis componi, & mutua clades redimi cur non possit, quando contradictio, qualis certè interuenit inter vnitatem & multiplicitatem, seu diuisionem & indiuisionem, finit tamen ambas cohærere, & veluti icto fœdere vniuersale constituere? Tum verò, si naturam transcendas, & supernaturalem intueaeris ordinem, quid in eo toto magis stupeas, quàm Deum trinum, & vnum, ac pluralitatem personarum cum essentiæ vnitate coniunctam? At huius intelligentia mysterij, quamuis plena & perfecta nisi in altera vita non sit, atque in hac dumtaxat per speculum & in ænigmate nobis subluceat, maior tamen erit, certioremque sui fidem faciet, si creatum vniuersale quodammodo vnum esse, ac multiplex ob oculos ponamus. Quam ob rem rectè dixit Anselmus in lib. de Incarnatione Verbi cap. 2. *Qui nondum intelligit, quomodo plures homines in specie sint vnus homo, qualiter in secretissimâ, & altissimâ naturâ comprehendet, quomodo plures personæ, quarum singula quæque est perfectè Deus, sint vnus Deus?* 67

De essentia vniuersalis.

VNiuersale ab Aristotele primo Posterior. cap. 1. & cæteris cómuniter definitur vnum in multis: qua ratione homo v.g. est terminus vniuersalis, quia est in multis, Petro nimirum, & Paulo, &c. eorúmque respectu est vnus, eo quòd nullam eorum dissimilitudinem in suo conceptu exprimat, omnésque potiùs in eo formaliter conueniant. Ex præfata definitione liquet, vniuersale in suo conceptu essen- 68

tiali tria inuoluere, nempe vnitatem, multiplicitatem, & modum essendi vnius in multis. Quòd ad vnitatem vniuersalem attinet; haud dubiè sufficit ad vniuersale vnitas intellectualis, hoc est proficiscens ab actu intellectus confusè plura cognoscente: sicut enim actus voluntatis in rem obiectiuè bonam, v.g. elargitionem eleemosynæ tendens ab ea bonitatem formalem haurit, quam postea in eam refundat, ita etiam cognitio confusa plura similia, &, quod perinde est fundamentaliter vna repræsentans, ab iis formaliter vna existit, eaque omnia formaliter vnum quid denominat, sicut ad eorum vniuersalitatem oportet. Cum hoc tamen cohæret, quod vnitas physica, & operationem omnem intellectus anteuertens quandóque sufficiat ad vniuersale. Namque in primis ens à se est vniuersale: provt enim est absolutum, & à relationibus virtualiter distinctum, est vnum: & provt relatiuum est multiplex, cum ipsæ relationes sint multa, seu plura quædam, numerúmque ternarium efficiant: quidni ergo ens à se sit vniuersale? nec enim quod sit vno pacto vnum, & alio multiplex, siue in multis, obstare potest, quando etiam vniuersale per intellectum est vere vniuersale; & tamen nonnisi aliter, atque aliter vnum, & multa. Tum sic; ens à se est vniuersale: at vnitas, quæ illud in ratione vniuersalis constituit est dumtaxat physica, & à parte rei talis, ea scilicet, quam habet, provt condistinguitur à relationibus diuinis. Quin etiam si poneretur eadem numero albedo diuinitus in tribus subiectis foret vniuersale à parte rei album ex ea sic replicata consurgens: quidni verò? esset enim à parte rei vnum album in abstracto, siue vna albedo, & multa alba in concreto, pro multiplicitate subiectorum. Quis autem non cernat huius vniuersalis à parte rei talis vnitatem similiter futuram realem, & physicam, non verò intentionalem? quod tamen aliqui putant, vnitatem conuenientiæ, siue similitudinis, inter plura à parte rei repertæ sufficere ad vniuersale falsum est, vt quod maximè: nam ad vniuersale requiritur vnitas formalis: similitudo autem est vnitas ad summum fundamentalis.

69 Quod spectat ad multiplicitatem vniuersalis propriam; à principio multiplicitas solius rationis, rerumve sola ratione, non verò realiter distinctarum satis, supérque est: cui enim ambiguum esse potest, quin *pars metaphysica hominis* sit vniuersale, ac ratio superior respectu animalis, & rationalis? Cum hæc prædicatio, *rationale est pars metaphysica hominis*, sit directa; hæc verò indirecta, *pars metaphysica hominis est rationale*. At animal & rationale tantum ratione distinguuntur? item numerus vt sic est vniuersale ad binarium, ternarium, & reliquos: & tamen hæ numerorum species non distinguuntur realiter, sed dumtaxat rationis beneficio, cum earum quælibet omnes vnitates possibiles, & præterea nihil, complectatur, rursus longè verius est multiplicitatem conceptuum diuinorum, v. g. paternitatem, filiationem, & spirationem passiuam sufficere ad vniuersale; quia plusquam ratione distinguuntur, licet identificentur in tertio: proinde à fortiori, &c. Idem dicendum est de multiplicitate propria non entium, v.g. Cæcitate, surditate, & aliis id genus carentiis: hic enim conceptus negatiui distinguuntur realiter, cur ergo non possint deesse inferiora alicuius vniuersalis negatiui, videlicet carentiæ vt sic. Et quamuis non sint propria multa, non obstat: tum quia id non prouenit ex defectu distinctionis, sed entitatis: tum etiam quia vnitas intellectualis, & extrinseca est impropriè vnitas, & nihilominus ad vniuersale sufficit: cur ergo ad illud non sufficiat multitudo non entium, vt impropriè tantum, ac secundum quid multitudo, siue pluralitas esse censeatur. Verùm enim verò quod plures Thomistæ docent, sufficere ad vniuersale multiplicitatem præcisiuam, siue præcisionem à singularitatibus, adeóque naturam solius Gabrielis v. g. præcisam à sua singularitate, siue vnitate reali, ac per consequens præcisiue multiplicem, hoc ipso esse vniuersale, nullatenus admittendum est: alioqui natura diuina, contra quàm omnes censent foret vniuersale, cum similiter præscindi possit à sua singularitate, siue vnitate, quemadmodum & à reliquis suis proprietatibus, quibus est ordine naturæ posterior.

Quod attinet ad modum essendi vniuersalis in 70
multis, profecto quod est vniuersale debet esse in suis inferioribus per veram, & meram identitatem realem: id est ita cum iis debet identificari, vt ab illis omnino realiter non distinguatur. Quare quod Platoni affingi solet ideam quandam realiter distinctam à sensibilibus, & singularibus esse tamen respectu eorum vniuersale prorsus improbabile est: vniuersale enim prædicatur de suis inferioribus, homo, v.g. de Petro & Paulo: quomodo ergo ab iis realiter distingui, ac separari potest? Quod autem docuit Plato dari vniuersalia à parte rei talia, realitérque distincta à suis inferioribus, id ex mente ipsius exponendum est de vniuersalibus, non in essendo, sed in repræsentando: quasi sermonem habuerit de ideis formalibus, siue conceptibus diuinæ mentis quibus omnes res creatæ vniuersaliter, ac nulla exceptione facta clarissime repræsentantur. Nisi etiam velis, eum locutum de distinctione reali essentiæ ab existentia; quarum altera cum vniuersali, & altera cum singularibus proportionem quandam, & analogiam habet vt amplius explicabitur in loco.

De causis vniuersalis.

QVod in primis intellectus efficiat vniuersale, 71
perspicuum ex dictis supra, & quidem, vt intellectus quæ sunt vnum ratione distinguit, ac secernit inuicem, animalitatem v.g. à rationalitate, & è conuerso; non est cur similiter non possit etiam quæ sunt multa confundere, atque ad vnitatem redigere, sicut ad vniuersale sufficit. Quamquam autem multi negent fieri vniuersale per operationem intellectus obiectiuè præscindentis vnam formalitatem ab aliis v. g. animalitatem à rationalitate hinnibilitate, &c. cæterum splendide falluntur: nam cum non discernamus an animal eminus visum sit rationale, vel non, haud est cur non obiectiuè præscindamus illud à suis differentiis. Et vero si dicatur illam præcisionem non esse obiectiuam, sed formalem, & ex parte modi & ob id censeri animal procul visum nos latere in quantum rationale, quia non cognoscimus illud conceptu correspondente huic voci *rationale*, sed tantum eo qui subiicitur huic voci *animal*; in contrarium est: quia ita etiam dici posset Deum non cognoscere hominem, sed præscindere ab illo formaliter, illúmque eius intellectum, quamuis perspicacissimum latere, videlicet quoniam eum non cognoscit conceptu correspondẽte huic voci *homo*, quippe qui conceptus confusus, & vniuersalis est, omnium confessione. Alia argumenta operosiora in interiori logica, & metaphysica dabimus.

Porro autem non tantùm per intellectum fit vni- 72
uersale, sed etiam per alias facultates. Atque in primis per facultatem elocutiuam: hæc enim vox *animal*

mal plura, non vt plura, sed vt vnum, & absque vlla eorum dissimilitudine repræsentat : cur ergo plura animalia formaliter vnum, & vniuersale non efficiat. Deinde & per facultatem sensitiuam etiam externam, saltem de potentia absoluta : ideò enim de facto visus, v.g. non efficit vniuersale, quia albedinem sibi obiectam non confundit cum aliis ; nec in consortio aliorum, atque per modum vnius cum illis repræsentat : id enim esset albedines omnino absentes intueri : at hæc ratio de possibili non militat; cum possit Deus miraculosè facere, vt exterius videamus obiecta prorsus absentia, imo & non existentia: quæ enim in hoc est repugnantia, vt supplet Deus præsentiam circumscriptiuam ad visionem naturalem obiecti necessariam, idque toties quoties apparuit sensibiliter corpus Christi in Eucharistia, cur non etiam supplere possit miraculosè indistantiam obiecti, aut etiam eius existentiam ? Ad extremum probabilius est fieri posse vniuersale à voluntate nostra : vtpote quæ ferri potest in plura vt vnum v.g. in rationem communem virtutis præscindendo ab eius differentiis. Et quidem vti cùm plura obiecta amans ea sibi vnit, quadamque ratione identificat, iuxta illud Dionysij cap. 4. de diuin. nom. *amor est virtus vnionem faciens* ; sic etiam non est quapropter non possit iis obiectis vnitatem, atque vniuersalitatem tribuere.

Summula Libri noni.

73 NOnvs Dialecticæ nostræ liber continet vetus argumentum, & à Porphyrio, vt alios taceam, iam olim in Isagoge sua tractatum: videlicet genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens, necnon ante hæc quinque prædicabilia, rationem quandam eis communem, & cuncta complectentem ambitu suo. Porrò autem prædictæ notiones Dialecticæ facultatis propriæ, fortassis ortę sunt ab aliis extra eam vulgò notis, bellam certè cum eis affinitatem habent: quemadmodum enim natalitium genus longo, & flexuoso stemmate currit, atque discurrit, & modo in auos, atauósque scandit, modo in natos, & natorum natos, & qui nascuntur ab illis descendit, nunc in hos consanguineos dextrorsum sinuatur nunc in alios sinistrorsum flectitur, Phrygiiq; amnis imitatur ambages, ita similiter Dialecticũ nostrúmque genus varias itque, reditque vias, vt iam per superiores gradus, animal scilicet, viuens, corpus, & substãtiam accliuè fertur, & ad entis vsque culmen erigitur, iam verò per inferiores decliuè labitur, & ad species vsque, & indiuidua deprimitur: hinc etiam differentias subalternas, illinc proprietates circumiicit, & mille intercurrentibus lineis passim distinguitur. Rursus vti species, vel imago expressa penicillo, & sedula pictoris arte circumscripta lineis, definita mensuris, nigrore caua, & procul refuga, albedine prominens, ac deuexa, aliisque illusa coloribus, quæ contingit similia esse, ea omnia ad viuum refert, & oculis nostris vnà committit ; sic dialectica species, homo v.g. aut equus plura indiuidua solo diuersa numero, cæteroqui verò paria, atque cognata semel comprehendit, atque in se veluti depicta mentis obtutui repræsentat. Iam differentia Logica, qualis est rationalitas, quàm affinis physicæ, ideſt formæ substantiali, v. c. animæ nostræ! quàm eius æmula! plane vt vnus comprehensio, & à genere suo tenuis, & arcana distinctio, ex notissimo alterius à materia discrimine per quam facilis sit, ac dilucida: illa animalis amplitudinem coercet, indeterminationem adstringit, imperfectionem complet, eique à reliquis metaphysicis gradibus propior assidet, & cum eo hominem ratione constituit: Hæc materiam cuiuis formæ sponte sua paratam cuiuis imperfectioni pronam, cuiuis compositioni obnoxiam cohibet, tenet, perficit, primo sibi connectit, & cum ea hominem, si non ratione, at reipsa constituit. Denique propria, & accidentia Logica menti tantùm, ac rationi pertia, suam etiam habent proportionem cum physicis, & quæ in oculos nostros passim incurrunt, vt iuxta dicta cuilibet erit facillimum expendere.

De genere, & specie.

GEnus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid. Itaque animal v.g. est genus, quia de homine, & equo, qui specie differunt, verèque sunt dissimiles, prædicatur : nec vtcumque, sed in quid, & essentialiter, siue ita vt sit de eorum quidditate, & essentia. Prædictæ definitionis definitum non est solum materiale generis, v.g. animalis natura: hæc enim secundum se, & sine respectu vllo ad actus nostri intellectus haud magis potest prædicari, quam paries esse sine albedine albus. Nec eius definitum est sola genereitas, siue actus, quo animal, e. c. à pluribus abstrahitur: siquidem talis actus, cùm sit indiuidua quædam, ac singularis qualitas nostræ mentis, de nullis inferioribus potest prædicari, nedum de substantiis, cuiusmodi sunt Homo, & equus. Quare quod in ea definitione sortitur rationem definiti est materiale & formale generis, quod genereitas dici solet: illud in recto, & vt quod : hoc in obliquo, & vt quo. 74

Correlatiuum generis non est species subiicibilis; correlatiuum inquam per quod definiatur: committeretur enim circulus vitiosus; dum definitio generis esset ferè hæc, *est quod prædicatur de specie subiicibili, & eam tenus differentibus* ; contra verò definitio speciei subiicibilis, ist hæc, *quæ subiicitur generi*. Itaque correlatiuum generis in eius definitione est species prædicabilis: vt id sit genus, cuius inferiora specie prædicabili differunt. At, inquies: species prædicabilis haud potest esse correlatiuum generis in huius definitione, sine eo quod genus de illa prædicari possit. Quod autem non possit, suadetur : cum enim dicitur, *homo est animal*, aut omne animal dicitur de homine ; & ita si se res haberet, prædicaretur genus de specie : at quod ita non se habeat, videtur manifestum : quomodo enim de vna specie animalis omne animal potest citra falsitatem prædicari ? aut propterea de homine dicitur id tantum animalis, quod est in homine : atque ita genus non prædicatur de illo; cum animal hominis solius proprium non sit genus, alias hoc plura specie differentia non respiceret. Sed facilè dici potest omne animal prædicari de homine, non tamen omne copulatiuè sumptum, sed æquiualenter disiunctiuè : nihil autem falsitatis in eo esse, quod de homine prædicetur omne animal actu æquiualenter disiunctiuo, siue actu, qui huic æquipolleat, homo est aliquod animal, siue *hoc animal*, vel *illud animal*, *&c.* 75

Genus non tantum immediatè prędicatur de quauis specie sibi subiecta, verum etiam eadẽ immediatione de indiuiduis incompletis ; videlicet animal de hoc animali confusè cognito, & quouis alio, idq; in sensu quidditatiuo, & formali. Nam inter hoc animal incõpletè, & confusè cognitum, & animal in cõmuni, nihil formaliter mediat: si quid enim ; maximè homo: at non homo, cum homo de hoc animali præscindenti à rationalitate, & non aliud concernente, quam 76

animalitatem, & singularitatem, non magis possit formaliter prædicari, quam iustitia diuina v. g. de misericordia diuina: quæ tamen de se inuicem magis materialiter, & identice, quam in sensu formali prædicantur.

77 Genus aliud est supremum, aliud non supremum, sed inferius, aut etiam infimum. Genus supremum, quod & prædicamentum dici solet, decuplex est: nempe substantia, vt esse hominem, aut equum: quantitas, vt esse magnum, aut paruum, longum aut latum: qualitas, vt esse bonum, aut malum, calidum, aut frigidum: relatio, siue ad aliquid, vt esse simile, aut dissimile, Patrem, aut filium: actio, vt vrere aut secare: passio, vt vri, aut secari; vel si mauis inhærere alicui subiecto, ad modum, quo niui candor inhæresci: vbi, vt esse in foro, aut lycæo: quando, vt esse heri, aut hodie, parum, aut diu: situs, vt sedere, stare, cubare: habitus, vt esse vestitum, aut armatum. Genera inferiora sunt, quæ sub aliquo decem prædicamentorum, quorum iamiam facta est mentio, continentur: quo pacto sub prædicamento substantiæ est corpus, & substantia incorporea, siue Angelus: & rursus sub corpore viuens, aut non viuens, cuiusmodi est lapis: & vlterius sub viuente, aut viuens insensibile, veluti planta, aut sensibile siue animal, cuius species sunt Homo, Leo, &c.

78 Species est, quod prædicatur de pluribus solo numero differentibus in quid: vt homo de Petro, & Paulo; aut equus de Bucephalo, & Alastore. Quamuis autem differre solo numero, & differre specie non videatur esse maior differentia, quàm differre genere, & differre specie, tamen magis est, vt species prædicari apta nata de pluribus solo numero differentibus in quid sit distinctum prædicabile à genere, quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid, quàm genus infimum à genere supremo, tametsi horum generum alterum prædicetur de pluribus genere differentibus in quid, alterum vero de pluribus sola specie differentibus in quid. Ratio autem disparitatis est: quia hoc & illud genus ita instituta sunt, vt ambo prædicentur de suis inferioribus in quid incompletè, & instar essentiæ dumtaxat partialis: haud enim animal v. g. est tota essentia hominis, aut equi. At species de suis inferioribus semper prædicatur in quid completè, & tanquam eorum essentia totalis: nam Petri v.g. tota essentia est esse hominem, siue animal rationale; tota, inquam, essentia logica, siue integra definitio: idemque est de reliquis hominibus; contra vero genus, vt dictum est, prædicatur de suis inferioribus, velut eorum essentia, non completa, sed incompleta.

79 Correlatiuum speciei est indiuiduum. Porrò indiuiduum primò intentionale definiri solet, indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: secundò intentionale, quod prædicatur de vno solo. Itaque Petrus v.g. est vtroque modo indiuiduum: quia nec diuidi potest in duos Petros, & à quouis alio, quod Petrus non sit, distinguitur: necnon etiam de vno solo, & non de pluribus potest prædicari. Non est possibilis ratio communis indiuidui: ea siquidem ratio communis esset & non esset indiuiduum: esset quidem, quia alioqui ratio illa communis & abstracta non esset ratio communis indiuidui, sed alia quædam; haud secus ac si quod ab homine, & equo genus abstrahitur, non esset animal, haud abstraheretur ab iis ratio communis animalis, sed alia longè diuersa. Rursus ea ratio communis indiuidui non esset indiuiduum: posset enim diuidi in sua inferiora, deque iis prædicari: non ergo esset indiuisa in se, nec prædicabilis de vno solo: proinde nequaquam posset esse indiuiduum.

De differentia, proprio, & accidenti.

80 Differentia est, quæ prædicatur de pluribus in quale quid, quia essentialiter: in quale, quia non substantiuè, sed adiectiuè, siue conceptu respondente nomini magis adiectiuo, quàm substantiuo. Differentia aut est diuisiua generis, aut constitutiua speciei, aut prædicabilis de suis inferioribus. Rationale verbi gratia, & diuidit animal, quod est in homine, ab eo, quod est in equo; & ita animal diuidendo constituit hominem; necnon de Petro, & Paulo, ac cæteris hominibus prædicatur ad modum qui prædictus est. Genus esse potest de conceptu quidditatiuo differentiæ nominatæ, nobisque notæ: quidni enim sensibile sit formaliter, & quidditatiuè viuens, sicut sensatio est vita? aut cur rationale, siue discursiuum dependenter à phantasmatis non sit formaliter intellectiuum, quod ab illo, & Angelico intellectu generis instar abstrahitur? At verisimilius est, genus haud esse de conceptu quidditatiuo differentiarum innominatarum: siquidem quæ rationale supra intellectiuum, sensibile supra viuens, hinnibile supra animal addunt, sunt formalitates quædam, ac differentiæ innominatæ, valdéque subtiles, & quas vocibus magis alienis ac translatitiis, quàm propriis explicare solemus: in iis ergo non est cur genus vllum formaliter includatur. Etquidem alioqui talis differentia esset tota species, cum hæc sit, quæ componitur ex genere, & differentia.

81 Proprium quadruplex est: proprium primo modo est quod competit soli alicui speciei, sed non omni eius indiuiduo, vt esse Poëtam. Proprium secundo modo est, quod omni indiuiduo speciei alicuius per se loquendo congruit, sed tamen non ei soli speciei, sed aliis extra illam, vt hominem esse bipedem. Proprium tertio modo est, quod omni, & soli speciei conuenit, sed non semper, vt hominem ridere. Proprium quarto modo est, quod speciei omni soli, & semper conuenit, vt hominem esse risibilem. Quæ proprij vltimo modo sumpti definitio recidit in hanc: *quod prædicatur in quale conuertibiliter, attentâ exigentiâ subiecti*: siue in hanc: *quæ prædicatur in quale per se*. Verius est, & Aristoteli, ac Porphyrio magis consentaneum atque conforme, solum proprium quarto modo esse proprium quartum prædicabile, siue proprium strictissime tale; propria vero tribus prioribus modis pertinêre ad accidens quintum prædicabile.

82 Quod ita à Porphyrio definitur: quod potest adesse, & abesse, sine subiecti coruptione: vt hominem ambulare, frigêre, mori, &c. At dices; mors non potest homini, quin corrumpatur, adesse. Respondeo adesse ei non posse, quin corrumpatur; at saltim posse abesse sine eo quod eius contingat corruptio, imò & debêre. Dices iterum: nigredo est accidens corui: hic tamẽ sine illa citra corruptionem nequit esse, ab eâ ve realiter separari. Quod si propterea dicatur, fermonem esse in definitione accidentis de separabilitate rationis, quâ possit tota essentia corui v.g. concipi & manêre inrentionaliter, circumscripto per intellectum eius nigrore; in contrarium est, hinc fore, vt risibile sit, non proprium strictè tale, sed accidens hominis: quippe sine quo quidditas hominis probè potest intelligi. Respondeo, definitionem accidentis exponendã esse de separabilitate rationis

rationis, non præsciſiuâ, vt benè probat argumentum contrarium, ſed negatiuâ: quâ ſcilicet, quod accidens eſt negatur conuerti, & connecti cum ſubiecto ſuo, propter huius innatam exigentiam: atque ita coruus ſeparabilis eſt à ſuâ nigredine; vtpotè quam cum eo conuerti veriſſimè negamus. Superior autem accidentis definitio, vt à nobis explicata recidit in hanc: eſt quod prædicatur in quale contingenter.

83 Ad quinque prædicabilia hactenùs in tranſcurſu expoſita prædicabile vt ſic eſt ratio communis, & generica. Quòd autem hinc ſequatur, illam rationem communem fore ſuperiorem, & inferiorem reſpectu generis primi prædicabilis: ſuperiorem, quia eſt communis & vniuerſalis intuitu illius, nec tantum illud, ſed etiam alia prædicabilia complectitur: inferiorem, quia ſub genere primò prædicabili continetur ſimul cum aliis generibus: hoc, inquam, non eſt abſurdum, abſonúmue. Cur enim non poſſit aliquid per intellectum reddi ſuperius ſimul, & inferius? ſicut eius beneficio, quod eſt reapſe vnum, efficitur tamen ratione multiplex; vt cernitur in hominis partitione, ac veluti ſciſſione in animal, ac rationale; quorum alterum cum altero eſt à parte rei omnino vnum, atque idem.

Summula Libri decimi.

84 DECIMVS, ac poſtremus huius operis liber eſt de veritate; quoad eius eſſentiam, incompoſſibilitatem cum falſitate, & quaſdam eius ſpecies. Optimè Auguſtin. tom. 1. lib. de vera relig. cap. 49. *Quid admirabilius, quid ſpecioſius ipſa veritate, ad quam omnis ſpectator peruenire ſe cupere confitetur, cum vehementer nè fallatur, inuigilat, & inde ſe iactat ſiquid acutius cæteris, & viuacius in ſpectando cognoſcat, & iudicet? Ipſum denique præſtigiatorem nihil aliud quam fallaciam profitentem diligenter intuentur, & cautiſſimè obſeruant, & ſi eluduntur, quia ſua non poſſunt, illius delectantur ſcientia, qui eos eludit. Nam ſi ille neſciret quibus cauſis fallantur intuentes, vel neſcire crederentur pariter erranti nullus plauderet. Si quis autem de populo vnus eum deprehenderit maiorem illo laudem ſe mereri putat, non ob aliud niſi quia decipi fallique non potuit. Si autem multis apertus ſit, non ille laudatur, ſed irridentur cæteri, qui talia deprehendere nequeunt. Ita omnis palma cognitioni datur, & artificio, & comprehenſioni veritatis.* Illius certè pulchritudinem omnibus adeò amatam, admiratámque ipſum vocis etymon belle declarat: dici ſiquidem, ducíque creditur à vere, fortaſſis quia haud minus eſt intellectui grata, & formoſa veritas, quam oculis noſtris, ſenſibuſque cæteris verna temperies; quando ſcilicet blandi incipiunt renidere ſoles, placidi tepentéſque ſpirare zephyri, amœniore ſcatebrâ erumpere fontes, gratiori murmure fluere riui, ſqualentia prius prata reuireſcere, atque ad priſtinum honorem, & gratiam reſtitui, frondere arbores, gemmaſcere palmites, ſe ſe paſſim explicare flores, ac tota foliorum ambitione veluti in calathos fundi, luxuriare prius in herbis, ac denique volucrem cantibus non montes, ſyluæque modò, ſed magis etiam habitatæ ſedes perſonare. Quid iam veritate potentius? quantiſſibet operta tenebris, inuoluta caliginibus, emergit tamen, atque in claram ſe ſe aſſerit lucem: quibúſuis laceſſita telis, impetita dolis, læſa calumniis, tentata cauillis, ac ſophiſmatis, vincit tandem, atque vt de ſuis reportet hoſtibus triumphum, nuda congreditur, nec aliis quâ ſeipſa armis eget, vtiturvè. Quid demum magis cum virtute coniunctum, quam veritas? vti ſanè res ex aduerſo ſpeculi poſitæ in eo minimè apparent, niſi vitro ſtannum ſubſternas, aliúdue quidpiam ſolidum, quod non ſinat imaginem præterlabi, ita ſimiliter in mente noſtra niſi ſit ſolida virtute ſuffulta nequaquã reſplendere poterit imago veri. Veritas ergo qua nihil ſpecioſius nihil fortius, nihil melius aut certè cum bonitate ac virtute fœderatius, quoad ea quæ prædicta ſunt, diſcutienda nobis eſt, ad finem interioris Dialecticæ, ita tamen vt in præſenti, pro eo ac nobis moris eſt, aliquid ſummatim de ea prælibemus.

Eſſentia veritatis, & eius incompoſsibilitas cum falſitate.

VEritas conſiſtit eſſentialiter in conformitate 85
actus cum obiecto ſuo; ſiue in eo quod ſic repræſentat obiectum ſuum, ſicut hoc ſe habet à parte rei, & non aliter: quare hæc propoſitio, *Petrus currit*, ob id erit vera, quia affirmat de Petro currere, & Petrus reapſe currit. Quod autem aliqui docent, veritatis quidditatem, & eſſentiam ſitam eſſe in conformitate cum ſcientia diuina; ideóque noſtram cognitionem eſſe veram, quia affirmat de obiecto idipſum, quod de illo affirmat, ac diiudicat ſcientia diuina: hoc, inquam, niſi fallor, eſt falſiſſimum. Tum quia, vt docet Ariſtoteles in Prædicam. cap. de ſubſt. text. 10. vt quæ ex communi ferè omnium ſententia à nobis iamiam præmiſſum eſt, *ex eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitio vera, vel falſa eſt*: non ergo ex eo quod ſcientia diuina rem eſſe, vel non eſſe affirmet. Tum etiam, quia ſcientia diuina haud dicitur vera per conformitatem cum noſtra: ergo nec è conuerſo. Et verò hic recurrere non eſt ad perfectionem diuinæ ſcientiæ, & imperfectionem noſtræ: Námque noſtra ſcientia perfectior eſt multis obiectis à Deo cognitis: ſicut ergo diuina ſcientia dici debet ab aduerſariis vera per conformitatem cum quocunque obiecto ſuo; quidni & per hoc quod ſit noſtræ ſcientiæ conformis.

Nec minus falſum eſt quod alij ſtatuunt, veritatem quidditatiuè, & eſſentialiter poſitam eſſe in conformitate obiecti ſe cum ipſo penes diuerſos ſtatus; & ideo cognitionem veram eſſe, quia obiectum ita ſe habet in cognitione, & mente noſtra, ſicut eſt extra illas, ſiue quia eius conceptus obiectiuus & intentionalis eſt ſimilis, atque conformis illius conceptui phyſico. Etenim ita ſi ſe res haberet, non noſtra cognitio eſſet primario vera veritate formali, ſed res cognita; atque ab hac, vt prius formaliter vera, & conformi ſibi metipſi aliter, atque aliter ſumptæ, veritas formalis in cognitionem noſtram deriuaretur. At hoc conſequens, quod aduerſarij admittunt, admitti nequit: aliàs & poſſet fingi, non noſtrum actum voluntatis ab habitu alicuius virtutis elicitum eſſe formaliter bonum, primario, ac per ſe loquendo, ſed eius obiectum. Adde, imaginem Cæſaris dici veram, non quia aliquod eſſe repræſentatum Cæſaris eſt Cæſari ſimile, ſed potius quia ipſamet Cæſaris imago Cæſari conformatur, vt eſt ex ſola terminorum apprehenſione manifeſtum: ſimiliter ergo in præſenti, &c. 86

Veritas, ſeu conformitas ſuperius explicata haud 87
eſt omnino, & adæquatè identificata actui probabiliter tantum vero nec extra materiam contingentem vaganti, cuiuſmodi eſt hic; *Ioannes loquitur*: ſed potius ab eo diſtinguitur realiter adæquatè, partímq; eſt in ipſo, partim in eius obiecto ſita. Quidni

enim ? cum conformitas physica, siue similitudo Petri respectu Pauli consistat in vtroque, nec sit solus Petrus. Dices : cum hæc propositio, *Ioannes loquitur*, est falsa, repræsentat locutionem Ioannis fictitiam, atque chymericam : Cum autem est vera; locutionem Ioannis veram, & realem : actus ergo verus essentialiter differt obiecto ab actu falso : & sic tam non potest esse falsus, quam nequit mutare obiectum : essentialiter ergo & per se ipsum est verus, non vero partim per se, partim per obiectum. Respondeo, propositionem illam, *Ioannes loquitur*, cum est falsa, non locutionem fictitiam affirmare; (aliàs Ioanne non loquente vera esset : quid enim vetat, tum nos fingere, quod Ioannes loquitur?) sed potiùs veram, & realem : ideóque esse falsam, quia affirmat Ioannem realiter loqui, qui re tamen ipsa non loquitur.

88 Enimverò negari nequit, quin actibus, quos falli ac nos fallere repugnat, veritas sit omnino essentialis? Tales sunt hi : *Homo est animal rationale*: *Deus est trinus, & vnus*; *Verbum caro factum est*, &c. Non possunt enim etiam diuinitus non esse veri : tam ergo per se ipsos esse possunt veri ac homo per se ipsum est animal rationale, sine quo etiam diuinitus esse non sustinet. At an actibus probabilibus præter veritatem contingentem insit alia essentialis, & euidentibus ac certis alia contingens, & ab iis realiter inadæquate distincta, discutietur à nobis ex professo in tempore.

89 Veritas est incompossibilis cum falsitate etiam pro diuersis instantibus respectu eiusdem obiecti: hoc est; actus verus in vno instanti nequit esse accidente alio falsus, si sit idem, & obiectum etiam idem repræsentet. Quid enim refert in contrarium, quod Petrus v.g. modo currat, & postea non currat: Etenim aut hæc propositio, *Petrus currit*, affirmat Petrum currere in instanti A. & sic quod currat in instanti B. non faciet talem propositionem esse falsam, cum Petrus, ex suppositione quod currat in instanti A. non possit non pro eo currere; à cursu autem Petri pro solo instanti A. eius propositionis veritas petenda sit, quippe quæ cursum relatè ad illud solum instans repræsentare supponitur. Aut ea propositio affirmat, Petrum currere pro instanti A, & B. & ita quod Petrus non currat in instanti B. in causa erit, non vt ea propositio mutetur de vera in falsam, sed vt potius semper fuerit falsa, eo quod ad falsitatem copulatiuæ propositionis sufficiat alterutrumlibet, eorum quæ adstruit aliter se habere, quam ab illa adstruitur. Aut propterea talis propositio asserit, Petrum currere pro instanti A. vel B. & sic quod non currat Petrus in instanti B. non arguet, propositionem, qua de loquimur, de vera migrare in falsam, sed potius efficiet, vt ea propositio semper maneat vera, vt constat ex natura propositionis disiunctiuæ, ad cuius veritatem satis est, aliquid eorum, quæ enuntiat, ita esse sicut ab illa enuntiatur.

90 Cæterum nec in vno instanti est incompossibilis: veritas cum falsitate in actu qui præcisiue, seu disparate plura obiecta repræsentet : qualis v.g. est hic; *Petrus currit*; *Paulus currit*. Cur enim huiusmodi actus non æquialeat duobus actibus, quorum alter Petrum currere, & alter Paulum currere affirmet? Aut cur ad vtriusque cursum affirmandum semper opus sit particulis, & ac *vel* aliisve id genus? Ast actus distincti, de quibus proximè, ita comparantur, vt simul possit vnus esse verus, & alius falsus : fieri ergo potest, & debet, vt actus indiuisibiliter ambobus æquialens veritatis ac falsitatis simultatem admittat.

Porrò autem si propositio non repræsentat plura 91
obiecta præcisiuè, ac disparate, implicabit eam esse simul veram, & falsam. At dices : hæc propositio, *aliquis actus creatus est falsus* prolata solitariè, & in euentu, quo nullus alius creatus præter ipsam existat, aut est vera, aut falsa? si vera : ergo non nisi à seipsa suaque falsitate verificabitur : & sic erit simul falsa. Sin autem sponte sua falsa: ergo verè affirmat, aliquem actum creatum esse falsum : atque adeò erit simul vera. Respondeo tamen, illam propositionem reflexiuam, qua summopere implicantur Summulistæ veteres, atque etiam recentiores, esse possibilem, casu quo existat alius actus falsus creatus per quem verificetur : secus verò si nullus alius præter ipsam existat: vnde haud sequitur, eam esse simul veram, & falsam. Quod si contingeret, nulla alia propositione creata existente quem hanc exterius proferre *aliquis actus creatus est falsus*; sanè eius sensus esset hic: *aliquis actus creatus à me distinctus est falsus*: nec de se quidquam directè affirmaret : quo fieret, eam haud futuram esse simul veram & falsam in casu argumenti, sed præcisè falsam.

Nonnullæ species veritatis.

VEritas alia est simplex, & incomplexa, cuius- 92
modi est quæ correspondet huic voci *homo* : alia complexa, vt v. g. hominem esse animal. Non tantum in iudicio, sed etiam in apprehensione mera locum habet veritas complexa : cur enim ouis lupum fugit nisi quia eum vt sibi inimicum imaginatur. Aut cur pastorem sequitur, nisi e contrario illum vt conuenientem, atque amicum concipit? Ouis ergo, quin iudicet (haud enim est iudicij capax) componit, & diuidit : adeóque veritas complexa, siue compositio, & diuisio quædam extra iudicium, ac per consequens in apprehensione sola reperitur. At inquies: cur ergo cognitio apprehensiua non est iudicium & affirmatio? Respondeo, quia affirmare non est cognoscere hoc esse illud vtcumque, sed ita firmiter inhærescere tali comparationi, vt non possit intellectus simul contrariam facere, nec eodem modo dicere, quod hoc non sit illud. Atqui apprehensio componens aliqua extrema finit ab eodem intellectu simul ea diuidi, nec gerit oppositionem, & incompossibilitatem physicam cum actu, qui talem diuisionem intentionalem efficiat.

Rursus veritas alia est immediata, siue præmissa- 93
rum propria alia mediata, & in conclusionis assensu resplendens. Ambæ sunt æquales, ac neutra maior alia. Veritas siquidem in indiuisibili sita est, nec subit magis, & minus : est enim actum absolutè, & simpliciter conformari obiecto, quocunque tandem modo ei conformetur : proinde si conclusio sit vera, nec præmissarum assensus, nec alius vllus actus esse poterit ea verior. Pari ratione nulla propositio esse potest magis falsa quam alia : quia nimirum falsitas consistit in indiuisibili, nec aliud est quam absolutè, & quomodolibet obiectum non esse sicut repræsentatur.

At dices, hanc propositionem *Deus est*, veriorem 94
esse actu quo v. g. Petrum currere adstruitur. Sed respondendum est, veriorem esse non formaliter, sed fundamentaliter: quia videlicet plus siue perfectiori ex titulo repugnat falsitati, & cum veritate formali connectitur, quam propositio vlla de veritate creata, præsertim contingenti. Dices iterum : vt vna quantitas æqualis alteri non permittit aliam esse respectu vllius alterius magis æqualem, cum interim quantitatum inæqualitas modo sit maior,

modo

modo minor, magisque sint inæqualia 20 & 10. quam 16. & 20. quidni similiter vna falsitas siue difformitas, ac veluti inæqualitas actus, & obiecti esse possit maior alia? ita vt falsius sit asserere 20. homines currere nullo currente, quam si asseras duos currere quidni inquam de falsitate ita existimandum sit, quidquid sit de veritate Respondeo tamen, nec inæqualitatem vnam esse maiorem alia formaliter, sed dumtaxat fundamentaliter: nimirum quia plura sunt capita, ex quibus inæqualitas in his quantitatibus, quam in illis reperitur, quo scilicet plures sunt partes excedentes in his, quam in illis.

95 Præterea veritas alia est causalis, alia non causalis sed absoluta. Vt propositio causalis sit vera, non tantum requiritur causam, sub qua aliquid affirmat, esse ad effectum necessariam, atque vtilem, verum etiam vt absolute existat effectus ipse: alioqui certè hæc propositio; *Petrus est equus quia est hinnibilis*, erit vera: quo tamen nihil à veritate magis alienum. Nec refert, hunc actum, *omnis propositio est vera, quia conformis obiecto* esse verum; cum tamen non omnis propositio sit absolutè vera, sed haud paucæ falsæ: siquidem sensus eius actus est talis: *omnis propositio vera est vera, quia conformis obiecto*: quare non tantum causa, quam repræsentat actus nobis obiectus, ad effectum conducit, sed effectus ipse absolutè existit: & quidem omninò necessario: quid enim magis necessarium, quam propositionem omnem veram esse veram? Demum veritas alia de futuro: alia de præsentiaut præterito. Quod enim propositiones de futuro etiam contingenti, siue absoluto, siue conditionato possint esse veræ, exploratissimum est: nam hæ propositiones, Petrus curret in instanti A, Petrus non curret in instanti A. sunt contradictoriæ: altera igitur erit vera, & altera falsa. Idem est de his propositionibus contradictoriis: Petrus si vocetur conuertetur: si vocetur non conuertetur.

Atque hactenus Summulæ: in quibus non terminorum modo, & propositionum ac syllogismorum, vt aliis moris est, sed totius Dialecticæ breuem quandam notitiam dedimus: ne qua scilicet eius pars eos omnino lateat, qui à Summulis ad iurisprudentiam addiscendam statim conuolant; neve Summulistæ vt aiunt, ac non Dialectici fuisse videantur. Idcirco autem ad quamlibet Summulam non nihil amœniore stilo præfati sumus, vt hoc quasi illicio facilius se sinant ab humanioribus litteris veluti ablactari Dialecticæ candidati. In cuius certè vestibulo ipso si nihil nisi salebras offenderent, fortassis tædium eos caperet huius disciplinæ, eiusque seueritatem auersati pedem potius mallent referre, quam institutum prosequi. 96



LIBER

LIBER SECVNDVS PROOEMIALIS

AD DIALECTICAM SIVE SCIENTIAM De Veritate.

TRACTATVS I.

De obiecto proprio formali & adæquato Dialecticæ.

CAPVT I.

An & quatenus voces sint obiectum Dialecticæ.

ASSERO primo. Voces sunt obiectum propriũ Dialecticæ, quod ea ex professo tractat, & per actus suos, id est logicos respicit, non per actus extraneos Grammaticę, aut Rethoricæ, vel alterius facultatis, quos sibi inserat, aut adsciscat. Probatur in primis authoritate Augustini tom. 1. lib. 1. de princip. Dialecticæ c. 5. ibi: *omne verbum sonat, sed quod sonat, nihil ad Dialecticam: de sono enim verbi agitur, cum quæritur vel animaduertitur, quanta vocalium vel dispositione leniatur, vel conuersione dehiscat; item consonantium, vel interpositione nodetur, vel congestione asperetur, & quot vel qualibus syllabis constet, vbi poëticus rithmus accentusque à grammaticis solarum aurium tractatur negotio: & tamen cum de his disputatur, præter Dialecticam non est: hæc enim scientia disputandi est.* Quasi dicat, totum id quod sonat in verbis, id est eorum, lenitiem, asperitatem, nodositatem, rithmum accentumque Dialectici muneris non esse: cæterùm voces prout sunt instrumenta disputandi, atque in hunc finem disponuntur, Dialecticæ quidem obiici & præter eam non esse In hac eadem sententia sunt Hsidor. l. 2. Orig. c. 22. Richardus Victorin. lib. exception c. 5. Basilius in Esay. c. 2. Ambros. tom. 2. de incarnat. Dom. cap. 9. Lactant. Firmian. lib. 3. diuin. institut. Hugo Victorin. lib. 1. Didascalicæ erudition. Plato tum in Cratylo, tum in Gorgia. Aristoteles lib. 1. de interpret. c. 4. ibi: *orationes igitur cæteræ omittantur: ad oratoriam enim artem, aut poësim illa magis consideratio pertinet: enuntiatiua præsentes est propria contemplationis.* Idipsum docet Philosophus lib. 2. Rethoric. cap. 2 & 1. top. c. 2. & cum eo Cicero lib. 2. de finib. & in lib. de clar. Oratoribus, necnon apud eum Zeno Stoicorum parens. Fauent etiam Cassiodor, in Dial. & Fabius lib. 12. institut. cap. 2. Ex nostris Scolasticis hanc eandem tuentur opinionem Okam, Gabriel, & alij Nominales, qui tamen voces internas Dialecticæ propriè obiici non tenuunt: tuentur etiam Aureol. in prolog. sent. Villalpãd. q. 5. procem. log. Titelman. in log. cap. 1. item Alexander, Simplic. Ammon. Porphyr. Boët. Syrian. vbi tractatum Dialecticum de prædicam. voces potissimum respicere tradunt. Et, quod caput est, nobiscum facit D. Thomas 1. periherm. lect. 2. mox citandus.

Assertio, nisi fallor, satis authoritate probata, haud minus efficaciter multis rationum momentis suadetur. Principio iuxta Thomistas. præcipuos hac in nobis aduersarios, terminus est *vox significatiua ad placitum*, &c. at logicæ proprium est agere de termino. Rursus definitio termini in communi, qualiscunque sit, solius logicæ est diuidere terminum vt sic in mentalem, vocalem, & scriptum, & membra consequenter eius diuisionis, adeóque terminum vocalem definire, & explicare: similiter modum sciendi, nempe definitionem, diuisionem, & argumentationem in mentalem, vocalem, ac scriptam dissecare, &, quod consequens est, quod sit modus sciendi vocalis, quod definitio, diuisio, & argumentatio vocales enucleare logicæ facultatis proprium est: ea enim in lib. perihermenias, ac multis aliis in locis huius disciplinæ tractantur, Grammatica autem, & Rhetorica de iis, ne verbum. Adiice, definitionem vocalem v. g. esse propriè, & strictè definitionem, vt in loco ostendam, quin etiam iuxta non paucos sola est definitio, cum hæc definiatur communiter, *oratio explicans naturam rei.* Sicut ergo definitio mentalis est obiectum proprium dialecticæ, quia propriè definitio est, quidni etiam, & definitio vocalis?

Vlterius in l. perihermen. quos bonam partem Aristotelicæ dialecticæ, quis vel mediocriter dialecticus nesciat negetve? de signo in communi, de naturali, & arbitrario; ergo & de vocibus, quæ potissima signa sunt, agitur: Inibi etiam discutitur, num voces sint significatiuæ ex instituto, in quo earum significatio consistat, an immediatè, & primario res, vel potiùs conceptus significent? Præterea in logica velut in propria sede tractatur, de ampliatione restrictione, diminutione, appellatione, suppositione, & aliis similibus: At hæ vocũ sunt proprietates, & ad eas, vel solùm vel certe præcipuè attinẽt: An nõ voces cum sunt vniuersales restringuntur, cum contractiores, ampliantur? cumque indifferentes, appellant, supponuntve. Quinimo iuxtà multos aduersariorum hæ proprietates ad solas voces spectant; sic enim

enim ij suppositionem definiunt, *suppositio & substitutio signi sensibilis loco conceptus mentales*, &c. Aliarum etiam proprietatum definitio ab eis tradita voces indigitat. Item in dialectica de vniuocis, æquiuocis, analogis, & denominatiuis directè agitur, hæc autem vocibus constant, vt eorum ethymon indicat. Quod si quis, vt huic argumento videatur satisfacere, ad voces internas confugiat, quasi eæ etiam sint propriè voces, adeóque vniuoca, æquiuoca, & cætera à vocibus externis abstrahant, is haud ægrè poterit ita conuinci: nam primo, quidquid sit de verbis internis, eorúmque in ratione verbi proprietate, quis vnquam antiquus, & grauis author interiores conceptus propriè voces esse dixit, aut existimauit? secundo vniuoca, & æquiuoca haud dubiè vocibus externis, & non solis internis constant, quis enim neget, hanc vocem, *homo*, esse vniuocam; & hanc, *canis*, esse æquiuocam, & vtrumque horum ad dialecticam attinere? tertio illud nobis maximè fauet, quod multi Thomistæ, & eos præter alij nobis aduersarij æquiuocationē in mente negent, & in sola locutione externa agnoscant. Alio quoque argumento nostra assertio probari potest: nam dialectici omnes, etiam ij, quibuscum disputamus, cum Aristotele 1. de interpret. cap. 2. de nomine, verbo, & oratione ex instituto disputant: ibique definiunt nomen, *quæ est vox significatiua ad placitum, cuius nulla pars separata significat finita, & recta*; aut *quæ est vox declinata per casus*; aut paulo aliter: prior autem definitio dialecticæ propria: nemo enim grammaticorum hactenus eam tradidit: posterior autem (si quod aliqui volunt ea dialectico amplectenda) dialecticæ cum grammatica communis est, vel certè ab illa non est aliena, adeóque ei propria, provt proprietas alienationi opponitur. Et quidem dialecticæ muneris esse disputationem de nomine, verbo, & oratione, & quibusuis vocibus significantibus verum, & falsum provt talibus, manifestè censet B. Thom. lib. 1. peri hermenias lect. 2. *quia logica ordinatur ad cognitionem de rebus sumendam, significatio vocum, quæ est immediata ipsis conceptionibus intellectus pertinet ad principalem considerationem ipsius*. Infra etiam id ipsum censuisse Aristotelem docet *supra dixerat determinandum esse de nomine, & verbo, & aliis prædictis hæc autem sunt voces* significatiuæ.

4 Summa totius nostræ rationis est hæc: quæ hactenus recensuimus, voces externæ, & propriæ sunt: at verè, ac legitimè ad Dialecticam attinent; nam si consulas de eis grammaticum, si rhetorem, erunt vtrique linea alba (quod aiunt) in lapide albo: nec crediderim altervtri verti posse vitio, aut inscitiæ propriæ facultatis, quod nesciat, quid sit terminus, quid suppositio, quid reliqua superius enumerata. Item nisi ad dialecticam propriè, & legitimè ea spectant, sed omnino aliena sunt, quorsum illis Dialecticam totam replent Arist. B. Thom. Scotus, omnesque dialectici, hique etiam quibuscum ceruimus? quid reuulsis Dialecticæ limitibus in aliarum facultatum possessiones irrumpunt, & quæ alterius possessionis sunt, tamen ex professo tractant, atque retractant? Quod si hoc incredibile est, illud certè vel vt indubitatum credi debet, voces esse proprium dialecticæ obiectum, hoc saltem sensu, vt alienum non sit. Insuper idcirco genus, species, definitio, diuisio mentalis, & alia eiusmodi ad dialecticam velut obiectum eius proprium pertinet, quoniam earum notitia apprimè necessaria est ad finem dialecticæ, nempe veritatis assecutionem, & errorum depulsionem: At vocum earum, quas nuper enumerauimus ad eum etiam finem vtilis est, & necessaria; etenim siquis nesciat suppositionem, & appellationem vocum, sæpe sæpius falletur, & falsas enunciationes, verasque iuxta habebit, aliasque pro aliis admittet: Plurima exempla his similia tute obuia inueneris. Ad hoc, quæ de actibus intellectus à dialectico differuntur eo etiam nomine ad dialecticam propriè attinent, quoniam ad possessionem, & perfectam assecutionem subiecti sui conducunt, siue hoc ab eius fine nempe veritate indistinctum sit, siue ab eâ distinguatur, & sit argumentatio v.g. siue quidpiam aliud. Sed vocum plurimarum notitia confert ad assecutionem subiecti, siue obiecti attributionis dialecticæ: Demus enim illud esse argumentationem etiam mentalem, quæ est quidem argumentationis vocalis cum mentali cognatio, altera profecto sine alterâ recte cognita, & penetrata nec cognosci, nec effici poterit.

Assertio II. nostra sit: voces esse obiectum formale dialecticæ. Ea enim per se, & formaliter respicit obiectum suum proprium, haud aliter, ac quæuis alia scientia: voces autem sunt obiectum proprium dialecticæ, ergo & formale. Deinde, vt rem exemplo explanem, idcirco v. g. qualitates primæ, caliditas scilicet, frigiditas, & cæteræ sunt obiectum formale physicę, quia eius sunt proprium, & genuinum obiectum alioqui profecto ab eâ formaliter non respiciendæ: fieri ergo nequit, vt voces propriè, & non formaliter dialecticæ obiiciantur. Tertio non aliter Patres, ac Philosophi initio à nobis laudati dicunt, Logicam magnâ sui parte esse de vocibus, ac dici consueuit physicam esse de rebus sensibilibus, & metaphysicam de insensibilibus, ac immaterialibus: quemadmodum ergo res sensibiles sunt obiectum formale Physicæ, & res insensibiles Metaphysicæ: ita similiter voces erunt obiectum formale dialecticæ, si cuius momenti est multiplex auctoritas à nobis adducta. Vlterius quarto: obiectum præmissarum est formale, & quod propter se respicitur; Dialectica autem multas præmissas circa voces habet, veluti cum ita ratiocinatur: definitio vocalis est oratio externa explicans naturam rei, sed quod constat genere & differentiâ vocali est oratio externa explicans naturam rei, ergo etiam est definitio vocalis, & è conuerso: similes autem præmissas circa voces, similes etiam conclusiones, innumeras habet dialectica. Postremo quamuis obiectum præmissarum dumtaxat sit obiectum formale exequutionis ordine, & spectata ipsorum intellectuum natura, nihilominus obiectum conclusionis est formale intentionis ordine, & attento voluntatis nostræ motu; Idcirco enim præmissas eligimus, vt per eas concludamus, siue aliquid concludendo assequamur: Dialectica autem habet, vt dictum est, perplures conclusiones circa voces, & earum artificiosam dispositionem. Hinc etiam liquet, voces esse obiectum materiale Dialecticæ intentionis ordine, si per præmissas eas attingat, sin autem per conclusiones suas, exequutionis ordine: Quo etenim pacto non sunt obiectum formale, eodem rationem obiecti materialis suo sibi iure vendicant. 5

Assertio III. & postrema sit, voces esse obiectum dumtaxat partiale, & inadequatum Dialecticæ: huius assertionis probationem totam in sequentia capita percello: iis enim clarebit, quatenus præterquam voces, res etiam, & conceptus, & concreta intentionalia, siue denominationes subiecti, prædicati, generis &c. Dialecticæ formaliter, ac proprie obiiciantur. 6

Caput

CAPVT II.

Difficultates aduersus doctrinam superiorem refelluntur.

7 ADuersus primam, & secundam assertionem nostram sunt plerique Thomistæ, cum Caiet. & Soto: sunt etiam multi Scotistæ: Item P. Hurt. d.1.log. à §.27.P.Rodericus d.2. log.s. 3. P. Amicus tractat.1.ergo 5.dubit.2.P.Compton.disp.3 log sect. 1. & 2. Hi omnes negant voces esse obiectum proprium,aut formale Dialecticæ etiam inadæquatum, & partiale: eorum autem opinio hisce potest argumentis roborari. Si Dialectica haberet pro obiecto formali, & proprio voces, maxime, quia ad dispositionem artificiosam vocum, siue, quod eòdem recidit, ad vocaliter definiendum, diuidendum, enunciandum, & argumentandum dirigeret, atque instrueret: at directiua esse potest ad dispositionem artificiosam vocalem supradictam, ministerio, & iuuamine solius Grammaticæ, absque eo quod ipsa voces velut obiectum formale, & proprium respiciat, eas igitur ita non respicit. Maior probatur, nam eapropter logica attingit velut obiectum formale, & proprium actus intellectus, quoniam ad dispositionem artificiosam mētalem, videlicet mentalem definitionem, diuisionem, & argumentationem intellectum instruit, & dirigit: Item non alia de causa scientia moralis habet loco obiecti formalis, & proprij actus voluntatis, nisi quia ad eorum rectitudinem, & honestatem dirigit, ac veluti manu ducit. Minor argumenti videtur perspicua: hoc enim ipso, quod quis cognoscat has voces *homo est animal rationale* significare hominem verè esse animal rationale, siue (quod iuxta est) definitionem hominis, sciet vtique vocaliter,hominem definire; At earum vocum significationem non per dialecticam, sed per grammaticam dignoscit; quid enim vnaquæque vox latina significet. &, an hominem, vel equum,animal rationale, vel irrationale,Grammaticorum proprium esse, nemo non fateatur: Quin igitur dialectica ipsa, sed sola grammatica voces, earúmque significationem intueatur, ad vocaliter definiendum, aut argumentandum quiuis instrui poterit.

8 Verum nihil erit hoc argumento subtilius, modo distinguatur duplex vocum significatio, altera grammaticalis,altera dialectica: significatio grammaticalis est illa, qua aliquæ voces hominem v. g. esse animal rationale significant: significatio dialectica est, qua eædemmet voces definitionem hominis significant, hoc ipso, quod hominem esse animal rationale exprimant: Prior significatio est obiectum formale, & proprium grammaticæ; Cæterùm posterior significatio soli dialecticæ formaliter & propriè obiicitur. Quocirca, cum nequeat quis instrui ad vocaliter definiendum hominem, quin sciat voces aliquas significare, & exprimere internam, & obiectiuam definitionem hominis, talem autem significationem, nisi per logicam docentem, vtentemve non calleat, profectò nullus dirigi, & informari poterit ad vocaliter definiendum vi grammaticæ, & dialecticæ, quin hæc voces formaliter respiciat: vnde permissa maiori propositione argumenti, eius minor est neganda; minoris verò probatio idcirco nullius est momenti, quod non distinguat prædictam duplicem significationem vocum, sed perindè esse putet voces aliquas significare hominem esse animal rationale, ac eadem significare definitionem hominis; quantum tamen intersit inter eas significationes, experimento ipso liquet, grammaticus enim audiens has voces latinas, *homo est animal rationale*, eas significare hominem reuera esse animal rationale illicò intelliget, cæterùm, an tales voces eo ipso significent definitionem hominis, id omnino ignorabit, nec vllam eius rationem reddere poterit: altera igitur earum significationum est diuersa ab altera, siquidem vna comprehendi potest, altera latente: adeóque grammatica non attinget necessaria ratione vtramque, sicuti in argumento assumitur, sed vnam ipsa, & aliam dialectica: hæc igitur sine consideratione vocum directiua esse nequit ad earum artificiosam dispositionem, vt diximus. Confirmatur, & explicatur: In Sacramento confessionis, hæc verba, *ego te absoluo à peccatis tuis*,quæ,vt definitum est in Concil. Florent.sunt eius forma,duplicem habent significationem,alteram proficiscentem à sola hominum institutione, per quam significatur absolutio peccatorum, non tamen fit: prouenientem à sola institutione Christi, quæ peccatorum munditiem significat, & præstat: Harum autem significationum altera ad grammaticam, altera vero ad fidem, & theologiam attinet. Similiter ergo in præsentiarum, &c.

9 Secundum argumentum contra duas priores assertiones nostras sic se habet. Si quis actus dialecticæ voces formaliter & proprie attingeret, præsertim hic, aut alius similis; *terminus vocalis est extremum propositionis vocalis*: Sed hic actus non est purè dialecticus; dialectica igitur per actus sibi proprios non attingit formaliter voces: adeóque hæ eius non sunt obiectum formale, & proprium. Maior est nostra: minor suadetur: Actus ille ex principiis dialecticis, & grammaticis infertur, nec igitur grammaticus, nec dialecticus est,sed mixti generis, non secus, ac conclusio deducta ex duabus præmissis, quarum altera sit actus fidei, & altera actus scientiæ, nec est actus fidei, nec actus scientiæ naturalis, sed potius actus mixtus,siue conclusio theologica. Antecedens proximi enthymematis probatur: Ex his duobus actibus *terminus mentalis est extremum propositionis mentalis, sed terminus vocalis est qui significat terminum mentalem, siue terminum absolutè dictum, & simpliciter sumptum*, ex his, inquam, infertur tertius ille: ergo *terminus vocalis est qui significat extremum propositionis mentalis, siue*, quod æquiualet, *est extremum propositionis vocalis*: Hæc enim duo in idem recidunt, significare nimirum extremum propositionis mentalis,& vocem ita significatiuam esse extremum propositionis vocalis: Tum sic:prior horum duûm actuum est purè dialecticus, vt apertè constat, posterior autem est purè grammaticus, & non dialecticus, vti enim absque dialectica cuiuis exploratum est, hominem scriptum esse scripturam hominis repræsentatiuam, & hominem pictum esse picturam hominis, & hominem vocalem esse vocem hominis significatiuam, ita nemo erit quantumlibet dialecticæ ignarus, qui ignoret tamen terminum vocalem esse qui significet, id, quod reipsa, & in mente terminus est, siue esse vocem termini mentalis & simpliciter sumpti significatiuam: actus igitur, per quem hoc cognoscitur mere grammaticus est: adeoque actus ille initio huius numeri positus deducitur ex duobus, quorum alter duntaxat dialecticus, & alter grammaticus sit, quod erat probandum.

10 Multa dicuntur in hoc argumento satis incerta, atque dubiosa: Quod enim conclusio theologica non

sit

ſit verè, ac propriè ſcientia more alterius præmiſſæ, vnde efficitur, adeo conſtans non eſt inter Theologos, quorum plures id negant, vt refert P. Vaſquez tom. 1. in 1. p. queſt. 1. art. 2. diſput. 4. per totam: Item illud non conſtat hunc actum, *terminus vocalis, eſt extremum propoſitionis vocalis*, deduci, & concludi ex duplici præmiſſa, altera dialectica, & altera grammatica: Hæc namque præmiſſa *terminus vocalis eſt qui ſignificat terminum mentalem*, quæ quidem grãmaticalis ſupponitur, fortaſſis eiuſmodi non eſt, ſed potius dialectica: Quotus enim quiſque grãmaticus, tametſi eius facultatis probè gnarus ſit, interrogatus tamen de natura termini vocalis reſpondebit, ſcietve, eum eſſe, qui ſignificat terminum mentalem, ſiue terminum ſimpliciter ſumptum: Hoc igitur ſcire forſitan ſolius dialectici eſt, licet etenim ſine præſidio dialecticæ facultatis dignoſci poſſit, & comprehendi, hominem pictum, ſcriptum, aut vocalem eſſe picturam, ſcripturam aut vocem hominis repræſentatiuam, alia tamen eſt ratio *termini vocalis:* Cùm enim huiuſmodi vocula complexa duntaxat vſitata ſit inter dialecticos horum tantum erit proprium; quod ea ſignificet, & an ſit ſignum termini mentalis perſpectum, & exploratum habere: occaſione etiam horum duorum, quæ in dubium reuocauimus, alia in argumento contrario intermiſcentur, cenſuram merentia, quibus tamen omiſſis dicimus, tametſi actus hic: *terminus vocalis eſt extremum propoſitionis vocalis* ex vna præmiſſa dialectica, & altera grammaticali inferatur, eum tamen verè, & merè dialecticum eſſe poſſe, & debere: ſicut enim concluſio theologica infertur etiam ex principiis euidentibus aliarum ſcientiarum naturalium, & tamen eiuſmodi concluſio non eſt vllo modo ſcientiæ naturalis, ſicut altera præmiſſa, ex qua infertur, ſed Theologiæ, & alterius ſpeciei, ita etiam prædictus actus tametſi deriuetur ex præmiſſa aliqua grammaticali, non propterea grammaticalis vllatenus erit: exemplum ergo concluſionis theologicæ ab aduerſariis adductum tametſi verum ſit, eis tamen parum, aut nihil fauet. Confirmatur & declaratur: concluſiones propriè vniuscuiuſuis ſcientiæ deducuntur ex principiis aliarum, quæ eſt omnium ſubalternatio inferius explicanda, v.g. concluſiones phyſicæ ex principiis metaphyſicis, & metaphyſicæ ex principiis phyſicis & ex vtriſque concluſiones dialecticæ, & è conuerſo: Nihilominus concluſio phyſica, etſi deducta ex aliquo principio non phyſico, purè tamen ac propriè phyſica eſt, & ſimiliter concluſio metaphyſica, & cuiuſuis ſcientiæ quamquam ex alieno principio collecta, ſui tamen iuris, ac facultatis manet, quamuis ergo ſupradictus actus, nempe terminus vocalis eſt extremum propoſitionis vocalis, originem trahat ex aliqua præmiſſa, grammaticæ, non propterea quadantenus grammaticalis, ſed potius purè dialecticus erit.

11 At quæres, cur concluſio theologica ex præmiſſa fidei, & præmiſſa ſcientifica originem ducens, nec eſt actus fidei, nec actus ſcientiæ, neutriuſque præmiſſæ naturam omninò imitatur, præfatus verò actus, quo de agimus, alterum præmiſſam æmulatur, & more illius dialecticus euadit, non autem grammaticus inſtar alterius: præſertim cum ſi alterutrum debet ſequi, magis ſit, vt debiliorem, peioremque ſequatur, adeóque eam, quæ propria eſt grammaticæ: denominatio enim, & concluſio ſequitur debiliorem partem, vt eſt in veteri paræmia. Reſponſio eſt in promptu: namque concluſio theologica non deducitur ſolum ex præmiſſis euidentibus, & naturaliter notis, ac exploratis, ſicut ad ſcientiam propriè ſumptam oportet: nec etiam innititur proximè diuino teſtimonio, vt ad fidem requiritur, ſed ipſi articulo fidei, quem credimus. Vnde eiuſcemodi concluſio, nec fidei, nec ſcientiæ cenſeri debet, vt explicat P. Vaſquez vbi ſupra diſp. 5. c. 3. n. 5. Cæterum ne actus ille, de quo diſputamus ſit verè, ac propriè dialecticus more alterius præmiſſæ, nihil eſt, quod prohibeat: cedo enim, quale illud ſit? Hæc quidem ratio ſufficiens eſt, ne talis actus in tertiam quandam ſpeciem à præmiſſis ſuis diſtinctam euadat, ſicuti euadit concluſio theologica: Cur autem vnam potius, quam alteram, & cur debiliorem præmiſſam, ſcilicet grammaticalem non ſequatur, vlteriorem poſtulat explicationem: Dicendum breuiter, propterea talem actum non ſequi debiliorem partem, nec grammaticalem euadere, ſed potius dialecticum, quia ad finem dialecticæ, non vero grammaticæ confert: quid enim grammatici intereſt ſcire, quod terminus vocalis ſit extremum propoſitionis vocalis, dialectici tamen id plurimum refert: ita enim ſcit, quid ſit materia propoſitionis vocalis, ad eamque aſſequendam, & efficiendam expeditior redditur. Quod autem dici conſueuit denominationem, & concluſionem ſequi debiliorem partem, id, vt plurimum verum eſt, haud tamen ſemper, vt vel exemplo ab aduerſariis adducto claret: concluſio namque theologica ex præmiſſa naturali, & alia ſupernaturali deducta, non naturalis inſtar debilioris præmiſſæ, ſed ſupernaturalis ad modum præſtantioris euadit.

Tertium aduerſus nos argumentum, & confirma- 12
tio ſuperioris ſit: hic actus *definitio eſt actus vitalis conſtans genere, & differentia vitali*, non eſt pure dialecticus, ſed partim dialecticus, & partim animaſticus: tum quia ex vtriuſque ſcientiæ principiis deductus: tum etiam quia æquiualet his duobus actibus *definitio eſt actus vitalis; definitio conſtat genere, & differentia*, quorum alter dialecticus, alter animaſticus eſt: tum demum, quia ſi alterutrum tantum affirmaret, eſſet alterutrius duntaxat ſcientiæ, igitur cum affirmet vtrumque, vtriuſque cenſendus; tunc vltra; actus ille non eſt pure dialecticus, ſimiliter ergo hic actus, definitio vocalis conſtat genere, & differentia vocali, non erit purè dialecticus, adeoque nullas voces formaliter attingens ad dialecticam præciſe attinebit; conſequentia eſt in propatulo; ſiquidem differentia vocalis plus definitioni in communi ſuperaddit, quam vitalitas, cum altera tantum ratione, altera realiter ab eâ diſtinguatur: quare ſi vitalitas definitionem contrahens eam à dialectica proprie, & pure ſumpta ablegat, id potiori iure de vocalitate dicendum. Solutio ſuperioris argumenti, huius etiam difficultatem eleuat: namque hic actus *definitio eſt actus vitalis conſtans genere, & differentia vitali*, propterea non eſt pure dialecticus, ſed partim animaſticus, quatenus nimirum definitionis vitalitatem attingit, quia eatenus ad finem dialecticæ neutiquam confert, vt enim dialectus definiat, ac naturam rei aſſequatur, quid eius intereſt ſcire, an, aut qua ratione definitio eſt vitalis. Cæterum hic actus *definitio vocalis conſtat genere, & differentia vocali* ad finem dialecticæ magnopere conducit, ſcilicet ad veritatis aſſecutionem, & ad naturas rerum mediante definitione vocali diſcendas, docendaſque, cum nonniſi vocum miniſterio diſcamus, & doceamus. Quapropter talis actus non ſolum quatenus definitionem, ſed etiam quatenus vocalitatem attingit omnino dialecticus eſt: Quod autem vocalitas à definitione in communi realiter diſtinguatur; & falſum

sum est, cum non ab illa, sed à definitione interna ita distincta sit; & etiam abs re, cum in præsentiarum non tam distinctio, quam conducentia ad finem dialecticæ attendenda sit, magis autem vocalitas, quam vitalitas definitionis ad logicæ scopum conferat.

13 Quartum argumentum aduersus duas primas assertiones capitis præcedentis: Dialectica est scientia rationalis, eamque ita appellant multi, quos citauimus cap. super. nec non etiam Scotus initio prædic. & D. Thom. initio periherm. Quidquid autem de eo vocabulo sit, de re per illud significata inter omnes constat: idcirco autem dialectica rationalis est, & dicitur, quoniam de solis actibus intellectus, siue rationis est: voces igitur non sunt eius obiectum formale, & proprium, etiam partiale. Verum respondeo, dialecticam dici, & esse rationalem, propter id, quod in rationis actus, & veritatem in eis primario relucentem, veluti in finem sponte sua destinetur, adeoque præcipuos actus suos in rationis, seu mentis internum opus intendat. Cum hoc tamen cohæret, quod per aliquos actus suos etiam voces attingat, in eisque non ornatum nec syntaxim, sed artificiosam dispositionem logicam consideret, ac proinde eas velut obiectum proprium ac formale respiciat: aliud enim est esse obiectum formale, aliud esse finem vltimum, præsertim extrinsecum, vt tractatu præc. attigimus. Porro instatur argumentum, tum in scientia morali, quæ quamuis ita nominetur, tamen non est de solis moribus, & affectibus nostræ voluntatis, sed etiam de vocibus externis prout videlicet earum vsus rationi consonus est, & rectum mentis habitum aut parit, aut consequitur: tum etiã in Theologia, quæ etsi ita vocetur, & sit scientia de Deo, ac proinde perfectissimè realis, tamen quoad aliquos actus suos, est de vocibus externis, nempe verbis sacramentorum, & verbis scripturæ, ac fidei, idque propriè, & formaliter. Rursus secundo respondeo, etiam si dialectica dicatur scientia rationalis, propterea, quod sit de solis rationis actibus, eam nihilominus esse posse de vocibus propriè, & formaliter, quoniam ratio alia est interna, alia externa, & à vocibus indistincta, teste Damasc. lib. 2. fidei c. 21. *ratio diducitur in internam, & enuntiatam, prolatamque. Est autem interna ratio, motio animæ in cogitatino, consultatiuoque intellectu, sine vlla enuntiatione: prolata vero ratio in voce, & iis, quæ differunt, operationem habet: id est per linguam & os prolata oratio est.* Hactenus ille.

14 Quintum aduersus nos argumentum. Ita se habet logica respectu vocum, quemadmodum Mathematica respectu sphæræ ligneæ, & Medicina contemplatione hominis anatomici: sicut enim matheseos professor, quia nequit sphæram cælestem cominus videre aut attrectare, vtitur sphæra lignea, qua illam sibi, & aliis declaret, & medicus propter similem indigentiam vtitur homine anatomico, ita dialecticus quoniam res, & conceptus interiores immediatè, vt aiunt, in lucem proferre nequit, eorum loco substituit voces, iisque vtitur. Qua igitur ratione sphæra lignea non est obiectum formale, & proprium Mathematicæ, aut homo anatomicus Medicinæ, eadem profectò voces non erunt obiectum proprium ac formale dialecticæ, sed solius grãmaticæ, aut rhetoricæ, aut Poëticæ. Respondeo sphæram ligneam etiam esse obiectum formale, ac proprium partiale tamen, & minus principale mathematicæ facultatis, quoad eam eius partem, quæ astrologia nuncupatur; quidni vero? cum per aliquos actus suos eam formaliter, ac vere attingat, vt vbi eam dicit esse corpus solidum, ligneum, ex cuius medio puncto omnes lineæ ad extrema ductæ, sunt æquales: item eam in vndecim sphæras ligneas diuisam esse oportere, duodecim signa lignea instar cælestium continere, & multa alia similia quæ ad astrologiæ scientiam perfectè assequendam haud parum momenti habẽt.

Sextum aduersus nos argumentum: Non magis 15
voces sunt signa, & imagines conceptuum, quibus substituuntur, quam conceptus rerum, quibus subrogantur: scientia autem, quæ agit de rebus, Physica v.g. non habet pro obiecto formali, ac proprio etiam inadæquato conceptus; hi enim ad scientiam animasticam, aut ad dialecticam alia, atque alia ratione spectant, non tamen ad Physicam rebus tantum corporis intentam Pari ergo ratione scientia, quæ est de conceptibus, eorumque artificiosa, & logica dispositione, non erit de vocibus veluti obiecto proprio, & formali. Quæ vtrinque disparilitas? Magna certè: namque vocum externarum artificiosa, ac multiplex dispositio ad finem dialecticæ assequendum, veritatẽq; discendã docendãq; scholastico more, maximopere conducit, vt sępe ostẽsum manet: nil ergo mirum, si dialecticæ proprie & formaliter obiiciantur voces, quantumlibet signa tantum conceptuum, de quibus est potissimum dialectica facultas. Cæterum ad perfectam notitiam, & comprehensionem rerum, parum, aut nihil attinet scire, quænam sit natura conceptuum, quibus significantur. Etsi enim in cognitiones meas non reflectam, in cognitiones, inquam, quibus compositionem ignis v.g. indago, haud propterea deerit mihi aliquid eorum, quæ ad eiuscemodi compositionem perfectè assequendam vtilia, aut necessaria sunt; id, quod ipsum argumentum supponit, alias nullius momenti futurum. Quamobrem non est, quod scientiæ de rebus earum conceptus propriè, & formaliter obiiciantur. Adiicio, scientiæ de rebus, quæ illacunque sit, conceptus etiam quadantenus obiici: scientia enim realis Physica v.g. in vestibulo suo, discutit, quid ipsa sit? an scientia? an speculatiua, vel practica? in quod obiectum feratur? semetipsam ergo, adeóque conceptus considerat; longe tamen aliter, multoque parcius, quam Dialectica voces, vt hæc solutio cum priore cohæreat.

Septimũ aduersus nostram sentẽtiam argumentum 16
sic se habet: Quemadmodum Logica, alia est mentalis, alia vocalis, ita similiter Physica, Metaphysica, Mathematica, Iurisprudentia, & quæuis alia disciplina, alia est mentalis, alia vocalis. At huiusmodi scientiæ non curant de vocibus, easque velut obiectum proprium, & formale sibi non vendicant. Similiter ergo voces erunt extra curam, & considerationem Dialecticæ, quantumcunque ea non solum mentalis, sed etiam vocalis sit, ac dicatur. Quocirca sicut Physica vocalis v. g. talis vocatur, non, quod voces consideret, sed, quod sit ipsa vocum series, & collectio, quibus scientia de solis rebus sensibilibus exprimitur, ita similiter Logica vocalis non erit scientia, aut Logica quædam de vocibus, sed potius voces ipsæ, quibus scientia de solis conceptibus, ac vera Logica significatur, exteriúsque profertur. Largior in primis argumento, Physicam v.g. aut Metaphysicam vocalem ita dici, quia vocibus exprimitur, non verò quia voces exprimit, & considerat. Quod tamen vtroque nomine Dialectica dicatur vocalis, rationes supra c. præc. propositæ satis persuadent: Respondeo 2. multo quidem verisimilius mihi videri physicam, metaphysicam, omnemque scientiam realem esse quadantenus de vocibus. Omnis enim facultas habet voces quasdam proprias, & sibi

tantùm

tantùm familiares: harum autem explicatio non, niſi ad ipſam propriè, ac formaliter pertinet. Quod luculenter expreſſum habemus in Gorgia Platonis, in hæc verba valde notanda; *nonne Medicina, de qua modò dicebamus, efficit, vt curationem ægrotantium, & intelligere, & diſſerere etiam de ea queamus? & Medicina igitur, vt apparet, circa ſermones verſatur, eos vide qui ad morbos ſpectant: Nonne Gymnaſtica circa ſermones eſt de bona, malave corporis habitudine: Atqui & aliæ artes, ô Gorgia, eadem ratione ſe habent: Quælibet enim earum verſatur, circa ſermones eos, qui ea de re habentur, in qua ipſa occupari ſolet.*

17 Octaua ratio contra duas primas aſſertiones noſtras ita inſtaurari ſolet: ſi logica reſpiceret voces, noſtra logica eſſet diuerſa à logica Ariſtotelica, pro diuerſitate idiomatis, quo vtraque eſt tradita; quo pacto grammatica multiplex eſt & varia pro varietate idiomatum, nimirum, quia voces reſpicit. Conſequens eſt falſum, & quod nullus Peripateticorum admittat, quando omnes non aliam logicam, quam Ariſtoteleam ſe docere profitentur. Confirmatur, & declaratur: provt ſunt diuerſa idiomata apud diuerſas gentes, ſunt etiam apud eas, diuerſæ ſpecie voces: quis enim neget, hanc vocem latinam, *homo*, & hanc græcam *antropos* plus differre, quam duos homines, eſſéque inter ſe reuera diſſimiles, tametſi ſimilem, eandemque ſignificationem habeant? ſi ergo voces ſunt obiectum proprium, & formale Dialecticæ, innumeræ erunt Dialecticæ, ſicut ſunt innumeræ nationes, & linguæ: variato enim obiecto formali Dialecticæ, hæc nequit non variari; cuiuſlibet autem gentis Dialectica reſpicit formaliter voces eius gentis proprias, diuerſaſque à vocibus cuiuſuis alterius: reſpicit ergo obiectum formale diuerſum ab eo, quod aliarum gentium Dialectica intuetur.

18 Verum, etſi noſtra Dialectica diuerſa ſit penes obiectum partiale ab Ariſtotelica; Item, etſi provt ſunt innumeræ linguæ, ſint etiam innumeræ logicæ vocales, & minus principales, quid inde? Quod enim noſtra logica cum Ariſtotelica vna dicatur, id intelligendum eſt quoad obiectum attributionis, & præcipua attributa. Rurſus quod apud tot gentes vna tantum ſit logica, id etiam accipiendum eſt, non de logica vocali, ſed de mentali quæ circa actus intellectus omnibus communes verſatur, ad eorúmque veritatem deſtinatur.

Præterea ſecundò, qui modos, adeóque conceptus vnius hominis diuerſos ſpecie logica cenſent ab iis, qui alteri cuiuis inſunt, hi quidem parum erunt ſolliciti de vnitate logicæ noſtræ, & Ariſtotelicæ, vnius gentis, & alterius. Vlterius tertiò qui in vno, eodemque homine tot logicas multiplicant, quot in ipſa logica habitus partiales agnoſcunt, hi etiam nihil penſi habebunt, ſi in diuerſarum gentium hominibus diuerſæ logicæ vocales, partialéſque reperiantur. Poſtremò, in hac voce, *homo* (cæterarum autem par eſt ratio) diſtingui quidem poteſt, ac debet eius entitas materialis, ac particularis, per certos, ac deſtinatos caſus inflexa, deſtinatis etiam elementis conſtans, aliiſque eiuſcemodi indiuiduationibus affecta, porro etiam ratio communis vocis ex inſtituto ſignificans ſpeciem, definitum, vniuerſale, aut quidpiam ſimile. Hæc poſterior ratio eſt eiuſdem ſpeciei, omninóque vna inter quaſcunque gentes, quibus illę cumque, & quantumuis diuerſis idiomatis vtantur, & hominem, aliáſque res exprimant: ea autem ſola conſideratur à logica, eiuſque obiectum formale eſt, haud ergo logica penes obiectum formale diuerſa erit apud diuerſas gentes, aut apud innumeras infinities multiplex. Illa verò prior, ac particularis ratio apud varias nationes variat, vt dixi, tum elementis, ſeu litteris, tum etiam prolatione, ac tono. Quæ orientales ſunt, teſte Chaſſanæo in catalogo gloriæ mundi duodecima parte, conſideratione vigeſima ſecunda, in gutture verba collidunt, ſicut Hebræi, & Syrij; quæ mediterraneæ ſunt, ſermones proferunt in palato veluti Græci, & Aſiatici: Occidentales verò in dentibus verba frangunt, ſicut Hiſpani, & Itali: Septentrionales verba faciunt, in pectore, vt Germani, & eis finitimi. Hinc etiam vulgò dicitur eodem Chaſſanæo teſte Itali capriſant, Alemani vlulant, Galli cantant, & Angli iubilant: Cæterùm tota hæc diuerſitas materialis vocum, & prolationum præter Dialecticam eſt, eíque formaliter non obiicitur: Proinde neceſſe non eſt, vt quemadmodum olim linguæ præ numero & multiplicitate confuſæ ſunt, ita etiam Dialectica noſtra in infinitam quandam confuſionem ac numeroſitatem abeat.

Poſtremæ aſſertioni noſtræ, qua ſtatuimus voces 19
non eſſe obiectum vnicum, & adæquatum Dialecticæ, niſi fortaſſis Aureolum ſupra citatum refragari video neminem alium antiquorum. Quamuis enim Ochamus Gabriel, Gregor. & reliqui nominales ei credantur aduerſari, vt refert P. Hurt diſput. 1. logic. ſect. 3. cæterum luce clarius eſt, illos à reliquis hac in re neutiquam diſſentire. Cenſent enim, vniuerſalia, quæ iuxta ipſos, & omnes ſunt obiecta formalia Dialecticæ, non tantum in vocibus, ſed multo maximè in conceptibus internis ſita eſſe. Ita Gabriel (vt alios breuitatis ergo omittam) in primum diſt. 2. quæſt. 8. prope finem: *videtur ſecunda opinio probabilior, quod vniuerſale eſt conceptus mentis, id eſt actus cognoſcendi, qui eſt vera qualitas in anima, & res ſingularis, ſignificans vniuocè plura ſingularia æquè primo negatiuè naturaliter propriè; quorum ſingularium eſt naturalis ſimilitudo non in exiſtendo, ſed in repræſentando: propter quod dici poteſt fictum, ſimilitudo, imago, vel pictura rei etiam obiectum cognitum, ſed non in ſeipſo, ſed in alio conceptu reflexo. Eſt etiam vniuerſale vox, vel ſcriptum, aut quodcumque aliud ſignum ex inſtitutione vel voluntario vſu ſignificans plura ſingularia vniuocè*, & ſtatim addit, *& ſecundum hunc modum omnia faciliter poſſunt ſolui, & intelligi, quam opinionem in ſequentibus proſequi propono, ſicut & Doctor* (puta Ochamus) *quodlibeto. 3. quæſt. 2. eam acceptat.* Qui ergò dicunt iuxta hos authores, cuncta, de quibus diſſeritur in Dialectica nomina ſolum, & voces eſſe eoſque propterea Nominalium appellationem iure ſubiiſſe, non leuem eis calumniam irrogant.

Enimverò alij aliis de cauſis meritò eos ita appel- 20
latos, ac notatos cenſent: nimirum, quia familare ipſis eſt, varias & peregrinas nominum ſignificationes comminiſci; vt ſic quamuis difficultatem propoſitam effugiant, eamque aliquatenus explicent. Hinc ſequi aiunt eos à cæteris multoties diſſidere, non rebus, ſed ſolis verbis, & ſignis à ſe pro libito adinuentis: Quocirca eos communem aliorum Philoſophiam ac Theologiam inuſitatis nominum velaminibus tectam, haud raro ſuffurari, eamque veluti nouam, ac propriã vendicare; vt in Okamo, & aſſeclis reuixiſſe, credas Zenonẽ, & antiquos Stoicos, de quibus Cicero lib. 3. de finibus *ex omnibus Philoſophis Stoici plurima nominauerunt: Zeno quoque eorum princeps non tam rerum inuentor fuit, quam nouorum verborum.* De iiſdem etiam idem Cicero lib. 5. de finibus *Stoici reſtant, hi quidem non vnum aliquod, aut alterum à nobis ſed totam ad ſe noſtram philoſophiam tranſtulerunt: atque vt reliqui fures earum rerum, quis ceperunt ſigna commutant, ſic illi vt noſtris ſententiis, vt ſuis vtercn-*

tur nomina tanquam rerum notas mutauerunt. Hos autem Nominales, nouósque Stoicos si quando à cæteris re dissentiunt parum vrgeri posse testimoniis Aristotelis, vel PP. aut Scripturæ, vtpote quæ statim eludunt, ac siniſtrè interpretantur cofictis more suo variis nominum significationibus; Quin etiam, quod olim reprehendebat Clemens Alex. lib. 7. strom. *eligentes ea, quæ dicta sunt ambigua tradunt ad proprias opiniones, paucas voces passim carpentes non id considerantes, quod ex ipsis significatur, sed ipsa nuda dictione vtentes. Nam in omnibus ferè dictis, quæ adducunt, inueneris ipsos sola nomina attendentes, vt qui mutent significata, neque quemadmodum dicantur, cognoscant, neque iis, quas afferunt allegationibus, itavt earum natura postulat vtantur. Veritas autem non inuenitur in eo quod transferant significata, sic enim omnem conuertent veram veritatem.* Quos à priori censura vendicaui, vtinam ab hac posteriori, quæ grauior est, omninò vendicare possem: hanc autem prouinciam difficilem video, adeóque fateor, quod etiam in confesso habet P. Vasquez tom. 1. in 1. part. quæst. 12. art. 8 d. 53. cap. 3. initio, eos haud raro nominibus ita abuti, vt vel noua obtrudant, vel antiqua ad nouos, & inusitatos sensus detorqueant. Verum ne hic abusus in eis perpetuus est, adeove frequens, vt aliqui calumniandi studio vulgant; & quantus quantus sit, eum propter, tam acerbè habendi non sunt, vtpote quia alias in scriptis suis summam claritatem, & subtilitatem attendunt.

20 *Ne tamen oblitis ad metam tendere, longè ex patiemur equis*, videamus an quàm authoritate, tam etiam ratione solida destituta sit eorum opinio, qui tertiæ assertioni nostræ dissentiunt, & in solis vocibus dialecticum occupari existimant. Obiicitur primo, logicam dici à logo: logos autem græcis id est quod latinis sermo, siue verborum series quædam, atque contextus; Logica ergo à verbis siue vocibus dicitur, adeóque de eis solis est: sed in primis logica dicitur præcipuè non à logo, siue sermone vocali, & externo, sed à sermone mentali, vt docent Isidorus lib. 2. etymolog. c. 22. Thom. initio Perihermen. & post. Scotus init. prædicab. Auersa qu. 1. log. ser. 1. paulò ante medium, Hurtadus dist. 1. log. serm. 3. Quanquam etiam à sermone externo logica diceretur non solùm secundariò, quod non diffitemur, sed etiam primariò, non tamen propterea ea de solis verbis, seu vocibus externis esse deberet; namque, vt superiùs exposuimus latiùs, Theologia quæ de solo Deo non est, à Deo tamen nomenclaturam suam habet: & scientia moralis, etsi non de solis moribus sit, sed multa etiam de obiecto morum, & affectuum nostrorum tractet, tamen à moribus appellationem accipit.

21 Obiici etiam solet. Quidquid dialectici negotij est, reducitur vel ad prædicabilia; & hæ sunt voces, vnde opus Porphyrij de prædicabilibus eiúsque Isagoge, vulgò dici solet tractatus de quinque vocibus, vt videre est apud Sotum initio prædicabiliũ & alios: vel ad prædicamenta; & hæc non sunt obiectum formale logicæ, nisi provt subsunt vocibus, & per eas exprimuntur: quare tractatus Aristotelæus de prædicam. incipit ab vniuocis, & æquiuocis: prædicamenta autem esse obiectum formale dialecticæ duntaxat provt subiacent vocibus, est has potiùs, quam illa dialecticæ formaliter obiici: vel ad nomen, verbum, orationem, & reliqua signa, de quibus in lib. Periherm. & huiusmodi voces quidem esse certum: vel ad modum sciendi, & definitionem, diuisionem, argumentationem, in quas dissecatur, de quibus tum in lib. Periherm. tum etiam in lib. de prior. ac post. resolutione; hæc autem omnia nil nisi voces esse exploratum: modus enim sciendi finitur oratio ignoti manifestatiua; oratio autem vocibus cohæret: definitio etiam, diuisio, argumentatio ita finiuntur, vt per orationem veluti per genus iuxta aliquos, iuxta alios verò per modum sciendi tanquam per genus explicentur, quod autem cunque rationem generis obtineat, eodem res redit. Porrò hæc quæ recensuimus, & non alia ad dialecticam spectant; nihil ergo ad illam præterquam voces propriè ac formaliter attinet.

Verum hæc inductio ex Aureolo fermè desumpta 22
parum habet momenti: prædicabilia enim de quibus agit dialectica non sunt voces, sed potissimum conceptus mentis: quod autem tractatus de iis institui solitus, ab aliquibus vocetur tractatus de quinque vocibus, vel abusus est, vel certè de vocibus internis, & fusè sumptis sermo est. Prædicamenta quoque non spectant ad dialecticam præcisè provt vocibus subsunt, sed vel secundum se, vel provt mentis actibus objacent adeóque res ipsæ & non solæ voces sunt obiectum formale tractatus de prædicam. Qui quod inchoet ab vniuocis, & æquiuocis parum refert, námque etiam physica v. g incipit à semetipsa, suaque natura, & tendentia essentiali, eamque exactè discutit; quis tamẽ hinc inferat, eam nisi de seipsa non esse, in aliúdque obiectum formale neutiquam ferri? Nomina etiam & verba, ac signa non solum externa sed etiam interna, non abusiuè, sed propriè talia communiter agnoscunt Theologi, vbi de verbo diuino, & secunda persona triados differunt; ex hoc ergo non est, quod solæ voces ad dialecticam formaliter pertineant. Tandem oratio propriè dicta siue sermo, aut logos, non tantùm in ore ac voce sed etiam in mente regeritur, vt censent præter alios ij authores, quos nuper laudauimus, cum de deriuatione, siue ethymologicæ, atque causa, quam propter ita appellatur, sermo nobis esset. Quanquam ergo modus sciendi, & definitio, diuisio, & argumentatio, in quas dissecatur ita institutæ sint, vt per orationem proximè, aut remotè explicentur ac definiantur: haud propterea dialectica de eis disceptans, solas in eis voces respiciet.

Obiici tertio ac postremo potest iuxta eos autho- 23
res, quos cap. præcedenti longo censu retulimus, dialecticam, & rhetoricam duntaxat differre ex modo tendendi, non verò ex obiecto, sicut ergo rhetorica solas voces, sic etiam dialectica eas solas respicit, aliàs si hæc quidpiam aliud nempe res, aut conceptus internos, non verò illa intueretur, vtraque haud dubiè etiam penes obiectum inuicem dissideret. Sed occurrendum; supradictos authores aut duntaxat obiectum inadæquatum vtrique facultati commune statuisse, cum quo cohæret, quod logica in aliud quam voces incumbat, aut certè sermonem habuisse de sola logica vocali, quam etiam nos nil nisi voces formaliter respicere, atque, vt Fabius supra loquitur, in eis totam positam esse vltrò fatemur.

CAPVT III.

An & quatenus actus intellectus sint obiectum dialecticæ?

QVod actus intellectus saltem sint obiectum 24
materiale dialecticæ, provt nimirum subsunt artificio logico, ab eóque velut ab aliquo formali afficiuntur, adeò exploratum est, vt à nemine quem viderim in dubium reuocetur. Quod item actus intellectus non sint obiectum adæquatum, & vnicum dialecticæ,

dialecticæ, haud minus certum: ea enim, vel voces, vel res, vel denominationes extrinsecas, siue concrera intentionalia, vel fortassis etiam ens rationis, vel hæc omnia attingit; atque, vt non constet inter omnes, quidnam horum præter actus intellectus respiciat, præter eos tamen aliquid ab ea respici vlterius, quod illud cunque sit, nemo quidem non fatetur. Quamobrem tota difficultas præsens in hoc vnum deuoluitur; an actus intellectus sint obiectum formale, & quod consequens est proprium, & genuinum nostræ dialecticæ? Esse quidem censo cum Aristotele quem refert & sequitur B. Thomas cuius hæc sunt verba lib. 1. Periherm. lect. 1. *Cuus autem logica dicatur rationalis scientia, necesse est, quod eius consideratio versetur circa ea quæ pertinent ad tres prædictas operationes rationis, de his igitur, quæ pertinent ad primam operationem intellectus, id est de his, quæ simplici intellectu concipiuntur, determinauit Aristoteles in lib. prædicamentorum. De his verò quæ pertinent ad secundam operationem scilicet de enuntiatione affirmatiua, & negatiua determinauit Philosophus in lib. Perihermenias. De his verò quæ pertinent ad tertiam operationem determinauit in libro priorum, & consequentibus*, in quibus agitur de syllogismo simpliciter, & de diuersis syllogismorum speciebus *quibus ratio procedit de vno ad aliud*. Porrò autem, cum obiectum attributionis scientiæ, ad quod reliqua eius obiecta referuntur, haud dubiè sit eius obiectum formale; quotquot authores dialecticam totam actui intellectus, vel generaliter sumpto, vel specialiter accepto, definitioni nimirum, argumentationi, syllogismo, modo sciendi', propositioni alicui vè alteri attribuunt, hi omnes dialecticam de actibus intellectus velut de obiecto formali, & proprio esse non negabunt; quot autem quantique authores ita de obiecto attributionis dialecticæ sentiant, tractatu sequenti liquebit.

25 Rationes, quibus in hanc sententiam moueor nec paucæ, nec leues: Prima esto: Dialectica affirmationem, & negationem; vniuersalitatem, & particularitatem propositionis mentalis propriè, ac formaliter attingit, veluti cum demonstrationem in Barbara ex tribus propositionibus vniuersalibus & affirmatiuis construi docet, & cum ex duabus propositionibus particularibus, duabúsue negatiuis nil concludi cauet. Atqui vniuersalitas, & particularitas, affirmatio, & negatio, sunt prædicata realia, & iudicio mentali physicè essentialia; actus igitur intellectus penes suas realitates, ac prædicata intrinseca, & essentialia ad dialecticam facultatem propriè, & formaliter pertinent. Probata maiori, sola minor restat probanda, eáque hunc in modum probatur: Propositio aliqua eatenus est vniuersalis, aut particularis, quatenus plura confusè, aut vnum clarè repræsentat, hoc pacto v. g. *omnis homo currit*, *Petrus currit*, repræsentario, autem propositionis eiúsque claritas, aut confusio ei essentiales sunt, ab eáque minimè distinguntur: Quod si hanc solam, *aliquis homo currit*, aliámue similem propositionem strictè particularem appelles, eius, quæ singularis superpositæ, par est ratio, quod ad præsens attinet. Rursus propositio, quod sit affirmatiua, aut negatiua, hoc reipsa à simplici apprehensione dissidet; qui uis autem res per id realiter, ac essentialiter constituitur, munere cuius à non ipsa distinguitur; propositio igitur per semetipsam est affirmatiua, aut negatiua.

26 Altera ratio nostræ sententiæ esto. Dialectica habet pro obiecto formali veritatem & falsitatem, quæ actu intellectus constituuntur; quandóque adæquatè, vt cum sunt essentiales propositioni veræ, aut falsæ; quandóque verò inadæquatè, vt cum sunt accidentariæ; & partim in actu, partimque in ipso obiecto, quemadmodum repræsentatur, ita vel non ita se habente sitæ. Assumptum probatur: quoniam Dialectica disputat, an præmissæ sint conclusione veriores, an possit ex falsa præmissa concludi verum: Rursus differit de syllogismo fallaci, seu falso, de syllogismo probabili, cuius probabilitas in eo sita, quod aliqua eius propositio attento motiuo eiusque vi haud magis vera quam falsa esse postulet. tertia ratio Dialectica regulas præscribit definiendi, diuidendi, & argumentandi; hæ autem operationes artificiosæ quatenus tales sunt actus intellectus; hos ergo velut obiectum formale Dialectica respicit. Consequentia suadetur: siue enim artificium logicum, quod in definitione, diuisione, & argumentatione elucet sit ens rationis, siue quid reale, de quo inferius, negari tamen nequit id quod est definitio, diuisio &c. esse actum intellectus: Dialectica autem immediatè, & formaliter attingit definitionem, diuisionem, & argumentationem, ac proinde id quod definitio, aut diuisio est: immediatè ergo & formaliter attingit actus intellectus.

Quarta ratio: denominationes generis, speciei, &c. 27
ad logicâ veluti obiectum formale ac proprium attinent; hæ autem sunt denominationes extrinsecæ ab actu intellectus oriundæ, eumque intimè inuoluentes, vt inferius constabit. 5. Ratio: esto hæ denominationes, aliæque similes forent entia rationis, sicuti Thomistæ contendunt, propterea tamen negari non posset, cognitionem intellectus esse obiectum formale, & genuinum Dialecticæ: Cuius rei gratia supponendum est, denominationem generis v. g. quantumuis largiamur esse ens rationis, eam tamen connotare cognitionem realem, ex qua in obiectum redundat; tum quia esse cognitum genericè siue esse genus est obiici cognitioni reali genericæ; At hoc quod est obiici cognitioni reali eam ex obliquo connotat: tum etiam, quia carentia connotat ens reale, & per illud explicatur: ergo, & ens rationis ens reale connotare poterit, & consequenter genus cognitionem à qua in obiectum resilit; tum demum, quia ens reale connotare potest ens rationis, vt videre est in cognitione chymeræ; Ens igitur rationis è conuerso, quale in præsens permittimus esse genus, poterit ex obliquo connotare ens reale, cuiusmodi est cognitio, à qua in rem cognitam resultat. Item secundo supponendum est, aliquid posse cognosci ex obliquo, & adhuc esse obiectum formale cognitionis, qua proximè, & per se attingitur, vt cap. sequen. clarebit. Quibus positis sic arguo quod Dialectica immediatè, & per se attingit saltem ex obliquo, id velut obiectum formale respicit, hoc autem pacto actus intellectus attingit, cum de secundis intentionibus generis, speciei, & similibus disputat, vt ex iis liquet, quæ præsuppositimus. Postrema ratio: Res ab intellectu cognitæ ab obiecto formali Dialecticæ prohibendæ non sunt, vt cap. sequent. apparebit; ergo multo minus cognitiones reales, quibus intellectus res cognoscit.

Enimuero, qui entia rationis sola, & qui etiam 28
solas voces Dialecticæ formaliter obiiciunt, hi actus intellectus ab obiecto proprio, & formali Dialecticæ eliminant: Eorum autem opinio probari, & nostra nuper tradita improbari potest his argumentis Dialectica eo modo respicit actus intellectus, eorúmque artificium logicum, quo ipsa inter se comparantur: sed actus intellectus comparantur cum artificio Dialectico, quod in ipsis resplendet, velut subiectum ad formam, seu velut materiale ad formale.

male. Maior perspicua videtur, omnis enim scientia conformis esse debet rebus quas intuetur: Minor autem suadetur, quoniam artificium Dialecticum distinguitur ab actibus intellectus, eisque, quod consequens est, superuenit, eorum igitur vera forma est, siue quod perinde est respectu eorum quid formale: quod distinguatur constat 1. quia tale artificium logicum est ens rationis, ergo ab actibus intellectus inter entia realia proculdubio computandis distinctum; secundò quoniam forma artificiosa domus à lignis, & lapidibus distinguitur propter separabilitatem ab iis, artificium ergo Dialecticum ab actibus intellectus similiter distinguetur: tertiò, quoniam actus intellectus reperiri possunt, sine huiuscemodi artificio, vt videre est in apprehensione, quæ omnino eadem manens, modo subiectum, modo prædicatum esse potest: quid enim vetat, cum hominem apprehendo, aut hominem esse animal rationale, aut hoc esse hominem affirmare, provt libuerit? neque non in propositione; quæ modo maior modo minor esse potest in diuersis syllogismis, aut etiam in eodem, si quarta figura admittenda, & à solo tempore, ac prolatione externa pendeat, quænam propositio sit maior, quænam minor.

29 Respondeo negata maiori & eius probatione: Haud enim necesse est, scientiam quamuis quoad omnia conformem esse rebus scitis, earumque ordinem & mutuam proportionem æmulari: namque corpus equi v.g. est eius materia, & anima equina eius forma, & tamen physica non solum animam velut obiectum formale, sed etiam corpus equinum respicit, nec quod hoc sit quid materiale in equo, ac vicem subiecti obtineat, propterea illud velut obiectum materiale intuetur: simili ergo modo, tametsi actus intellectus sint veluti materiale quoddam artificio logico substratum, & hoc veluti formale, dialectica tamen non solum hoc, verum etiam illos tanquam obiectum formale, ac proprium ex æquo inspiciet: Adde, quæ priora in semetipsis tempore sunt, non ex hoc prius tempore per scientiam nostram attingi, quæ etiam tempore posteriora reapse non posteriùs sciri; Deum enim creaturis infinito temporum interuallo anteriorem, siue priorem non prius creaturis, sed post has, harumque interuentu & medio scimus, contrà verò creaturas Deo posteriores, & ab eo existentes haud tamen posterius cognoscimus, sed vt plurimùm prius: talis ergo proportio scientiæ cum rebus scitis qualis in maiore argumenti asseritur, neutiquam admittenda.

30 Præterea secundò respondeo negata minore argumenti: falso enim adstruitur, artificium Dialecticum, quod relucet in actibus intellectus, esse formam quandam ab eis realiter distinctam, eisque adesse, & abesse paratam. Ad primam probationem contrariam dicendum est, ens rationis ab artificio Dialectico prorsus alienum esse: Ad secundam probationem respondendum est, formã artificiosam domus in situ, extensione, & proportione partium eius consistere, situs autem extensio, & proportio partium omniũ materialium domus eis adesse, vel abesse potest, adeóque ab eis realiter distinguitur, proinde nihil mirum quod forma artificiosa domus ab eius materia realiter distincta sit: at artificium logicum in speciali repræsentatione actuum accommodata ad regulas Dialecticæ consistit: ea autem repræsentatio actibus essentialis, & ab iis indistincta: quod enim actus aliquis hominem esse animal rationale repræsentet, & affirmet, sicut lex definitionis præcipit, nihil præter ipsum actum, nihil ei superadditum: vnde artificium logicum definitionis, diuisionis, &c. ab eiusmodi actibus intellectus realiter non distinguitur.

Occurrendum etiam tertiæ probationi ac duplici eius exemplo; quod enim ponitur in apprehensione, parum vrget: Primum, quia fortassis nulla apprehensio subiectum, aut prædicatum denominat, de quo suo loco: Deinde quia fortasis vna, eademque apprehensio hominis, aut est indifferens, vt eum constituat subiectum vel prædicatum: aliáque est non ex obiecto, sed ex modo tendendi, quæ hanc propositionem, *homo est animal rationale*, & alia, quæ hanc, *animal rationale est homo*, constituit: Præterea, tametsi apprehensio constituit subiectum & prædicatum; eademque vtrumlibet ex æquo, quæ duo sunt, vt dixi, satis dubiosa; cæterum vna eadémque apprehensio sponte sua indifferens vt subiectum, vel prædicatum constituat, determinatur per iudicium specialis repræsentationis, & essentiæ, vt subiectum potius, quam prædicatum constituat, & hominem, v.g. subiiciat potius animali rationali, in hunc modum, *homo est animal rationale*, quam econuerso hunc in modum, *animal rationale est homo*; artificium ergò dialecticum subiecti, & prædicati vt ab vno aliquo actu intellectus distinguatur, non tamen à collectione, seu coniunctione plurium. Posterius exemplum in maiori, & minori syllogistica positum haud magis premit, eodémque modo eneruandum: Quod enim eadem propositio possit esse modo maior, modo minor in eodem, aut diuerso syllogismo, aut nec maior, nec minor in vllo syllogismo, id tantum arguit artificium maioris inadæquatè distingui ab eius entitate, eique superaddere, vel consortium alterius præmissæ, si simul cum ea nequit non esse maior, vel prioritatem temporis, qua alteram præmissam tempore anteuertat, si altervtra est indifferens vt in sensu composito alterius sit maior, vel minor: neutiquam tamen arguit, artificium illud ab entitate propositionis adæquatè distingui, siquidem vt propositio sit maior debet repræsentare medium, & terminum obiectiuum, qui maius extremum nuncupatur; quidquid autem de hoc sit, saltem aliquid conclusionis necessario repræsentat, alias illius maior, atque origo neutiquam futura: omnis autem repræsentatio ab entitate propositionis indistincta est, atque adeo artificium maioris quadantenus ab ea indistinctum erit. Quocirca argumentum in aduersarios retorqueo, & suis eos armis impeto: artificium Dialecticum est obiectum formale, ac proprium Dialecticæ vt nemo inficias ierit, at hoc artificium realiter indistinctum est, si non à singulis actibus intellectus, at saltem à pluribus collectiue sumptis, hi ergo seu singulatim, seu collectim sumpti Dialecticæ formaliter ac propriè obiiciuntur. 31

Alterum aduersus nostram doctrinam argumentum: actus intellectus sunt obiectum formale scientiæ de anima, quæ vt essentiam animæ, sic eius effectus, & proprietates necessaria ratione discutit, non ergo Dialecticæ. Respondeo, actus intellectus qua vitales, qua naturales, qua affectuum directiuos, quà spirituales, qua in actione, vel qualitate positos, &c. esse obiectum formale scientiæ animasticæ: at quatenus definitiones, diuisiones, veros, falsos, probabiles, maiores minores, &c. Dialecticæ facultatis esse. Vel paulò aliter logica, & scientia de anima non ex obiecto formali realiter diuerso semper differre debent, sed multoties ex diuerso modo tendendi in eadem materiam dissidere possunt: nihil enim frequentius inter scholasticos, quam scientias interdum ex modo repræsentandi discrepare. Egregiè atque ad 32

rem

rem nostram appositissimè Fabius lib. 2. institutionum cap. 21. *Neque protinus non est materia rhetorices, si in eadem versatur, & alius. nam si quæram, quid sit materia statuarij dicetur æs; si quæram quid sit excusoris, id est eius fabricæ, quam Græci χαλκευτικὴν vocant, similiter esse respondeant. Atqui plurimum à statuis differunt vasa. Nec medicina ideo non erit ars quia unctio, & exercitatio cum palæstrica, ciborum vero qualitas etiam cum coquorum ei sit arte communis.*

CAPVT IV.

An, aut quatenus res sunt obiectum Dialecticæ.

33 QVod res cognitæ saltem sint obiectum materiale Dialecticæ, prout nimirum subsunt actibus, & ab eis denominantur, quod item solæ res nõ sint obiectũ Dialecticæ, sed insuper actus, aut voces, aut entia rationis, citra dubium est. Eas autem esse obiectum formale, ac proprium huius facultatis, tametsi adeo exploratum non sit, mihi certè longè probabilius videtur. Atque in primis suadetur authoritate Aristotelis 4. metaph. text. 5. *in eodem genere Dialectica, & sophistica versantur, in quo philosophia, estque Dialectica tentatrix de his, quorum cognitio ad philosophiam spectat.* Constat autem philosophiam esse formaliter, ac propriè de rebus; ergo & Dialecticam ita de iisdem esse, negandum haud est. Hoc ipsum docuit Arist. 1. rethor. c 1. & 1. elench. c. 11. & alibi sæpe. Prius id docuit Aristotelis magister Plato in Philebo vbi de Dialectica differens ait, *esse eam quæ circa id quod est, & verè est, & semper eodem modo se habet versatur*: quibus verbis res Dialecticæ velut obiectum formale attribuit: Augustinus etiam lib. de categ. c. 3. de Aristotele, quem sequitur ita ait. *cum de perceptis proposuerit disputare, & de iis quæ sunt, & de iis quæ dicuntur, necessariò locuturus est*: vt autem per ea quæ sunt percepta intelligit actus intellectus, & per ea quæ dicuntur voces, ita etiam per ea *quæ sunt* citra dubium res; hæ ergo iuxta Augustinum, & Aristotelem ab eo relatum Dialecticæ formaliter obiiciuntur. Consensit D. Thomas opusculo 56. *logica principaliter est de secundis intentionibus & cetera.* tacitè insinuans etiã res cognitas, siue primas intentiones esse obiectum formale Dialecticæ, tametsi minus principale: statim hoc magis explicat; & cum Auicenna docet res in consortio actuum, quibus subsunt, esse obiectum formale Dialecticæ; *sed quia secundæ intentiones principaliter accipiuntur à proprietatibus rerum mediantibus primis, sicut visum est, ideo dicit Auicenna primo suæ metaphysicæ quod logica est de secundis intentionibus adiunctis primis*, & tandem sic concludit; *manifestum est quod logica notum faciat de omnibus in communi*, qua S.D. clausula nihil manifestius. Nostræ etiam sententiæ suffragantur Eustrat. 2. post. comment. 324. Rodulph. Agricola libro 2. de inuent. Dial. capite 5. Hurtadus disp. 1. log. sect. 5. Auersa q. 2. log. s. 1. conclusione 2.

34 Probatur etiam ratione nostra sententia. Nam veritas, & falsitas sunt obiectum formale, & proprium dialecticæ, quæ nimirum libros Perihermenias magna ex parte in eis explicandis insumit, neque non etiam multa de eis in libris de priori, & posteriori resolutione attingit. Porro autem immediatè & proximè, siue per præmissas suas eas respicit, adeoque tanquam obiectum immediatum, & formale. Atqui veritas, & falsitas ex actu, & obiecto, siue re ei conformi intrinsecè constituitur, vt etiam multi aduersariorum non negant, res ergo ipsæ falsò, aut verè cognitæ, formaliter, ac propriè dialecticæ obiiciuntur. Quod si non per præmissas, sed etiam aliquando per conclusiones dialectica veritatem, ac falsitatem, adeoq; res in eis imbibitas attingat, vt superius c. 1. vidimus, quatenus etiam, quod concluditur in scientia, sit obiectum formale illius, si non executionis; at intentionis ordine. Rursus dialectica genus, speciem, definitum, diuisum, subiectum, prædicatum &c. immediatè, & formaliter attingit, vt omnes fatentur. Atqui genus, species, & cætera, obiectum, siue rem cognitam in recto includunt, quãdo genus quidem est obiectum, quod prædicatur in quid de pluribus specie differentibus, & species obiectum prædicabile de pluribus differentibus solo numero: logica ergo obiecta secundarum intentionum, siue res ipsas immediatè & formaliter attingit.

Item tertio, quemadmodum homo ordinatur ad 35
Deum clarè visum, ita dialectica ad genus, speciem, subiectum, prædicatum &c. Homo autem ita refertur ad Deum clare visum, vt non solum visio, venum etiam ipse Deus sit eius finis, illa finis *quo*, hic finis *qui*, illa finis consequibilis, hic finis assequibilis: simili ergo modo ita dialectica destinatur ad secundas intentiones, & res per eas cognitas, vt ambæ sint eius obiectum formale, hæ obiectum formale *quod*, illa obiectũ formale *quo*, hæ obiectũ cognoscibile, illę obiectum effectibile. 4. probatur nostra sentẽt. ad homines, vt aiũt, aduersus Thomistas, qui obiectũ formale actus eius specificatiuũ siue à quouis alio distinctiuũ esse tradunt. Quoties obiectũ ita cõparatur eum actu, vt cum à quouis alio specie diuersum reddat, toties est obiectum formale illius, quemadmodum enim differentia totius à forma, sic etiam diuersitas actus ab obiecto formali sumitur. Atqui res ita comparatur cum actibus dialecticis, vt eos specie diuersos efficiant; res igitur sunt obiectum formale actuum, & consequenter habituum Dialecticæ, Cætera cum constent, minor probatur; quoniam hic actus Dialecticæ, *definitio est oratio explicans naturam rei*, & hic *definitio est oratio explicans naturam ipsius actus, siue definitionis* ita instituti sunt, vt specie inuicem dissideant, cum prior sit essentialiter verus, & posterior essentialiter falsus: eiusce modi autem diuersitas specifica inde tantum nascitur, quod prior tendat in rem definitam, & posterior in solam definitionem, quà nimirum vterque desinit: res ergo diuersitatem specificam in actus Dialecticos refundunt: quæ enim eius, ea est plurium aliorum ratio. Tandem Dialectica disputat, an res sint eius obiectum formale? aliàs quorsum id vel aduersarij in præsentiarum vltrò citròque agitant; aut cur extra metas prosiliunt? omne autem de quo Dialectica ex professo, & per se disputat, est eius obiectum formale; vel cur artificium definitionis, diuisionis, aliudue quoduis, quantumlibet accuratè eo de agatur in Dialectica, eius tamen est obiectum formale? res ergo ei formaliter obiiciuntur. At dices hoc argumento probari res etiam secundum se, & penes esse physicum esse obiectum formale Dialecticæ; hoc autem falsum est: namque ad summum possunt talem rationem obiecti obtinere secundum esse intentionale, & prout subsunt actibus. Verùm consequens falsum non esse sed verissimum, mox constabit. Deinde falsum esto; sed eius sequela haud probatur, quin omnino nulla est: Nam tantum sequitur sequique probatur, res, secundum esse physicum, esse obiectum formale Dialecticæ in actu

signato,non autem in actu exercito,& proprio. Cuius ratio est, quia res secundum esse physicum esse obiectum formale dialecticæ, quo de agitur in hac disciplina,est eas à dialectica formaliter attingi,eiusque considerationi subesse, eas ergo ab illa tractari quatenus sunt, aut quoad an sunt obiectum formale,est eas sumi secundum esse intentionale,atque ita tractari, & respici à dialectica, si sermo sit de actu non signato,& lato,sed exercito & vero.

36 Cæterùm res nullatenus esse obiectum formale dialecticæ censent non pauci, nec indocti;præsertim Iandunus 4. metaphys. quæst. 6. Zabarela lib.1. de nat. log. cap. 19. Rodericus noster d. 2. log. sect. 1. subs.2. Compton. disp. 5. sect. 3. Hi satis esse non putant res subesse artificio logico, vt dialectica eos immediatè, & formaliter attingat,contra quam initio huius cap. statuimus. Arguunt autem primò: Dialectica attingit in recto actus intellectus,& in obliquo eorum obiecta siue res, sine quibus nequeunt actus cognosci: hi ergo sunt obiectum directum siue rectum logicæ, & res duntaxat obiectum indirectum, & obliquuum;obiectum autem formale cum directo, & materiale cum indirecto recurrit, idémque prorsus est; actus igitur intellectus sunt obiectum formale dialecticæ, & res nonnisi obiectum materiale.

37 Huic difficultati dupliciter occurro, & primò quidem aio, logicam res ipsas per plures actus suos in recto attingere, vt nostræ probationes conuincunt; genus enim est id quod prædicatur de pluribus differetibus specie in quid,species quod prædicatur de pluribus differentibus numero, subiectum id de quo aliquod affirmatur, prædicatum ipsum quod affirmatur, maius extremum primæ figuræ est, quod in aliqua præmissa prædicatur, minus extremum quod in aliqua subiicitur:Quibus, & similibus actibus dialectica haud dubie res ipsas, idve, quod secundis intentionibus subsstat, in recto attingit. Deinde dico, quod in obliquo & indirectè attingitur, posse tamen, ac solere esse obiectum formale; permisso ergo dilecticam ita respicere, & non aliter res, siue primas intentiones, hæ nihilominus ei formaliter obiicientur. Quod autem antecedens verum sit, haud ægrè probatur;nam scientia de homine eum definiens animal rationale instar obiecti formalis respicit non solum hominem,verum etiam sensiones, & discursiones, respectu quarum eum definit, clariúsque, & explicitiùs cognoscit, cum sint nimirum ratio, vnde homo ita cognoscatur, & non per se solum,sed multò maximè per illas explicetur: Scientia autem de homine sensiones, & discursus, in obliquo respicit: quod ergo ita respicitur nihilominus valet esse obiectum formale. Rursus hæc propositio Theologica, *Deus est homo*, naturam diuinam,& humanam velut obiectum formale respicit, si sit præmissa quoad executionem, sin autem conclusio quoad intentionem, vt in loco exposuimus: At vtramque naturam in obliquo attingit, & solam earum subsistentiam in recto, alias naturam diuinam esse humanam hæreticè affirmatura.

38 Obiiciunt secundò:sicut diuina reuelatio mysterium fidei essentialiter connotat, & reuelatum denominat, ita genereitas naturam genericam animalis v. g. essentialiter connotat, eámque genus denominat; sed sola diuina reuelatio,non mysterium reuelatum est obiectum formale fidei,vt cum B.Tho. 1.2. qu.1. art.1. communiter Theologi docent; sola igitur genereitas,nó natura generica,siue res genereitate cognita censenda est obiectum formale dialecticæ de genere agentis: Quæ autem generis eadem est cæterorum ratio. Respondeo bifariam sumi posse mysterium reuelatum, videlicet incomplexè, & secundum se præcisè, vel in consortio reuelationis, & provt ei subest. Priori modo sumptum est obiectum formale fidei, secus verò posteriori: quod in hoc discursu fidei enitet. Quod à Deo summè veraci,& sapienti reuelatum est id ita se habet,sed Trinitas, & vnitas Dei à Deo reuelara est, Deus igitur est trinus,& vnus;vbi Trinitas,& Vnitas Dei in conclusione illata,ac nudè sumpta non est obiectum formale,sed materiale,in præmissis verò,& provt reuelationi subiacens est obiectum formale: Nec aliud voluere Theologi. At nos hactenùs solum asseruimus res esse obiectum formale dialecticæ, non secundum se,& incomplexè sumptas,sed vt actibus intellectus obiacent. Et ab eis genera, aut species denominantur: Hoc autem argumento facto non infirmatur, sed potius ab eo lucem, & firmitatem accipit.

39 Huc vsque tantum egimus de rebus secundum esse intentionale,& quatenus actibus subsint, eosve terminant: modo operæ pretium erit breuiter discutere,an res penes esse physicum,& secundù se sumptæ sint obiectum formale alicuius partis dialecticæ? Esse affirmo cum Auerroë, Auicenna initio suæ log. & aliis: moueor hoc argumento: in dialectica agitur directè de prædicamentis, prædicamenta autem sunt res penes esse physicum,sicut prædicabilia sunt res penes esse intentionale; nec verò confundi debent prædicabilia, & prædicamenta, cum de iis diuersi soleant tractatus institui. Confirmatur; quoniam notitia rerum penes esse physicum conducit magnopere ad perfectam notitiam, & praxim eorum,de quibus potissimùm est dialectica, scire v. g. quid essentia,& substantia rei ad definiendum, siue naturam rei explicandam: quid totum,& partes, ad diuidendum, quid identitas vni tertio, quid distinctio ad argumentandum,& ex identitate aliquorum inter se eorum inter se identitatem concludendam; Dialectici ergo muneris est de rebus penes esse physicum sobriè quidem, & parcè agere, quatenùs nimirum necessariæ sunt ad fabricam secundarum intentionum: quod autem in aliud obiectum formale porrò referantur, haud prohibet eas esse obiectum formale, quoties immediatè, & per se primò attinguntur,vt superius ostensum manet,& vel hinc constat, quod pleraque obiecta formalia dialecticæ, definitio nimirum,diuisio, &c. in aliud,scilicet in obiectum attributionis huius discipiinæ, quod illud cunque sit,vlterius referantur. Confirmatur 2. quoniam logica tradit quid sit substantia,quid accidens, quid quantitas, qualitas, relatio, actio & passio, ac cætera prædicamenta, quæ eorum proprietates, quæ species? At hoc est agere de rebus penes esse physicum. Confirmatur tertio, quia vt ait Richard. Victorinus, logica *tractat de rebus secundum prædicamentalem constitutionem*: At res constitui prædicamentaliter, siue in aliquo prædicamento collocari, easve esse substantiam v. g. quantitatem, aut qualitatem: est eas sumi penes esse physicum, ita ergo sumptæ sunt obiectum formale,de quo agit, ac differit dialectica.

40 Contrarium tenent Boët. Ammon. Simplicius&alij; mouentur primò auctoritate Aristotelis c. 4.de prædicam. *Horum quæ nulla complexione dicuntur singula, aut substantiam significant, aut quantitatem, aut qualitatem*, &c. Dialectica ergo Aristotelica est de vocibus, aut conceptibus provt significant res, siue de his provt significantur: Respondeo ita esse ex parte, cæterum esse etiam de rebus secundum se sumptis,

sumptis, mox enim subiungit Aristot. eodem cap. *Est autem substantia quidem, vt in summâ dicamus, velut homo, equus*; & quæ cætera de rebus secundum esse physicum antea, & postea peragit. Obiiciunt secundò, eadem ligna v. g. non possunt esse simul materia domus, & nauis, similiter ergo eædem res penes esse physicum non poterunt esse simul obiectum formale, & materia circa quam logicæ, & physicè, huius ergo cum sint, illius non erunt. Respondeo, forma artificiosa domus, aut nauis est intrinseca, vnde nihil mirum quod eadem materia nequeat simul vtramque suscipere; sicut idem subiectum nequit esse simul calidum, & frigidum: Cæterum logica, & physica extrinsecè tantum obiecta sua denominant; proinde idem vtrique obiici, & ab eis denominari simul valet: haud aliter ac multæ aliæ denominationes extrinsecæ cogniti videlicet amati, apprehensi, iudicati &c. in idem met simul conueniunt.

41 Arguunt tertiò, cum aduersus hanc posteriorem nostræ sententiæ partem: tum etiam aduersus priorem. Res ne prout subsunt actibus intellectus sunt obiectum formale logicæ, sed dumtaxat materiale, multo ergo minus secundum se sumptæ, & penes esse physicum eam rationem obiecti formalis adipiscentur. Antecedens videtur perspicuum: idcirco enim Dialectica respicit res, quia sunt genus, species, subiectum, prædicatum, medium syllogismi, maius extremum, &c. sublatis his denominationibus eas neutiquam respectura: tolle namque ab homine v.g. quod sit species aut quid simile, & quod remanebit, nihil ad Dialecticam, vt enim ait B. Thom. dicto opusc. 56. *Logica cum considerat vniuersale, non considerat ipsum quantum ad naturam subiectam per se; non enim considerat hominem in eo, quod homo, sed in eo quod species, & sic de aliis animalibus*: Quandoquidem ergo ideo res attinguntur à Dialectica, quia sunt genus, species, &c. non propter se, sed propter actus à quibus ita denominantur, ab ea attingi habebunt, adeóque erunt dumtaxat obiectum materiale non vero formale; quo pacto, quod præcisè amatur propter sanitatem, & quia ad eius executionem vtile est, hoc ipso est obiectum materiale, & non formale. Respondeo: quod dialectica attingat res, quia hæ terminant actus intellectus, eosve saltem terminare queunt, potius arguit eas esse obiectum formale Dialecticæ, cum habeant in semetipsis rationem vnde ab illa attingantur: attinguntur enim quia terminant actus intellectus, at eos terminant per seipsas, igitur propter se à Dialectica respiciuntur. Ad hæc, Dialectica attingit actus intellectus, quoniam ad obiecta sua feruntur ac referuntur: nihilominus eiusmodi actus sunt obiectum formale Dialecticæ: econuerso ergo res erunt eius obiectum formale, tametsi propter relationem earum ad actus ab ea attingantur: Ratio verò vtriusque est, quoniam relatio actuum ad res, in ipsis actibus ex toto vt aiunt sita est, & relatio rerum ad actus, scilicet relatio generis, speciei, &c. in ipsis rebus ex parte sita est, ab eisque quadantenus indistincta: quod ergo res propter relationem ad actus, & quod hi propter relationem ad illas attingantur, & tam res quam actus propter se attingi, sicut ad obiectum formale oportet: exemplum causarum sanitatis non vrget, nimirum quæ vti in ipso argumento supponitur, non propter se, sed propter solum sanitatis effectum amantur.

CAPVT V.

An, aut quatenus ens rationis est obiectum Dialecticæ.

ENs rationis aliud est obiectiuum, aliud subiectiuū: illud definiri ab omnibus solet, *quod habet tantum esse obiectiue in intellectu*: esse autem obiectiuè tantum in intellectu, est præter ei obiici: ab eóque cognosci, omni prorsus esse destitui, tam positiuo, quam negatiuo, tam actuali quam possibili: quo fit vt creaturæ possibiles, etsi nihil actu sint, tamen propter esse possibile, non ens rationis obiectiuum, sed potius ens reale dici soleant, ac debeant: inde etiam fit carentias v. g. tenebras haud esse ens rationis obiectiuum, quoniam suum habent esse negatiuum, & diminutum, idque quin intellectui obiiciantur ab eóue cognoscantur; solum igitur illud quod repugnat de potentia absoluta esse sicut cogitatur, quodque est aliquid dumtaxat fictum, cognitúmque aliter quam esse potest, ens rationis obiectiuum est, & tale, vt nullum habeat esse præter esse obiectiuè in intellectu. Posterius diuisionis membrum, nempe ens rationis subiectiuum, est cognitio vera, & realis, quæ in intellectu, & ratione subiicitur; illud propriè, & strictè est ens rationis, vtpote quod est extra latitudinem totam entis realis: hoc posterius est impropriè, & fusè solum ens rationis, propriè verò, & rigorosè ens reale non physicum, sed intentionale: quo pacto species impressæ, habitusque, neque non denominationes ab actibus intellectus etiam sine vllo artificio logico profectæ, ac merè naturales tamen entia rationis latè nuncupantur. Rursus ens rationis obiectiuum aliud est formaliter & propriè tale, aliud solum fundamentaliter, & impropriè tale: illud est, quod initio explicui, latiorem expositionem in metaphysica iacturus: hoc verò nihil aliud est, quam id quod fundamentum præbet, vt intellectus proprium, ac formale ens rationis confingat, tametsi ipsum sponte sua sit ens verum, ac reale, quo pacto omnis denominatio extrinseca generis, speciei, subiecti, & prædicati, quamuis suaptè natura sit ens reale, ex cognitione reali, v.g. genereitate, & natura animalis, itidem reali, & possibili coalescens, nihilominus ens rationis lato modo vocatur, eo quod sit fundamentum sufficiens, vt intellectus reflectens in eam denominationem generis, etsi extrinseca sit, eam tamen naturaliter intrinsecam esse confingat, nec secus illam apprehendat, adeóque ens rationis proprium & formale comminiscatur. 42

Hæc cum ita sint, fateor iuxta dicta superius ca. 3. ens rationis subiectiuum nempe actus intellectus esse obiectum formale Dialecticæ: habeo etiam in confesso ens rationis fundamentale, cuiusmodi esse denominationes extrinsecas generis, speciei, ac similes nuper insinuaui, mox id latius probaturus, esse etiam obiectum formale Dialecticæ: solum ergo quæstionem instituo de ente rationis obiectiuo, eóque formaliter siue actu tali: Hoc enim dumtaxat est ens rationis ac fictum, reliqua verò solum entis rationis nomen subeunt, cum suopte genio potius entia realia sint. Thomistæ igitur in ea sententia sunt, vt existiment ens rationis propriè sumptum, siue obiectiuum, ac fictitium, non omne, nec hircoceruum, v.g. hypocentaurum, aut chimæram, sed solum quod confingitur in materia Dialecticæ, huius esse obiectum formale adæquatum; non negant. Denominationes generis, speciei, subiecti, definitionis, & similes 43

miles Dialecticæ formaliter obiici ; quod omni ope contendunt , est eiusmodi denominationes non esse ens reale etiam per accidens , sed ens solius rationis , & commentitium. Ita verò de obiecto Dialecticæ philosophantur, vt dixi, plerique Thomistæ Caiet. c.de gen.Sotus q.5.procem. Iauellus tr.1.log. Heruæus tr.2.intent.p.vlt.art.2.atque alij antiq.tum huius scholæ,tum etiam extra illam,apud Auers.q.2. logicæ s.3.Item Araujo in opere met.sic ab eo inscripto,l.3.q.1.a.1.Io.de S.Th.q.1.procem.a.3. Gallego in controu.artium circa procem. controu.8.§. *dico* 2. His accessere ex nostris P.Rub.P.Vall. & alij pauci, sed tamen nonnulli.Contrariam sententiam tuentur nominales,Scotistæ,ac nostri ferme omnes,vt necesse non sit eis singulatim recensendis immorari : qui tamen eos ita relatos cupit,adeat P.Amicum tr.1.q.5. quam etiam sententiam ipse longè veriorem,ac probabiliorem arbitror. Quoniam verò eius probatio Paulo fusior erit,idcirco proprium ei caput, id nimirum,quod mox sequitur,assigno.

CAPVT VI.

Verioris sententiæ probatio, ac Thomisticæ confutatio.

44 VT ens rationis , seu commentitium non sit obiectum formale adæquatum dialecticæ, abunde nobis est probauisse toto hoc tractatu vsque ad præcedens caput plurima entia realia , nimirum voces, actus intellectus , & res cognitas ei formaliter obiici : Cæterum , vt vicem Thomistis rependamus , & constet aduersus eos ens rationis, nec esse obiectum inadæquatum dialecticæ , vel certè paucissimos eius actus in illo occupari , animaduertendum prius est denominationes logicas bigeneres esse : aliæ sunt actiuæ,quibus actus nostri dicuntur definire,diuidere , argumentari , enunciare &c. aliæ vero passiuæ, quæ rebus conueniunt,eisque rationem generis,speciei,subiecti,prædicati,aliámue similem impertiunt. Quod si planum fecero vtrasque ab ente rationis alienas esse,eóque non constitui,planum etiam erit nihil ferme esse in dialectica,quod sit formaliter ens rationis. Caput ergo,& summa totius inter nos,& Thomistas cõtrouersiæ est, non an eiusmodi denominationes dialecticæ per se obiiciantur, sed an sint ens rationis, namque si tale non sint,de obiecto dialecticæ, secus quam Thomistæ contendunt,ac longè quidem secus philosophandum esse apparebit.

45 Ordior igitur à denominationibus actiuis,eásque non esse ens rationis, cum tamen haud dubiè pertineant ad dialecticam,hunc in modum ostendo. Hic actus *animal aliud est rationale,aliud irrationale* per semetipsum præcisè , ac pro priori naturæ ad quamuis relationem rationis,siue fictitiam, quæ in illum ex directione dialecticæ relultet , est diuisio ; cum præcisè , & in illo priori sumptus affirmet animal aliud esse rationale, aliud irrationale,ac proinde totum quoddam potestatiuum in partes suas distribuat ; sicut ad diuisionem oportet : igitur per suam entitatem realem , & non per ens rationis habet is actus, quod sit diuisio,atque adeò denominatio actiua diuidentis ens rationis censeri non debet. Idem argumentum fieri potest in hoc actu , *homo est animal rationale* , qui per suam met essentiam realem, & pro priori ad quoduis ens rationis repræsentat hominem esse animal rationale, adeóque eius naturam explicat,quemadmodum, vt sit per seipsum definitio oportet. Idem etiam argumentum confici potest in cæteris actibus intellectus , vt insinuat Auersa q.2.log.sect.3. prope finem.

Argumentor secundò, & præcedens argumentum confirmo : Hoc ipso quod actus aliquis naturam rei explicet , ac repræsentet est definitio , cum hæc sit oratio explicans naturam rei ; Hoc etiam ipso quod actus aliquis repræsentet identitatem rationis superioris cum inferioribus , est diuisio , cum sit oratio distribuens totum in partes inferiores , illúdve his idem esse enuntians. Atqui repræsentatio actuum intellectus eis est essentialis,ab earúmque reali identitate indistincta;quod igitur sint definitio , & diuisio eorum entitas realis est, & non quid rationis. Et quidem aliàs nullus actus noster foret vera,ac realis definitio, aut diuisio sed potius fictitia , & chimærica, si quod aiunt aduersarij,forma artificiosa definitionis , ac diuisionis has denominationes actibus nostris tribuens,esset ens rationis , & quid fictitium, haud secus ac homo dicitur albus non substantialiter sed accidentaliter,quoniam albedo ita eum denominans non est forma substantialis, sed solum accidentalis. Quid ? quod rem cognitam esse genus , speciem,subiectum,& prædicatum non est aliquod ens rationis , ac fictitium rem ita denominans , vt mox efficacissimis argumentis ostendam: quod ergo similiter actus cognoscens sit definitio , aut diuisio , sibi soli,suæque reali naturæ debet,idque ab ente aliquo rationis superaddito neutiquam emendicat. 46

Argumentor tertiò:quod intellectus arguat , siue vnum ex alio concludat,nihil aliud est, quam ex assensu identitatis extremorum cum medio,moueri ad assensum identitatis immediatè eorumdem inter se inuicem ; At hoc posterius non est ens rationis pro formali ; ergo nec illud prius ; cum tamen sit obiectum formale Dialecticæ iuxta omnes. Minor probatur,nam cætera constant : Assensus ipsi,quibus intellectus noster identitati extremorum mediatè, aut immediatè consentit, haud sunt entia rationis obiectiua,& propria,vt certo certius.Item priores assensus disponi ad inferendum posteriorem , eúmue reuera inferre,nullum inuoluit ens rationis,vt hoc pacto ostendo : Quoties causa & effectus reales sunt dispositio,qua altera ad alterum causandum disponitur,ens reale est,non solius rationis, vt longa inductione , ac partium enumeratione liquere potest, ac vel in igne ignem producente cernitur,vbi,vt causa, & effectus sunt entia realia & non rationis , sic etiam calor, siccitas , & reliquæ dispositiones vtrinque mediæ sunt entia realia , & non rationis : fac enim eas esse fictitias,& solius rationis;& ne stipulam comburat illa, quæ 47

Horrificis iuxta tonat ætna ruinis,
Interdúmque atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo,& candente fauilla,
Attollitque globos flammarum,& sidera lambit.

Tum sic;assensus præmissarum,qui causæ conclusionis,& huius assensus,qui præmissarum effectus,sunt entia realia & non rationis , quædam scilicet nostri intellectus cognitiones ; dispositio igitur præmissarum ad conclusionem inferendam nequit esse fictitia,aut non esse vera,& realis. Rursus,quoties causæ,& effectus reales sunt, causalitas etiam realis , & vera esse debet,vt manifesto omnium causarum , & effectuum experimento constat,assensus autem præmissarum & assensus conclusionis reales sunt, vt diximus : causalitas igitur , qua præmissæ conclusionem inferunt ac deducunt,vera & realis est, & non ens rationis. Hæc ratio,nisi splendidè fallor , conuincit artificium logicum, quod in argumentatione elucet,

elucet, alienum prorsus esse ab omni ente rationis; quandoquidem integrè consistit in assensu præmissarum, & assensu conclusionis & dispositione, & causalitate, quibus præmissæ conclusionem producunt.

48 Argumentor quartò, ac proximum argumentum corroboro: quod voluntas ab vno actu studioso ad alium discurrat, & ex intentione charitatis ad electionem misericordiæ procedat, totum reale, & nihil rationis est; aliàs ens rationis propriè sumptum Theologiæ & Philosophiæ Moralis obiectum formale quadantenus esset, quo nihil absurdius, aut inauditius: quod ergo similiter intellectus ab vna cognitione ad aliam discurrat, & ex præmissis conclusionem inferat, nullum ens rationis, nihil fictitium pro materiali, aut formali inuoluit. Consequētia claret, quoniam inter actus intellectus, & voluntatis affectus id tantùm interest, quod horum artificiosa dispositio ad voluntatem, illorum verò ad intellectum attineat: hoc autem insufficiens est, vt illorum potiùs, quam horum artificiosa dispositio dicatur ens rationis, cum species impressæ, & expressæ ens reale, & non rationis sint, tametsi ad intellectum attineant.

49 Argumentor quintò, & superiori argumento maiorem lucem adhibeo. Quemadmodum actus intellectus artificiosam quandam posituram, ac proportionem habent regulis dialecticæ conformem, qua nimirum, in syllogismo, propositione, aut alio quouis modo sciendi collocantur; ita etiam voces suam habent artificiosam dispositionem, quæ si congrua ad grammaticam, si ornata, ac soluta ad rhetoricam, si denique numerosa seu metrica ad poëticam attinet. Atqui artificiosa vocum dispositio, qualis ea cunque sit, non est ens rationis obiectiuum, ac proprium: ergo nec eiusmodi erit artificiosa actuum intellectus dispositio: quod enim horum sit ea dispositio, & in ipsa ratione propiùs, ac peritius fiat, hoc tantum arguit, illam esse ens rationis subiectiuum, & impropriam. Minor autem nostri argumenti liquet, si enim artificiosa dispositio vocum ad grāmaticam, rhetoricam, & poëticam spectans foret ens rationis certè eiusmodi facultates ens rationis velut obiectum formale respicerent, adeòque talis respectus non esset logicæ solius proprius, contra quam communiter ipsi aduersarij philosophantur. Nescius haud sum Iauellum tract. 1. logicæ, prope finem, postquam dixisset logicam non esse de ente reali, sicut scientias reales, sed de solo ente rationis, eandem etiam doctrinam extendere ad grammaticam, rhetoricam, & poëticam his verbis; *partes autem totius scientiæ rationalis sunt, gramatica, cuius subiectum est ens rationis congruum, & incongruum, & rhetorica, cuius subiectum est ens rationis ornatum, & inornatum, & poëtica cuius subiectum est ens rationis delectabile, & indelectabile, & logica proprie dicta, cuius subiectum est ens rationis ratiocinatiuum.* Verum si id ita est, omnes artes tum mechanicæ, tum etiam liberales erunt de ente rationis, cum nulla non partes alicuius materiæ, aut disponendas curet, aut dispositas consideret. Quid autem absurdius, quam artes omnes, quæ praxim, & executionem respiciunt, & in hoc à scientiis speculatiuis dissident, versari tamen circa ens rationis propriæ executionis, & effectionis incapax.

50 Ad denominationes passiuas progredior, & sextò nostram sententiam suadeo, ac Thomisticam refello. Ens rationis est, quod habet esse obiectiuè tantùm in intellectu, id inquam est ens rationis strictè sumptum: sed rem esse genus, speciem, definitam, diuisam &c. non habet esse obiectiuè tantùm in intellectu; igitur non est ens rationis, cum tamen omnium calculo sit obiectum formale logicæ. Minor suadetur; si quis animo concipiat hunc solum actum *homo est animal*, & à quouis alio supersedeat, is genus, & speciem citra dubium efficiet, siquidem nemo de ea prædicatione rogatus eam generis de specie esse negabit. At genus, & species in eo euentu, non habent esse obiectiuè in intellectu, siue ab illo cognosci, nedum tantum cognosci, intellectiuè obiici: nam actus ille tantum cognoscit naturam hominis & animalis secundum se, & earum identitatem essentialem; hæ verò naturæ secundum se genus, & species non sunt, aliàs vti natura hominis, & animalis sunt à parte rei, sic etiam genus, & species, & quoduis aliud vniuersale in rebus daretur, à quo tamen Thomistæ passim abhorrent: alius autem actus in intellectu, tum non existit, ea enim est hypothesis nostra: genus ergo & species fieri possunt, quin in intellectu obiectiuè reperiantur.

Argumentor primo: Eandem per formam, qua 51
intellectus est cognoscens obiectum, hoc etiam dicitur cognitum ab intellectu; intellectus autem dicitur cognoscens obiectum per veram, ac realem cognitionem, & non per aliquod ens rationis fictitium, vt apud omnes confessum est, atque manifestum: ergo per eandem cognitionem, & non per ens rationis obiectum ab intellectu cognitum denominatur: animal autem v. g. esse genus, est illud confusè & sine inferioribus esse cognitum: esse definitum illud clare, & respectu partium actualium cognosci: esse diuisum illud alio genere claritatis & respectu partium subiectiuarum esse cognitum: par autem harum & cæterarum denominationum ratio: omnes ergo rebus communicatæ iuxta regulas Dialecticas, cognitionem realem non ens rationis formam habent. Maior argumenti sola probari eget, eaque hunc in modum probatur. Si diuersa ac realiter distincta forma denominaret intellectum cognoscentem, & obiectum cognitum, posset diuinitus intellectus cognoscere obiectum, quin hoc ab intellectu cognitum euaderet; qua ratione lac, v. g. album, & non dulce, dulce, & non album diuinitus esse potest, eo quod per diuersam formam vtramque denominationem subeat: Atqui denominatio cognoscentis & cogniti, ita sunt connexæ, vt nequeant etiam diuinitus separari. Item denominatio cogniti tam exprimit veram, ac realem cognitionem, quam denominatio cognoscentis; cur ergo vna potiùs quam alia cognitionem veram, & realem veluti formam quo constituatur, suo sibi iure vendicet?

Vlterius octauo argumentor; quoniam si obie- 52
ctum formale logicæ esset ens rationis, maximè quia ex nostris actibus in obiecta relationes quædam effluerent obiectis intrinsecæ, quæ entia debilissimæ entitatis, aut potius nullius sunt, adeoque entia rationis nuncupantur, à quibus res habeant, quod subiiciantur, prædicentur, definiantur, diuidantur alioue modo attingantur: At huiusmodi relationes abactibus in obiecta refluere nullatenus possunt admitti: ergo. Maior est Viguer. in instit. de anima rationali §. 2. vers. 4. Soncinatis 6. metaph. quæst. 18. & quamuis non omnium, at plurium aliorum Thomistarum, quos suppressis nominibus refert P. Hurtadus d. 1. log. s. 4. §. 18. Minor verò suadetur: primò, quia quod res cognitæ dicantur, est denominatio quædam extrinseca, & realis: pro materiali res ipsas & pro formali actus ipsos nostri intellectus includens, & nihil prætérea aliud, vt argumento præc. vidimus, vt ergo res denominentur cognitæ, quæuis relatio exterius

terius ab intellectu refusa superfluit: secundò sequeretur tales relationes rationis esse quidem entia rationis, quod aduersarij fatentur, & simul non esse entia rationis: tum quia eæ relationes ab actibus in obiecta efficienter emanant: non ergo habent esse obiectiuum dumtaxat in intellectu, sed esse effectiuum, vel potius effectibile, eodē imo potiori iure, quo carentiæ aliquarum rerum ex aliarum rerum inceptione, ac productione resultantes, tenebræ v.g. ex abscessu Solis, eiusque versus antipodas fuga obortæ, non sunt obiectiuè tantum in intellectu, neque entia rationis ficta: eiusmodi ergò non erunt prædictæ relationes: tum etiam, quia cognitio generica ad solum animal in communi, v.g. terminatur, non ergo ad relationem fictitiam ac tenuissimam, quàm aduersarij comminiscuntur: ea ergo relatio non habet esse obiectiuè in intellectu, ne dum esse in illo obiectiuè tantùm, sicut ad ens rationis oportet: quartò, probatur eadem minor: quemadmodum intellectus res denominat genericè, aut specificè cognitas, seu genera, & species, ita voluntas denominat res multis, variisque modis, eisque rationem obiecti formalis, aut materialis, finis, aut medij attribuit. Atqui rem esse volitam à nobis hoc aut illo modo, dicique obiectum formale, aut materiale, medium, aut finem non est ens rationis, aliàs hoc etiam Theologiæ, & scientiæ moralis esset obiectum formale, aduersus quam omnes & meritò censent: simili ergo modo esse genus, speciem, aut hoc alióvè modo cognitum non erit aliqua relatio rationis, & commentitia in obiectum ab intellectu refusa: quintò, suadetur eadem minor; quoniam intellectus diuinus, sensus humanus, & belluinus res cognitas efficienter denominant, nihilominus entia rationis non confingunt, neque in obiecta reiiciunt, vt apud omnes exploratum.

53 Rursus quintò, Dominicus Sotus q. 3. de vniuersalibus artic. 1. dub. 2. etsi entia rationis obiectiua ab omni ente reali distincta admittat, eaque Dialecticæ facultatis formaliter esse statuat, tamen istiusmodi entia rationis habentia esse veluti subiectiuum in rebus ipsis, & versus eas à nobis resilientia his verbis egregiè sugillat; *Sicut est sensualis hominis nihil credere, nisi quod est ante pedes, vt Heraclitus, ita & vani est hominis credere in scientiis, nisi quod ratio, aut fides catholica persuadet, maximè in multiplicatione rerum: & profectò nulla ratio persuadet, vt intellectus per cognitionem aliquid producat in rebus (ait enim Arist. 3. de an. text. 2. intelligere esse quoddam pati) sed sicut res dicitur cognita, quia obiicitur cognitioni, ita denominatur genus, aut species in actu, quia obiicitur huic, aut illi cognitioni.*

54 Tandem in metaphysica ostendam, satis absurdas esse figuras illas Epicuri, quas è summis quibusque corporibus dicebat effluere, cum inuisibiles, & ignotę sint, visum tamen in nobis effecturas: Hoc enim de eo referunt præter alios Aulus Gellius lib. 5. cap. 16. & Fabius lib. 10. cap. 2. Ecquis autem non videat, multò magis absurdas esse prædictas relationes rationis à nobis passim effusas? illæ namque non producunt, nec producuntur, quin vera entia iuxta suos authores sint, hæ verò vtrumque habent, quin tamen entia sint, sed mera figmenta, quo nil fingi potest magis ridiculosum: illæ habent vbi recipiantur, sensus vtique nostros, quibus imprimuntur, hæ verò interdum à nobis abeunt nunquam recipiendæ, nullique subiecto inhæsuræ, cum scilicet Deum cognoscimus, in quo nefas est istiusmodi tenuissimas relationes, & veluti fictitios, & imaginarios atomos intrinsecè suscipi. Figuræ illæ Epicureæ per finitum dumtaxat, ac certum loci interuallum à corporibus emanant: hæ vero relationes ab intellectu nostro, nullo quidem fine prosiliunt, atque in immensum sese effundunt, quantumcunque enim aliquid distet, illud à me cognitum iri nil prohibet: illæ denique finitæ numero sunt, pro eo ac corpora, à quibus effluunt, hæ prorsus infinitæ omnique numero superiores, quoties videlicet infinitas res specie aliqua aut genere clausas confusè quidem, & quoad solum gradum superiorem in eis realiter distinctum ac multiplicem cognoscimus: haud enim relatio confusè cogniti vni obiecto conueniens est eadem cum relatione, qua aliud dicitur cognitum, alias vna, eademque vtrique, & consequenter infinitis hæreret. Quapropter, vt dixi, multo magis in intelligibilia arbitror simulachra ista, ac visa à nobis in res, quas cognoscimus efflua, quam quæ contra à rebus versus nos fluxum suum incipientia Epicurus asserebat.

CAPVT VII.

Soluuntur argumenta contraria.

OBiiciunt primò Thomistæ Arist. 4. metaph. text. 5. vbi docet Dialecticam, & Metaphysicam agere de omni ente: sed metaphysica agit de ente 55
reali: ergo logica de ente rationis: sic enim, & non aliter fiet, vt vtraque omne ens, reale scilicet & rationis comprehendat. Obiiciunt secundò B. Thomam, qui multoties intentiones generis, speciei aliasque eiusmodi haud dubiè ad Dialecticam attinentes eique obiectas entia rationis nuncupat. Arguunt tertiò, logica iuxta omnes est, & dicitur scientia rationalis: non ergo nisi quia ens rationis propositum habet: quod ipsum confirmat logicæ ethymon, dicitur enim, ac ducitur à logo, id est, interno rationis opere, & ente, hoc igitur illius obiectum, ac materia circa quam est. Arguunt quartò, Denominationes generis, & speciei, subiecti, & prædicati, & quæ cæteræ à Dialectica considerantur, habent aliquod esse intrinsecum in obiectis: non reale; ergo solius rationis. Vrgent quintò, ens rationis est, quod conuenit obiecto præcisè, vt subest operationi mentis siue rationis: at huiusmodi est genus, species, & quæ similia Dialectici negotij sunt. Arguunt sextò, denominatio omnis extrinseca est veluti nominis appellatio, adeóque opus rationis rem aliquam sponte sua absolutam ad formam minimè sibi intrinsecam referentis: denominatio ergo quæuis eiusmodi est ens rationis: hoc ergo Dialecticæ obiicitur, quoties denominationem generis, speciei aliamve similem considerat. Instant primò, vniuersale haud dubiè esse ens fictum, & solius rationis: fit enim quando animal v.g. abstrahitur per intellectum ab homine, & equo, ac cæteris inferioribus; quæ abstractio nequit non esse fictitia, & solius rationis opus, cum reipsa animal non sit abstractum à suis inferioribus, sed in eis per veram identitatem inhæreat. Atqui vniuersale est obiectum formale Dialecticæ, vt quod maximè. Item octauò instant: Quando intellectus concipit animal confusè, illudque genus efficit, tum profectò denominationem cogniti, & generis animali extrinsecam perinde apprehendit, & cogitat, ac si esset ei intrinseca: aliter ergo illud concipit, quam esse possit, adeóque fingit, & ens rationis efficit; genus igitur est ens rationis, neque non similiter omnis alia secunda intentio, cum tamen sint obiectum formale dialecticæ. Tandem arguunt, obiectum formale logicæ non sunt actus intellectus, non voces, non etiam res cognitæ, reliquum ergo est, vt solum ens rationis, quo artificiosè

ciosè disponuntur actus nostri intellectus, sit vnica & adæquata meta, ad quam ea cunctos suos actus collineat: consequentia liquet: antecedens firmamenta multa, & varia, sed quæ superius proposita, nec libet, nec licet hic repeti.

56 Hi sunt tibicines, quibus aduersarij nostri labantem opinionem, vt cum Plauto loquar, furcillant. Authoritas Aristotelis, cui primò innituntur, parum eis prodest; namque si esset eis fauorabilis, quemadmodum metaphysica est de ente reali, vt sic prout omnia entia realia velut ratio superior comprehendit, ita etiam logica foret de ente rationis, vt sic provt omnia entia rationis, tanquam ratio communis complectitur, quod tamen nemo etiam aduersariorum admittet. Item mens Aristotelis eo loci est idem subiectum, siue materiam circa quam logicæ, & metaphysicæ assignare, vt eum interpretatur D. Thomas opusc. 42. cap. 4. initio his verbis *Sciendum est ergo, quod sicut in 4. met. dicitur, logica, & metaphysica, circa omnia operantur, differenter tamen, sicut enim primi philosophi est, loqui de ente in communi, ita & logici, aliter non esset circa omnia eius consideratio, nisi haberet pro subiecto ens in communi, cum enim vnius scientiæ sit vnum subiectum, idem erit subiectum vtriusque.* Hæc ille: Quod si intendit Aristoteles idem esse obiectum metaphysicæ, & dialecticæ, idem inquam ex parte rerum, quas considerat logica, non vero artificij, quod eis appingit, quî hinc colligi potest, alterâ esse de entereali, & alteram dũtaxat de ente rationis? certè oppositũ ego colligerẽ. Tandẽ dico Aristotel. eò loci tãtùm voluisse metaphysicã, & logicã agere de omni ente, tũ reali, tum etiam rationis, sed aliter, & aliter, illam enim agere de omni ente secundum se, & nude sumpto, hanc vero disserere de omni ente, siue reale, siue rationis sit, provt tamen subest operationi intellectus, & ab ea genus aut species, subiectum, aut prædicatum, alióue simili pacto denominatur, vt mox explicat D. Thomas opusculo illo 42. cap. 4. Haud magis fauet aduersariis S. D. authoritas, secundo loco obiecta: Quoties enim cunque secundas intentiones generis, speciei, subiecti, prædicati, aliasve similes dialecticæ facultates proprias vocat entia rationis, de ente rationis non obiectiuo, ac proprio, seu fictitio, sed subiectiuo, aut fundamentali, adeóque improprio sermonem habet: hoc autem posterius ens rationis potius est ens reale, quam rationis: quare quod sit obiectum formale dialecticæ nostra est opinio, non vlla eius reprehensio. At cur antiquos etiam Thomistas hac ratione non interpretor? cur non etiam iuniores? Verum quod ad hos attinet luce clarius est, eos nullum interpretamentum capere, & ens rationis obiectiuum, & fictum omnisque realitatis expers dialecticæ obiectum formale esse arbitrari. Quod autem ad veteres Thomistas, tametsi aliqui illorum subobscurè loquantur, longè tamen verisimilius est idem quod nuperi tuentur eos sentire, & ens rationis fictitium, & proprium dialecticæ attribuere: tum quia plerique negant logicam vllatenus esse de ente reali, ens ergo rationis, de quo illam esse censent, est ens non verum ac reale, adeóque ens rationis proprium, & strictum: tum quia multi putant, ex actibus nostris quidpiam resilire in obiecta eisintrinsecum, per quod sint genera, species, aliáve ratione affecta, qua ad dialecticam pertineant: eiusmodi autem ens rationis in obiecta infinita, non existentia, diuina, & immutabilia redundans, nil verum, & reale, adeóque quid fictum, ac proprium ens rationis non esse nõ potest, vti ipsi etiam explicant: tum etiã quia innumeri eorum definiunt ens rationis, de quo loquuntur, & quod in certa quadam materia dialecticæ attribuunt, esse *id quod habet esse obiectiuè tantum in intellectu*: Huiusmodi autem ens rationis omnium consensione est proprium, strictumque ens rationis. Denique aliqui eorum iis vtuntur argumentis, quæ secundas intentiones logicas figmenta esse contendunt, vt paulo supra vidimus.

Ad tertium dicendum est, logicam vocari scien- 57
tiam rationalem non quod sit de ente rationis obiectiuo, & ficto, sed quod sit de ente rationis subiectiuo, aut fundamentali, quod quidem est ens reale, sicut cap. 5. exposuimus; logos etiam, à quo deriuatur logica, non est ficta aliqua sermocinatio rationis secum ipsa, sed vera ac realis locutio, tum interna, vt supra docuimus, tum etiam externa, vt ibid. etiam insinuauimus, & iam olim docuit præter alios Plato in Theæteto, vbi proposita hac quæstione *quid logos nobis hic significat*? sic respondet, *primùm esse arbitror cogitationem suam voce per verba, nominaque exprimere, opinionem propriam in voce perinde, ac in speculo, & aquâ monstrantem: nonnè tale quid oratio sibi esse videtur*? Quod ergo hæc facultas, rationalis; quod logica dicatur, haud arguit eam esse circa ens rationis siue fictitium, sed circa verba, cum interna, tum etiam externa. Ad quartum dicendum est, secundas intentiones generis, speciei, subiecti, &cæteras nihil intrinsecũ rebus affingere, sicuti cap. præced. abundè probatum manet. Ad quintum dicendum est, ens rationis non propriè, & formaliter tale, sed duntaxat fundamentaliter, & impropriè tale, esse illud quod rei conuenit præcisè, vt subest operationi mentis. Quocirca, tametsi animal v. g. duntaxat habeat esse genus, quatenus subest alicui cognitioni confusæ, & hoc solo nomine eam denominationem induat, inde tamen non fiet, quod genus sit, ab aliquo stricto ente rationis proficisci.

Parum quoque momenti est in sexto argumento; 58
namque formalis denominatio, & apellatio nominis, qua nimirum aliquid exterius significatur, non est opus rationis fingentis, aut ens fictum; primò quia aliàs eiusmodi ens esset obiectum formale, etiam grammaticæ, vt pote quæ citra dubium agit de significatione vocum; deinde quia similiter foret obiectum Theologiæ, agit enim hæ de significatione practica gratiæ, quæ ex instituto. & arbitrio Christi inest verbis sacramentorum nouæ legis; Item tertio, quia in sacris litteris plura nomina leguntur imposita à Deo; nam Simonem v g. vocauit Petrum & filios Zebedæi vocauit Boanerges: Deus autem nil fingere potest, formalis ergo denominatio, & appellatio nominis, non est ens rationis fingentis. Rursus 4. si eiusmodi denominatio esset ens rationis fictitium, & hac ratione obiectum formale logicæ, huic etiam voces, & nomina formaliter obiicerentur, contra quam Thomistæ volunt: sequela constat; nam talis denominatio nomina ipsa formalissime includit, vt vel ex ipso eius ethymo liquet. Præterea 5. aliud est esse genus, speciem, &c. aliud ita appellari: quamuis ergo ea appellatio sit ens rationis, idque gratis permittamus, haud tamen propterea ipsum genus, species, & reliquæ intentiones, quæ ad logicam potissimùm spectant, erunt entia rationis. Denique, si quod genus, species, & reliqua eiuscemodi, nominis appellationem habeant formalemque, & externam denominationem, quæ opus rationis quodammodo est, si inquam, hac de causa logica est de ente rationis; sane non solum grammatica, & Theologia, de quibus paulo supra,

verum etiam omnis omnino ars, & scientia erit de ente rationis,quæuis enim res mundi cuiuscunque sit scientiæ, aut facultatis, aliquam nomenclaturam,& apellationem habet.Iam vero si de denominatione extrinseca obiectiua sermo sit,ea nimirum, per quam aliquid,genus v.g.est reapse, & seorsim à quouis nomine, hæc quidem non est ens rationis, cum detur seorsim à ratione non solum fingente,vt constat; verum etiam ipsum genus concipiente, vt supra in loco explicuimus. Quamobrem non video cur magis ea denominatio sit ens rationis obiectiuum,ac fictum, quam quæuis alia denominatio extrinseca similis, aut dissimilis: æqualis, aut inæqualis:aut quod multo maximum est, quam quæuis alia denominatio realis intrinseca albi v. g. aut nigri. Quod autem cæteræ denominationes intrinsecæ, & extrinsecæ etiam ad dialecticam non pertinentes non sint rationis,ne aduersarij quidem diffitebuntur.

59 Septimum argumentum haud magis operosum est:inficiamur etenim abstractionem animalis à suis inferioribus esse fictitiam,siue ens rationis: ea enim abstractio fit concipiendo animal sine inferioribus, non negando illud de eis, in quo nulla est fictio, nullum mendacium: vt in tempore ostendemus, & interim constat ex communi proloquio *abstrahentium non est mendacium* quod autem ea abstractio non contingat, nisi beneficio intellectus animal confusè concipientis, haud arguit eam esse fictitiam,& rationis obiectiuæ,aliàs etiam quæuis cognitio nostra,imo etiam angelica, & diuina foret ens rationis obiectiuum, & chimericum. Ad octauum. Do, quando intellectus concipit denominationem extrinsecam generis,aut speciei veluti suaptè natura intrinsecam,adeoque aliter,quam possit vllatenus esse, tum quidem ens rationis fieri, ac figmentum quoddam interius formari: at quod dialectica ita genus, aut speciem cõcipiat, adeove ens rationis respiciat efficiatve,id aduersarij à me nunquam impetrare poterunt;est enim scientia, ac proinde obiectum suum verè,ac prout est in se,non aliter, quam se habet,intuetur:nisi vero ipsa errare debeat, quæ cæterarum scientiarum errores auertit,& cæca esse, quæ cunctis prælucet earumque dux est,atque magistra. Postremum argumentum quam imbelle sit 4. priora huius tractatus capita satis superque ostendunt.Porro,vt quæ latius fudi,in summam redigam, argumentorum,quibus Thomistæ vtuntur, triplex est reprehensio,prima,quod non de ente rationis ficto,ac proprio, sed de ente rationis improprio, & vel subiectiuo, vel fundamentali, quorum alterutrũ est extra præsentem controuersiam,pleraque eorum procedant: secunda, quod vt plurimum probent ens rationis esse obiectum inadæquatum dialecticæ,non vero adæquatum,de quotamen nostra lis potissimùm instituitur. Tertia,quod inter se admodum non consentiant, aliaque denominationes generis speciei, subiecti,prædicati, aliasque similes obiectis extrinsecas esse intendant, alia eas intrinsecas, & ex actibus nostris in obiecta refluas conentur.

CAPVT VIII.

Alia argumenta soluta.

60 MVlto efficacius pro sententia Thomistica eius aduersarij nostri authores, disputandi gratia,argumentantur: Directio passiua actuum intellectus,qua à dialectica diriguntur,& accõmodate ad eius regulas fiunt, hæc inquam directio est obiectum formale logicæ:Atqui est ens rationis,ergo. Maior suadetur, quoniam dialectica considerat formaliter, & non solum materialiter munus suum: eius autem munus est actu dirigere, & quod aiunt regulare actus intellectus, in quacunque materia subiecta:hæc igitur directio actiua,ac proinde passiua,ab ea vel indistincta, vel certe inseparabilis erit obiectum formale dialecticæ:quo pacto conformitas actuum voluntatis cum regulis moris est obiectum formale scientiæ moralis, eo quod huius munus sit, conformare voluntatem cum regulis moris,& dictamine rectæ rationis. Adiice eam directionem passiuam actuum intellectus, nisi ad logicam,ad nullam aliam scientiam pertinere posse. Iam vero minor suadetur: talis directio passiua, qua v g. hic actus, *homo est animal rationale*,oritur ex hac regula dialectica,*definitio est oratio constans genere, & differentia*,atque ex eius præscripto efficitur,non est simultanea existentia actus dirigentis,& directi,cum fieri possit vt aliquis immemor regulæ dialecticæ affirmet hominem esse animal rationale, in eodemque instanti,vi huius actus ita eliciti excitetur in eo species regulæ dialecticæ,eamque etiam eliciat: tunc autem actus affirmans hominem esse animal rationale, prior natura regula dialectica ab ea non oritur,nec dirigitur,vt exploratum; nihilominus ei coexistit,vt supponitur:prædicta ergo directio non est mera coexistentia vtriusque actus videlicet dirigentis, ac directi,nec etiam aliud ens reale esse potest; cedo enim quale sit? solum igitur est ens rationis, adeoque hoc dialectica formaliter considerat. Multi multa respondent huic argumento,cuncta tamen ex vano,vt tractatu 10.cap.4. libri 4. phys. constabit. Quod mihi magis arridet, est eiusmodi directionem passiuam, siue emanationem actuum aliarum scientiarum ab actibus dialecticæ, ad quorum normam fiunt,esse modum quendam realem, & veram physicamque actionem;non effectiuam, sed directiuam inibi explicandam: modo namque maturum non est.

Rursus secundò arguunt nostri: Dialectica agit 61
de subiecto & prædicato tanquam inter se distinctis,eorumque distinctionem respicit: At ea distinctio ficta est,& chimærica,adeoque ens rationis;hoc ergo est obiectum formale dialecticæ. Maior est in aperto,tum quia dialectica docet subiectum & prædicatum esse, quorum vnum affirmatur de alio, ea ergo veluti vnum, & aliud, & consequenter tanquam distincta respicit: tum etiam quia dicit subiectum referri ad prædicatum, & retrorsum, vt explicant nostri Conimb.q.6.in præf.Porph. art. 2. nihil autem ad seipsum,& non potius ad aliquid distinctũ refertur:eorum ergo distinctionem considerat.Quod autem hæc distinctio sit chimærica,& ficta,ac solius rationis ens,ex facili probatur: ea enim est impossibilis omninò, cum subiectum, & prædicatum nullius sint capacia distinctionis; seu sumantur ex parte obiecti,rerúque ipsarũ,vt cernere est in hac propositione,*homo est animal rationale*,vbi res quæ prædicatur est essentia metaphysica eius quæ subiicitur,ac proinde ab ea prorsus indistincta:seu sumãtur ex parte actus,quia propositio illa est simplex,& indiuisibilis qualitas, adeoque actus quo subiicit,& actus, quo prædicat est penitus idem: quo ergo cunque modo spectetur ea distinctio subiecti, & prædicati, quid impossibile, & ens rationis est. Hoc etiam argumentum alterius loci est; Proinde dicendum est subiectum, & prædicatum fictè, & chimæricè non distingui, siue quia aprehensiones constitutiuæ

vtriusque

vtriusque realiter distinguuntur, siue quia, si propositio non est composita qualitas ex diuersis aprehensionibus alia subiecti. & alia prædicati denominatiua, quod de facto, vt aiunt, & prout res à Deo productæ sunt, longe probabilius est, sed potius indiuisibilis qualitas sit, quia inquam eius formalitates, quæ hominem v.g. & animal rationale repræsentant ratione distinguuntur, distinctio autem rationis merito, cuius vna formalitas ab alia abstrahitur nullam fictionem, nullum etiam mendacium inuoluit, vt c. præc. in transcursu exposuimus, alibi id latius prosequuturi.

62 Tertiò arguunt aliqui Recentiores nostri. Cum concipimus Deum in hac vita per species abstractiuas, & alienas, non ipsum immediatè, & proximè sed quoddam eius idolum fictitium apprehendimus non ob malitiam aut affectatam ignorantiam, sed ob tenuitatem nostri intellectus, & malignitatem lucis, qua nobis in hoc ergastulo constitutis Deus obuersatur: id ita esse suadet proportio cognitionis siue speciei expressæ cum specie impressa: hæc ergo cum sit abstractiua & aliena, non verò intuitiua, & propria Dei, talem etiam esse eius cognitionem & speciem expressam oportet. Atqui quando animal v. g. abstrahimus ab inferioribus, illudque vniuersale facimus, ipsum non aliter, ac Deum confusè, & imperfectè cognoscimus & non per species intuitiuas, & inferiorum proprias, sed alienas & abstractiuas, igitur tum non verum animal cognoscimus, sed fictitium animal, & quoddam animalis idolum adeóque ens rationis. Quamobrem vniuersale erit ens rationis, cum tamen haud dubie ad dialecticam formaliter pertineat, eique propriè obiiciatur.

63 Hoc quoque argumentum fusius suo loco proponetur, & exponetur: Interim dicendum tam Deum quam animal v.g. & quoduis vniuersale, penes semetipsa immediatè à nobis cognosci, & non in aliquo ente rationis, aut idolo fictitio, Quod autem vtriusque species dicantur alienæ, & non propriæ, non ideo est quia duntaxat aliud obiectum ab eis distinctum, non verò ipsa immediatè repræsentent, sed quia illa per similitudines, aut dissimilitudines aliarum rerum exprimant, Deum scilicet quatenus creaturæ quoad perfectiones ad eum accedunt, & quoad imperfectiones ab eo recedent; & animal quatenus inferiora quælibet ab eo inadæquatè distincta ei, & in eo sibi inuicem similia sunt: quandoquidem ergo nihil simile, aut dissimile alteri nisi perseipsum immediatè esse possit, vt in met. lib. 3. tract. 6. constabit, profecto quæ per species expressas, aut impressas alienas, ac prout similia, aut dissimilia alteri repræsentantur, ea immediatè, & in semetipsis, non verò in aliquo ente rationis, aut idolo fictitio exprimuntur, & cognoscuntur.

64 Arguunt nostri quartò. Eiusdem scientiæ est agere de modo sciendi reali, ac vero, & de fictitio, & chimærico: Logica autem agit formaliter de illo priori: ergo de hoc posteriori, atque adeo de ente rationis. Maior probatur: primò, quia contrariorum est eadem disciplina, vt est in communi paræmia: item secundò, quia eiusdem scientiæ est agere de fide, & infidelitate nempe Theologiæ; de virtute, & vitio quoad genus moris, videlicet scientiæ moralis: & de veritate, ac falsitate scilicet logicæ nostræ; ac de calore frigore, & cæteris qualitatibus primis inuicem contrariis, puta physicæ siue scientiæ naturalis: si quid ergò exempla conuincunt vnquam, vnius etiam eiusdémque scientiæ erit de modo sciendi reali, eóque qui rationis est tractationem instituere. Rursus tertiò, metaphysica quæ agit de ente reali vt sic hoc ipso agit etiam de ente rationis vt sic, siue in communi ei opposito, vti omnes fatentur; logica ergo agens de ente reali Dialectico, hoc ipso aget etiam de ente rationis Dialectico, ei opposito.

Arbitror propter hoc argumentum, satis probabile esse ens rationis formaliter obiici dialecticæ, 65
non quoad omnes eius actus sicut Thomistæ volunt, nec etiam quoad plerosque sed quoad aliquos, eósque paucos. Cæterum ne hoc quidem eo argumento conuincitur: quamobrem primò, illud hac ratione eneruo; si quicquam enim valeret, ens rationis foret obiectum formale omnium scientiarum; cum nulla sit in cuius materia aliquod ens rationis comminisci non possimus? quid namque est quod dialectica modum sciendi fictitium, & chimæricum potius quam musica v.g. sonos chimæricos, & imaginarios, similes eorum quos Pythagoras cælorum motibus attribuebat, aut potius quam mathematica triangulos, vel circulos fictitios sibi vendicet; Vnde secundò respondeo negata maiori argumenti; Ad primam eius probationem dicendum est, ens reale & rationis, nec in materia logicæ, nec in materia alterius scientiæ, contraria, aut etiam contradictoria ratione opponi, aliudque amplius non habere, præterquam distingui, seu diuersa esse: Hoc autem insufficiens esse, vt ad eandem scientiam spectent, alioqui homo, & angelus ad eandem scientiam attinerent. Quod autem ea entia contraria, aut contradictoria non sint, liquet, quoniam homo, v.g. fictus, & homo verus non sunt incompossibiles, sicuti ad veram oppositionem contrariam, aut contradictoriam oportet, quinimo simul esse possunt, ac debent, eo modo quo absolutè esse queunt? cum homo chimæricus non nisi à vero homine fingi possit. Quapropter vulgaris illa paræmia contrariorum eandem esse disciplinam, nec aduersariorum causam meliorem, nec nostram deteriorem facit: inficias enim imus ens reale, & rationis siue ens, & non ens, etsi de eodem enuntiari nequeant, propterea tamen in eodem instanti temporis incompossibilia esse, quod tamen ad eiusdem scientiæ communionem necessarium erat, sicut etiam homo & Angelus, etsi de eodem enuntiari non valeant, haud tamen cognitionem cum vnitate, & communione eiusdem scientiæ coniunctam obtinent.

Ad secundam probationem respondeo, idcirco eandem 66
scientiam esse de fide, & infidelitate; virtute, & vitio, &c. Quoniam hæc sunt formaliter incompossibilia, fierique nequit, vt idem sit simul fidelis & infidelis, peccans in aliqua materia, & simul in ea studiosè operans; rursus vt idemmet intellectus circa aliquod obiectum simul fallatur, ac verum assequatur, vtve idem subiectum physicum sit simul calidum frigidúmque in excellenti gradu: At verò modus realis, moduséque sciendi fictitius, ac chimæricus non sunt simul incompossibiles, vti exposuimus: vnde non est cur eadem Dialectica de eis differat. Ad tertiam probationem contrariam respondeo, metaphysicam non ob id agere de ente rationis: quia reali opponitur, vt communiter dici consueuit, sed quia non minus quam ens reale, imo multomagis quam illud, abstrahitur ab omni materia, ecquæ enim esse potest materia non entis, aut nihilo quidnam constet? abstractio autem ab omni materia est ratio formalis, sub qua metaphysica ex Philosophorum tendit arbitrio.

Quintò argumentantur nostri authores: Omnis 67
actus falsus efficit ens rationis, illudque essentialiter connotat; rem enim aliter quàm est in se repræsen-

tat; cum ergo res in se sit ens reale, provt obiectum actus falsi, & per eum exprimitur, nequit esse ens reale, adeóque debet esse ens rationis. Atqui Dialectica habet pro obiecto formali actus falsos, siquidem de syllogismo fallaci, & Sophistico disputat: habet ergo pro obiecto formali ens rationis, quo actus falsi constituuntur, aut (quod perinde est) quod ab eis extrinsece connotatur. Principiò, transeat omnem actum falsum connotare ens rationis, eóve etiam aliqua ex parte constitui; Hinc profecto illud tantum fiet, ens rationis esse obiectum Dialecticæ, provt subest actui falso, per quem cognoscitur, aut etiam efficitur: non vero pro formali, & seorsim à quauis denominatione extrinseca, quam accipiat: Hoc enim posterius est, quod negamus, non verò illud prius: quando namque superiùs diximus, res esse obiectum formale Dialecticæ, rerum nomine quidquid est genus, species, definitum, diuisum, aliove modo cognitum, siue sit ens reale, siue solius rationis intelleximus. Deinde secundo multis partibus verisimilius est, non omnem actum falsum connotare, aut respicere ens rationis, qui enim affirmat falso Petrum currere v. g. is cursum Petri non existentem, sed tamen possibilem, adeóque realem, & non chimæricum adstruit; hunc namque si adstrueret, siue enuntiaret, haudquaquam falleretur; verissimum etenim est cursum Petri chimæricum dari, dummodo currere affirmetur cursu illo commentitio, cuius esse est fingi, quive nonnisi per fictionem exercetur. Verum de his plura, cum lib. 10. sermo fuerit de essentiali, & accidentali veritate nostrorum actuũ.

68 Sextum argumentum; logica docet quatenus ex suppositione ficta, & impossibili arguendum vtiliter sit, eóque arguendi genere vtitur Concil. Flor. & aduersus Græcos infert spiritum sanctum, si per impossibile non procederet à filio, ab eo minimè distinctum iri; eodem etiam vtuntur PP. communiter, ex Dialecticis vtique fontibus hausto: Hæc enim illa tertia regula artis obligatoriæ quæ præcipit, ac statuit quatenus propositio aliqua, etiam impossibilis admittẽda sit, vt videre est apud Dominicum Sotum lib. vltimo summularum, de obligationibus lect. 1. §. *in secunda parte textus ponuntur septem regulæ, quibus ars obligatoria continetur*, & apud nostrum Casilium lib. 3. introductionis in logicam tractatu 2. cap. vltimo, aliosque innumeros Dialecticos, tum veteres, tum iuniores, qui de obligationibus disserunt. Quæ etiam pars Dialecticæ tradit, quando ex suppositione impossibili inutiliter arguitur, & ex ea sequitur vtrumque: negari ergo nequit, quin Dialectica ens fictum, & impossibile siue solius rationis tanquam obiectum formale respiciat. Verum hoc argumentum, ad summum probat, ens rationis esse materiam circa quam, & obiectum non omnium, aut etiam plerorumque, sed dumtaxat aliquorum actuum Dialecticæ. Rursus ne istud quidem conuincit, in eo sensu, qui modo vertitur in quæstionem: tantum enim probat suppositionem fictitiam, & impossibilem Dialectici muneris esse, quatenus subest actui, per quem assumitur, velut mediũ ad aliquid verum, ac possibile concludendum, qua ratione Conc. Flor. Græcos de processione Spiritus Sancti à filio, malè opinantes, sic paulóve aliter vrget: si Spiritus Sanctus per impossibile non procederet à filio, nõ distingueretur ab illo, atqui ab illo distinguitur, ergo ab eo procedit. Porrò autẽ quod ẽs rationis, & impossibile, provt subest nostris actibus, & rationẽ subiecti, prædicati medij, maioris aut minoris extremi aliamve similem induit, logicæ sit obiectum formale, nostræ doctrinæ non obest; imò contrarium ei haud consonat.

Septimum argumentum esto: Dialectica disputat, an ens rationis sit eius obiectum formale: at id à Dialectica in controuersiam reuocari nequit, quin ens rationis formaliter attingat, illudque veluti obiectum suum intueatur: alias dici posset plura alia ei non obiici, etiamsi in illa controuertantur. Sed hoc argumentum si quid conuinceret, non solum ens rationis Dialecticum, verum etiam omnia entia, tam realia, quam rationis, in communi, & in particulari futura essent obiectum formale Dialecticæ, cum de quouis ea disputare possit, an ad ipsam formaliter spectet? Ad hoc, argumenti formam labefacto: hæc consequentia est nulla, intellectus disputat, an aliud præter verum sit, aut esse possit eius obiectum? aliquid ergo præter verum est eius obiectum: similiter ergo hæc consequentia est nulla, logica disputat, an aliquid præter ens rationis sit eius obiectum, ergo ens rationis est eius obiectum. Præterea obiectum scientiæ duplex est, aliud positiuum de quo disputat an sit, quid sit, quale sit, quotuplex sit, quapropter sit, &c. aliud negatiuum, de quo solum scientia negat esse suum obiectum, & aliud de ipso non inquirit; De obiecto formali in hoc posteriori sensu, non est quæstio, & iuxta eum, ens rationis quadantenus est obiectum formale Dialecticæ, aliter verò se res habet in priori sensu, qui solus controuertitur. Rursus, quod Dialectica habeat pro obiecto ens rationis, quatenus in eo considerat denominationem extrinsecam obiecti, subiecti, aut aliam similem, eamve vltro citroque quærit atque, quod aiunt, in vtramque partem disputat, hoc inquam dumtaxat est, quod obiectio facta conuincit, si quid conuincit: à nobis tamen in dubium non reuocatur, sed velut certum, & exploratum habetur, vt sæpe sæpius monuimus. Quid? quod totum argumentum procedat de solo obiecto inadæquato Dialecticæ, eoque rarissimo, & vix moraliter considerabili.

Octauum argumentum esto. Dialectica definit 69
fictam, ac chimæricam definitionem, eamque ait esse, quæ constat genere, & differentia ficta: similiter diuisionem fictam, argumentationem, aliosque modos sciendi chimæricos explicat, ac definit; ens igitur rationis proprium fictumue intuetur. Antecedens suadetur; nam actus ille definitio ficta constat genere, & differentia ficta, alicuius scientiæ est, non alterius, quam dialecticæ, quæ nimirum sola ad genus, & differentiam, aliaque eiusce mo di descendit. Confirmatur: Tametsi voces nudè sumptæ, vel ad Grammaticam, vel ad Rethoricam, aut Poëticam spectent, dialectico tamen artificio illusæ, & ad rationem definitionis aliamue id genus contractæ, ad dialecticam attinent, eique formaliter, obiiciuntur; quocirca hic actus, *definitio vocalis, constat genere, & differentia vocali*, dialecticus est, vt superius fassi sumus. Quanquam ergo, ens rationis, fictumve, nudè, & in communi sumptum metaphysicæ sit, cæterum si definitionis, aut diuisionis speciem, & imaginem quandam præse ferat, atque ad eam contrahatur, hoc ipso ad logicam pertinebit; Vnde hic actus, definitio ficta constat genere, & differentia ficta, dialecticus erit, si quis alius.

Hoc argumentum id vitij habet quod paulò su- 70
prà in alio simili notauimus; scilicet quod ens rationis per omnes scientias longè latéque diffundat, cum nulla sit, quæ obiectum suum, velut impossibile considerare non possit, si illud velut tale considerat logica: cur enim hæc definitionem fictam v.g. explicet; & non etiam physica corpus naturale fictum, scientia animastica animam chimæricam, metaphysica Angelum commentitium; & mathematica

matica figuras imaginarias, & impossibiles! Quam ob rem Respondeo negatâ argumenti antecedente, & eius probatione: Hic enim actus definitio ficta constat genere, & differentia fictâ pertinet non ad logicam, sed ad metaphysicam: cuius rei gratia distingui debet duplex metaphysica, alia docens, vtens alia, illa generalia principia entis rationis formaliter considerat, hæc ea contrahit ad conceptus particulares, quemadmodum de logica vtente, & docente dici consueuit: proinde quemadmodum hic actus *definitio constat genere, & differentia* est logicæ docentis, & hic, *homo est animal rationale est definitio, constat genere, & differentia* est logicæ vtentis, ita similiter hic actus *ens fictum, & solius rationis est quod constat entitate fictâ* erit metaphysicæ docentis, hic vero actus *definitio ficta constat genere, & differentiâ fictâ*, erit metaphysicæ vtentis. Quod si instes metaphysicam ita agere de ente reali, vt sic, vt non descendat ad omnes eius species in particulari, proinde ita etiam eam agere debere de ente rationis vt sic, vt ad omnes eius species in quacumque materiâ particulari cum logicæ, tum etiam aliarum scientiarum non descendat, occurrendum est de speciebus entis realis physicam, mathematicam, aliásque scientias institutas esse, vnde non esse, quod metaphysica ab ente reali in communi ad eas omnes in particulari sumptas gradum deiiciat. Cæterum de speciebus entis rationis in particulari quauis materia nullas scientias institutas esse, ne in nihilo tota aliqua scientia insumatur, adeóque metaphysicam, quatenus vt ens est, eas omnes comprehendere. Quod attinet ad confirmationem argumenti, ea specioſior, quam solidior est, namque idcirco dialectica per aliquos actus suos definit, & explicat, quid sit definitio vocalis, quid diuisio, argumentatio, & quiuis alius modus sciendi vocalis, quoniam instituta est non solum ad mentaliter, sed etiam ad vocaliter definiendum, diuidendum, & argumentandum, sine iis enim adminiculis veritas, qui eius scopus est, nec disci, nec doceri potest: Ast logica non est instituta ad fictè, & chimæricè definiendum, diuidendum, aut argumentandum, proinde non est cur in iis explicandis, ac definiendis occupetur. Bene verum est eam distineri in explicandâ definitione, argumentatione, & quouis alio modo sciendi sophistico, ac fallaci, vt veri natura magis eluceſcat: Contrariorum enim eadem est disciplina, & contraria iuxta se posita magis innoteſcunt; cæterum definitio, aut argumentatio fallax non est ens rationis, sed ens verum, & reale, cum realis nostra cognitio in actus veros, & falsos diuidatur.

72 Postremum argumentum est: Dialectica per hunc actum suum *nequit eadem propositio esse simul vera & falsa*, necnon per hunc, *duæ contradictoriæ nequeunt esse simul veræ* attingit formaliter simultaneam vnitatem, & falsitatem eiusdem propositionis, necnon simultaneam veritatem duarum contradictoriarum; at simultanea veritas, & falsitas eiusdem propositionis: aut duarum contradictoriarum est quid impossibile, & ens rationis, igitur ens rationis est obiectum formale Dialecticæ. Maior probatur, hic actus, *homo nequit esse animal hinnibile*, attingit velut obiectum formale animal hinnibile: ergo hic actus dialecticus, *eadem propositio nequit esse simul vera, & falsa*, aut hic: *duæ contradictoriæ nequeunt esse simul veræ, falsæue* simultaneam veritatem, ac falsitatem eiusdem propositionis, aut plurium tanquam obiectum formale intuebuntur: vtriusque autem ratio à priori est, quia quod negatur eò ipso immediatè, & formaliter respicitur. Idem argumentum in aliis actibus dialecticis fieri posset, si vacaret. Propter hoc vltimum argumentum mihi semper verisimile fuit, ac modo etiam est, ens rationis esse obiectum formale inadæquatum dialecticæ, in sensu tamen longè diuerso, ab eo, quem Thomistæ intendunt. Deinde aio, hoc tantum concludi eo argumento, ens rationis esse obiectum formale dialecticæ, non quod ipsa affirmet, sed quod neget; non quod fingat, sed quod fictum destruat, & vere, atque absque vlla fictione cognoscat, quod præter controuersiam præsentem est.

CAPVT IX.

An, aut quatenus medium aliquod positiuum inter ens reale, & rationis sit obiectum formale dialecticæ?

DImittamus cum bona gratia fautores entis rationis, & eorum sententiam in examen reuocemus, qui medium aliquod positiuum inter ens rationis, & quoduis ens reale Dialecticæ formaliter obiiciunt. Hi sunt aliqui Scotistæ, huic fundamento potissimum innixi: esse generis, speciei, subiecti, prædicati definiti, diuisi, aliove quouis modo cogniti est obiectum formale, saltem inadæquatum Dialecticæ: at huiusmodi esse non est vllum ens reale, etiam per accidens, neque etiam ens rationis fictum, ac rigorosum; sed potius vtrinque medium interiacet. Primò quia id tuetur Scotus in primum dist. 36. q. vnica his verbis. *Ad secundum dico, quod productio ista* (puta rei in esse cogniti) *est in esse alterius rationis ab omni esse simpliciter; & non est relationis tantum, sed etiam fundamenti absoluti. Non quidem secundum esse essentiæ, vel existentiæ, quod est verum esse, sed secundum esse diminutum, quod esse est esse secundum quid etiam entis absoluti: quod tamen ens absolutum secundum istud esse diminutum concomitatur relatio rationis.* Ecce Scotus ait esse cogniti, quod diminutum vocat, nec esse verum aliquod esse essentiæ, vel existentiæ, nec etiam aliquam enritatem, seu relationem rationis, sed potius hanc illud solum concomitari. Secundò, quia Deus tribuit hoc esse cogniti rebus omnibus, quas ab æterno, atque ante nascentis originem mundi cognouit, vt etiam Scotus loco proximè citato docet, ac probat exemplo voliti, esse enim voliti rebus ab æterno conueniens, cum contingens sit, ab aliquo, atque adeo à Deo tribuitur & producitur, tale igitur esse cogniti nequit esse ens rationis fictum, cum Deus nullius figmenti auctor sit, nec etiam ens reale, cum Deus nullum ens verum & reale ab æterno produxerit. 73

Tertiò, quoniam eiusmodi esse cogniti, quod tenue, ac diminutũ appellant, tribuitur à cognitione vera, quandoquidem hæc obiectum suum cognitum denominat: sed ens rationis fictum solius cognitionis falsæ non veræ effectus esse potest, tale igitur esse non debet, saltem semper esse ens rationis commentitium, ac strictum, quo de agitur. Rursus nequit esse ens reale, si quod enim esse reale haberet, maximè esse cognitionis, & rei cognitæ, vnde coalescit, harum autem esse formaliter, ac per identitatem non sortitur, sed veluti efficienter, & principiatiue, vt Scotus ait, dicta distinct. & quæst. his verbis; *etsi velis quærere aliquod esse verum huius obiecti vt sic, nullum est quærere, nisi secundum quid, nisi dicatur, quod istud esse secundum quid reducitur ad aliquod esse simpliciter, quod est esse ipsius intelle-* 74

ctionis, sed istud esse simpliciter non est esse formaliter eius, quod dicitur esse secundum quid, sed est eius principatiuè, vel terminatiuè, ita quod ad istud verum esse illud esse secundùm quid reducitur, ita quod sine isto vero esse istius, non esset illius esse secundum quid. Huius autem Scoticæ doctrinæ ratio colligitur, cum ex ipso Scoto variis in locis, tum etiam ex Theodoro Smisingo tractatu 3. de Deo, disp. 2 à num. 183. quoniam omne totum realiter distinguitur à suis partibus: atqui esse cogniti est quoddam totum resultans ex cognitione & re cognita veluti partibus quibusdam per accidens: ab eis ergo realiter distinguitur; adeoque nullam ab eis entitatem realem sibi intrinsecam, atque identicam haurit.

75 Item quarto suadetur idem assumptum. Etenim actus nostri intellectus dicuntur communiter ferri, ac tendere in res extrarias quas dignoscunt, atqui non penes suum esse reale, ac vitale; quoad hoc namque sunt immanentes, & neutiquam transeuntes. tendunt igitur ac feruntur in obiecta sua secundùm aliquod esse diminutum, quod in ea refundant atque in illis intrinsecè suscipi efficiant. Huiusmodi porro esse cogniti, vt aiunt, rebus intrinsecum, ac subiectiuè inhærens, non est ens rationis, cum hoc nullibi sit subiectiuè, sed tantum habeat esse obiectiue in intellectu, vt vulgo definitur, non etiam est ens reale Deus enim a nobis denominatur cognitus, nihil tamen reale intrinsecum ei denuò assumus, aliàs, vicissitudo nostrorum actuum, quæ nos quouis fermè momento mutat, Deo etiam aliquam mutationem importaret. Quæ etiam non existunt, & quæ simpliciter esse quoque repugnant, ea à nobis fiunt cognita, nullum tamen ens verum, & reale à nostris actibus in eiusmodi obiecta expullulat, aliàs quod non est, aliquod tamen verum ac reale esse reciperet, ac paries v.g. non existens albus tamen esse sustineret.

76 Et quidem Sotus q. 3. de vniuersal. art. 1. dub. 2. & Auersa q. 5. log sect. 7. parum ab initio, referunt Scotistas in ea esse sententia, vt existiment suum illud ens diminutum esse subiectiuè in rebus cognitis: quod tamen aiunt, tale enticulum ac semireculam iuxtâ Scostitas esse ens rationis, id parum considerate dictum arbitror; Scotus enim, & eius asseclæ, quibuscum modo cernimus, eiusmodi esse debile, ac tenue medium inter ens reale & rationis, ac neutrius generis cõtendunt; vt ex verbis Scoti nuper relatis, & argumentis ab eo insinuatis manifestum est, vtque sapienter notat P. Suarez disp. 54. metaphys. s. 2. num. 7. asserens esse cognitum creaturis etiam ab æterno conueniens, haud esse reale esse essentiæ, aut existentiæ, haud etiam esse relationem rationis, in sententia Scoti, sed aliud esse diminutum quod in vtriusque medio, & veluti confinio relinquit, quin, vnquam declaret *an sit dicendum reale, vel rationis.*

77 Quinta ac postrema eiusdem assumpti probatio esse potest. Carentiæ rerum alioqui possibilium non sunt entia rationis ficta, cum seorsim ab omni fictione, aut etiam cogitatione nostra, tenebræ v.g. inumbrent: haud etiam sunt entia vera, ac realia; cum hæc nulla fuerint ab æterno, fuerint verò innumeræ rerum carentiæ, tot nimirum, quot rerum genera noluit iam tum Deus moliri: Eiusmodi ergo carentiæ rerum sunt media quædam negatiua inter entia realia, ac solius rationis, quo pacto de eis philosophatur P. Suarez disp. 54. metaph. sect. 5. num. 5. & alibi sæpè. Quid ergo vetat, dari medium aliquod etiam positiuum inter ens reale, quod illud cunque sit, & ens rationis fictitium, videlicet esse cognitum, quod esse diminutum ac debile appellant. Vbi autem semel admittatur, vt hæc ratio ac præcedentes contendunt, illud esse obiectum formale dialecticæ, nemo fermè sit qui non fateatur.

Cæterum propius vero est, esse cognitum non 78
esse medium quoddam positiuum inter omne ens reale, & ens rationis, sed potius esse ens reale non per se, sed per accidens, non in singulari, sed in plurali, hoc est esse cumulum quẽdam plurium entium, cognitionis scilicet, & rei cognitæ, & eas quidem sed præter eas nihil aliud complecti: Argumenta vero contraria tanti non sunt, vt contrarium persuadeãt, eorumque impugnatione, nisi fallor, aperte constabit falsitas sententiæ, quam propugnant. Principio quod attinet ad Scotum, cuius auctoritatem merito suspiciunt eius asseclæ, in præsentiarum eis parum fauet, namque solum docet esse cognitum, inter ens simpliciter sumptum, & ens rationis medium esse: Hoc autem non obstat quominus sit ens reale per accidens, siue in plurali, de quo inferius ostendam non esse simpliciter, sed secundum quid ens: Quod si Scotus aliud sentit, reiiciendus.

Occasione secundi argumenti Caietanus, & alij 79
Thomistæ 1. p. q. 14. art. 5. multa congerunt aduersus Scotum, quasi ille, fide quidem refragante, censuerit illud esse cognitum esse aliquod verum, & reale esse distinctum à Deo, ab eoque tota iam olim æternitate productum, ac rebus, quas semper cognouit, hoc ipso semper communicatum. Cæterum frustrà dissecantur contra subtilem doctorem, qui profecto id tantum voluit, docuitque, Deum ab æterno quodammodo produxisse esse aliquod diminutum, & secundum quid, merito cuius creaturæ omnes cognitæ denominentur: Huiusce modi autem esse diminutum à Deo distinctum, & quodam modo productum, fidei nostræ haud magis repugnat, quam carentiæ rerum, quæ iuxta plures Thomistas, & alios auctores innumeros suum habent esse diminutum ab æterno, non sine dependentia à Deo, penes quem erat potestas, & arbitrium faciendi vt non eæ, sed res oppositæ æternùm extitissent. Quod si vt alij censent non potuere impediri à Deo, iam id longè difficilius est; quam quod Scotus de suo esse cognito, contingenti quidem, & à Deo pendulo tradit. Missis ergo censuris probabilius est Deum tale esse obiectiuum, siue cognitum non produxisse ab æterno, etiam secũdum quid, nulla enim talis productionis, nulla termini diminuti, ac debilis per eam producti necessitas, vel vtilitas namque vt creaturæ dicantur æternùm cognitæ abunde est vera, ac realis cognitio, qua Deus eas semper cognoscens dicitur. Equidem vtriusque denominationis non diuersam, sed eandem realiter formam esse, nempe, vt dixi, cognitionem immanentem Dei, superiùs cap. 6. latè ostensum manet, vt id impræsentiarum repeti non oporteat. Quocirca fatemur esse cognitum, aut volitum productum fuisse ab æterno, secundum quid vtique, non tamen esse cognitum, aut volitum, quale aduersarij fingunt, sed quale ipsi hactenus posuimus: hoc enim idcirco secundum quid censetur ab æterno productum, quoniam cognitio, & volitio libera Dei ab æterno productæ secundum quid fuere quantumcumque entia à se.

Quod ad tertium argumentum spectat, si esse 80
cognitum distingueretur realiter à cognitione, & re cognitâ, ex quibus veluti partibus resultat, bene quidem inde fieret etiam esse ens quoddam diminutum medium inter reale, & fictum: Cæterum quod nec eiusmodi totum, nec vllum aliud per accidens à suis partibus realiter distinguatur multis

partibus

partibus probabilius est, & à nobis in physica ex professo demonstrabitur. Interim sufficiant quæ supra aduersus Thomistas disseruimus, ea enim meo iudicio manifestè ostendunt, esse cognitum non distingui à cognitione, & re ei subiectâ, & nisi illas nihil aliud complecti.

81 Quartum argumentum sententiæ Scoticæ difficultatem potius quam probabilitatem conciliat: id enim contendit ex actibus nostris aliquid refluere in obiecta cognita, quod eis intrinsecè inhæreat. Quam vero absonum, imo etiam ridiculum hoc sit, pleraque decursu capitis sexti satis manifestant. Quintum argumentum haud magis premit, concesso enim eius antecedenti, consequentia nulla prorsus est: nam dari medium aliquod negatiuum inter omne ens reale, & rationis, nimirum carentias rerum absque vlla fictione æternas, vel ipsa ratio in argumento adducta ostendit, vt alias in metaphysica adducendas prætermittam: Cæterum nulla ratio afferri potest, quam propter admittendum sit medium illud positiuum inter quoduis ens reale, & rationis: reiiciendum igitur est, ne saltem multiplicentur entitates sine necessitate, aduersus quàm omnes philosophi opinantur. Quam ob rem, licet prædictam Scotistarum opinionem hunc in modum refellere, & quæ latius dicta sunt veluti in summam redigere: si daretur illud esse diminutum inter omne ens reale, & rationis medium, beneficio cuius res omnis dicatur cognita, per aliam formam intellectus cognosceret, & obiecta essent cognita; item redundaret aliquid ex actibus nostris in obiecta cognita eis intrinsecum: plurificarentur itidem entitates sine necessitate. Hæc autem absurda sunt, ergo & illud vnde sequuntur.

CAPVT X.

Superioris instituti prosequutio, & aliqualis Scoti defensio.

82 NOn obstant, quæ superiori capite disseruimus aduersus Scotistas, quominus medium aliquod positiuum inter omne ens reale simpliciter, ac propriè sumptum, & ens rationis fictum admittamus, atque eiusmodi medium Dialecticæ formale obiectum esse tueamur. Huius placiti explicatio, & probatio sit ista, quæ sequitur: Relatio siue denominatio extrinseca cogniti genericè, specificè, alitérve, in cognitione, & eius subiecto, circumscripto quouis alio, consistens, tametsi sit ens reale per accidens, siue in plurali, vt cap. præcedenti fusè ostensum manet; Cæterum non est ens reale simpliciter, ac propriè, nec etiam est ens rationis fictum; talis autem relatio, siue denominatio est obiectum formale dialecticæ; aliquod ergo medium inter ens reale simpliciter sumptum, & ens rationis, quod neutrum quidem sit, Dialecticæ formaliter obiicitur. Minor argumenti ex dictis hoc tractatu constat: Maior etiam, quoad secundam eius partem: nam si cognitio suaptè natura vera, & realis, obiectum etiam absque vlla fictione, aut falsitate cognoscat, intelligi quidem nequit, quo iure, pactove denominatio cogniti, tum præsertim sit ens rationis fictum.

83 Quod autem denominatio illa cogniti non sit simpliciter ens reale, quæ erat prior maioris pars, hunc in modum suadetur; vt complexum aliquod sit simpliciter, & propriè ens reale, extrema illius debent verè, & propriè vniri, sed cognitio, & eius obiectum non vniuntur vera, & propria vnione, sed dumtaxat intentionali, adeóque impropria, & metaphorica, vt aduersus multos Thomistas nostri merito tuentur, complexum igitur cognitionis, & rei cognitæ, siue quod recidit in idem, denominatio, ac relatio cogniti simpliciter, & propriè ens reale non est. Proxima maior probatur; tum quia reale non solum extremis, verum etiam eorum vnione, vel identitate constat; at quando extrema non sunt realia, sed ficta, complexum eorum nequit esse simpliciter ens reale: si quando ergo vnio extremorum realium realis, ac vera non fuerit, complexum etiam gradum entis realis simpliciter, ac propriè sumpti neutiquam obtinebit. Tum etiam, quia complexum siue aggregatum subiecti veræ albedinis, & fictæ vtrinque vnionis non est simpliciter ens reale, nec vera denominatio albi, aliàs ad dealbandum parietem sufficeret, si vnionem albedinis alibi existentis cum eo tamen fingerem: at non alia de causa id euenit, nisi quia vnio vera, & realis non est. tum denique, quia Hircoceruus v.g. simpliciter, & propriè ens reale non est, præcisè, quoniam vnio, & identitas, qua hircus, & ceruus in eandem substantiam coalescunt, nec vera est, nec realis, estò extrema vera, & realia citra dubium sint.

Argumento secundo ad homines, vt aiunt. Complexio, siue aggregatio actus liberi creati, & diuinæ prohibitionis, non est proprie ens reale; hoc enim semper comitatur aliqua perfectio, & bonitas; eiusmodi autem complexio, siue denominatio prohibiti à Deo, non est perfectio, aut bonitas simpliciter sumpta, vt pote, quæ nullatenus est amabilis à Deo, qui si amaret actum liberum creatum, à seprohibitum, aliquid vtique moraliter malum amore prosequeretur, quod tamen nefas. Item talis complexio diuinæ prohibitionis, & actus prohibiti non est ens rationis fictum; igitur inter hoc, & ens reale simpliciter sumptum media est, & vtrinque interiacet; similiter ergo complexio eiusdem actus creati, & diuinæ seu creatæ cognitionis, eum cognitum denominans, quatenus ita eum denominat non est simpliciter ens reale, neque etiam simpliciter ens rationis, sed inter vtrumque media. Quod autem de denominatione prohibiti à Deo actum liberum creatum afficiente assumpsimus, doctrina est aliquorum Theologorum, ea ratione explicantium, quænam sit malitia peccati, & quatenus cum bonitate singularum eius partium cohæreat, totum ipsum peccatum, omnis bonitatis expers esse. 84

Quod si quis respondeat, id interesse inter actum liberum à Deo prohibitum, & eundem à Deo vel etiam creatura cognitum, quod prior denominatio à Deo amabilis non sit, imò summè detestabilis, Deus enim actum liberum à se prohibitum, si vellet illicò peccatum amaret, & intenderet, vt dictum est, posterior verò denominatio, à Deo amabilis sit: Proinde illa bonitate, & consequenter entitate, ac realitate destituta est, hæc vero, vti bonitate, sic etiam entitate, & realitate prædita erit. Quod si quis, inquam, hoc respondeat, poterit non ægrè refelli: primò, quia non minus vnitas, quam bonitas entitatem, velut eius proprietas consequitur; denominatio autem prohibiti, siue prohibitum, quatenus prohibitum est, defectu bonitatis, siue amabilitatis non est simpliciter ens reale, sicuti conceditur; simili ergo modo, ac pari iure denominatio cogniti, siue cognitum quatenus cognitum est neutiquam erit ens reale, si propriè loquamur, si non defectu bonitatis, at defectu vnitatis, 85

quem supra probatum reliquimus. Rursus si quod multi tuentur, & in præsens supponi debet, & etiam solet disputandi gratia, si inquam cognitio, & volitio Dei, virtualiter intrinsecè non distinguantur, profectò in actu à Deo simul prohibito, & cognito, esse prohibitum, & esse cognitum virtualiter indistincta erunt: actus enim Dei prohibens, & actus cognoscens non distinguuntur, quanquam alter ad diuinam voluntatem, alter ad eius intellectum attineat: obiectum etiam vtriusque actus, nempe actus creatus est omninò idem; vtriusque ergo complexi, scilicet cogniti, & prohibiti, singulæ partes singulis collatæ, sunt omninò indistinctæ, vtrumque ergo complexum erit omninò idem, atque indistinctum; vel vtrumque igitur erit ens reale, vel neutrum; non vtrumque, vt admittitur, ergo neutrum.

86 Obiicies tamen primo: obiectum dicitur realiter cognitum: denominatio ergo, siue relatio cogniti, simpliciter ens reale est. Respondeo vt obiectum dicatur realiter cognitum, abunde est, si esse cognitum sit ens reale per accidens, tale autem esse non diffitemur: Item satis, superque est, vt constituatur intrinsecè per formam realem, nempe cognitionem intellectui immanentem, ita autem constitui sæpe sæpius docuimus. Rursus secundò Respondeo, eo argumento ne probari esse cognitum esse ens reale per accidens, formave reali intrinsecè constitui: Res enim dici potest realiter cognita, (nisi aliunde obstet) hoc solo quod cõnotet ens reale videlicet cognitionem, vnde exoritur, quin necessum sit, vt ipsa denominatio cogniti, intrinsecè, & essentialiter sit ens reale, haud aliter, ac res dicitur destrui realiter, non quod destructio sit ens reale, etiam per accidens, sed quod sit destructio entis realis, illudque connotet, & ab esse ad non esse transferat. Hinc tamen non fit; hunc actum, *homo est animal rationale*, dici posse realem definitionem, etiamsi in se sit ens rationis pro formali, & non ens reale, nimirum quia connotat, & explicat veram, ac realem essentiam hominis contra quam superius aduersus Thomistas arguebamus, namque realis cognitio definiens ens rationis est vera, & realis definitio; at non quia connotat, aut explicat ens reale: ergo quia ipsa in se est ens reale; idem igitur de definitione hominis, & quauis alia dicendum.

87 Obiicies secundò: inter esse, & non esse quærere medium est, quod aiunt, nodum in scirpo quærere, cum nihil videatur exploratius, quam eiusmodi medium prorsus repugnare, & esse, ac non esse immediata esse: atqui ens reale simpliciter sumptum est esse, & ens rationis fictum non esse; fieri ergo nequit, vt esse cognitum genericè, specificè, aliove quouis modo dialectico, neque sit ens reale simpliciter, neque ens rationis fictum; sed vtrimque medium, quodque ad neutrum extremum deflectat.

88 Sed hoc argumento, si cuius est momenti, fiet vtique carentiam cuiusuis rei, haud esse medium inter ens reale simpliciter, & ens rationis fictum, quo nihil fingi potest magis absurdum. Deinde, vt alias instantias omittam, præcisè respondeo inter esse simpliciter, & non esse simpliciter nullum interiici medium, vti argumentum rectè supponit; hinc tamen haud scite inferri ens reale proprium, & ens rationis fictum immediata esse: quamobrem, etsi esse cognitum nequeat esse medium inter esse simpliciter, & non esse simpliciter, sed potius habeat non esse simpliciter, vt è vestigio ostendam, nihilominus inde non efficitur, quod inter ens reale propriũ, propriumque, ac fictitium ens rationis medium esse nequeat. Porrò autem ex hoc, quod esse, & non esse simpliciter sint immediata, eandem immediationem non sequi inter ens reale propriè, ac simpliciter tale, & ens rationis commentitium, argumento quidem ex diametro contrario suaderi potest; nam id, quo aduersarij vtuntur perperam assumit *non esse simpliciter* claudi carceribus solius entis ficti, quasi præter hoc aliud nihil habeat non esse simpliciter; oppositum etenim verius est, vt patet cum in carentiis rerum, tum etiam quodammodo in differentiis entis, tum denique in quouis ente reali per accidens: huiusmodi namque ens, cum non sit vnum, sed multa, non tam ens est, quam entia, adeóque non est ens simpliciter, sed dumtaxat secundum quid, vti liquida ratione tradunt B. Thom. 1. part. quæst. 11. art. 1. ad 2. Caietanus, & alij Thomistæ ibidem: Item P. Suarez 1. metaph. disp. 4. sect. 4. & cum eo nostrorum innumeri. Quapropter quando esse cognitum est ens per accidens, & entium cumulus quidam, haud erit simpliciter ens, sed simpliciter non ens, ac proinde quam rationem medij non obtinet inter esse, & non esse simpliciter, eam tamen inter ens reale proprium, propriúmque ens rationis adipiscitur.

Obiicies tertiò, relatio prædicamentalis, est relatio realis, adeóque simpliciter est ens reale: nihilominus est ens per accidens, & in fundamento, & termino inuicem extrinsecis, & realiter inunitis, realiter consistit: quamquam ergo esse cognitum sit ens per accidens, erit tamen simpliciter ens reale. Confirmatur, quoniam relatio cogniti, siue sciti non minus quam relatio scibilis est relatio prædicamentalis tertij generis, hæc ergo cum sit relatio realis, talis etiam erit vtraque illa denominatio, ac proinde ens reale. Respondeo, relationem prædicamentalem esse relationem realem propter id, quod à parte rei existit absque vlla fictione, aut etiam cogitatione nostra: hoc autem pacto vt existat, necesse non est vt sit ens reale per se, & simpliciter, sed per accidens, & se undum quid. Hinc ad confirmationem liquet. 89

Obiicies quartò, habitus nempe esse vestitum, armatum, aut calceatum est simpliciter ens reale, ergo & esse cognitum; quid enim magis habet vna denominatio, quam alia, quando vtraque est per accidens neque non extrinseca, haud enim indumenta nostra nobis vniuntur, sed tantum nos exterius circumstant. Quod autem habitus sit simpliciter ens reale claret, quoniam ens reale simpliciter sumptum dissecatur in decem prædicamenta, quorum vnum est habitus. Confirmabis hinc superiorem obiectionem; nam relatio est prædicamentum, vnum vtique è decem in quæ ens simpliciter sumptum diuiditur: tale ergò est relatio, & non ens per accidens, & secundum quid, vti superius diximus. 90

Prima huius argumenti responsio est, non ens simpliciter sumptum diuidi in decem prima genera, sed ens latius sumptum, & provt abstrahit ab ente simpliciter, & secundum quid; per se, & per accidens. Quod enim hæc abstractio sit possibilis, vsque adeo verum est, vt iuxta dicenda in metaph. lib. 5. tract. 2. cap. 8. ab ente reali, & solius rationis, ac fictitio vna quædam entis ratio abstrahatur. Verum, ne hinc præsens resolutio pendeat, dicito si lubet, secundo: diuisionem entis in decem prædicamenta, esse non prout abstrahit ab ente simpliciter, & secundum quid, sed prout vtrumque æquiuocè, & vagè complectitur; Cum enim iuxta plerosque ea diuisio non sit generis, & iuxta multos neque rationis vniuocæ; quid vetat eam esse æquiuocam, & disiunctam, vt dictum est, ac tantum esse analogam aut vniuocam, quando ens reale magis contractè & propriè sumitur, atque ita sumptum cum nonnullis solum prædicamen

dicamentis conferatur? Tertia ac postrema argumenti responsio esto, ens simpliciter sumptum præfatæ diuisionis diuisum esse; cæterùm per aliqua prædicamenta propriè, & per alia improprie diuidi, quia licet omnia, & singula dicantur entia simpliciter, ea tamen locutio est impropria, nec metaphora caret. Hinc ad confirmationem constat.

91 Obiicies quinto, Deus visus est vltima beatitudo, ac fælicitas nostra; aut ergo ea denominatio visi est ens reale simpliciter, & sic quoduis aliud esse cognitum erit simpliciter ens reale, tametsi non in gradu adeò excellenti, nostræ enim rationes quibus oppositum contendimus in quouis esse cognito parem habent vim, si quam habent; aut eiusmodi denominatio visi non est simpliciter ens reale, atque ita nostra vltima fælicitas non erit ens reale simpliciter, sed inter illud, & ens rationis fictitium media intererit, quin ad alterum magis quam alterum accedat. Tanti ergo non fuit, ex nihilo nos fecisse Deum, si ferme propter nihilum nos fecit, & nonnisi hunc finem tot nostris laboribus, tot sollicitudinibus proposuit; Quod autem Deum esse visum ferme nihilum vocetur, quid mirum, si non est ens reale, sed duntaxat entis vmbra, ac tenue quoddam crepusculum quod inter esse, & non esse sublucet?

92 Respondeo beatitudinem nostram duplicem esse, aliam obiectiuam, scilicet Deum ipsum; aliam formalem, nempe eius visionem: quas rectè distinxit Boëtius 3.

Tu requies tranquilla piis: te cernere finis,
Principium, rector, dux, semita, terminus idem.

Vtramlibet autem esse ens reale simpliciter, cum neutra in aggregatione vlla per accidens consistat. Cæterum vtramque beatitudinem tam obiectiuam quam formalem ei extrinsecam & inunitam, collectim sumptas, haud esse ens reale simpliciter, sed ens per accidens, & secundum quid: Hoc autem posterius tametsi ita se habeat, illud tamen prius sufficit vt propè nihilum non dicatur votorum nostrorum summa, laborum omnium meta, ac finis vltimus, ad quem aspiramus. Quin etiam, etsi singula fælicitas nostra esset ens solum per accidens, & non tam ens, quam entium cumulus quidam, haud tamen idcircò dici deberet propè nihilum; hoc enim distinguitur non solum contra ens per se, ac simpliciter, sed etiam aduersus ens per accidens, & secundum quid; & è contrario, quod continet plura entia, eorumve quandam aggregationem, id à nihilo longa interstitione dissidet.

93 Tandem quibus probari solet, differentias entis esse simpliciter ens nõ tãtùm in sensu reali, sed etiã in sensu formali, ea etiã pari momento videntur probare denominationem extrinsecam cogniti esse simpliciter ens reale, quoad verum aliquem sensum, quamobrem hæc potest esse sexta ac postrema obiectio, aut potius obiectionum siluula aduersus nostram sententiam: quæ tamen nec admoueri, nec à moueri, nec strui, nec destrui potest, donec in metaphysica de transcendentia entis, & rationum communium agamus. Et hactenus de medio inter ens reale, & rationis, quod fortassis prout à nobis explicatum voluit Scotus; semper enim ens reale simpliciter & ens rationis extrema inuentæ à se medietatis assignat: locum ergo relinquit, vt aggregatio cognitionis, & rei in quam fertur, sit esse medium & diminutum, quo de loquitur: quod autem ait hoc esse cognitum ac tenue principiatiuè tantum, non verò formaliter siue essentialiter esse intellectionẽ, cognitiouemvè, adeoque ab ea distingui, intelligendum est non de distinctione adequata, sed de inadæquata quam nos vltrò fatemur. Qui illud etiam adiiciendum ducimus, hucusque disputata de medio inter ens reale & rationis intelligenda esse, iuxta vtriusque significationem magis vsitatam ac familiarem: cæterùm interdum significare vtrumque ens apud sanctos Patres & Philosophos, præsertim antiquiores: ens nimirum reale, id quod est incommutabiliter, & necessariò: & ens rationis, siue non ens ex aduerso, id quod nullo modo est: quamobrem hoc pacto omnis creatura medium erit inter ens & non ens: quippè quæ nec est incommutabiliter, nec etiam non est omnimodis, sed potius simul est & non est: est commutabiliter, & ex contingenti: non est incõmutabili & necessario modo. Atque ita dixit Plato Dial. 5. de Republica: *si quid autem ita se habet, vt sit & non sit, nonnè medium erit, inter id quod est omninò, & id quod nullo modo est?* Et paulò infra: *si quid appareret tale, vt simul esset & non esset, illud interverè ens & omnino non ens esset ponendum.* Et postea: *illud itaque nobis, vt arbitror, restat inueniendum, quod vtriusque sit particeps, ipsius scilicet esse & non esse, neutrumque illorum sincerè dici debeat.* Ac tandem paucis intercisis: *inuenimus igitur, vt videtur, quod multa illa quæ multis pulchra, aut alia quoque modo existimantur, media inter omnino ens, & omninò non ens voluuntur.*

TRACTATVS II.

De obiecto attributionis Dialecticæ.

CAPVT I.

Veritatem actuum intellectus esse obiectum attributionis dialecticæ, authoritate probatur.

ANte aliorum sententias quid ipse sentiam in medium profero, ac statuo obiectum attributionis dialecticæ, & finem intrinsecum in quem tota refertur, esse veritatem actuum intellectus, eorumque conformitatem cum obiecto, qua hoc ita se habet quemadmodum ab iis repræsentatur. Quamuis autem Scotistæ, Thomistæ, Nominales & reliqui scholastici præsertim à Magistri temporibus, huius sententiæ ne meminerint quidem, ea tamen antiquiores habet patronos. Illam sequitur Aristoteles. 1. topic. c. 2. vtilitatem dialecticæ commendans, *eo quod per eam potentes ad vtraque dubitare, facile in singulis intuebimur verum & falsum*; vbi discretionem veri à falso finem & subiectum dialecticæ esse haudleuiter insinuat. Illam etiam sequitur magister Aristotelis Plato in Menone ibi: *decet profecto mitius & magis dialectico more respondere: est autem magis dialecticum non modo verum proferre sed iis illud rationibus approbare, quas & ille qui rogat nosse se profitetur.* & in Parmenide, *Cæterum collige te ipsum diligentiusque te in ea facultate exerce*, (nempe dialectica) *quæ inutilis esse videtur multis, & quædam garrulitas nuncupatur, dum inuenis es, alioquin te veritas fugiet.* Ecce quatenus veritatem dialecticæ finem & subiectum præstituat. Idem docet in Philebo: cum enim Protarchus duceret, rhetoricam videri præstantiorem dialectica

Dialectica siue arte differendi, idque Gorgiam censuisse, vtrumque refellit atque impugnat Plato, siue quod perinde est Socrates eius personam gerens hisce verbis; *non ego ô amice Protarche, quæ ars aut scientia eo antecellat, quod maxima potissimáque & vtilissima omnium sit, ex te quæsiui, sed quæ perspicuum sincerum verissimumque contempletur, quamuis parua sit, ac minimè vtilis; hoc profectò est quod modo quærimus. At vide: nihil enim Gorgiam lacesses, si eius arti vtilitatis laudem præstantiamque concedas, ei verò quam ipse modo narraui facultati, veritatis præcellentiam tribuas, quemadmodum supra de albo dixeram, quod licet paruum si tamen purum esset, multo impuroque secundum veritatis excessum præstaret. Et nunc quidem sufficienter his discussis, ne respiciamus in alias disciplinarum vel commendationes vel commoda, sed si qua ex natura sua vis animi veritatis est amans, eiusque gratia cuncta peragit, hanc dicamus puritate mentis & sapientiæ perscrutari, considerandum à differendi scientia maximè an ab alia hac præstantiori acquiri videatur?* ac tandem his rationibus sibi propositis conuictum se fatetur Protarchus & sic respondet; *considero equidem, concedoque difficile inueniri posse aliam vel artem vel scientiam, quæ sibi magis vindicet veritatem*: Quid hoc illustrius in confirmationem nostræ sententiæ. Propter hæc & alia similia testimonia de Platone hæc dicit Augustinus lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 4. *Socrates in actiua excelluisse memoratur: Pythagoras verò magis contemplatiua quibus potuit intelligentiæ viribus instituisse. Proinde Plato vtrumque iungendo, philosophiam perfeciisse laudatur, quam in tres partes distribuit, vnam moralem quæ maximè in actione versatur, alteram naturalem, quæ contemplationi deputata est, tertiam rationalem qua verum discerminatur à falso*, en Plato iuxta Augustinum Rationalis siue Dialecticæ non aliud subiectum finemque, quam veritatem præfigit.

Quam nobiscum sententiam Plato, eam etiam eius studiosissimus Cicero sequitur lib. 3. de fin. bonorum, in hæc verba; ad eas virtutes, de quibus disputatum est, *Dialecticam etiam Stoici adiungunt & physicam, easque ambas virtutum nomine appellant: alteram, quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur, neve vnquam captiosa probabilitate fallamur, eaque quæ de bonis & malis diceremus tenere tueriue possimus; nam sine hac arte quemuis arbitramur à vero abduci fallique posse. Rectè igitur, si omnibus in rebus temeritas ignoratioque vitiosa est, ab his ea quæ tollit hæc virtus nominata est: physica quoque, non sine causa idem tributus est honos.* Ecce docet hunc esse finem Dialecticæ, hoc obiectum attributionis, ne cui falso assentiamur, ne qua captione deludamur, ne vnquam à vero abducamur, sed potius vitata omnibus in rebus temeritate & ignoratione veritatem obtineamus. Rursus idem in Bruto; *sic enim existimo, Iuris Ciuilis magnum vsum & apud Scæuolam, & apud multos fuisse, artem in hoc vno (nempe Seruio) quod nunquam effecisset iuris ipsius scientia nisi eam præterea didicisset artem quæ doceret præterea rem vniuersam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambiguam primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam qua vera & falsa iudicarentur, & quæ quibus propositis essent, quæque non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem ad ea qua confusè ab aliis respondebantur aut agebantur: dialecticam mihi videris dicere, inquit; re in quam intelligis.* Vbi postremum hunc Dialecticæ finem ei potissimè subiectum statuit, vt siue diuidendo, siue definiendo, siue interpretando, siue argumentando, siue quocunque alio modo regulam habeamus qua vera à falsis secernantur. Præterea lib. 2 de Oratore Antonium sic loquentem inducit, *nam & omnes quod eloquimur, sic aut esse dicamus id aut non esse, etsi simpliciter dictum sit suspiciunt dialectici & iudicant verum ne sit an falsum, etsi coniunctè sit elatum & adiuncta sint alia iudicant rectè ne adiuncta sint, & vera ne sit summa huius cuiusque rationis.* Tandem hanc sententiam Zenoni & Stoicis tribuit, sic enim eos alloquitur lib. 2. academic. q. qui Lucullus inscribitur; *Dialecticam inuentam esse dicitis veri & falsi quasi disceptatricem, & iudicem?*

Porrò Augustinus, nisi nimis fallor, nostram de obiecto attributionis Dialecticæ sententiam variis in locis luculenter tradit: nam lib. 3. contra Academicos cap. 13. sic ait; *restat Dialectica, quam certè sapiens benè nouit, nec falsum scire quispiam potest*; & paulò infra: *nam primo omnes propositiones, quibus supra vsus sum, veras esse ista me docuit*: & clarius fine eiusdem cap. *profectò dialectica ipsa scientia veritatis est*: sanè sicut Theologia siue scientia Dei, hoc ipso finem, & obiectum attributionis Deum habet, ita pariter logica siue scientia veritatis, veritatem velut finem & obiectum attributionis suo sibi iure vendicabit. Rursus lib. 8. de ciuitate Dei, cap. 4. postquam dixit dialecticam siue rationalem necessariam actioni & contemplationi, siue scientiæ morali & scientiæ naturali physicæve, mox subdit; *maximè tamen contemplatio perfectionem sibi vendicat veritatis*, vbi logicam sicut antea perspectionem aut scientiam veritatis appellat. Item lib. 1. contra Cresconium cap. 15. postquam docuit logicam ad veritatem dirigi & in ea occupari, concludit de eiusmodi veritate; *vbi maximè Dialectica regnare videtur*, quasi veritatem finem vltimum, & obiectum primarium dialecticæ censeat. 3

Nullibi autem clarius aut elegantius nobis suffragatur Augustinus quam in lib. de principiis dialecticæ c. 7. fine; *Cum igitur tantam vim tamque multiplicem appareat esse verborum, quam breuiter iam pro tempore, summatimque attingimus, duplex hac ex consideratione sensus nascitur: partim propter explicandam veritatem, partim propter seruandum decorem, quorum primum ad dialecticum, secundum ad Oratorem maximè pertinet. Quamuis enim nec disputationem deceat ineptam, nec eloquentiam oporteat esse mendacem, tamen & in illa sæpe atque adeò penè semper audiendi deliciæ discendi cupido contemnit, & in hac imperitior multitudo quod ornatè dicitur, etiam verè dici arbitratur. Ergo cum appareat, quid sit vniuscuiusque proprium, manifestum est, & disputatorem si qua ei delectandi cura est, rhetorico colore asperg endum, & oratorem, si veritatem persuadere vult, dialecticis quasi neruis, atque ossibus esse roborandum, quæ ipsa natura corporibus nostris nec firmitatem virium subtrahere potuit, nec oculorum offensioni patere permisit. Itaque nunc propter veritatem diiudicandam, quod Dialectica profitetur, ex hac verborum vi, quædam semina sparsimus.* Quæ verba sic expende, quod ad aliquam scientiam maximè pertinet, quod eius proprium est, quod ea profitetur, illius est procul dubio subiectum, at huiusmodi esse veritatem respectu dialectieæ tradit Aug. Rursus iuxta eum ita se habet veritas ad dialecticam, sicut decor sermonis ad artem oratoriam, sed huius subiectum est talis decor, ergo & illius veritas. 4

Alij etiam Patres nostræ opinioni suffragantur: Isidorus in dialectica; *philosophiæ species tripertita est, vna naturalis quæ græcè physica appellatur, in qua de naturæ inquisitione disseritur, altera moralis, quæ græcè* 5

græcè ethica dicitur, in qua de moribus agitur, tertia rationalis, quæ græco vocabulo logica appellatur, in qua disputatur, quemadmodum in rerum causis vel vitæ morib. veritas ipsa quæratur; ecce sicut natura subiectum physicæ & morum rectitudo ethicæ, ita etiam veritas iuxta Isidorum dialecticæ subiicitur, & eius est obiectum attributionis. Consonat Clemens Alexandrinus lib. 6. stromatum; *dicitur Dialectica, quæ ea quidem quæ dicuntur de veritate confirmat per demonstrationem, eas autem, quæ inferuntur dissolvit dubitationes*: Quibus verbis veritas adstruitur finis dialecticæ, eiusque subiectum, demonstratio vero solum medium ad eius firmam assecutionem. Eodem etiam lib. sic ait *est enim dialectica veluti vallus quidam, ne veritas conculcetur à sophistis*. Haud etiam parum abest Gregorius Nyssenus disp. de anima, & resurrectione; *Patet enim omnibus ac liquet, quod dialecticæ curiosa subtilitas, pares in vtramque partem vires habeat, vel ad euersionem veritatis, vel ad mendacium indicandum*. Vbi vt dialecticæ finis statuitur euersio veritatis, ea si abutamur, ita è contrario mendacij discretio, ac veritas ei opposita dicitur eius finis, si regulis illius recte vtamur.

6 Accedit Hugo Victorinus lib. 1. didascalicæ eruditionis in hæc verba, *cum veteres multis sæpe lapsi erroribus, falsa quædam & sibi contraria in disputatione colligerent, atque id fieri impossibile videretur, vt de eadem re contraria conclusione facta vtraque essent vera, quæ sibi discutiens ratio concluderet, cui ve ratiocinationi credi oporteret esset ambiguũ, visum est prius disputationis ipsius veram atque integram considerare naturam, qua cognita, tum illud quoque quod per disputationem inueniretur, an vere esset comprehensum, posset intelligi. Hinc igitur profecta logicæ peritia, quæ disputandi modos atque ipsas ratiocinationes internoscendi vias parat, vt quæ ratio nunc quidem vera, nunc autem falsa, posset agnosci*. Vbi veritas designatur totius dialecticæ finis, in quem etiam ipsa ratiocinatio, & reliqua eius obiecta referuntur. Præterea idem sentit auctor libri de spiritu & anima, siue fuit Hugo Victorinus, siue quicumque alius cap. 37. *Ratio vis est animæ supra corporalia, & infra spiritualia collocata, secernit enim vera à falsis, quod est logicæ: virtutes à vitijs, quod est ethicæ; & per experimenta rerum inuestigat naturas, quod est Physicæ: In his verò tribus tota philosophia consistit*. Quæ cum ita sint tam erit subiectum logicæ veritas, quam virtus ethicæ, & ens naturale Physicæ subiiciuntur: consentit Richardus Victorinus de exceptionibus cap. 5. *Nouissima autem omnium inuenta est logica causa eloquentiæ: vt sapientes quippe dictas principales disciplinas inuestigarent, & inuenirent, rectius, veracius, honestius, illas tractare & de illis differere scirent, rectius per grammaticam, veracius per dialecticam, honestius per rethoricã; logica nãque facundiæ rectitudinẽ, veritatem, venustatem administrat*. Quib. verbis innuitur veritatem esse finem & obiectum attributionis dialecticæ, quemadmodum grammaticæ finis & obiectum attributionis est rectitudo orationis, & rhetoricæ, illius venustas siue honestas: Hic etiam pende, quatenus non tantum logica latissimè sumpta dicitur habere pro obiecto voces, sed etiam stricte vsurpata & prout est dialectica, hæc enim iuxta Richardum Victorinum considerat facundiæ & vocum nostrarum veritatem: quamobrem nihil hoc ex loco opponi potest, aduersus ea quæ supra ex hoc authore adduximus, cum de vocibus sermo nobis esset, & quod ad dialecticam attinerent pro virili tueremur. Sed vt eò vnde digressi fuimus reuertamur, dialecticæ nostræ subiectum finemque esse veritatem insinuat idem Richardus in lib. de exceptionibus 22. sic inquiens: *dialectica est disputatio verum à falso distinguens*. Ita etiam sentit Cassiod. in præfat. de disciplinis; *dicendum est tertio de logica, quæ dialectica nuncupatur; Hæc quantum magistri seculares dicunt, disputationibus subtilibus ac breuibus vera sequestrat à falsis*. Consonat Anselmus infrà citandus & plures alij Patres, quos esset longum referre.

CAPVT II.

Nostra sententia rationibus probatur.

VIdimus quatenus nostra sententia non omnino destituta sit eo præsidio, quod ab authoritate peti consueuit: reliquum est vt rationum momentis eam firmemus. Prima autem ratio nostra est hæc: obiectum attributionis scientiæ nihil aliud est quam eius finis intrinsecus, videlicet quem ea per actus proprios intrinsece attingit: at sola veritas totius dialecticæ est finis intrinsecus: sola igitur est obiectum attributionis dialecticæ. Maior negari nequit: licet enim finis extrinsecus scientiæ eius obiectum attributionis non sit, eo quod quisque quemcunque finem extrinsecum velit sibi præfigere possit, atque in diuitias vel honorem vel voluptatem curas & cogitationes suas intendere, ac discendi laborem subire; cæterum obiectum attributionis scientiæ ab eius intrinseco fine indistinctum est: neque video quo pacto oppositum cum principiis ab omnibus receptis cohæreat, vti in loco superius manet explicatum. Minor probatur quoad primam eius partem; quoniam dialecticæ est instituta ad præcauendos errores, vt ex capite præcedenti omniumque consensu liquet; eiusque rei signum euidens est, quod, si reliquæ scientiæ sine errore comparari possent, nulla dialecticæ necessitas, nulla esset vtilitas: Atqui non præcauetur error nisi per veritatem: dialectica ergo ad veritatem tanquam ad finem destinatur. Rursus logica regulas præscribit, quibus quis veritatem in quauis materia assequi, si velit, possit: eius igitur finis veritas est, non aliter ac finis cuiusuis artis practicæ est id cuius ad executionem regulas præbet v. g. artis pingendi pictura, ædificandi ædificium, loquendi recta vel elegans locutio, &c. Probata priori minoris parte, quæ asserebat veritatem esse finem dialecticæ, haud minus facile probari potest posterior eius pars asserens insuper, veritatem non finem extrinsecum sed intrinsecum huius facultatis esse; Quidni vero? dialectica enim per actus sibi proprios & cognatos disputat, quid & quotuplex sit veritas, an intrinseca actui vel extrinseca sit, an ei in diuersis instantibus adesse & abesse possit, an vna quam alia intensiuè vel extensiuè maior sit, quatenus propositiones veritate æquipolleant & opponantur; & alia similia, quorum census superuacaneus: veritas igitur est finis dialecticæ, non qualiscunque, sed intrinsecus, id est quem ea per plures actus intrinsecè attingit. Quod si quis plura horum à dialectica releget, & scientiæ animasticæ vel alterius facultatis propria esse contendat, is in primis contraria consuetudine his satis recepta temporibus redargui potest. Rursus obiiciendum ei, præter dignitatem dialecticæ esse, ad veritatem cæco quodam conatu ferri atque ad eius assecutionem dirigere, quin tamen id quod assequendum sit, eiusve naturam aut conditionem diguoscat. Vlterius illud negari nequit, dialecticam intrinsecè attingere veritatem modo practico, docet enim quo pacto definitio quæ est cognitio 7

tio essentialiter vera,quo diuisio,quo demonstratio, sit executioni mandanda: quod autem non attingat veritatem speculatiuè, neque de ea quid sit,qualis sit,quotuplex sit & similia non discutiat, id parum refert; quo enim cunque modo finis totius scientiæ per eam intrinsece attingatur,hoc satis est,vt eius sit obiectum attributionis.

8 Superior ratio trifariam confirmari potest:primo quoniam in aliis scientiis plura sunt quæ nequeunt demonstrari siue euidenter sciri v. g. in scientia de cælo cuius sit naturæ, compositæ an simplicis? eiusdem cum sublunari creatura, an diuersæ; plura quæ definiri non possunt, defectu vtique generis. v. g. in metaphysica,substantia, aut accidens, aut certe ipsum ens: plura itidem quæ diuidi non sustinent, propter id quod eorum differentiæ, sine quibus nulla fit diuisio, nos latent: Cæterum in scientiis earumque materia, quantæ quantæ sit latitudinis, nihil est quod non possit verè cognosci; aliàs frustrà de eo esset instituta scientia; igitur dialectica habet pro fine, & obiecto attributionis, non demonstrationem, non definitionem, non diuisionem, non rationem illis solis communem,aliamuè quamuis particularem omnino ab illis distinctam, sed veritatem actuum intellectus in communi;Is etenim debet esse finis scientiæ, à cuius executione, si ea practica sit, & assecutione; si speculatiua sit, reprehendi ac detineri non potest, vt facultatum omnium sufficienti enumeratione constabit; dialectica autem sæpe demõstrare non potest, interdum non definire, nonnunquam non diuidere, nunquam tamen per se loquendo à veritate seu obiectiua assequenda, seu formali exequenda impediri potest; solam igitur veritatem,finem ac subiectum sibi præstituit; quemadmodum enim finis hominis is constitui non debet, ad quem homo nullatenus peruenire potest, sic dialecticæ finis esse nequit, quem illa multoties adipisci non valet. Confirmatur secundò: Tametsi quis artificium demonstrationis, definitionis, diuisionis, aut aliud quidpiam destinatè ignoraret, adhuc is dialecticis præceptis iuuari posset, vt alias scientias quodammodo compararet; siquidem regulæ illæ tradi solitæ de suppositione terminorum, de eorum ampliatione, restrictione, diminutione, alienatione, appellatione, neque non de propositionum conuersione, oppositione, & æquipollentia, aliæque similes, eò quidem valerent, vt multa vere assereret, vt falsam propositionem vitaret, & pro vera non assumeret, vt per veram aliquam propositionem, hominem esse animal, per aliam esse risibilem aut admiratiuum, per aliam rationalem, per aliam, quæ descriptio sit, esse animal risibile affirmaret; dialectica igitur non ordinatur præcise ad hoc vt quis demonstret,definiat,&c. sed ad hoc vt veritatem quomodolibet assequatur. Confirmatur tertiò si quis interrogetur, quo fine dialecticam addiscit, ac sermo sit de fine intrinseco, ac proximo scientiæ, & cuius gratia illa est instituta, sanè respondebit, vt quamuis facultatem inoffenso pede ac sine erroris scandalo decurrere, atque in eius materia veritatem nanciscì queat; obiectum igitur attributionis dialecticæ est non demonstratio, nec definitio aut diuisio, sed veritas cognitionis aut cognitio veritatis, qualis illa cunque sit.

9 Alio etiam argumento nostra potest opinio probari.Modus sciendi, siue quod in idem recidit, ars sciendi habet pro fine intrinseco siue obiecto attributionis hoc quod est scire, sicut ars frænofactoria hoc quod est frænafacere, & ars eloquendi, hoc quod est eloqui siue disertè fari: Dialectica autem est modus sciendi siue ars sciendi, vt docet Aristoteles lib. 2.metaph.c.3. & P.Fonseca ibid. q. 1. sect.1. & Conimb.t.1.log.q3. procem a.3. parum ab initio,atque vt ipsi cum Fonseca referunt, B. Thomas, & reliqui penè authores præsertim antiqui: Habet igitur dialectica pro fine intrinseco& obiecto attributionis scientiam cuius est ars & modus; neque nisi immerito ac valde singulariter id negat P. Theophilus Rainaudus in Prologo disciplinæ § 2. n. 11. initio. Quibus positis sic arguo; Dialectica cum sit ars, modusque sciendi non alium habet finem intrinsecum, atque obiectum attributionis quam scientiam; tunc autem res sciri absolutè & communiter dicitur, cum verè cognoscitur: quod enim assertiuè, ac verè non cognoscitur, aut falso cognoscitur; id potius nesciri, quam sciri dicitur; dialectica igitur veritatem formalemvelut finem, & obiectum attributionis intuetur. Etquidem ex dictis constat scientiam,cui modus sciendi præuius est esse cognitionem veram, siue demonstratiuam, aliove modo euidentem, siue omnino ineuidentem, siue immediatam, & primam, siue mediatam, & ex alia anteriore illatam: atqui dicitur modus sciendi contemplatione scientiæ, cui tanquam præuia dispositio prælucet. Simili argumento probauit Fabius lib. 2. cap. 15. bene dicere esse finem intrinsecum,& proprium rhetoricæ; eiusque obiectum attributionis. *His approbatis simul manifestum est illud quoque, quem finem, vel quod summum, & vltimum habeat rhetoricæ, quod τέλος dicitur, ad quod omnis ars tendit: Nam si est ipsa bene dicendi scientia, finis eius, & summum est bene dicere.*

10 Aliter etiam nostra sententia probari potest. Quemadmodum se habet philosophia moralis ad actus voluntatis, ita dialectica ad actus intellectus; at philosophiæ moralis finis, & obiectum attributionis est bonitas moralis actuum voluntatis, & eorum conformitas cum dictamine rectæ rationis vt cum Aristotele 1.ethic.nosterTheophilusvbi supra num. 13. & antecedentibus, ac reliqui communiter docent; obiectum igitur attributionis dialecticæ est veritas actuum intellectus,& eorũ conformitas cum obiecto suo. Maior est perspicua, quoniam sicut philosophia moralis ad ordinãdam,&ornandam voluntatem, ita dialectica ad perfectionem, & ornamentum intellectus Dei munere homnibus tradita est. Confirmatur; ex eo quod philosophia moralis circa ens reale versetur, & ex eo quod practica sit, recte infertur dialecticam circa ens reale esse, & practicam esse, vt ex nostris non pauci contra Thomistas argumentantur: ergo ex eo quod sciẽtiæ moralis obiectum attributionis sit bonitas actuum voluntatis, non minus recte infertur obiectum attributionis dialecticæ esse veritatem, qua actus intellectus obiectis conformantur. Et sane, qua ratione obiectum attributiõnis dialecticæ ab aduersariis censetur demonstratio, aut definitio, &c. eadem ratione obiectum attributionis scientiæ moralis cẽsendum esset, non bonitas actuum voluntatis in communi, sed bonitas propria intentionis, aut electionis, aut prudentiæ aut iustitiæ, aliaue quæuis in particulari.

11 Alia quoque paritate, nostra de obiecto attributionis dialecticæ opinio suadetur. Quemadmodum grammatica voces sibi vendicat,ita dialectica actus intellectus, vt fatentur omnes. At grammatica sic est vocalis, vt non hæc aut illa constructio vocum, sed in communi congrua & sibi cohærens Syntaxis & dispositio vocum sit eius finis, atque obiectum attributionis: logica ergo ita rationalis est, vt non hæc aut illa veritas in particulari, videlicet

defini

definitio aut demonstratio aliáve quæcunque, sed veritas in communi sit eius finis & obiectum attributionis, ad quod tota refertur.

12 Declaratur. Sicut grammatica ordinatur velut ad finem & obiectum attributionis ad rectitudinem locutionis externæ, sic similiter dialectica ad rectitudinem locutionis internæ seu cognitionis; sed præcipua rectitudo cognitionis est eius veritas : logica igitur ad veritatem cognitionis & internæ locutionis velut ad obiectum attributionis refertur. Minor est Anselmi dialogo de veritate cap. 1. vbi de cognitione loquens sic ait, *idem igitur est illi & rectam & veram esse, & significare quod est*: & paulò infra *ergo non est aliud veritas quam rectitudo*; quod toto illo capite repetit. Rursus eodem dialogo de veritate cap. 3. sic ait; *quapropter qui putat esse quod est, putat quod debet, atque ideo recta est cogitatio; si igitur vera & recta cogitatio non ob aliud quam quia putamus esse quod est, aut non esse quod non est, non est aliud eius veritas quam rectitudo.* Item cap. 9. eiusdem dial. vocat *veritatem rectitudinem sola mente perceptibilem.* Præterea in monol. cap. 14. sic ait. *Constat quia in quacunque re sit veritas, non est aliud quam rectitudo*: desinente etiam eodem cap. vtramque confundit : quo autem iure hæc ab Anselmo dicantur, ecquis non videat? siquidem veritas in conformitate actus cum obiecto sita est : omnis autem conformitas est rectitudo quædam.

CAPVT III.

Rationes contrariæ solutæ.

13 QVarum prima sit; finis logicæ proprius & intrinsecus est tradere instrumenta ad alias scientias ac veritates eis contentas comparandas, vt præter alios latè explicat P. Fonseca lib. 2. metaph. c. 3. quæst. 1. sect. 2. at instrumentum ad scientiam seu veritatem aliquam comparandam à veritate ipsa distinguitur, sicut instrumenta ad nauem fabricandam distincta sunt ab ipsa naui; finis igitur dialecticæ non est veritas, quæ in aliis scientiis elucet; finis inquam proximus, quod subiectum nuncupatur.

14 Pro solutione noto primo, logicam aliam esse actualem, aliam habitualem, hæc, habitus dialecticos, illa actus complectitur. Noto secundò, finem alium esse proximum & immediatum, alium remotum & mediatum; finis proximus scientiæ actualis quem illa considerat & cui attribuitur, est finis remotus scientiæ habitualis, atque cum eadem restrictione dici potest eius subiectum siue obiectum attributionis: finis autem proximus scientiæ habitualis non est obiectum aliquod, sed scientia actualis quam producit, aut ad quam inclinat. Quibus animaduersis, si de logica habituali & eius fine proximo sermo sit, non habet finem obiectiuum, sed dumtaxat effectiuum, hoc est non habet finem per modum obiecti cogniti, sed per modum effectus producti; proinde licèt instrumenta ad veritatem comparandam, actualesque regulæ & cognitiones dialecticæ sint eius finis proximus, non propterea erunt eius obiectum attributionis; hoc enim cum fine obiectiuo recurrit, atque idem prorsus est; Sin autem de eius fine remoto sermo sit, ita quidem eius finis non est ea traditio instrumentorum, sed veritas quam mediis suis actibus considerat; atque adeo hæc erit eius obiectum attributionis. Quod si de logica actuali loquamur, eius finis non est, tradere instrumenta & regulas sciendi, sed est illa ipsa traditio per summam identitatem; siquidem Aristoteles prope medium capitis præcedentis citatus cum reliquis eam expresse vocat modum siue instrumentum sciendi : vnde reliquum est, vt ipsa veritas ad quam instruit intellectum sit eius finis, & obiectum cui attribuitur. Hinc conciliari facilè possunt, dissentientes primo aspectu philosophorum sententiæ: omnes enim docent logicam esse modum siue instrumentum sciendi, vt ex Fonseca & Conimbr. capite præcedenti vidimus : omnes itidem docent instrumentum modúmque sciendi esse finem logicæ, vt Fonseca paulò suprà laudatus & Conimbr. tom 1. logic. quæst. 5. procem. art. 3. rat. 2. perhibent : hæc autem duo repugnare inuicem videntur : quî enim fieri potest, vt logica sit instrumentum sciendi, atque hoc simul sit eius finis, neque id quod est finis, & ad quod est finis mutuo distinguantur : verum optimè inter se cohærent illa duo, si res paulò attentius inspiciatur, atque vtriusque logicæ tradita distinctio consideretur: namque logica actualis est instrumentum sciendi, eius autem finis non est idipsum instrumentum sciendi, sed sola veritas quam practicè respicit : logica verò habitualis non est instrumentum nec formalis regula sciendi, sed eius principium, adeóque eiusmodi normam sciendi finem habet : quo fit, vt Philosophi sibi non repugnent, neque finem & quod est ad finem vtpiam confundant.

Secunda aduersus nostram sententiam ratio. Obiectum attributionis dialecticæ est obiectiuum exemplar vtile ad alias scientias comparandas, quale v.g. est definitionem constare genere & differentia, vt huius intuitu Philosophus hominem animal rationale definiat, aut demonstrationem barbaricam constare 3. vniuersalibus affirmatiuis, vt ex hominis rationalitate eius risibilitatem in Barbara concludat, aliaque similia. At veritas in communi non est obiectiuum exemplar vtile ad alias scientias comparandas; quis enim vnquam essentiam actus veri sibi proposuit, vt in aliis scientiis actus veros ad eam normam efficiat, & non potius aliis est vsus regulis & adminiculis? Veritas igitur vt sic non est obiectum attributionis dialecticæ. 15

Cæterùm Recentiores, qui hoc argumento aliorum sententias impetunt, & nostram si paulò esset communior his temporibus, haud dubiè impeterent, ad homines, vt aiunt, expugnari possunt. Nam modus sciendi in communi est iuxta ipsos obiectum attributionis dialecticæ, & tamen non est exemplar obiectiuum vtile ad alias scientias : ecquis enim sibi ob oculos mentis posuit, modum sciendi esse orationem ignoti manifestatiuam, vt huius exemplaris intuitu in aliis scientiis ignotum manifestaret : sicut intuens, definitionem constare genere & differentia hominem animal rationale definit, quisquis scientiam de homine aggreditur. Ad hæc vniuersim falsum est, finem & obiectum attributionis artis practicæ, esse exemplar obiectiuum vtile ad artefactum efficiendum, & non magis ipsam praxim, & opus ad quod regulas præscribit : siquidem ars pingendi non habet pro fine hominem verum, quem velut exemplar sibi imitandum proponit, sed potius hominem pictum, ad cuius imaginationem regulas tradit; vt vt ergo veritas actuum intellectus non sit vllatenus exemplar obiectiuum vtile ad alias scientias, & hoc quod falsum esse mox constabit, permittatur tamen; ea nihilominus erit obiectum attributionis diarecticæ, vtpote quæ ad illam exequendam & assequendam regulas ac præcepta exhibet. 16

Præterea veritas actuum intellectus bifarium accipi 17

cipi potest: videlicet in communi quatenus est conformitas actus cum obiecto, ita quidem se habente sicut per actum asseritur; aut in particulari, quatenus per eam aut definitio de definito, aut proprium de differentia, aut genus de specie, aut idem genus simul cum proprio de specie enuntiatur, aut genus in species dissecatur, aut ex tali talive identitate extremorum cum medio vnum de altero dicitur & concluditur, aut demum quouis alio artificioso modo ea intellectui sese insinuat. Veritas in communi sumpta est exemplar in communi sumptũ vtile ad alias scientias comparandas: Cæterum in particulari & posteriori modo sumpta est exemplar in particulari ad alias scientias maximopere conducens. Quæ cum ita sint ad argumentum respondeo negata maiori, quæ veritatem in communi exemplar esse negabat. Ad eius probationem dicendum est, ob id neminem proponere sibi imitandam veritatem in communi, quoniam solum est exemplar in communi, eum vero qui alias scientias addiscit solum iuuare possunt exemplaria dialectica in particulari, siue, quod iuxta est, exemplar in communi quatenus per illa contrahitur. Et quidem veritatem in communi, tametsi eã prout sic abstractam nobis imitandam non proponamus, nec eius intuitu definire, diuidere, argumentari, conuertere, ampliare, restringere, describere, aliove simili modo in materia aliarum scientiarum procedere non soleamus, esse nihilominus exemplar obiectiuum vtile ad alias scientias constat: tum quia ad hoc abundè est, si prout contracta ad rationes & idæas inferiores imitanda proponatur; tum etiam quia exemplar in communi, prout latissime funditur, & in omnia & quæcunque patet, est verè exemplar, ipsumque est cui primo conuenit definitio exemplaris, videlicet esse id ad cuius intuitum & similitudinem operatur artifex, & id quod destinabat efficit? Atqui huiusmodi rationem communissimam & abstractissimam prout talem quis vnquam sibi proposuit, ad domum v.g. extruendam, aliudve quodcunque artificiosum numeris suis absoluendum? Similiter ergo veritas in communi, quamuis prout ita sumpta neutiquam proponi soleat imitanda ei, qui alias scientias addiscit, erit tamen exemplar aliarum scientiarum non particulare sed commune, adeoque obiectum attributionis dialecticæ, quantumcumque hæc nisi exemplari nequeat attribui.

18 Tertia ratio aduersus nostram sententiam: cognitio attributorum omnium ordinatur ad cognitionẽ obiecti attributionis: at quis compos asserat, omnia quæ dialectica tractat ob id tractari, vt quid sit veritas in communi assequaris? nam quid ea sit perfectè cognoscere cuiuis promptum est, nec tam difficile vt dialecticam in eo tantopere desudare eiusque gratia tot regulas tradere oporteat. Hoc etiam argumentum retorquetur; nam quis dicat vniuersa quæ dialecticæ finibus ac regionibus continentur, ad id vnum spectare, vt quid sit modus sciendi in communi perfectè cognoscas, vel etiam quid sit demonstratio, aut quid definitio? At aduersariorum alij modum sciendi, alij demonstrationem, alij definitionem, alij alias rationes communes eidem difficultati obnoxias dialecticæ obiectum attributionis statuunt Similiter etiam premi possunt, qui ens vt sic metaphysicæ, ens mobile physicæ, quantitatem continuam mathematicæ, & discretam arithmeticæ subiecta arbitrantur. Rursus, quamuis attributa dialecticæ ad cognitionem veritatis in communi vltimo non referrentur, haud propterea veritas dialecticæ subiectum negari posset aut deberet, sicut argumentum nititur? Etenim vt scitè docet Durandus q. 5. prol. n. 9. id interest inter facultates speculatiuas & practicas, cuiusmodi est dialectica, quod illæ perfectam cognitionem subiecti vltimò intendant, & ad eam attributa referant, hæ verò, tametsi cognitionem seu assecutionem sui subiecti non semper negligant, haud tamen eam, sed potius executionẽ talis subiecti extremè intendant, & ad eam regulas tradant, & cuncta quę tractant, sponte sua destinent. Quin etiam, licet Dialectica, Ethica ac Medicina, quæ est earum perfectio & cum praxi mista speculatio, perfectam cognitionem siue assecutionem sui subiecti pro derelicto non habeant, sed eam propter illud exequendum intendant; cæterum aliæ artes inferiores minusque perfectæ de essentia sui subiecti comprehendenda exactéque cognoscenda parum sunt sollicitæ: nam pictor v. g. neutiquam attendit, aut curat, quid sit pictura vel imago, quod eius genus & differentia, in quonam eius forma artificiosa consistat, in situ nimirum, seu vbicatione partium, vel potius modo quodam distincto; atque de his te interrogantem risu vel etiam sibilo excipiet, eaque nihil ad se esse respondebit. In id igitur regulas suas, & curas ac cogitationes suas intendit, vt imaginem exequi, si velit, possit, qualiscunque sit eius quidditas, & siue hac siue illa forma artificiosa constet. Vbi igitur regulæ omnes dialecticæ ad executionem veritatis formalis conducant & referantur, id sufficit, vt veritas sit obiectum attributionis dialecticæ præsertim practicæ, quamuis ad eius comprehensionem & perfectam assecutionem non referantur, idque argumento confici vltrò largiamur.

Postremò transeat, cognitionem subiecti Dialecticæ debere esse eius finem, ad quem omnia eius obiecta referantur: quin etiam id verum esse quodam sensu absolutè arbitror; Namque subiectum Dialecticæ est eius finis non provt actu exequutioni mandatum vel pro vt proximè exequibile, eius autem cognitio & comprehensio denominat & constituit illud ita proximè exequibile: proindè talis cognitio est finis Dialecticæ; non *qu*; haud enim est qui intenditur reddi proximè exequibilis, sed eius terminus, nempe veritas quam cognoscit; sed tamen finis *quo*, propterea quod sit id quo obiectum vltimum Dialecticæ constituitur proxime exequibile. Quamuis ergo cognitio subiecti dialecticæ debeat esse eius finis, nihilominus indè non fiet, veritatem haud esse eius subiectum; Namque ad eius etiam cognitionem cognitiones omnes attributorum huius facultatis referuntur. Cuius rei gratia prænotandum est, sicut obiectum attributionis dupliciter sumi solet, scilicet in communi & ab attributis præscisum, & in particulari, ac per illa contractum, ita similiter eius cognitionem duplicem esse, aliam quæ illud in communi & confusè cognoscit, aliam quæ illud in particulari & distinctè perspicit Prior cognitio constituit obiectum attributionis & ei vnitatem tribuit, à qua tota scientia dicitur vna, non tamen illud possidet, sicut desiderium obiecti illud constituit finem actualem voluntatis, non tamen possidet, alias desiderium non esset. Posterior cognitio est possessio obiecti attributionis, non tamen illud vnum constituit, eive vnitatem & essentiam tribuit, quemadmodum visio clara Dei, nostraque fælicitas eum possidet, non constituit. Attributa omnia scientiæ etiam practicæ, dummodo sit perfecta, siue eorum cognitio ordinatur ad posteriorem cognitionem obiecti attributionis, videlicet eius possessionem, non tamen ad priorem, quæ id vnum constituit 19

stituit & non possidet. His ita decursis; Cognitio illa, qua quis scit quid sit veritas in communi, & num in actu simul & obiecto sita &c. non est possessio veritatis in communi, tametsi eam ab inferioribus abstrahat, eique vnitatem ad rationem subiecti necessariam impertiat; vnde quamuis ad talem cognitionem reliquæ cognitiones dialecticæ non ordinentur, pro eo ac obiicitur, id non obstabit, quominus veritas sit obiectum attributionis huius scientiæ. Possessio autem veritatis vt sic huic facultati subiectæ, est, quæ in particulari cognoscit varias species veritatis in communi, suprà memoratas; quid nimirum sit vera ac propria definitio, diuisio aut argumentatio: aut quæ sit cuiusuis propositionis, siue vniuersalis, siue particularis, siue affirmatiua siue negatiua sit, vera, æquipollens, aut conuersa, contraria aut contradictoria: item ex qualit terminorum suppositione, restrictione, appellatione, aliave proprietate qualis propositionum veritas resultet. Atqui ad huiusmodi cognitionem perfectã distinctamque possessionem veritatis dialectica tota, quàm latè patet, omniáque eius attributa velut ad finem referuntur, quin argumento facto contrarium euincatur: quidni ergo veritas huius disciplinæ sit obiectum attributionis? Porrò hæc solutio exponi potest & confirmari exemplo physiologiæ & metaphysicæ, quæ non ad quamcunque cognitionem entis vt sic aut entis mobilis, sed ad eorum possessionem cognitiones attributorum suorum referunt.

20 Quarta ratio contraria. Cognitio proprietatis refertur ad cognitionem essentiæ, eique attribuitur, in scientia ad quam pertineant ambæ: vt in scientia de ente vt sic siue metaphysica, & scientia de Deo siue Theologia, aliisque perspicuum: veritas autem est proprietas demonstrationis, v. g. igitur in dialectica cognitio veritatis ad perfectam cognitionem demonstrationis refertur; ac proinde è contrario cognitio demonstrationis non refertur ad cognitionem veritatis, neque ei attribuitur: veritas ergo totius dialecticæ nequit esse obiectum attributionis. Iam dixi sæpe sæpius, in facultate practica, qualis est dialectica, cognitionem attributorum non referri veluti ad finem *qui* ad perfectam operis subiecti cognitionem, sed potius ad eius executionem provt proximè possibilem: quocircà, licet cognitio demonstrationis non referatur ad cognitionem veritatis, tamen hæc obiectum attributionis dialecticæ censenda erit, cum cognitio demonstrationis & reliquæ huius scientiæ ad veritatis executionem proximè possibilem constituendam referantur, & non idcirco ad executionem demonstrationis dialectica dirigat, quoniam est demonstratio, alioquin ad definitionem non dirigeret, sed quia cum veritate coniuncta est, ac talem habet proprietatem, non secus ac musica dirigit ad executionem numeri quia sonorus & ad auditum oblectandum idoneus est, talemque proprietatem seu differentiam accidentalem sibi vendicat. Quid? quod cognitio essentiæ ad cognitionem proprietatis referri, ac proprietati cognitæ velut subiecto attribui potest, in scientia vtriusque communi? quo pacto mathematica cognitionem aliquam corporis ad perfectam cognitionem quantitatis continuæ sibi subiectæ refert; vnde veritas hac de causa ab obiecto attributionis dialecticæ excludi non meretur.

21 Quinta ratio priori similis. Veritas in communi, siuè, quod iuxta nos perinde est, actus verus est pars modi sciendi aut demonstrationis, aut definitionis alteriusve particularis artificij logici; pars, inquam, quæ velut genus definitionem v.g. constituit, quando definitio, siue propositio explicans naturam rei est talis actus verus, quemadmodum homo tale animal: veritas igitur est attributum dialecticæ, eiusque cognitio in illa ad alterius cognitionem porro refertur. Antecedens cum exploratum sit, consequentia suadetur, quoniam cognitio partis conducit ac refertur ad perfectam cognitionem totius, & non è conuerso; cum toto perfectè cognito pars etiam perfectè cognita supponatur; cum fieri tamen possit, vt pars aliqua toto adhuc latente liquida ratione innotescat: quando ergò veritas vt sic est pars veritatis definitiuæ, non hæc ad illam, sed potius illa ad hanc in cognoscendo veluti ad finem referetur. Principio retorquetur argumentum: modus sciendi, aut demonstratio, aut etiam definitio, si sit præmissa, est pars demostrationis in Barbara fabricatæ? & tamen iuxta aliquos aduersarios modus sciendi est obiectũ attributionis dialecticæ, iuxta alios demonstratio vt sic, iuxta nõ paucos definitio: Barbarica vero demonstratio secundum omnes est merum attributum. Quanquam ergo veritas in communi, siuè actus verus sit pars definitionis, alteriusue artificij logici, poterit nihilominus esse obiectum attributionis huius scientiæ, & quæ metaphysicè per eam constituuntur, poterunt esse sola attributa. Vlterius id supponit argumentum, obiectum attributionis dialecticæ alteriusque cuiusuis scientiæ esse id, cuius cognitio est finis *qui* proximè exequibilis: Hoc autem solius scientiæ speculatiuæ proprium esse, & ab omni facultate practica alienum prorsus existere sponte sua patet, & à nobis est multoties probatum. Tametsi ergo cognitio veritatis non sit finis *qui* exequibilis eorum quæ in dialectica tractantur, sed potius ipsa veritas, hanc nihilominus esse obiectum attributionis, inde non refellitur, sed magis comprobatur.

Tandem recolenda est, duplex illa relatio attributorum ad subiectum, quæ in scientiis speculatiuis & aliquoties in practicis locum habent: alia est velut obiecti materialis ad formale à se indistinctũ, alia vero est instar eius, qua medium ad finem à se distinctum refertur. Demonstratio igitur aut definitio aut modus sciendi non referuntur in cognoscendo posteriori modo ad veritatem; sed è diuerso veritatis cognitio ea ratione ad prædictarum rerum notitiam refertur, vt argumentum contendit, & meo iudicio probat. Cæterum prædicta obiecta habent priorem relationem in esse cognito ad veritatem; idcirco enim agit dialectica de definitione, de demonstratione, de modo sciendi, quia quiuis horum actunm est actus verus, sin minus, de nullo eorum actura; Quod autem idem, vel certè consequens est, cognitio definitionis, demonstrationis, modi sciendi, & similium rationum ob id intenditur in dialectica, quia est cognitio veritatis, eiusque intentionis fundamentum, hoc est, quod cognitiones prædictorum obiectorum logicæ, suapte natura & independenter ab authorum arbitrio referantur & conducant omnes ad facilem & promptam executionem veritatis, adeóque ad cognitionem per quam ea ita proximè redditur exequibilis. Quanquam ergo obiectum attributionis scientiæ etiam practicæ id esse debeat, cuius cognitio est cæterorum finis, hoc tamen nil probabilitatis nostræ sententiæ detrahit, vt pote qui talem rationem finis rectè explicatam, cognitioni veritatis non denegamus, quemadmodum oportet, vt veritas sic cognita dialecticæ sit subiectum, &, quod aiunt, summum & vltimum. 22

CAPVT IV.

Aliarum difficultatum solutio.

23 SExta difficultas aduersus nostram sententiam sic se habet. Si qua veritas esset finis intrinsecus & obiectum attributionis dialecticæ, ea maximè ad quam regulis & institutis intellectum instruit: huiusmodi autem est veritas cuiuscunque alterius scientiæ, vt per se constat, aliarum ergo scientiarum veritates erunt obiectum attributionis dialecticæ, eiusque finis intrinsecus. Hoc autem, quod ex nostra sententia indissociabili consequentia infertur, prorsus falsum videtur: exinde namque vlterius fieret, neminem fore perfectè dialecticum, nisi assequeretur veritates omnes reliquarum scientiarum, easque exactè cognosceret: quo pacto non est perfectus mathematicus, qui plerasque figuras & numerorum conspirationes scitè non nouit, aut perfectus Physiologus, aut Metaphysicus, quin ens in communi aut ens mobile calleat, & comprehendat, atque in summa nullius scientiæ censetur quis peritus, nisi cuius subiectum, finemque intrinsecum possidet. Quod autem sine notitia perfecta earum veritatum, quæ ad alias scientias attinent, possit quiuis esse optimus dialecticus, etsi contrarium ex nostra sententia videatur sequi, experimento ipso constat: eiusque præterea ratio est manifesta, siquidem dialectica tum tempore, tum etiam natura & causalitate cæteras scientias antecedit: igitur in illa priori duratione temporis, aut naturæ, aliquis potest ac debet esse consummatus dialecticus quin tamen tunc temporis aut naturæ veritates aliarum scientiarum rectè calleat, aut certè eas callet, & scit, anteaquam earum scientias comparet, quo nihil magis falsum atque absurdum.

24 Respondeo: potest quis esse magnus in dialectica arte magister, quin veritates actuales aut habituales aliarum scientiarum actu possideat, aut consequatur, non tamen quin eas consequi facilè possit si velit; quemadmodum potest aliquis esse perfectus architectus, quin domum actu cõstruat; non tamen, quin eam construere possit, si cupiat: vnde dialectica habet pro fine intrinseco, atque obiecto attributionis, veritates aliarum scientiarum, non minus quam ars ædificandi, domum, sine qua tamen consistit. Atque quod de ratione facultatis practicæ non sit, actu exequi suum opus, finemque sibi subiectum, sed vt eum exequi possit, non solum nostra sed etiam Aristotelis doctrina est: nam primo rethoric. c. 1. sic ait *quod igitur non sit vnius cuiusdam ac determinati generis rhetorica, sed sicut dialectica, & quod vtilis, expositum est; quodque opus eius non est persuadere, sed posse quæ in singulis credibilia sunt perspicere, veluti etiam in cæteris artibus vniuersis: nec enim medicinæ est, sanitatem inducere, sed quoad vsque possibile sit, ad hoc vsque perducere, cum possibile sit, etiam eos, qui nullo possunt modo sanari, bene tamen curari.* Id ipsum docet primo topicorum. c. 2. *nam neque rhetor omni ex modo persuadebit: neque medicus sanabit, sed si ex iis quæ contingunt nihil omiserit, sufficienter eum disciplinam habere dixerimus.* Ecce docet Aristoteles, posse quem alicuius artis gnarum ac peritum esse, quin eius finem ac subiectum opus exequatur, dummodo illud quantum in se est exequi sciat, ac valeat. Arist. eadem in re consentit August. in princip. Rhet. c. 2. *Ergo quasi consensu omnium finis est oratoris officy persuadere. Hoc quia in calumniam videbatur posse recedere, non enim semper persuadet orator, nec sialiquando persuadere non possit facultatem & nomen oratoris amittit, addidit Hermagoras, quo calumniam effugeret, finem esse oratoris officij persuadere, quatenus conditio rerum personarumque patitur.* Id ipsum etiam docet Fabius lib. 2. c. 16. *Noster orator, arsque à nobis finita, non sunt posita in euentu. Tendit quidem ad victoriam, quid dicit, sed cum bene dixit, etiam si non vincat, id quod arte continetur effecit. Nam & gubernator vult salua naue in portum peruenire: si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetque notum illud, Dum clauum rectum teneam, & medicus sanitatem ægri petit: si tamen aut valetudinis vi aut intemperantia ægri, aliove quo casu summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinæ finem non excidit. Ita oratori bene dixisse finis est. Nam est ars ea, vt post paulum clarius ostendemus, in actu posita non in effectu.* Hactenus Fabius. Atque hoc est quod supra sæpe sæpius diximus, facultatis practicæ finem per se, & à quo nequit impediri, non esse actualem executionem operis, opusve prout executioni mandatum, sed illud provt proximè exequibile spectatis regulis artis. Quocirca, licet dialectica haberi possit ab eo qui veritates aliarum scientiarum nondum est consequutus, nihilominus eas poterit illa velut finem & obiectum attributionis intueri, propter id quod eas consequi in eius potestate & arbitrio sit, qui dialecticam callet. Porro exempla contraria parum vrgent; mathematica enim, physica, & metaphysica habituales excellenti quidem gradu reperiri in aliquo possunt, quin earum subiecta actu etiam imperfecto cognoscantur: Cæterum mathematica, physica & metaphysica actuales sine exacta cognitione actuali suorum finium haberi nequeunt: hoc autem idem seruata proportione de dialectica dici potest ac debet, etiamsi vera sint quæ circa eius subiectum superius asseruimus: namque dialectica habitualis sine exacta notitia actuum aliarum scientiarum inueniri potest: actualis tamen, inueniri nequit, quin veritates aliarum scientiarum siue earum actus veri cognoscantur adeò exactè, vt executioni mandari possint, si quis velit & in id incumbat.

25 Septima ratio aduersus nostram sententiam, eaque solutionis nuper traditæ impugnatio. Veritates aliarum scientiarum ad ipsas formaliter spectant; ergo non attinent ad dialecticam velut eius finis & obiectum attributionis: aliàs hæc facultas & reliquæ penes finem & subiectum non essent inuicem distinctæ. Respondeo distincta duplici veritate, alia formali quæ in intellectu residet, alia obiectiua, quæ est extra intellectum: veritates obiectiuæ aliarum scientiarum quatenus tales, & provt ab ipsis consideratæ non attinent ad dialecticam, neque eius finis esse possunt, solumque ad alias scientias spectant, vt manifestum est, atque in solutione sequentis argumenti declarabitur amplius. At veritates formales aliarum scientiarum earum obiecta finesque non sunt, sed vel ipsæ per identitatem, vel certè earum proprietates; proinde obiectum attributionis dialecticæ esse poterunt ac debebunt.

26 Octaua difficultas ac superioris replica sit hæc. Veritates formales aliarum scientiarum in communi sumptæ nequeunt esse finis, & obiectum attributionis dialecticæ, quin etiam earumdem veritates obiectiuæ sint illius finis; sicut visio clara Dei, nequit esse vltimus finis, & beatitudo hominis, quin Deus ipse visus, seu visionis obiectum sit eius finis: at veritates obiectiuæ aliarum scientiarum non sunt obiectum attributionis dialecticæ, nec

etiam

etiam eius attributa formalia, vt nuper fassi sumus: igitur nec veritates formales.

27 Hæc obiectio nos cogit, vt finem *quo*, & finem *qui* dialecticæ, breuius quam aliis moris est expediamus. Igitur veritates obiectiuæ aliarum scientiarum sunt finis dialecticę, vt exẽplum adductũ probat, ac proinde eius obiectũ attributionis, non minus quam aliarum scientiarum; aliter tamen, & aliter? Nam veritates obiectiuæ aliarum scientiarum in communi, & confusè cognitæ, sunt obiectum attributionis dialecticæ; aliarum vero scientiarum in particulari sumptæ & distinctè ac dilucide cognitæ: Deinde sunt obiectum attributionis dialecticæ in concreto cum actibus, & pro vt eis subiacent; aliarum vero scientiarum incomplexè, & pro vt abactibus distinguntur. Hinc fit veritatem formalem, siue actum verum, quatenus talem, esse finem *quod* dialecticæ, & veritatem obiectiuam finem *qui*, si de fine assequibili ac solum cõtemplabili loquamur; si vero de fine exequibili: è conuerso veritas formalis erit eius finis *qui*? finis autem *quod* ipsi actus dialecticæ habitualis, qui veritatem formalem definitionis, diuisionis, enunciationis &c. quam cognoscunt, proximè exequibilem reddunt: Quemadmodum Deus est finis *qui* assequibilis hominis, & eius visio finis *quo* cum tamen è conuerso illius finis *qui* exequibilis sit sola visio ac finis *quo* principia effectiua visionis.

28 Hinc dissolui potest nonum aduersus nostram sententiam argumentum, quod iam olim propositum inuenio apud Ciceronem lib. 2. acad. quæst. qui inscribitur Lucullus his verbis; *Dialecticam inuentam esse dicitis* (Stoici) *veri, & falsi quasi disceptatricem, & iudicem? cuius veri, & falsi? & in quare? in geometria ne quid sit verum vel falsum dialecticus indicabit, an in litteris, an in musicis? at ea non nouit. In philosophia; igitur sol quantus sit quid ad illum? quod sit summum bonum quid habet vt queat iudicare? Quid igitur iudicabit, quæ coniunctio, quæ disiunctio vera sit? Quid ambiguè dictum sit? Quid sequatur quamque rem? quid repugnet? si hac, & horum similia iudicat, de seipsa iudicat: Plus autem pollicebatur.* Quæ ad scholasticum rigorẽ sic exigi possunt: Dialectica si habet pro obiecto attributionis veritatem, aut cognoscit id veri, quod ad physicam, metaphysicam, & alias scientias attinet? atque hoc falsum est: Aut cognoscit, quid sit verum in communi, siuè, quod instar est, qui actus definiendi, diuidendi argumentandi, aut enuntiandi in communi sit verus? atque ita dialectica habebit se ipsam pro obiecto, & de seipsa iudicabit, quod planè absurdum videtur; quem admodum enim reliquæ scientiæ in aliud omnino se à feruntur, quidni & dialectica nostra? sed, vt dixi, hoc argumentum parum, aut nihil habet difficultatis dummodo superius statuta attentè perpendantur: Ibi enim exposuimus, quatenus dialecta attingat id ipsum veri, quod ad alias scientia spectat, diuerso tamen modo: Ibidem etiam insinuauimus quo pacto dialectica veritatem formalem in communi, atque adeo semetipsam ex parte respiciat, videlicet quatenus veritas formalis in communi tam suos actus, quàm aliarum facultatum complectitur: Quod autem hæ in semetipsas inadæquatè non reflectant vt plurimum, sicut dialectica, nihil mirum, cum solius dialecticæ materia sint actus intellectus, pro vt latissimè funduntur.

29 Ex dictis etiam solui potest decimum aduersus nostram sententiam argumentum? quod conficitur ex Arist. lib. 2. metaph. c. 1. text. 3. *Rectè autem & illud habet philosophiam veritatis contemplatricem scientiam appellatam esse*: Ex quibus sic argues obiectum attributionis dialecticæ alteri scientiæ communẽ non est, vt suo loco fusè probatum manet: Atqui veritas spectat maximè ad philosophiam, siuè vniuersam, vt eum locum Aristotelis explicat P. Fonseca littera *I*, aut primam philosophiam, vt mauult cum multis aliis P. Suarez tom. 1. Metaph. disp. 8. initio; nequit igitur veritas esse obiectum attributionis dialecticæ. Sed superius explicuimus, veritatem longe aliter ad dialecticam spectare, atque ad philosophiam, siue primam, siue vniuersam.

Præterea ex hactenus disputatis solui potest vnde- 30
cima aduersus nostram sententiam difficultas, quam ingerunt verba quædã Arist. Text. illo 3. nuper citato; *speculatiuæ enim finis veritas est, practicæ autem opus*: Vnde sic argues: logica non est scientia speculatiua, sed practica: at esset scientia speculatiua, si haberet pro fine, & obiecto attributionis veritatem, seu verum, quod iuxta est, ergo &c. Minor probatur, quoniam eo scientia practica & speculatiua distinguntur iuxta Aristotelem loco citato, D. Thomam, Scotum & reliquos omnes, quod finis illius est opus, huius verum, siue veritas. Respondeo; scientia speculatiua habet pro fine obiectiuo siue obiecto attributionis verum assequibile, non exequibile: at dialectica habet pro fine obiectiuo ac subiecto verum exequibile; quando ad actus veros aliarum facultatum non solum cognoscendos verum etiam comparandos & efficiendos suaptè natura instituta est: Proinde neque ex eius fine eam speculatiuam esse colligitur, nec etiam è conuerso, ex hoc quod speculatiua non sit, eius finem non esse veritatem infertur.

Duodecima aduersus nostram sententiam difficultas: Ars naufactoria non habet pro fine proximo & intrinseco siue obiecto attributionis rectam nauigationem, quam potius ars nauigandi finem ac veluti cynosuram sibi præstituit, eique se totam attribuit: Nihilominus ars naufactoria ad rectè nauigãdum magnoperè conducit, imo etiã necessaria est: quamuis igitur dialectica conducat ad veritates, & actus rectos aliarum scientiarum, eos tamen dumtaxat respiciet velut finem extrinsecum, & remotum, non verò sicut finem intrinsecum, atque obiectum attributionis. Par argumentum confici potest in arte frænofactoria comparatione rectæ equitationis, de aliis similibus artibus mechanicis, quæ ad fines aliarum superiorum minusque illiberalium instrumenta suppeditant.

Hoc argumentum minus habet in recessu, quam 31
fronte promittit: atque in primis, si cuius esset momenti aut ponderis, & iam ab obiecto formali, & materiali intrinseco dialecticæ, actus aliarum scientiarum relegaret: si quidem naufactoria imperfecta & non architectonica, à qua sola potest argui, de recta nauigatione nullatenus agit. Ad hoc, inter naufactoriam & rectam nauigationem mediat nauis ab vtraque realiter distincta, quæ possit esse finis proximus, & obiectum attributionis naufactoriæ: Cæterum, licet dialectica ad veritates aliarum scientiarum instrumenta suggerat, ea tamen instrumenta non sunt media inter dialecticam & alias scientias ab iisque realiter distincta; quin potius ab ipsa dialectica sunt indistincta; quamobrem præter veritates aliarum scientiarum nihil restat aliud, quod dialecticæ finis proximus & obiectum attributionis esse possit, nisi verò ea sibimetipsi tanquam fini & subiecto contra ius fasque attribuatur. Ratio à priori est, quoniam instrumenta ad alias scientias sunt interiora & intellectualia; instrumenta verò ad fines artium illiberalium sunt exteriora; quo fit,

vt illa non tam sint finis dialecticæ, quàm ipsa dialectica, vt exposuimus supra; hæc vero possint esse finis earum artium, à quibus suppeditantur. Tandem argumentum absque vlla distinctione id assumit, artem naufactoriam non intueri rectam nauigationem veluti finem intrinsecum, & obiectum attributionis. At qui tractatu præcedenti cap. 4. latè ostendimus, fieri posse ac debere, vt ars naufactoria, si perfecta sit & architectonica, rectam nauigationem velut finem & subiectum sensu quodam respiciat.

32 Decima tertia aduersùs nostram sententiam difficultas. Quæuis scientia totalis definit suum subiectum, & docet quid sit; quo pacto metaphysica naturam & quidditatem entis vt sic; physica entis naturalis; mathematica quantitatis continuæ: & Theologia Dei, explanant. Dialectica autem non definit, quid sit veritas in communi, & quatenus ab actu falso differat, & num in complexione actus & obiecti consistat: hæc enim & similia animasticæ scientiæ propria esse tradit ex communi sententia P. Suar. t. 1. met. disp. 8. ipso initio: veritas igitur nequit esse subiectum dialecticæ. Respondeo, in primis dialectici muneris esse, definire quid sit actus verus, & in quo à falso differat, vt liquet ex Aristotele, qui in sua logica lib. 1. de interpret. c. 4. id præstat: eius methodum sequuntur innumeri scholastici, qui logicam profitentes multa in ea de veritatis natura disserunt. Atque mihi exploratum est, dialecticam perfectam & multis speculationibus intermistam muneri suo defuturam, si veritatis naturam exactè non explanaret, eamque circa quæstiones omnes non dissolueret. Vlterius respondeo, non esse de ratione facultatis duntaxat practicæ vt subiectum suum definiat, eiusque naturam adamussim explicet, tametsi in facultatibus speculatiuis secus vsu veniat; nam vt cap. super. exposuimus, ars pictoria non definit, quid sit imago, nec curat in quo eius essentia sita. Proinde si sumatur logica vt ars solum practica & ab omni speculatione seiuncta, poterit habere veritatem pro fine ac subiecto, quin hoc nomine vlla ei accrescat definiendæ obligatio. Atque de logica ita sumpta reor loquutos P. Suar. supra laudatum aliosque authores, quoties non ad eam sed ad scientiam animasticam spectare docent, quid sit veritas nostrorum actuum, & quæcunque circa eius quidditatem & naturam disputari consueuerunt.

33 Decima quarta aduersùs nostram opinionem difficultas: Nulla ars adinuenta est ad ea quæ sunt rei alicui necessaria: atqui veritas est proprietas nostrorum actuum eos necessaria ratione consequens: igitur dialectica ars propter veritatem veluti proprium finem subiectumque instituta esse nequit. Maior perspicua est: haud enim ars vlla est inuenta, vt lapis v. g. duritiem, frigiditatem, ponderositatem, coloremque natiuum habeat, scilicet quoniam eiusmodi proprietates eius naturam necessariò sequuntur, eique sunt debitæ: vt verò formam aliquam peregrinam indicat, & hominis, leonis, alteriusque animantis aut rei inanimæ speciem effingat, arte opus est: videlicet, quia eiusce modi forma ac species ei non est necessaria, sed potius adesse & abesse potest pro artificum arbitrio: quæ ergo alicui necessario conueniunt, circa ea quæuis ars est superuacanea. Minor etiam non minus perspicua videtur: namque fieri nequit, vt hic actus, *homo est animal rationale*, aliusve quiuis definiens aut demonstrans menti inexistat, quin hoc ipso verus sit, & hæc illum proprietas sequatur, ea quidem necessitate qua ex lapidis essentia nuper recensitæ eius proprietates emanant; quocirca, vt conclusum est, quam circa illas nulla est ars, tam circa veritatem quæuis est reiicienda. Confirmatur, quoniam praxis siue obiectum notitiæ practicæ debet esse opus liberum, & non necessarium: aliàs visio beata, operatio belluina, verbum diuinum forent praxes, obiectum autem attributionis dialecticæ est obiectum scientiæ practicæ: debet igitur esse opus liberum & non necessarium: haud ergo est veritas, quæ actuum nostrorum proprietas necessaria est: Qua propter finis & obiectum attributionis dialecticæ debet esse artificiosa dispositio actuum intellectus, quam, si consequatur, non est quod de veritate solicita sit: ea enim naturaliter & absque vllius artis ope ex ipsis actibus, in ipsos resultabit.

Principio retorquetur obiecta difficultas: namque honestas ac rectitudo moralis actuum voluntatis eorum est proprietas necessaria, fierique nequit, vt affectus nostri in bonum morale ferantur, quin eo ipso sint boni & recti: nihilominus propter bonitatem moralem nostrorum actuum & effectuum ars quædam & facultas practica est adinuenta, nempe ethica. Itē secundò, hunc actū, *homo est animal rationale*, necessario sequitur artificium definitionis non minus quam veritas; & sicut nequit non esse verus, ita etiam nullatenus fieri potest, vt non sit definitio: & tamen propter artificium definitionis aliudque quoduis simile ars dialectica vtiliter est instituta: quidni ergo & propter veritatem? Ad hæc, multi censent veritatem esse reipsa intrinsecam & essentialem omnibus actibus veris: Hoc autem vniuersim probabile est: cæterum, si sermo sit de actibus aliarum scientiarum, qui sunt in materia non contingenti sed necessaria, & qui fermè soli respiciuntur à dialectica, illud omnino verum certumque arbitror: quemadmodum ergo ipsi actus scientifici & intellectuales nobis sunt liberi, atque in nostra potestate & arbitrio siti, ita etiam veritas ab eis omnino indistincta, erit etiam reapse nobis libera & non necessaria; sicut ad artis finem ac subiectum oportet; Quin etiam, vt veritas nobis ita sit libera, satis superque est, vt aliqua ex parte in actibus intellectus nobis liberis, & à nostræ voluntatis imperio pendulis intrinsecè consistat, esto etiam rem cognitam vlterius includat: tota enim complexio censetur causæ alicui libera, quoties aliqua eius pars in arbitrio & libertate talis causæ posita est: quo pacto denominatio volentis citra dubium libera est, cum tamen sola vna eius pars nempe forma, non vero subiectum libertatem habeat. Tandem permitto, veritatem esse proprietatem omninò distinctam ab actibus nostris, ex eisque necessario promanantem: hoc permisso ea nihilominus erit libera, & in nostra potestate sita, saltem fundamento tenus, & per denominationem ab actibus nostris nobis haud dubie voluntariis; quod sufficit vt illa pretium artis, & operę sit, sicut constat exemplis toto hoc numero adductis, neq; non etiam, quia idcirco proprietates naturales lapidis nobis obiectæ nulli subiiciuntur arti, quoniam earum fundamentum naturaliter, ac necessario existit, & non artis, aut arbitrij nostri, sed solius naturæ opus est. Confirmatio autem argumenti parum momentosa est; tum quia veritatem multifariam esse liberam hactenus ostendi: quidni ergo sit obiectum attributionis practicæ scientiæ, cuiusmodi est dialectica? Tum etiam quia opus necessarium posse nihilominus esse praxim, siue obiici notitiæ practicæ tract. sequent. clarebit, vbi etiam exemplis visionis beatæ, operationis belluinæ, & Verbi diuini fiet satis: quamquam ergo veritas esset 34

omnino

omnino necessaria, hoc tamen nomine ab obiecto attributionis dialecticæ non deberet excludi.

35 Decima quinta contra nostram opinionem difficultas, à quibusdam neotericis obiecta: logica non tantum verum, sed etiam verisimile sectatur; docet enim probabiliter in vtramque partem disputare: eius igitur finis vnicus, & obiectum attributionis non est veritas. Respondeo, id quod est verisimile, ac probabile frequenter verum esse, & semper verum cum fundamento apparere: logica ergo illud intendit, ac profitetur propter veritatem, quam frequenter habet, & quam semper habere, prudenter iudicatur, ac proinde veritas sola est finis & obiectum attributionis huius scientiæ. Sic medicina non tantum docet quomodo corpus possit certò, & infallibiliter curari, sed etiam quo pacto verisimiliter, & contingenter sanari valeat: nihilominus sanitas absolutè dicitur finis, & obiectum attributionis medicinæ. Vno verbo, veritas provt abstracta à probabili, & euidenti, certa, & incerta dialecticæ subiicitur, & eius est finis vltimus: hoc autem ad summum probat ratio nobis obiecta; nobis autem haud obest, sed potius prodest.

36 Decima sexta ratio à neotericis etiam obiecta: veritas per se nota rationem formalem veritatis participat, & tamen non est subiectum Logicæ; veritas ergo absolutè, & vniuersaliter sumpta perperam logicæ velut obiectum attributionis, ac finis præstituitur. Respondeo, honestas moralis omninò necessaria quâ v.g. beatus Deum amat, participat rationem formalem honestatis, & tamen non est subiectum ethicæ, illiusve scientiæ humanæ, cum sit supernaturalis; bonitas ergo moralis eius facultatis subiectum non erit, si cuius est momenti prædictum argumentum: Rursus sanitas miraculosa, & infusa non est subiectum aut finis artis medicinæ, & tamen rationem formalem sanitatis sortitur: Deinde pictura diuinitus, & per miraculum facta, cuiusmodi in sacris historiis referuntur non paucæ, non est finis artis pingendi, sed suprà eam, omnesque naturæ vires est, & tamen veram habet rationem picturæ: Par est ratio aliarum facultatum, omnium ergo fines, & subiecta eo impetuntur argumento. Rursus dialecticæ munus est veritates per se notas tueri, easque demonstrare; etenim Deum esse iuxta Ægidium in primũ dist. 3. q. 2. Argent. Albert. Antisiodor. Lyranum, Abul. alióque scholasticos, & Patres est per se notum, at quibus id modis defendi, ac demonstrari queat, dialectica instituit. Item quid per se notius, quam duas contradictorias simul veras, aut simul falsas esse non posse? atqui dialectica id probat ex his principiis, *impossibile est idem esse, & non esse: quodlibet est, vel non est.* Proinde veritas etiam per se nota dialecticæ sparta, & finis quodammodo est. Denique finis dialecticæ est veritas omnis, quæ sub artem, ac disciplinam cadit, quod si veritas per se nota sub eam nullatenus cadit, nihil quidem refert, quod dialecticæ non sit finis & obiectum attributionis, neque enim inde argui potest ad alias veritates, quæ ab ea sunt dirigibiles: atque, vt quod sentio semel dicam, veritas per se nota, provt per se nota, non est subiectum logicæ; sin autem sumatur, provt est veritas aliunde probabilis, vel demonstrabilis, ita quidem non recuso, quin dialecticæ sit finis, eique subiiciatur.

37 Decima septima eorundem obiectio est, subiectum Medicinæ esse corpus sanum, non solam sanitatem; Grammaticæ orationem congruam, non congruitatem tantum; ethicæ opus honestum, & non modò honestatem; atque vniuersim omnis artis practicæ non formam artificiosam, sed totum artefactum: sola igitur veritas non est subiectum logicæ, sed ad summum actus verus. Cæterum qui sic arguunt fingunt hostem quem feriant: quod enim actus verus sit Dialecticæ finis & obiectum attributionis est ipsa nostræ sententiæ medulla: tantum abest, vt id vnquam negauerimus. Diximus quidem absolutè, veritatem huius scientiæ subiectum ac finem esse; sed quis tam tardus sit, vt id non de veritate in concreto sumpta siue actu vero intelligat? haud aliter atque cum visio Dei dici solet noster vltimus finis, eo ipso Deum visum esse finem ab omnibus censetur, quin sit vllus, qui horum alterum ab altero seiungat: atque etiam non secus ac ipsi veritatem formalem ita dialecticæ finem præfiximus, vt eandem finis dignitatem rei ab ea denominatæ, ac verè cognitæ tribuerimus: & quidem non tantum formam, sed totum artefactum esse subiectum cuiuslibet artis docet Arist. 2. politicor. c. 5. & ex eo Conimb. supra quæst. 5. art. 20. & reliqui communiter.

Decima aduersus nostram sententiam difficultas esto: obiectum attributionis scientiæ est eius obiectum adæquatum: sed veritas non est obiectum adæquatum logicæ, vt potè quæ non obiicitur omnibus eius actibus: Multa enim præter illam à Dialectica considerantur, videlicet res, actus intellectus, voces, & cætera. Minorem huius argumenti indubiam arbitror: Maior haud adeò constans est inter authores Hurtadus disp. 1. log. s. 2. §. 8. Rodericus & alij negant, obiectum attributionis scientiæ propriè esse eius obiectum adæquatum: alij plures id affirmant: ipse distinguendum arbitror obiectum adæquatum in intrinsecum & extrinsecum: obiectum adæquatum intrinsecum est id, in quod omnes scientiæ actus intrinsecè feruntur: adæquatum extrinsecum est, in quod saltem extrinsecè tendunt; tum autem actus in obiectum aliquod extrinsecè fertur & contendit, quando ab intrinseca eius notitia originem trahit: Ita obiectum attributionis scientiæ non est obiectum eius adæquatum intrinsecum, cum plures actus scientifici illud proximè non respiciant, at vero est obiectum adæquatum extrinsecum totius scientiæ, cum nullus eius actus sit, qui aut obiectum attributionis intrinsecè ac proximè non attingat, vel certè ab eius notitia intrinseca seu practica seu speculatiua non oriatur tanquam à causa finali, eò quod ad illam comparandam naturaliter aut arbitrariè sit institutus. Hinc autem constat, veritatem posse esse obiectum attributionis dialecticæ; eius enim est obiectum adæquatum si non intrinsecum, at extrinsecum saltem: Neque oppositum ratio facta conuincit. 38

Decima nona difficultas: Quemadmodum se habet ethica circa actus voluntatis, ita dialectica circa actus intellectus: sed obiectum attributionis ethicæ non est honestas ac bonitas actuum nostrorum: ergo nec eorum veritas formalis dialecticæ subiicietur. Maior est nostra: minor suadetur; nam potius beatitudo naturalis est obiectum attributionis ethicæ: hoc enim cum fine vltimo & intrinseco scientiæ prorsus est idem, vt ex supradictis claret, beatitudo autem est finis vltimus ethicæ, quæ non illam ad honestatem moralem, sed, hanc & reliqua sua obiecta ad beatitudinem porro dirigit, atque nihil tractat nisi vt medium ad eam consequendam: rursus est finis non solum vltimus sed etiam intrinsecus ethicæ, vtpotè quæ docet quatenus fœlicitas humana nostris actibus sit comparanda. 39

Sed argumentum hoc omnium de obiecto attri- 40

butionis logicæ sententias inuadit : etenim si non honestas nostrorum actuum aut ipsimet actus nostri quomodolibet sumpti , aut etiam ens morale , sed beatitudo ab his distincta & eis posterior, est ethicæ finis ac subiectum , pari iure non solum veritas actuum intellectus, imò nec ipsi actus videlicet definitio , diuisio , demonstratio , propositio , aliiue qualeslibet , aut etiam ens rationis erunt obiectum attributionis dialecticæ. Præcisè respondeo , beatitudinem quidem esse obiectum attributionis , ac finem vltimum & intrinsecum ethicæ , vt probat argumentum , & perspicuè docet Aristoteles 1. eth. cap. 13. *quoniam felicitas anima per virtutem perfectam operatio quædam est , de virtute considerandum videtur : hoc enim modo fortasse efficietur , vt melius de fœlicitate etiam contemplemur.* Cæterum beatitudinem non nudè sumptam , sed prout maximè consequibilem merito honestatis ac rectitudinis moralis , eiusmodi rationem finis ac subiecti obtinere , sicut animaduertit Auersa quæst. 2. log. s. 5. parum ab initio, Henricus Kresbein in proleg.Eth. Conimbr. etiam in procem. Eth. & in vestibulo disp. 1. & alij quos refert Piccolomineus in introd. cap. 2. Cum ergo honestas nostrorum actuum constituat beatitudinem naturalem proximè consequibilem , & beatitudo nisi vt ita consequibilis non sit obiectum attributionis ethicæ ; sanè hæc etiam honestatem actuum voluntatis velut subiectum respicit : nihil ergo vetat , quo minus veritas similiter logicæ nostræ tanquam finis subiiciatur. Id tamen discriminis est inter logicam & ethicam , vt simili in re notauit Auersa loco citato, quod ethica aliud præter honestatem intrinsecè attingit , scilicet beatitudinem ea comparandam : vnde finis ethicæ eius præceptis consequibilis non vnus sed duplex est , beatitudo videlicet & honestas moralis, hæc finis *quo* , illa finis *qui* : vterque autem vnum subiectum constituit ac perficit. Cæterum dialectica ita considerat veritatem actuum intellectus , vt eam in aliud nihil vlterius referat , quod ipsa intrinsecè respiciat : proinde sola veritas erit eius subiectum & vltimus finis.

41 Vigesima aduersùs nostram sententiam difficultas , & superioris confirmatio. Argumentum illud quo superius probare conati sumus , veritatem esse obiectum attributionis dialecticæ , propter id quod honestas moralis est subiectum ethicæ , vt alicuius esset roboris ; profectò talis honestas deberet iuxtà omnes ethicæ subiici , & vltimus finis ac obiectum attributionis esse ; at plerique contrarium docent, vt cernere est apud P. Theophil. in prologo discip. moral. §. 2. n. 10. Respondeo, neminem esse, qui reuera honestatem seu rectitudinem moralem nostrorum actuum non censeat esse obiectum attributionis ethicæ: Qui enim docent beatitudinem eius esse subiectum, loquuntur de beatitudine provt exequibili per actus rectos & honestos ; hos ergo à ratione subiecti non excludunt : Præterea, qui hominem vt agentem liberè, cum Donato Acciaiolo , vel vt voluntariè agentem propter finem vtique hominis proprium & vltimum , cum B. Thoma 1. eth. lec. 1. volunt esse subiectum ethicæ , nobiscum etiam faciunt ; cum libera & voluntaria actio hominis ad eius finem conducens debeat esse honesta ac recta. Deinde eandem honestatem adhuc clarius ethicæ velut finem subiiciunt , qui eius subiectum volunt esse cum Iauello hominem vt mente sanabilem; cum Alberto bonum hominis vt homo est ; cum Aureolo hominem vt ratione dirigibilem, & cum aliis ideam rectarum mentis operationum. Vide P. Theophilum suprà n. 22. nobiscum sentientem , & reliquorum sententias nostræ conciliantem, solito acumine & eruditione.

Postrema aduersùs nostram sententiam difficultas, est quam facessunt tot obiecta attributionis logicæ ab aliis assignata: Eorum tamen siluulam cap. seq. præcidemus. 42

CAPVT V.

Quatenus alij de obiecto attributionis dialecticæ sentiant?

PRima sententia est , actum intellectus in communi, & provt comprehendit apprehensionem, iudicium, & discursum esse subiectum dialecticæ: Ita Algazel in log. c. 1. & 2. ac nonnulli apud Scotum q. 1. de prædicab. item directè, Auersa q. 2. log. s. 5. concluf. 1. vbi alios multos in eandem sententiam trahere conatur, sed vereor ne inuitos: referri etiam solent Aristoteles, Augustinus, Isidorus, Fabius, Zeno, Stoicus, & alij plures , eò quod logicam scientiam rationalem vocent; quasi vero ita appellari non posset, propter id quod rationis maximum bonum, eius scilicet veritas & rectitudo, sit eius subiectum, quin necesse sit ipsos rationis actus quomodocunque aliter sumptos aut secundum se spectatos eam subiecti rationem obtinere , vt aduersarij nominis ethymo abutentes contendunt. Altera sententia est propositionem siue iudicium esse obiectum attributionis dialecticæ: pro qua referri ab aliquibus solent Stoici apud Ciceronem initio topicorum ad Trebatium, quod ibi dicantur ea scientia quæ dialectica appellatur, iudicandi vias diligenter perscrutatos fuisse. Cæterum nihil fauent: tum quia sermonem habent de dialectica non latè & vniuersaliter sumpta, sed de ea strictius vlurpata , & prout vnam differendi rationem , videlicet iudicandi, non verò aliam, nempe topicam siue inueniendi artem complectitur: vt constat ex Cicerone loco citato : tum etiam quia illa ipsa pars dialecticæ, de qua loquuntur iuxta ipsos non habet pro subiecto iudicium prout est secunda mentis operatio magis quam prout est tertia & ex præmissis effecta : imò iudicium neutro modo sumptum iuxtà eos est obiectum attributionis logicæ, sed duntaxat quatenus verum à falso dilucidat, vt ex ipsis c. 1. ostendimus. Tertia sententia nuper relatæ affinis, est quorundam recentiorum opinantium ens enunciabile tam formale quam obiectiuum , siue enunciationem & rem enunciatam , esse subiectum logicæ : arbitror tamen hanc sententiam frustrà adinuentam esse , post illam priorem , vt potè quæ propositionem dialecticæ subiiciens , rem ea cognitam ac iudicatam etiam à ratione talis subiecti non excludit, haud aliter atque cum visio Dei dicitur finis vltimus hominis eiusque beatitudo supernaturalis, eo ipso Deus esse etiam finis & beatitudo nostra non negatur, sed affirmatur. 43

Quarta sententia quam nouissimè tuetur P. Compton disput. 7. log. à sect. 4. est definitionem esse obiectum attributionis logicæ. Pro hac opinione referri potest Plato dial. 7. de republica ibi ; *at enim nisi quis inquam & accipere possit , & reddere rationem nunquam sciet quicquam eorum, quæ esse dicimus cognoscenda. Nonne hæc iam lex est in quam ô Glauco, quæ per differendi artem ostenditur.* Et paulo infra; *nemo autem aduersabitur nobis dicentibus, quod differendi facultas duntaxat, conatur ordine certo circa vnumquodque quid ipsum sit inuenire.* Et paulo etiam 44

etiam inferius; *an non dialecticum vocas eum qui rationem cuiuslibet capit essentiæ?* Ecce videtur Plato docere dialecticam, artemve disserendi solam intueri velut subiectum, finemque definitionem: quâ cuiuslibet rei ratio reddi possit, & accipi, siue qua quid vnumquodque sit, inuenitur. At Plato me iudice in alia sententia est, tantumque id vult dialecticæ munus esse veritatem definiendo consequi, haud tamen negat eam provt quouis alio modo consequibilem dialecticæ subiici, eiusque finem esse. Fortassis etiam de vnà tantum parte dialecticæ loquitur, eiusque obiectum attributionis veritatem solius definitionis asserit, quod nobis non aduersatur, qui de dialectica vniuersaliter, & latissimè fusa sermonem habemus. Referri etiam potest pro eadem sententia Aristoteles 7. Metaphys. text. 4. *Scire etiam tunc putamus vnumquodque magis, cum quid est homo, aut ignis sciamus, quam quale, aut quãtum, aut vbi; nam & horum ipsorum tunc vnumquodque scimus, cum quid est ipsum quale, aut ipsum quantum sciamus.* Et 3. Metaphys. text. 3. *cum enim multipliciter sit idem scire, magis quidem illum scire dicimus, qui rem quid nam sit ipso esse cognoscat;* & paulo inferius; *tunc scire vnumquodque eorum etiam quorum demonstratione sunt, arbitramur, cum quid est sciamus, vt quid Tetragonismos inuentio mediæ est.* Et 2. post. cap. 2. *definitionem namque habens sine demonstratione sciet.* Vnde sic argui potest: Dialectica est ars siue modus sciendi iuxtà omnes; habet ergo pro fine & obiecto attributionis scire; Cum ergo Aristoteles locis adductis doceat, rem maximè sciri per definitionem, hanc vtique dialecticæ subiicit, finemque vltimum præstituit. Sed frustra allegatur pro hac sententia Aristoteles: quamuis enim scientiam rei sensu quodam stricto vsurpatam, eius definitionem esse censeat: cæterum, vt superius vidimus, scire latius patet iuxta eum & reliquos, & perinde est ac rem verè cognoscere siue quoad eius quidditatem, siue quoad aliud quodcumque: quapropter vera rei cognitio, qualis qualis sit, artis dialecticæ & modi sciendi finis intrinsecus erit, si Aristotelicam sequamur doctrinam. Atque ex his patet ad argumenta Comptoni.

45 Quinta sententia est, diuisionem esse obiectum attributionis dialecticæ: pro quo referri potest Plato in Sophista; *Per genera diuidere, & neque eandem speciem alteram putare, neque alteram rursus eandem esse nonne dialecticæ officium esse dicemus? quicumque hoc agere potest, vnam ideam per multa vnoquoque seorsum posito passim porrectam acutè persentit, & multas, quæ diuersa inter se sunt extrinsecus sub vna comprehensas, & vnam rursus per tota illa quæ multa sunt in vno copulatam, & multas seorsum vndique distinctas: Hoc autem est scire per genus discernere qua singula vicissim communicare possunt & qua non possunt.* Præterea in Phædro sic ait; *huiusmodi ergo diuisiones collectioneque ô Phædre amo, quo & intelligendi & loquendi sim compos. Ac si quem alium vnum & multa, pro rerum natura perspicere posse arbitror, eius ego vestigia velut numinis cuiusdam sequor: atque eos qui id facere possunt, rectene an contra cognominem, Deus ipse nouit: voco autem hactenus dialecticos,* quibus verbis videtur Plato in ea esse sententia vt existimet proprium finem ac subiectum dialecticæ esse, per genera diuidere, idæas inuicem separare ac discernere, vnum & multa perspicere. Confirmatur ex iis quæ paulò infra in Phædro subiungit; *medendi artis atque dicendi eadem fermè ratio est: in vtrisque partiri naturam oportet, corporis quidem in vna, in altera animæ, si modo non exercitatione solum & vsu, verumetiam corpori medicinas & alimenta ita sis præbiturus, vt & sanum & robustum efficias, animæ autem per rationes legitimasque institutiones persuasionem affatim, virtutemque adhibiturus.* Hæc Plato; quod si diuidere naturam animæ, id est verba externa ab anima nascentia & prodeuntia est finis artis dicendi siue rhetoricæ, sanè diuidere verba interna & conceptus mentis eorumque obiecta quatenus talia finis erit dialecticæ, quæ circa verba interna non aliter versatur, atque rhetorica circa externa. Paulò etiam inferius ibidem sic ait; & superiora iterat & confirmat; *nisi auditorum quis ingenia nouerit distinxeritque, atque res ipsas in species suas discreuerit, rursusque singulas idæas vna comprehenderit, nunquam dicendi artem quoad homini licet adipiscetur.* En quatenus distinguere, siue diuidere rem per verba externa est finis artis dicendi siue rhetoricæ iuxta Platonem: ergo secundum eum diuisio rei per verba interna & conceptus erit finis siue obiectum attributionis artis disserendi ac dialecticæ nostræ. Verùm de mente Platonis satis constat, eumque potius veritatem dialecticæ quàm late patet, finem ac subiectum præstituisse nemo dubitabit, qui eius verba initio huius tractatus à nobis allegata perpenderit. Quæ autem modo allegantur ex Sophista & Phædro facilem habent explicatum: aliud enim est, dialecticæ munus esse diuidere, quod solum Plato edocuit, neque nobis aduersatur: aliud, hoc eius esse finem vnicum & adæquatum, siue eius subiectum, quod ille nunquam & nusquam asseruit. Forsitan etiam non de logica adæquate sumpta, sed de vna tantum eius parte sermonem habuit, si quando diuisionem logicæ subiectum insinuauit. His duobus modis paulò supra exposuimus ea illius verba, quibus definitionem huic scientiæ subiicere videbatur. Porro eadem ratione qua Plato, exponendus etiam est Clemens Alexendrinus lib. 6. stromat. *Quin etiam dialectica vtetur is qui est cognitione præditus, eligens diuisionem generis in species; & adducet eorum quæ sunt distinctionem, donec attigerit prima & simplicia.* Sed vt dixi eundem quem Plato, in cuius doctrina fuit versatissimus explicatum capit.

Sexta sententia est, solam demonstrationem esse 46
obiectum attributionis dialecticæ, eiusque, quod aiunt, summum & vltimum. Ita Simplicius, Ammonius Philoponus, Hurtadus disp. 1. logic. sect. 7. Rodericus & alij neoterici. Citari etiam solet Aristoteles cum aliis in locis, tum maximè cap. 1. text. 1. prior. analytic. *Primo dicere oportet, circa quid & cuiusnam sit hac præsens consideratio. Atque est circa demonstrationem, & est scientiæ demonstrandi.* Quibus verbis videtur, demonstrationem sibi proponere tanquam subiectum, de quo in dialectica sua disserat. Sed vt rectè animaduertunt in præsenti Cardin. Toletus & Conimbr. ille qu. 5. procem. fine, hi etiam quæst. 5. art. 3. solius logicæ analyticæ seu resolutoriæ conclusionum in præmissas, demonstrationem perfectam ac strictè sumptam, aut certè eam latius & pro quacunque argumentatione vsurpatam, subiectum finemque esse, non verò logicæ vniuersaliter sumptæ, atque in omnes suas partes fusæ, colligitur ex allegatis Aristotelis verbis, nimirum quæ non toti logicæ, sed tantum operi analytico proœmiantur. Nisi verò sermo ei fuerit non de obiecto attributionis dialecticæ, sed de eius principali attributo, vt mauult. Fonseca lib. 2. met. cap. 3. quæst. 1. sect. 4.

Septima sententia est, modum sciendi, provt de- 47
finitionem, diuisionem, & argumentationem comprehen

prehendit, huius facultatis subiectum esse. Eam sequitur P. Suar. disp. 1. met. sect. 4. Tartaretus in titulum Summul. Pet. Hispani art. 3. Mercado q. 1. Fonseca supra q. 1. sect. 5. Conimb. supra art. 3. Bernard. Mirandulanus initio log. Balthasar Tellez in annotatiunculis proœmialibus summæ philosophicæ. Laudari etiam pro ea solet Aristot. lib. 2. Metaph. tex 15. quod ibi logicam vocet modum sciendi, quo etiam nomine eam appellat August. lib. 2. de ordine c. 13. inquiens; *illa igitur ratio perfecta dispositaque grammatica, admonita est, quærere atque attendere hanc ipsam vim, quæ peperit artem: Nam eam definiendo, distribuendo, colligendo, non solum digesserat atque ordinauerat, verum ab omni etiam falsitatis irreptione defenderat. Quando ergo transiret ad alia fabricanda? nisi ipsa sua prius quasi quædam machinamenta & instrumenta distingueret, notaret, digereret proderetque ipsam disciplinam disciplinarum, quam dialecticam vocant.* Sed enim Aristoteles & August., huic sententiæ potius sunt contrarij, namque, iuxta eos modus siue instrumentum sciendi est ipsa logica, qui ergo fieri potest, vt hæc eum velut obiectum attributionis respiciat; id enim esset semetipsam solam intueri, cum tamen nulla sit scientia, quæ plus non polliceatur.

48 Octaua sententia est Auicennæ initio logicæ atque aliorum Arabum: sic docet modum sciendi astrictius sumptum, & quatenus solam definitionem, ac demonstrationem complectitur huius scientiæ subiectum esse.

Nona sententia est, argumentationem provt in syllogismum, demonstrationem, enthymema, & reliquas omnes species suas manat, ac funditur dialecticæ obiectum attributionis esse: Ita Albertus Magnus in lib. prædicab. cap. 4.

Decima sententia syllogismum statuit esse subiectum logicæ. Ita Scotus q. 3. de prædic. & assectæ. Refertur etiam Clemens Alexand. lib. 1. stomatum; *Poëtæ modos, dictionem Rhetores, & syllogismos dialectici, & philosophi apprehendant eam, quæ ad se pertinent contemplationem*; Sed de subiecto his verbis sermo est, sed de principali obiecto dialecticæ, siue sit attributum siue obiectum attributionis, nam quæ dictio est communis rhetoricæ, grammaticæ, est etiam poeticæ; non ergo assignatur rhetoricæ velut subiectum, vtpote quod duabus facultatibus nequit esse commune; haud ergo necesse est vt syllogismus eo loci tanquam subiectum logicæ tribuatur. Vndecima sententia conclusioni demonstratiuæ, Duodecima conclusioni syllogisticæ, decima tertia cuicumque totam logicam attribuit ac velut subiecto superimponit: ita alij alijque neoterici. Decima quarta mauult consequentiam, siue illationem aut originem conclusionis à præmissis esse subiectum dialecticæ artis. Decima quinta Thomistarum præsertim recentium, quorum supra meminimus tract. præced. opinio est ens rationis logicæ summum, & vltimum esse. Decimasexta Aureoli, &, vt refertur, Nominalium sententiæ voces logicæ finem ac subiectum tuetur. Decimaseptima secta est, eorum quos tacitis nominibus refert P. Rodericus disp. 2. log. s. 5. subs. 1. Hi vt in met. lib. 8. tract. 5. cap. 5. videbimus, quatuor obiecta attributionis in vnam logicam accumulant, videlicet propositionem, argumentationem, modum sciendi, & actum intellectus in communi. Decima octaua opinio est eorum, qui, iuxta doctrinam Gal. & Bonau. in met. lib. 8 tractatu 5. c. 6. n. 56. censent, triplex esse obiectum attributionis logicæ; primum velut totum radicale, nempe terminum, secundum velut totum vniuersale, scilicet actum intellectus latissimè fusum, tertium velut totum integrale, videlicet demonstrationem, aut iuxta alios syllogismum.

Decima nona sententia est aliquorum qui iuxta doctrinam tractatu præced cap. vltimo num. 56. relatam & ipsis familiarem duplex statuunt obiectum attributionis siue subiectum adæquatum logicæ, aliud scibile tantum, aliud scibile simul & operabile; Prius subiectum aiunt esse ens latissime fusum in omnia entia tam realia quam rationis, non tamen physicè tantum & primo intentionaliter sumptum, sed secundo intentionaliter, & provt esse potest subiectum, prædicatum, medium, aut extremum maius minusve genus aut species, vniuersale aut indiuiduum, definitum, diuisum, demonstratum aliaue simili affectum denominatione; Posterius subiectum iuxta eos est syllogismus. Prætermissa huius opinionis secunda parte Scoto & assectis haud dubie placitura, vt paulo supra visum, referri solent pro priori eius parte August. cap. 3. de Categ. ibi de Arist. quem sequitur sic loquens *cum de perceptis proposuerit disputare, & de his quæ sunt, & de his quæ dicuntur necessario loquuturus est.* Vbi per ea quæ sunt ens intelligendum est: hoc ergo iuxta August. Dialecticæ subiicitur Item Arist. ipse 4. metaph. cap. 2. *circa idem genus sophistica & Dialectica cum Philosophia versatur*; & paululum antea; *ens vero commune omnibus est.* Deinde D. Thom. opusc. 56. *Manifestum est, quod logica notum faciat de omnibus entibus in communi.* Sed his testimoniis id tantum conuincitur, ens in communi siue res esse obiectum formale & immediatum Dialecticæ, vt expendimus supra tract. 3. c. 4. num. 42. Neque refert logicam, ac Metaphysicam dici habere idem subiectum, nempe ens in communi, nam sensus huius est, ens esse vtriusq; subiectum, prædicationis quidem, non vero attributionis: Horum autem subiectorum discrimen, etsi huius sententiæ patronis aduersetur, rationi tamen consentaneum esse, & reliquis omnibus scholasticis familiare ostendimus in Metaph. lib. 8. tract. 5. cap. 6. n. 57. Frustra ergo prædicta testimonia à suo scopo in alium detorquentur. 49

Verum enim vero transeat idem esse subiectum prædicationis, & subiectum attributionis, adeoque de hoc sermonem esse locis illis quibus magna nomina Aristotelis, Augustini, & Thomæ nobis opponuntur: nihilominus exinde tantum fiet ens communissimum, siue res esse obiectum attributionis logicæ provt subest definitioni, aut demonstrationi, aut syllogismo, aut actui vero, aut alij alicui intentioni secundæ: hoc autem pacto quis neget ens esse obiectum attributionis logicæ, arbitror esse neminem, nisi fortassis paucos Thomistas, qui subiectum attributionis cum ratione formali confundunt: Quemadmodum enim visio beatifica à nullo censetur finis noster vltimus, quin etiam Deus respectu illius, ac provt visus eandem rationem finis obtineat, ita nec syllogismus, nec demonstratio, ne actus verus, nec alia intentio secunda finis dialecticæ, eiusque obiectum attributionis sine re cognita ab illo fermè existimatur: Quorsum ergo testimoniorū apparatus ille, qui nullis minus obest, quam illis aduersus quos affertur, nullisque minus prodest, quam iis pro quibus apportatur? Quapropter ego sententiam hanc decimamnonam, quatenus statuit ens esse obiectum attributionis dialecticæ, aut euidenter falsam, aut certè solarum vocum dissidio à cæteris diuersam, ac proinde ex vano adinuentam arbitror: Etenim aut ens primo intentionaliter, & physicè duntaxat sumptum, nulloque secundarum intentionum respectu 50

habito

habito subiectum logicæ facit ; atqui ens ita acceptum videlicet sine respectu ad rationis opus , cui subsit, nihilominus scientiæ, non reali, sed rationali velut proprium subiectum adscribere, ab omni prorsus ratione alienum est,& non solum à vero, sed etiã ab omni eius similitudine multum abscedit:sin autẽ ea sententia ens secundo intentionaliter sumptum, & provt obiectum alicuius secundæ intentionis dialecticæ subiicit , ac velut genus præstituit, nihil noui affert præter solas voces,& earum abusum omnes enim fermè auctores ens hoc posteriori modo vsurpatum dialecticæ subiiciunt , eiusque genus esse velut exploratum supponunt : Non aliud tamen subiectum illud vocant ab eo quod dialecticis regulis principalirer operabile censent, & quidem iure optimo,vt visionis beatæ,Deique per eam visi exemplo, iterum, iterumque explicuimus. Postrema sententia est Zabarellæ lib.1.de natura logicæ cap.17. nullum esse subiectum dialecticæ propriè sumptum.

51 Hæ sunt sententiæ , quas inuenire potui de obiecto attributionis , ac fine dialecticæ : eas tot fuisse non demiror , cum de fine hominis , quo inter homines nihil exploratius deberet esse , ducentas tamen & octoginta octo sectas distinxerit Varro apud Augustinum de ciuitate Dei lib. 19. cap. 1. Porrò autem quas hactenus suo ordine retuli , eas etiam viritim refellere prolixum, ac superuacaneum esset; proinde satis habeo illas veluti transitu quodam perstringere , ac summa sequi fastigia rerum. Imprimis ergo, quæ adduci solent testimonia Aristotelis , Platonis , Augustini, Clementis , & aliorum pro prædictis sententiis parum eis fauere, vel hoc ipso cap. ostensum manet. Adhæc , omnes rationes , quibus nostra de obiecto attributionis dialecticæ opinio probata est , quæ quam efficaces sunt aliorum iudicio relinquo,eæ nuper memoratas sententias improbant:Aliæ etiam rationes hoc cap.aduersus eas sunt insinuatæ. Rursus quas recensuimus opiniones aliæ assumunt relationem attributorum ad subiectum tam in scientiis practicis , quam speculatiuis esse dumtaxat arbitrariam , siue ex instituto , plerique verò in vtrisque tantum naturalem , & à cuiusuis arbitrio independentem : Harum etiam plures eam esse in esse cognito , siue cognitionum omnium ad aliquam vltimam potissime intentam , non paucæ verò in esse solius rei : præterea aliquæ ad subiectum exigunt , vt sit magis perfectum obiectum totius scientiæ , aliæ vt sit magis vnum, ac simplex,contra verò multæ vt sit magis commune vniuersaliter, neque non etiam vt integralem latitudinem habeat, eam qua cuncta scientiæ obiecta coërceat. Quædam sola subiecta partialia , nonnullæ verò solas rationes formales rationem subiecti totalis obtinere contendunt. At hæc omnia , quæ memoratæ sententiæ assumunt , quibusque potissimum innituntur procul vero esse ostendemus in met. citato lib. 8. tra. 5. cap. 5.& 6 quî ergo fieri potest,vt non falsa sint inde deriuata dogmata,circa obiectũ attributionis logicæ.

52 Vlteriùs opinionum quas meminimus aliæ plura assignant obiecta attributionis cuilibet scientiæ, quod locis nuper citatis latè confutauimus : Alia verò , quæ est Zabarellæ , vnum quidem obiectum attributionis aliquibus largitur , nempe logicæ , & reliquis scientiis practicis : hoc autem falsum esse constat ; Primò quia logica , qualis qualis facultas sit, & siue ars , siue scientia, vna tamen est, aliquod igitur subiectum habet,cui vnitatem suam acceptam referat : secundò quoniam logica saltem impropriè scientia est , igitur improprium aliquod subiectum respicit, cedo ergo quale sit ? tertiò,quia Theologia propriè non est scientia ab Arist.definita,vt ex communi sententia docet P. Vasquez tom.1. in primam partem disp.4.cap.8.& tamen suum habet obiectum attributionis, Deum videlicet,vt aduersarij non inficiantur. Quartò, artes practicæ , siue ingenuæ,siue mechanicæ, suos habent fines , in quos referuntur; dialectica ergo similiter , siue sit scientia siue non, suum habebit finem intrinsecum & immediatum, siue subiectum obiectumve attributionis vocetur, siue non;hæc enim solius verbi controuersia est, de qua parum curandum , vbi de reipsa constet. Tandem dialectica propriè scientia est ; & in loco clarebit ; igitur ex hoc titulo , non est quod obiectum attribntionis subiectumve sibi non vendicet. Vide Auersam quæst.2.log.in proœmio, vbi quod logica & aliæ facultates practicæ subiectum suum habeant luce clarius esse affirmat.

Hinc argumenta pro sententia Zabarellæ à neotericis quibusdam obiecta facili negotio diluuntur. 53
Primum ita habet, dialectica non est propriè scientia , cum sit facultas practica , nullum igitur habet obiectum attributionis : qua ratione artes mechanicæ & illiberales obiecto attributionis propriè sumpto carent. Sed dialecticam in scientiis propriè sumptis numerandam esse tract. vlt. huius lib. constabit , idque tametsi facultas practica esse censeatur. Rursus quod artes practicæ prorsus illiberales adeóque inter scientias neutiquam reputatæ , nihilominus habent obiectum attributionis,multis partibus verius est , atque probabilius vt paulò suprà suppossuimus, quanquam ergo logica nõ esset scientia more artium practicarum,& illiberalium,ex hoc tamen obiectum attributionis ei negari haud quaquam deberet. Secundum aduersariæ opinionis fundamentum sic habet : logica penes aliquos saltem actus est practica,& penes alios speculatiua : igitur vnum aliquod obiectum attributionis sibi præstituere non potest : Probatur hæc consequentia:quoniam talis finis, siue obiectum nequit esse praxis, in quam pars theorica logicæ non est referibilis ; aliàs theorica seu speculatiua non esset:neque potest esse mera speculatio obiecti,in quam pars practica logicæ irreuocabilis est;aliàs practica neutiquam futura. Item simul praxis & non praxis , seu veritas merè speculabilis esse nequit:omninò ergo repugnat vnũ quoduis obiectum attributionis,in quod tota logica referatur. Sed respondeo , subiectum totius logicæ finemque præcipuum esse praxim, videlicet veritatem formalem , provt proximè exequibilem præceptis & institutis dialecticis. Pars autem speculatiua logicæ talis esse potest , respectu sui obiecti proximi & immediati , vt vt in opus dialecticæ subiectum eiusque finem exequendum remotè & mediatè destinetur : quo pacto plures cognitiones speculatiuæ artis medicinæ v. g. propriè circa naturam corporis humani ad sanitatis executionem & praxim mediatè & extrinsece referuntur.

TRACTATVS III.
De modo repræsentandi Dialecticæ.

CAPVT I.
Quatenus Dialectica docendo & vtendo obiectum suum repræsentet ?

SVperuacaneum esset viritim referre auctores,qui logicam in docentem , & vtentem dispescunt. 1

Etenim

Etenim, si quendam Grucchium lib. de nomin. log. & dial. Iustum Veracem init. suæ logic. alio que paucos nullius ferè nominis excipias, cæteri omnes illam diuisionem magno consensu complectuntur. Cæterum in ea explicanda haud adeò consentiunt. P. Vasquez tom 1. in 1. part. quæst. 1. art. 4. disput. 8. cap. 5. num. 19. & P. Hurtad. dist. 2. log. sect. 2. §. 4. & quidam alij censent, logicam docentem in eo differre ab vtente, quod hæc nihil aliud sit, quam actus & habitus aliarum scientiarum, provt diriguntur logicis præceptis; illa verò sit, quæ tradit præcepta, quibus vtantur aliæ facultates. Probabilis est positio, quidni enim logica præceptiua dicatur docens, cum præcipere sit docere? quidni etiam quæuis alia disciplina, quatenus imitatur logicam docẽtem, atque ad eius exemplar exprimitur, vocanda sit hoc ipso logica, cuius vsus & imitatio quædam est, haud aliter ac imago Cæsarem exprimens, eo ipso Cæsar appellatur.

2 Hoc pacto Clemens Alexandrinus lib. 1. stromatum Theologiam & prudentiam ac scientiam moralem vocat veram dialecticam, hoc est dialecticis præceptis & exemplaribus verè conformem: en eius verba. *Cum sit autem vera dialectica philosophia permixta veritate res considerans facultatesque & potestates examinans, transcendit ad præstantissimã omnium essentiam, & audet etiam vltra progredi ad Deum vniuersorum, non rerum mortalium peritiam, sed diuinarum cœlestiumque scientiam profitens, quam consequitur etiam in rebus humanis, qui in oratione & rebus agendis versatur proprius vsus. Merito ergo scriptura quoque tales nos esse volens dialecticos, sic hortatur: efficiamini autem probi trapezitæ, alia quidem reprobantes, quod autem bonum est tenentes. Hæc enim reuera dialectica est prudentia reuera prædita vi diuidendi ea, quæ perspiciuntur intelligentia, & purè ac sincerè citra omnem mixtionem ostendendi subiectum eorum quæ sunt: aut facultas quæ versatur in rerum generibus diuidendis descendens, vsque ad ea quæ sunt maximè specialia, præbens vnumquodque eorum quæ sunt, intuendum quale sit.* Hactenus ille. Augustinus etiam lib. 1. aduersus Cresconium à c. 14. vsque ad caput 18. Christum & Paulum eius Apostolum passim vocat dialecticos, propter eius vsum contra Iudæos & gentiles, quibus cum circa fidem & mores disputabant: innuit igitur, talem vsum esse dialecticam: aliàs quo pacto dialecticos denominaret.

3 Hinc colligo, diuisionem logicæ in vtentem & docentem, provt nuper eam explicui, esse analogicam & impropriam, more illius, qua diuiditur ens in reale & solius rationis: quemadmodum enim ens solius rationis propriè non est ens solumque tale dicitur, quoniam illud instar entis cogitamus & efficimus, ita similiter logica vtens strictè non est logica, sed magis actus alicuius alterius scientiæ, nuncupatur tamen logica, quoniam ad huius exemplar instarque eum efformamus. Colligo secundò P. Hurt. nuper citatum in eo falli, quod existimet, cum dicitur alia est logica docens, alia est logica vtens, logicam in priori propositione nominandi casum, & in posteriori auferendi casum sortiri, etenim imago Cæsaris dicitur Cæsar in nominandi casu, propter eius speciem & similitudinem quam effingit: quid est ergo cur logica vtens siue alicuius scientiæ realis actus, non dicitur in nominandi casu logica, propterea quod huic conformetur. Deinde etiam si actus cuiuscuius alterius scientiæ possit consignificare logicam in auferendi casu, quoties adiicitur hæc vocula, *vtens*, quæ quidem eum casum regit; cæterum cum de actu alterius scientiæ sine tali adiectione dicitur logica, hæc nonnisi in nominandi casu poni sustinet: atqui de actu alterius scientiæ multoties dicitur logica absolutè & non adiecta tali particula, vt ex Clem. & Aug. nuper vidimus, igitur in nominandi casu de eo enuntiabitur, contra quam prædictus author vnquam euenire existimat. Denique ea ratione non tam logica, quam scientia in communi in logicam docentem & vtentem secaretur hunc in modum; scientia alia est logica vtens, siue quæ logica vtitur: at Doctores communiter logicam ipsam in docentem & vtentem dispertiuntur.

Rursus secundò Card. Tolet. q. 2. procem. Sotus 4
ibidem, Iauellus tract. 1. log. cap. 6. aliique Thomistæ, quos sequitur Auersa q. 1. log in ea sententia sunt, vt arbitrentur, logicam vtentem esse ipsam docentem, quatenus actu secundo dirigit, & regulas suas ad vsum reducit, siue quatenus aliæ scientiæ eius præsidio & ope comparantur; logicam vero docentem eam esse, quæ tantum dirigit actu primo, atque in sola doctrina sistit, neque vlterius progreditur. Quapropter iuxta hanc opinionem, logica docens & vtens est vna & eadem scientia officiis quidem distincta à semetipsa, non natura; cum tamen iuxta sententiam initio capitis relatam, habitus logicæ docentis realiter sit distinctus ab habitu vtentis, & hic natura sua ad physicam v. g. metaphysicam aliámve scientiam realem spectet, ille vero sit huius scientiæ rationalis, quam modo profitemur, & præ manibus habemus. Quamuis autem prior ille modus præsentis diuisionis explicandæ nobis placuerit, haud tamen displicet hic posterior: quæ enim contra opponuntur, nullius sunt momenti: primum ita habet; iuxta posteriorem hunc loquendi modum logica vtens non tam vtens dici deberet, quam vsitata, siue vt ita loquamur vsa: eatenus enim distinguitur quodammodo à docente, quatenus hac aliæ scientiæ vtuntur, eiusque præcepta & exemplaria imitantur; quo autem aliquis vtitur, id dici solet non vtens, sed vsitatum. Secundum eorum quæ opponi solent, sic habet: cum dialectica docens actu secundo dirigit, eiusque doctrina ad vsum transfertur, ipsa dialectica se ipsa non vtitur, sed potius intellectus ea vtitur: haud secus, ac nos habitibus vtimur quoties eos ad operandum applicamus; cum tamen habitus semetipsis non vtantur: logica igitur iuxta hunc dicendi modum, non tam vtens dicenda, quam vsitata: cum hac de causa: tum etiam ea, quæ nuper est expensa.

Primum horum ita dilues: quanquam aliæ scien- 5
tiæ vtantur præceptis logicæ docentis, tamen hæc etiam vtitur obiectis aliarum scientiarum, quatenus ea facit, artificiosè subiici, prædicari, diuidi, definiri, aut demonstrari, alióue modo extrinsecè informari: quid enim communius, quam agens vti passo, quod eius operationi subditur? Secundum eorum quæ obiecta sunt, hunc in modum repelles: quoties logicam applicamus ad alias scientias comparandas, ea quidem vtimur vt quod: ipsa tamen dici potest ac debet vtens vt quo, facit enim vt nos ea sic vtamur. Hoc pacto cum albedo non sit alba vt quod & propriè, dicitur tamen quodammodo alba, quia parietem facit album: eodem ritu cognitio dicitur cognoscens, quia præstat nobis vt propriè cognoscamus, etiamsi ipsa vt quod & propriè eam denominationem non suscipiat. Ecce logicam duabus de causis non solum vsitatam, sed etiam vtentem dici posse: Balduinus autem q. 7. procem. eam dicendam esse non vtentem, sed vsitatam existimans quid aliud quam difficultati succumbit.

Præterea

6 Præterea tertiò B. Thomas 4. met. lect. 4. Fonseca lib. 2. met. cap. 3. q. 1. sect. 6. Conimbr. quæst. 4. procem. art. 2. Balthasar Tellez 1. parte sum. in adnotatiunculis procemial. putant logicam solummodo vtentem dici posse propter vsum doctrinæ suæ in materia probabili aliarum facultatum: Ratio eorum est, quoniam actus demonstratiui aliarum scientiarum ad ipsas spectant; nulla enim scientia est, quæ, sicut ex demonstrationibus est genita, ita etiam alias similes non generet: at vero actus probabiles non scientiam, sed opinionem pariunt, adeóque à nulla scientia fiunt, & ad nullam attinent, videlicet ratione materiæ in qua versantur: id ergo solum superest, vt ratione formæ syllogisticæ, quæ in eis elucet, ad aliquam spectent; cum ergo non ad alias scientias extra logicam: nam præter hanc nulla formam syllogisticam edocet; consequens est, vt ex eo titulo reduci debeant ad solam dialecticam: Proinde hæc dicenda est vtens, tantum respectu actuum probabilium aliarum facultatum, quibus artificium syllogisticum ac differendi formam illudit.

7 Obiici autem consueuit aduersus hanc doctrinam, ex ea fore, vt nimis anguſti sint limites aliarum scientiarum, contrà vero dialecticæ latissimi: etenim si solam mathematicam excipias, nulla facultas est, quæ non paucis demonstrationibus constet, quæ non innumeris opinionibus scateat: si igitur quidquid est probabile in physica v. g. metaphysica, ethica, aut medicina, ad vnam logicam reducitur; huius termini latius quam par est patebunt, & illarum erunt arctissimi: quorum tamen vtrum magis absurdum, haud facilè dixeris. Obiici etiam solet, negandum non esse, quin logica doceat non solum vt probabiliter differere in materia aliarum scientiarum, sed etiam vt demonstrare in ea quivis, si velit, possit: cur ergo vsus demonstrandi non minus quam probabiliter differendi logicam vtentem denominet? aut, aliis verbis, cur quod sit vtens ab vtroque respectu ex æquo non habeat?

8 Hæ obiectiones quamuis non paucos transuersos egerint, haud tamen committere possunt, ne supradicta opinio, & vulgaris diuisionis explicandæ ratio mihi satis probabilis esse videatur. Ad primam dicendum physicam. v. g. bifariam sumi posse; primo nimis latè, quatenus habitus tam opinatiuos, quam demonstratiuos complectitur: atque ad eam ita sumptam omnes eius actus tam probabiles quam euidentes spectant, quin contrarium obtineat aut etiam contendat opposita ratio; ad quam proinde alleuandam vel hoc tantum sufficit. Attamen aliter respondeo, & aio, physicam secundo sumi nimis prælsè, quatenus comprehendit solos habitus demonstratiuos, atque ad eam ita sumptam non spectant immediatè conclusiones probabiles: vnde ratione formæ ad solam scientiam rationalem siue logicam immediatè reducendæ sunt, ad aliquam enim scientiam strictissimè sumptam possunt & solent reuocari. Cæterum eiusmodi actus probabiles mediatè pertinent ad physicam etiam hoc secundo modo vsurpatam, id est mediante dialectica, quæ eius famula est, atque administra, ad hanc verò non nisi nomine illius tanquam principalis possidentis. Hinc fit, haud adeò contrahi terminos physicæ, adeóve extendi, eos quibus dialectica coerceatur: quidquid enim tractatur siue demonstratiuè, siue probabiliter in tota physica, quam longè latéque fusa est, id omne ad ipsam saltem mediatè pertinet ac proinde sui iuris est, haud aliter ac domini quæ per seruos ea nihilominus proprio ac pleno iure possident: cur ergo maneat inops physica, cui in saluo est, non solum quod demonstrat, sed etiam ingens doctrinæ probabilis copia? Contra verò dialectica, etiamsi libere excurrat in actus omnes probabiles physicæ & cæterarum facultatum, quia tamen harum non suo nomine eos colit, haud propterea ditior euadet: quo pacto serui diuites non habentur, qui plura dominis, sibi vero nihil administrant. Ad secundam obiectionem dicendum est, eam nemini negotium facescere posse, nisi qui communem rationem huius sententiæ quam tuemur, superius positam oscitanter inspexerit.

9 Vlteriùs quartò nonnulli recentiores, inter quos P. Rodericus disp. 3. log. s. 1. volunt, logicam vtentem esse vsum logicæ docentis in sola materia ipsius dialecticæ: quare idem actus dialecticæ erit simul vtens & docens: diuerso tamen respectu; vtens, si spectes regulam dialecticam ab eo distinctam, ex cuius directione & præscripto fit; docens, si alium quemuis actum quem dirigit atque præscribit, v. g. hic actus, *diuisio est oratio totum in suas partes distribuens*, dicitur logica vtens intuitu huius actus, *definitio constat genere & differentia*, ex cuius directione, diuisio ita definitur; item eiusmodi actus dicitur logica docens contemplatione huius diuisionis dialecticæ, *demonstratio alia est à priori, alia à posteriori*, alteriusve similis.

10 Opponi verò solet contra hanc sententiam, diuisionem logicæ in docentem & vtentem recurrere secundum omnes cum ea partitione qua Philoponus & reliqui Græci interpretes logicam in rebus auulsam & rebus concretam dissecant: Idcirco autem logica docens dicitur rebus auulsa, quoniam ad res aliis scientiis subiectas non descendit, sed abstractam quandam & generalem doctrinam duntaxat continet, contra vero logica vtens propterea rebus concreta dicitur, quod scientiis rebusque eis subiectis sese immisceat, & vel sit aliqua alia facultas à logica ab ea tamen directa, vel sit logica ipsa cum respectu ad aliam quamcunque disciplinam, quam actu secundo regit, atque artificiosè componit. Quod si iuxta quartam hanc sententiam logica vtens sit actus aut habitus ipsius logicæ docentis, non vero alterius facultatis, non apparet, cur magis logica docens, sit rebus auulsa, quam logica vtens, aut hæc è contrario magis concreta rebus quam illa.

11 Fateor multò faciliùs explicari, quatenus logica docens sit rebus auulsa, & vtens rebus concreta, iuxta tres primas sententias hactenus positas, aliásque etiam tres à nobis inferius proponendas, quam secundum opinionem Roderici & recentiorum. Cæterum iuxta hanc etiam potest non male exponi ea res, seu potius locutio. Nam quemadmodum, cum dicitur intellectus fieri extensione practicus, eiusmodi extensio ita à plerisque explicari solet, vt non semper extrahat intellectum vltra proprios actus; sic enim hi non forent praxes; ita similiter cum dicitur logica rebus concreta, siue ad eas extensa & conuersa, id non ita intelligendum est, quasi propterea materiam propriam transilire debeat & extra eius limites ferri. Quinimo etiamsi intra se sistat, nec vlterius progrediatur, locus tamen est, vt modo sit rebus auulsa, modo vero rebus concreta, & ad eas extensa, adeóque docens & vtens.

12 Quintò dici potest, vulgarem illam diuisionem logicæ in vtentem & docentem esse reipsa eam cuius meminit Auerroës l. 2. metaph. cap. 3. qua videlicet logica secatur in vniuersalem & particularem: Logica vniuersalis siue docens est, quæ præcipit in communi

communi, hoc modo, definitio constat genere & differentia, diuisio est oratio totum in suas partes distribuens, demonstratio in Barbara, constat tribus propositionibus vniuersalibus affirmatiuis &c. logica particularis siue vtens est quæ in singulari præcipit hoc pacto: si eliciatur hic actus, homo est animal rationale, erit definitio constans genere & differentia; si hic, ens aliud substantia, aliud accidens, erit diuisio; si hic, omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, omnis igitur est risibilis erit demonstratio Barbarica. Ratio autem huius opinionis est; quoniam doctrina plerumque est circa vniuersalia, actio vero & vsus circa singularia; merito igitur logicam docentem cum vniuersali & vtentem cum singulari eandem esse arbitramur. Rursus hoc modo optimè intelligitur, vt logica docens sit rebus auulsa, ad eas enim quæ subiiciuntur aliis scientiis non descendit, vniuersalibus præceptis contenta: nec non etiam vt logica vtens sit rebus concreta, quippe quæ res aliis facultatibus subiectas particulatim considerat.

13 Sextò dici potest, logicam docentem esse quæ definitionem. v. g. diuisionem, argumentationem, aut quamuis cognitionem artificiolam non factam sed faciendam cognoscit, eiúsque faciendæ modum in communi aut singulari præscribit: exempla numero præcedenti tradita sunt non pauca: contra verò logicam vtentem esse quę opus suum non faciendum sed factum atque existens cognoscit, idque regulis suis conforme esse disputat; veluti si te hominem bene definire aut definisse affirmes, hunc in modum, actus iste homo est animal rationale quem elicui, aut elicitum conseruo, est bona definitio. Ratio autem huius sententiæ est, quoniam vt Platonis in Lachete etiam verbis vtar; *Mihi sanè videtur, quorumcunque scientia aliqua est, non aliam scientiam esse præteritorum vt facta sunt aliam præsentium vt fiunt, aliam futurorum, vt optime fieri possunt, sed eiusdem scientiæ opus esse, hæc omnia nosse. Quemadmodum circa sanum & salubre, non alia scientia, sed vna medicina prospicit quæ fiunt, quæ facta sunt, quæ fient, quo pacto fiant: & circa illa quæ terra nascuntur agricultura similiter se habet.* Hæc ille, hæc etiam ego; cum igitur dialecticæ proprium sit facere definitionem, diuisionem & argumentationem in quauis materia, atque ad eas intellectum instruere ac dirigere; sanè cognitio qua eæ expenduntur iam factæ & existentes, ad eam etiam pertinebit, quidni igitur logica appellari possit docens, quatenus in communi aut particulari præcipit, vtens verò, quatenus præcepta sua ad executionem & vsum redacta considerat? Et quidem priori modo est à rebus auulsa, id est ab illarum existentia præscindit, eamque non affirmat, posteriori vero modo est rebus concreta, videlicet etiam quoad earum existentiam, cum qua sponte sua est coniuncta, & quam suapte natura repræsentat.

14 Denique octauò recolendum est, quod superius statuimus ttactatu.c. 3. & 4. dialecticam considerare, tum res ipsas secundum prædicamentalem constitutionem earumque physicum esse, cum etiam actus intellectus & voces quibus significantur; quatenus ergo est circa interiora aut exteriora signa vocari potest docens, docet enim (& hæc potior eius cura est) modum quo illa fieri interiusve aut exterius proferri debeant, sic, vt eorum præsidio veritatem assequi possimus quatenus autem secundario est circa res, dici potest vtens, quoniam non docet, quomodo res in esse physico sint efficiendæ, sed tantum eis vtitur, veluti materia necessaria ad deficiendum, diuidendum, & argumentandum, earumque notitiam aliquam tradit, quia nisi illis cognitis actus intellectus & voces, quibus subsunt, ægre possunt comprehendi. Quamuis autem dialectica de rebus aliqua doceat speculatiuè, quia tamen inpræsentiarum de doctrina practica potissimum sermo est, quippè quæ, vt dixi, primas sibi partes in dialectica vendicat, idcirco ea respectu rerum censenda non est docens, sed solum vtens, vti exposuimus. Quod si logica docens, non res, sed solos actus & voces considerat, contra vero vtens solas res non actus intellectus aut voces, quid mirum si hæc rebus concreta, illa rebus auulsa dicatur? Tot modis cum defendi & explicari possit vulgaris illa diuisio, miror aliquos esse, qui eam negent, miror quoque alios singulis eius explicandæ modis, vno aliquo excepto impugnandis summopere intentos; quasi vero omnes & singuli facilè nequeant conciliari, quantumlibet differant: quid enim vetat, eandem vocum logicæ vtentis & docentis non eundem, sed multiplicem sensum esse?

15 Ad extremum quæres, an quemadmodum dialectica est docens & vtens, ita etiam aliæ facultates practicæ similem geminationem subeant & in docentes & vtentes tribui possint? Negant quidam graues recentiores, nec ferunt hanc veluti prærogatiuam logicæ deperire: Ego vero contrarium arbitror longe verisimilius, illudque probo, inprimis ex Platone, cuius hæc sunt verba in Philebo, *Audacter importunis disputatoribus respondeamus, duas arithmeticas esse, ac duas metiendi artes, aliasque facultates harum comites, plurimas, geminationem habentes huiusmodi, & in nomine vno communicantes.* Rursus in Euthidemo sic ait: *Permultum igitur inter lyrarum fabros interest, & scientiam pulsandæ lyræ assecutos: alia enim ars quæ facit, alia quæ vtitur his rebus: nam ars quæ fabricat lyram, & quæ lyram pulsat, longe inter se differunt*: & mox infra *constat similiter & circa orationes aliam esse artem, quæ condit, aliam quæ conditis vtitur.* Hactenus Plato, quem alij sequuntur, præsertim vero Fonseca superius citatus his verbis; *sed & Rhetorica quæ à plerisque non censetur demonstratiua eodem modo consideratur. Quatenus enim tradit præcepta dicendi, docens est, & à rebus auulsa; qua vero ratione iis vtitur, vtens, & rebus concreta appellari potest.* Consonant Conimbricenses; initio enim articuli secundi supra relati, quatenus dialectica sit docens & vtens, aliarum facultatum exemplo declarant.

16 Idipsum ratione suadetur: nam logica est docens, quatenus imperat actus aliarum scientiarum: hi vero provt imperati & exerciti logicæ vtentis appellationem subeunt: aliis verbis; logica dicitur docens & vtens, quoniam eius doctrina est vsui aliis scientiis, omnesque ea vtuntur. Atqui etiam prudentia, ethica, medicina, rhetorica, grammatica, & reliquæ ingenuæ, ac mechanicæ similiter habent actus imperantes & imperatos, aliæque aliarum præceptis aut instrumentis vtuntur: quidni ergo talem geminationem habeant. Quare prudentia docens erit imperium eius proprium, opus autem cuiusque alterius virtutis ab ea imperatum & ex eius directione factum, erit prudentia vtens: similiter medicina docens erit eius imperium, quo decernit, seu iudicat, tale medicamentum adhibendum esse ad alicuius morbi depulsionem; applicatio autem eius medicaminis erit medicina vtens; grammatica etiam docens est eius imperium seu iudicium, quo statuit, qua ratione partes orationis, nimirum voces, sint aptè construendæ & collocandæ; vocum autem constructio & recta

recta syntaxis in quauis alia scientia erit grammatica vtens : eodem modo frænofactoria docens est, quæ instrumenta equitandi parat; equestris vero quæ eis vtitur erit frænofactoria vtens; non aliter ac logica docet prout instrumentaria respectu aliarum scientiarum, hæ vero sunt logica vtens, propter id quod instrumentis à dialectica traditis vtuntur. Par est ratio aliarum facultatum, quæ operi incumbunt.

17 Præterea, vt alios dicendi & vtendi modos percurramus, neque enim aliquibus præ aliis astringi volumus, aliæ facultates modo docent tantum, modo vero doctrinam suam ad vsum & exercitium reducunt, actuque secundo operantur: deinde iam in communi, iam vero in particulari præcipiunt : aliquando etiam rem faciendam præcipiunt, aliquando factam considerant ; denique tam materiam infectibilem, quam formam artificiosam factioni obnoxiam intuentur: si igitur his de causis, logica docens & vtens est; quidni etiam similem diuisionem aliæ quæcunque facultates postulent? Quod autem logicæ perfectius aut fusius sese immisceat rebus & obiectis aliarum facultatum, quam quæuis harum si cum reliquis conferatur; quæ recentioribus hallucinandi fuit occasio; id nec fortassis est omnino verũ, vt facile esset ostendere, nec si verum sit quicquam interest. Etenim diuersimodè etiam pars demonstratiua logicæ, & pars eius topica siue opinatiua procedunt, aliaque sunt vnius, & alia alterius præcepta : atqui iuxtà ipsos aduersarios, vtralibet diuiditur in vtentem & docentem : quamuis ergo logica aliter quam quæuis alia facultas per cæterarum ex patietur obiecta, nihilominus haud magis illa quam alia quæcunque disciplina docentis & vtentis rationem obtinebit. Adhæc sicut logica dissecatur in practicam & speculatiuam, ita etiam medicina, v. g. & ethica : atqui longe aliter speculatur & practicè cognoscit, dialectica, quam ambæ illæ, latius videlicet, & si aduersariis credas, perfectius: similiter ergo vsus & doctrina, tametsi aliter logicæ & aliis scientiis, absolutè tamen vtrisque conuenient: Hinc colliges, quo iure aliqui communem diuisionem logicæ docentis & vtentis negent, propterea quod nequeant aliæ facultates ita distribui.

CAPVT II.

An, aut quatenus dialectica instar sapientiæ, prudentiæ, intellectus, opinionis, suspicionis, artis, scientiæ obiectum suum repræsentet?

18 OStendemus in Metaph. lib. 6. tract. 5. cap. 1. septem præfatis modis contingere, vt facultas aliqua obiectum suum repræsentet: Vt autem totam doctrinam ibi generatim tradendam dialecticæ nostræ adhibeamus, hoc in primis velut exploratum supponimus, eam esse sapientiam impropriè sumptam, secus vero, si illa proprie accipiatur. Posterius hoc suadetur, quoniam dialectica rerum humanarum, ac diuinarum per altissimas causas cognitio neutiquam est, quæ tamen perfectio ad propriam rationem sapientiæ omnium calculo requiritur. Prius autem probatu haud difficilius : si quidem quæuis ars etiam mechanica, si cuipiam insit, omnibus suis numeris absoluta, & artificem sapientem, &, quod consequens est, se sapientiam denominat, veluti cum Polycletum sapientem statuarium, & Phydiam sapientem lapidum sculptorem appellamus. Ad hanc duplicem sapientiam, alteram impropriam & secundum quid, alteram verò simpliciter & propriè talem respexit Homerus, cum de quodam, vt refert. Arist. 6. ethic. lect. 5. sic dixit.

Diuum is munere, nec fossor, nec durus arator,
Nec sapiens alia vlla nimirum extitit arte.

Quasi diceret, talem non habuisse infimam, & metaphoricam quandam sapientiam in alicuius artis perfectione sitam, sed propriam & supremam, quæ res diuinas & humanas per altissimas causas assequitur. Secundò etiam id supponimus, dialecticã non esse prudentiã strictè sumptam: nullam enim honestatem moralem procurat: cæterum esse latam quandã & metaphoricam prudentiam: hæc enim interdum abstrahit ab honestate morali, vt cum dicimus aliquem esse iurisprudentem, aut prudentia militari præditum: quin etiam aliquando significat quiddam contrarium honestati morali, vt videre est apud Iuuenalem Satyra tertia.

Quisquis adulandi gens prudentissima laudat,
Sermonem indocti, faciem deformis amici.

Adde quod logicam esse prudentiam latè sumptam doceat B. Thom. 2. 2. quæst. 48. art. vnico *Si vero prudentia sumatur large, secundum quod includit scientiam etiam speculatiuam vt supradictum est, tunc etiam eius partes ponuntur, dialectica, rhetorica, & physica.* Hactenus ille ; quo autem sensu logicam dicat speculatiuam infra cap. 6. constabit. 19

Rursus tertiò præmittimus cum Auersa quæst. 1. log. s. 5. dialecticam esse intellectum strictè sumptum : hic enim est euidens notitia principiorum; dialecticæ autem principia esse euidentia tam certum est, quam quod ea euidentibus conclusionibus constet, si non omni at magna sui parte. Item quarto eam esse opinionem supponimus, cum Themist. 1. post. cap. 24. & Lemosio lib. 1. paradox. dial. errore 2. plurima enim dumtaxat probabiliter colligit, vt testis est tot sententiarum varietas, quã ab aliis, aliisque authoribus traducitur. Deinde quintò eam aliquando subdubitanter procedere, & non nihil suspicionis habere, constat inde; quod in eius materia aliqui dialectici quædam in ambiguo relinquant, neutramque contradictionis partem ausint affirmare. Sextò etiam id supponimus, dialecticam esse artem: tum quia numeratur inter septem artes liberales sequentibus versiculis comprehensas.

Artibus ingenuis famam, laudemque merentur,
Grammaticus, Rhetor, dialecticus, & Geometra;
Musicus, Astrologus, numeros summasque recensens.

Tum etiam quia vt dialecticæ applicem, quod de rhetorica dixit Fabius 1. 2. cap. 16. *Quis est adeò non ab eruditione modo, sed à sensu remotus hominis, vt fabricandi quidem, & texendi, & è luto vasa ducendi artem putet.* dialecticam autem, *maximum ac pulcherrimum opus in tam sublime fastigium existimet sine arte remisse*: atqui eiusce modi facultates mechanicas, aliasque similes, nihilominus artes esse constat ex septemplici artium seruilium diuisione, proximis versiculis clausa.

Seruiles tractant artes quæstumque sequuntur
Agricola, & Miles, Chirurgus, Nauita, Textor,
Et faber, & Venans, cœlo terraque, marique.

Aduerte autem hæc septem postrema nomina valde generatim accipienda esse : ita enim nulla erit ars mechanica, quæ sub illis non comprehendatur.

Vlterius, quia etiamsi ars, provt significat facultatem operationi alicui externæ sibi postea superstiti incumbentem, dialecticæ nostræ non conueniat; cæterùm, ars latius aliquando funditur, & omnem 20

nem facultatem practicam,&,quod plus est,omnem etiam speculatiuam significatu suo complectitur, vtroque ergò modo aut certè altero dialecticam admittit. Quid? quod ea est *collectio multarum de vna re comprehensionum ad finem aliquem vtilem vitæ*, quæ est omnium celeberrima artis finitio; collectio quidem multarum comprehensionum, aut formalium & intellectui hærentium, dummodo ea sit composita qualitas, & multiplex habitus, aut obiectiuarum, id est rerum extra intellectum, si, quod aliqui volunt,ea sit simplex qualitas,& habitus:de vna re, id est de vno attributionis obiecto, quod nos veritatem, alij aliud arbitrantur: ad finem aliquem vtilem vitæ, vt ostendimus, hoc tractatu desinente. Porrò dialecticam esse artem docent Rodulph. Agric. lib. 2. de inuent. dial. cap. 2. Mirandul. in procem. instit.in log.Scalig lib.1.de subtilit. exerc.1.num.3. Monlor.initio prior. Nunnes in lib. de constit. dial. Apollin.1. post.quæst.2. art.2. Vasquez 1.2. disp.85. num.6.Flamin.Nobil.quæst.penult.logic. Conimbr. quæst 2. procem.art.1. Tolet.quæst.1. procem. cap.2. ad eius finem.

21 Superest ergo tantum scientia; quæ,si latè sumatur pro quauis notitia etiam probabili, negari nequit, quin dialecticam comprehendat: Quod si sumatur strictius pro notitia euidenti mediata vel immediata, tota difficultas deuoluitur ad tertiam eius acceptionem eamque strictissimam, qua significat cognitionem euidentem mediatam, id est ex præmissis euidentibus deductam: scientia namque hoc tertio modo sumpta connexionem habet cum scientia provt secundo modo sumitur;hæc enim illius est causa, illa effectus huius. Proinde nequit altera & non altera in logicam conuenire: quod ergo dixero de vna videlicet de scientia propriissimè accepta id de vtraque dictum puta. Dico autem logicam omni proprietate scientiam esse. Ita cum B. Thoma 4. metaph lect...Iauellus,Sotus,Soncinas,&plures alij Thomistæ: nam Scoto quæst. 1. prædicab plerique eius sectatores: item ex nostris auctoribus Suarez 1. metaph.sect.4. Fonseca 2. metaph.cap.3.quæst.1. sect.7.Hurt.disp.2.log.s.1.Toletus, Conimb.Tellez, & alij non pauci.

22 Probatur autem, quoniam illa facultas est summa proprietate scientia, quæ habet multos ac varios actus euidentes ex præmissis euidentibus deductos: at huiusmodi est dialectica: ergo. Maior probatur, vt facultas aliqua appelletur scientia necessum non est, vt omnes actus euidentes sortiatur, & nullos probabiles admittat; aliàs nec metaphysica, nec Physiologia, nec etiam mathesis, nec alia facultas scientia dici posset, cum omnes aliquando probabiliter solum colligant,imo,si mathesim excipias,non rarò sed multoties. Minor probatur: dialectica eo quod definitio sit *oratio explicans naturam rei*, eam constare genere & differentia, esse clariorem definito, cum eo conuerti, ac reciprocari, & fortassis esse iudicium euidenter concludit: non pauca etiam de argumentatione, diuisione, & aliis obiectis suis eundem in modum manifestè conuincit.

CAPVT III.

Dissoluuntur ambiguitates aduersus doctrinam præcedentem.

23 OBiicies primo. Dialectica per nos est scientia: nequit igitur esse opinio; aut è contrario per nos est opinio:nequit igitur esse scientia. Item iuxta nos est ars: non potest igitur esse scientia aut opinio,vel è conuerso, enthymematum horum antecedentia cum sinc nostra, eorum consequentiæ suadentur: Aristoteles 6. Ethic. distinguit eas virtutes, vna ergo & eadem nequit esse scientia, & opinio,aut harum alterutra & simul ars: si ergo dialectica, &c. Respondeo, fieri non posse, vt eadem intellectualis facultas simul sit opinio & scientia, secundum eosdem actus & habitus, ac respectu eorumdem obiectorum: bene tamen secundum diuersos actus & habitus, & contemplatione diuersorum obiectorum:Hoc autem posteriori modo non autem illo priori asseruimus dialecticam opinionis, & scientiæ partes sustinere: Aristoteles autem priorem modum non vero posteriorem citra dubium intendit, cum scientiam & opinionem discreuit, atque incompossibiles esse aut innuit aut asseruit. Quod autem ad artem attinet, ea & scientia non distinguuntur vniuersaliter & adæquatè, ita vt nunquam in eandem conuenire possint,sed tantum inadæquatè seu particulariter, eo quod aliqua ars non scientifica, & aliqua scientia non artificiosa factiuáque esse queat: quare ars est recta ratio factibilium siue euidenter probata, siue potius immediatè tendens & omnis probationis expers, & scientia est notitia mediata euidens, siue alicuius factibilis ratio sit siue non sit: Porrò ars cum opinione eodem modo quo cum scientia plus minus comparatur, quoad vtriusque distinctionem &incompossibilitatem:obiecta ergo ratio nobis negotium non exhibet.

Obiicies secundo ex Arist. primo metaph. cap.3. 24
absurdum est simul quærere modum sciendi & scientiam: at si logica foret scientia, cum alia ex parte modus sciendi sit, non esset id absurdum, sed potius necessarium, propter id quod modus sciendi sine scientia reperiri nequit, alterque ab altera non distinguitur. Respondeo, absurdum est simul quærere modum sciendi & scientiam, respectu cuius modus sciendi est,non verò scientiam in communi, & qualis ea cumque sit: logica autem non intuitu sui, sed aliarum scientiarum est modus, siue instrumentum sciendi: Vnde non sibi sed aliis præmitti debet quod solum Aristoteles intendit.

Obiicies tertio alia eiusdem verba primo rhetoricorum cap. 4. *Si quis autem rhetoricam aut dialecticam, non vt facultates, sed vt scientias instituere ac docere conatur, is naturam earum hoc transitu interimere videtur.* Respondeo, quemadmodum, ars interdum significat omnem & solam cognitionem practicam, interdum verò latius funditur & facultates etiam speculatiuas cõprehendit,vt diximus, ita è contrario scientia aliquando solam speculationem significat, & cum ea recurrit, aliquando vero tam notitiam practicam quam speculatiuam: Quare,cum dixit Aristoteles dialecticam & rhetoricam scientias haud esse, non de omni vera scientia loquutus est, sed de ea sola quæ cum notitia speculatiua reciprocatur, eiusmodi enim facultates magis practicè cognoscunt quam speculantur. Fortassis etiam non de omni logica & rhetorica sermonem habet, sed de iis tantum quæ quid est in vnaquaque re probabile perspiciunt, vt constat ex. cap. 1. & 2. eius lib. rhetoricorum: ibi enim ambas ita sumpsit, & de quibus ibi, de iisdem cap. 4. sequenti loquitur. 25

Obiicies quartò, Nulla facultas practica, nulla nõ speculatiua dici potest scientia:atqui dialectica est facultas practica, & non speculatiua; quippe quæ est circa actus intellectus in nostra potestate sitos, 26

ad

ad eósque efficiendos, & quam habent veritatem & rectitudinem exequendam instruit atque disponit: nequit igitur esse scientia. Minor videtur satis probata; maior etiam suadetur: quoniam aliàs iuris prudentia siue politica, quæ reipublicæ bonum procurat, & præmia ac supplicia practicè disponit, nihilominus foret scientia: similiter medicina, quæ ad corporis humani sanitatem aut acquirendam denuo, aut, postquam acquisita est, conseruandam tota refertur: quin etiam simili modo artes mechanicæ, & illiberales, cuiusmodi sunt v.g. ædificatoria, fabrilis, frænofactoria, si Deo placet, scientiæ dignitatem obtinerent. Hæc autem sunt absurda: nè sequantur ergo, illud certa ratione tenendum est, solis facultatibus speculatiuis licere scientias esse.

27 Hoc argumentum adiunctis superioribus Aristotelis testimoniis plures eò impulit, vt logicam scientiam esse negarent: præsertim vero Zabarellam lib. 1. de natura log. Balduinum quæst. 7. log. Ægidium Romanum in principio posteriorum, Philoponum & Alexandrum in procœmio priorum, Simplicium & Amonium in præfatione ad prædicamenta, Zimaram in tabula verbo, *absurdum est*, & Petrum Nigrum, quæst. 11. clyp. nec non ex nostris Vallium 2. parte, prolog. q. 4. c. 15 Pererium lib. 1 phys. c. 3. & 18. ad vtriusque finem Cæterum quod attinet ad Aristotelis testimonia superius ea sunt exposita. Quod autem obiicitur, nullam facultatem practicam scientiam esse posse, id omnino falsum, tum quia cognitio repræsentans rem operabilem, adeóque practica potest ex euidentibus præmissis concludi, quidni enim? poterit igitur esse scientia, tum etiam, quia cognitio Dei creaturas possibiles repræsentans est practica, vt præced. tract. visum: & tamen est vera scientia, etiamsi non discursiua: Similiter ergo &c. tum denique propter ea quæ inferius cap. 4. subiicientur.

28 Ad primum exemplum nobis obiectum, & à Iurisprudentia seu politica petitum dici debet, hanc facultatem, provt modo in vsu est, & à plerisque exercetur scientiam non esse, eo quod non ratione, sed authoritate aliquid iuri & æquitati consentaneum esse ostendat, & qui sic melius procedit, is sapientior in iure censeatur: quare ita sumpta non tam scientia, quam humana fides est existimanda. Si tamen iurisperiti æquitatem iuris positiui & naturalis à priori & à posteriori euidenter probarent, pro eo ac possunt, & in hoc iurisprudentiæ laudem collocarent, ea quidem posset ac deberet appellari scientia: Proinde modo talis est, si suo magis quam profitentium genio eam metiamur. Ad secundum exemplum respondebis, medicinam quantumlibet practicam nihilominus verè scientiam esse, dummodo non authoritate Hippocratis, & Galeni (quod pluribus medicis familiare est) sed ratione à priori, aut à posteriori nitatur. Ad tertium exemplum dicendum est, artes mechanicas si vt plerumque fit, duntaxat opus ita faciendum esse cognoscant, quia ita fieri consueuit, ab aliisque præceptum est, neutiquam esse scientias; quod si non vsu & authoritate nitantur, sed via & ratione procedant, & rei faciendæ causas demonstrent, quantumuis practicæ sint, scientiæ tamen erunt, vt ex Aristotele lib. 1. metaph. cap. 1. colligitur.

29 Obiicies quinto; omnis scientia vel est practica vel speculatiua, atqui neutra est dialectica; item omnis scientia est de obiecto reali, quod enim non est, non scitur, vt est in Aristotelica & communi paræmia: sed dialectica non est de obiecto reali, sed de solius rationis ente. Rursus omnis scientia certum aliquod & destinatum obiectum sibi præstituit, vt author est Arist. 4. Metaph. c. 1. Atqui iuxta eundem, tum eodem loci, tum etiam in principio rhet. dialectica nullis circumscripta finibus per omne genus entis longe lateque vagatur. Nihil horum vrget, nihil est ponderis alicuius: non primum, quia præterquam quod Caietanus, Pererius, & alij inter scientiam practicam & speculatiuam aliam quandam mediam & neutrius generis admittant, illud profecto inferius constabit, logicam vel practicam, vel speculatiuam esse, imo vtramque simul, illam provt docet, hanc prout vtitur. Non secundum, quoniam verisimilius est logicam de ente reali potissimum esse; tum etiam; quia tametsi solius rationis enti incumberet, hoc parum interesset: quod enim dici consueuit, id solum sciri quod est, hoc intelligendum non de ente reali modò, sed de quouis ente, siue reali, siue solius rationis: vnde sicut metaphysica quadantenus est de ente rationis, ita etiam scientia rationalis de eo poterit esse, penes se totam nisi obstet aliud. Non denique tertium, quia ad rationem scientiæ satis est, vt vnum aliquod certumque obiectum attributionis sibi proponat, etiamsi non vnum obiectum secundarium, sed infinita consideret, nimirum quatenus sub aliqua ratione ad prædictum finem & obiectum primarium referuntur: Quapropter dialectica poterit esse scientia licèt omnia entia perspiciat, ea enim omnia non nisi pro vt habent rationem subiecti, prædicati, definitionis, diuisionis, argumentationis, aliove quouismodo ad eius finem vltimum nempe veritatem conducunt, illius considerationi subiiciuntur. Hoc pacto metaphysica in scientiis numeranda est, quoniam etsi omnia entia attingat, non tamen nisi prout e conueniunt in ratione entis vt sic atque ad vnum finem & obiectum attributionis destinantur. Et quidem ij quibuscum disputamus aut nulli facultati, aut metaphysicæ inprimis, scientiæ nomen indulgebunt.

Obiicies sexto, quidquid sit de logica demonstratiua, saltem topicam seu probabilem scientiam esse non posse, cum opinio & scientia ad minimum respectu eiusdem distinguantur: Neque non idem dici oportere de logica fallaci & sophistica, quæ potius error & fallacia quam scientia esse videtur. Occurrendum est huic obiectioni, logicam esse proprie scientiam, etiam quatenus agit de syllogismo topico & fallaci, multa enim de vtroque euidenter concludit. Sic diuina cognitio est vera circa cognitionem creatam falsam, certa circa incertam, & clara circa obscuram, similiter ergo, logica euidens esse potest atque scientifica etiam circa syllogismum probabilem & sophisticum, esto neuter euidens sit, neuter scientiæ gradum obtineat. Quare dialectica probabilis & fallax non est eiusmodi formaliter & ex parte actus, sed solum materialiter, & ex parte obiecti siue materiæ quam considerat. Non me fugit vtramque illam dialecticæ partem topicam nimirum & sophisticam aut fallere aut periculo falsitatis exponere, alterum enim horum vna docet, alterum alia, *sed* vt Fabij verbis vtar, l. 2. c. 16. *non ideo in falsa quoque esse opinione concedam: quia longe diuersum est, ipsi quid videri, & vt alius videatur, efficere. Nam & Imperator falsis vtitur sæpe: vt Hannibal, cum inclusus à Fabio, sarmentis circa cornua boum deligatis incensisque per noctem in aduersos montes agens armenta, speciem hostis abeuntis exercitus dedit: sed illum fefellit, ipse quid verum esset, non ignorauit. Nec vero Theopompus Lacedæmonius cum permutato cum vxore habitu, è custodia vt mulier euasit, falsam de se opinionem habuit, sed custodibus præbuit. Item orator cum falso vtitur*

30

pro vero, scit esse falsum, eoque se pro vero vti: non ergo falsam habet ipse opinionẽ, sed fallit alium. Nec Cicero cum se tenebras offudisse iudicibus in causa Cluentij gloriatus est, nihil ipse vidit. Et pictor cum vi artis suæ effecit, vt quædam eminere in opere, quædam recessisse credamus, ipse ea plana esse non nescit.

31 Tandem septimò obiicies: dialectica sicut plures conclusiones euidentes, sic etiam plures habet ineuidentes & probabiles? igitur ab his potius opinatiua & ineuidens quam ab illis scientifica & euidens dicenda est. Antecedens est perspicuum, cum dialectica tota innumeris opinionibus scateat, Consequentia vero suadetur: quoniam conclusio theologica deducta ex duplici præmissa, altera clara, altera obscura absolutè obscura euadit, & debiliorem partem sequitur: similiter ergo dialectica complectens conclusiones euidentes & ineuidentes debiliorem partem sequetur, & non scientifica, sed absolutè opinatiua & ineuidens abibit. Hoc argumentum non de re ipsa, sed de sola voce difficultatem nobis mouet: cum enim permittat, dialecticam esse scientificam vna sui parte, & simul opinatiuam alia sui parte, id explicari postulat, à qua earum denominanda sit tota dialectica, & an dici debeat scientia ab ea quæ potior est, vel opinio ab ea quæ deterior? Ipse verò concesso illo priori, quod rem tangit, de hoc posteriori, quod solius verbi lis est, admodum non laboro. Quanquam, ne hanc etiam difficultatem fugere videar, longè probabilius censeo, logicam absolutè & adæquatè sumptam scientiæ nomen suo sibi iure vendicare.

32 Ratio autem in contrarium adducta non premit. In primis iuxta enim eam metaphysica & physiologia scientiæ futuræ non essent; cum plurima tantum probabiliter concludant: Deinde, si dialectica tot haberet conclusiones probabiles, quot euidentes, fortassis non scientifica, sed opinatiua ex modo repræsentandi absolutè dicenda esset, & cæteris, vt aiunt, partibus debilior pars præualeret, ac denominationem toti tribueret, iuxta exemplum argumenti: At longè aliter res habet: nam dialectica plura euidenter quam probabiliter concludit; quod vel ex eo constat, quia pleraque, quæ in materia dialecticæ euidentia sunt, & extra omnem opinionem & controuersiam, modo in vsu non sunt, non quod tanquam aliena excludantur; sed quod veluti per se nota supponantur: ex eis tamen dialecticæ dignitatem & claritatem petendam esse, quis iure negauerit? Denique tametsi dialectica quantum clarè & scientificè, tantumdem obscurè & probabiliter concludat, quod forsitan in nobis, quæ est tenuitas nostri intellectus, regulariter verum est, adhuc scientia dicenda esset, & id nominis ei deberet indulgeri, eò quod eius conclusiones probabiles ad scientificas & euidentes velut finem principaliùs intentum referantur: Haud secus ac scientia coalescens ex notitiis practicis & speculatiuis, absolutè & simpliciter practica aut speculatiua censetur, pro fine quem respicit: practicæ quidem, si ad notitiam practicam & executiuam operis referantur cæteræ omnes, quo pacto medicina simpliciter practica dicitur, eo quod cognitiones, quibus naturam corporis humani & aliarum rerum speculatur, ad notitiam practicam sanitatis intendat: speculatiua verò, si ad speculationem reliquæ omnes notitiæ institutæ sint: qua ratione theologia absolutè speculatiua est, eo quod cognitiones practicas quas habet non paucas, ad perfectam Dei notitiam, & speculationem veluti potissimum finem dirigat. Hæc autem postrema ratio non procedit in conclusione theologica, quæ quidem simplex & indiuisibilis est, nec præmissas diuersi ordinis à quibus oritur includit, & quamuis eas connotet, illarum tamen neutra ad aliam magis quam è contrario refertur, quin potius ambæ ad conclusionem quasi finem suum destinantur.

Quæ hoc capite & præcedente differui, de logica docente sunt potissimum intelligenda: hæc enim est quæ subaudiri debet ac solet, quoties logica absolutè profertur. Cæterum hactenus disputata logicæ etiam vtenti applicare, haud erit arduum vel difficile: nam si logica vtens specificatiuè sumatur, ea quidem aut est logica docens cum respectu ad alias facultates, aut hæ cum respectu ad illam, aut neutra earum, sed diuersa quædam disciplina, quæ modum sciendi ac veritatem assequendi in particulari, vel eiusmodi modum sciendi provt existentem, vel quidem solas res, penes earum esse physicum ac prædicamentale considerat: vtrumcunque autem dicatur, res facile potest expediri: si enim primum, vti logica docens est scientia, ita vtens, quæ eam includit, eique quendam respectum superaddit, quo videlicet ad actus aliarum scientiarum concurrit: si secundum, cum cæterarum facultatum aliæ sint scientiæ, vt Metaphysica, physica, & mathematica, aliæ non sint scientiæ, vt rhetorica grammatica & similes artes, quando non architectonicè seu via & ratione; sed inferiori modo procedunt, profecto etiam logica vtens hoc secundo modo sumpta aliquando erit scientia, quandoque verò ad eum perfectionis gradum non ascendet: Sin autem tertium illud dicatur; ita etiam nulla causa subest, quapropter logica vtens absolutè & specificatiuè accepta à scientiarum cœtu arceatur: quid est enim, cur sicut de definitione in communi v. g. ita etiam de ea in singulari, ac quemadmodum de facienda sic etiam de facta & existente, ac denique vti de actu definiente, ita etiam de eius obiecto penes esse physicum, multa scire & euidenter concludere nequeamus? 33

Alios magis torquet, an logica vtens reduplicatiuè sumpta & provt vtens dicenda sit scientia? Me tamen parum solicitat hæ difficultas: etenim si reduplicatio cadat in vsum seu actionem directiuam, qua logica ad alias disciplinas concurrit, quavè hæ à logica proficiscuntur, vti talis actio non est scientia sed eius accidens, ita logica vtens, ipso vsu eoque solo reduplicato, non erit scientia. Quod si reduplicatio, vt multoties fit, cadat in id quod logica vtens in recto importat, videlicet ipsam logicam docentem, aliamvè scientiam ab ea directam, iuxtà varias authorum sententias, ita non recuso, quin logica vtens, provt vtens, scientia appellari debeat: imo id longè probabilius, quam contrarium arbitror. 34

Instabis tamen ex aduerso; Logica vtens est obiectum logicæ docentis qua vtitur, & qua dirigitur, sicut etiam nos superius fassi sumus: at obiectum scientiæ vt obiectum, non est scientia: igitur logica vtens vt vtens non est scientia. Minor probatur, quia aliàs quidquid esset obiectum scientiæ, eo ipso scientia esset; sicut quia homo vt homo est intellectu præditus, quisquis est homo, eo ipso intellectu pollet. Concessa maiori distinguo minorem: obiectum vt obiectum vt sic non est scientia, aliàs omne obiectum scientiæ futurum esset scientia: at tale obiectum scientiæ, vt obiectum, scientia est, cum reduplicatio cadat, non super modum solum, quo obiicitur scientiæ, & ea vtitur, sed etiam super id quod logicæ docenti obiicitur, quod scientiam multoties esse, quis inficias ierit? Rursus secundo instabis: vti præceptis non est ea scire; logica igitur vtens vt 35

vtens

vtens non est scientia. Antecedens liquido constat in voluntate, quæ habitibus quos interdum non cognoscit, vtitur, & sine reflexa cognitione suæ facilitatis, facilè tamen operatur. Respondeo; vti præceptis logicæ docentis non est scire præcepta, est tamen scire obiecta alia, ad quæ scientificè cognoscenda, logica docens vtentem dirigit: quare provt vtens non erit scientia præceptorum, erit tamen scientia aliarum rerum pro quibus cognoscendis præcepta traduntur.

CAPVT IV.

An dialectica ex modo repræsentandi obiectum suum practica vel speculatiua sit?

36 QVa in re prima sententia est, logicam esse omnino speculatiuam, & nullatenus practicam; ita cum Scoto in prologo sent. q. 4. plerique eius sectatores; ita etiam Capreolus, Sotus, Herueus, Soncinas, Iauellus, & alij Thomistæ: item Auerroës 7. metaph. comment. 7. Auicenna init. suæ log. cap. 1. Bachonus in prol. quæst. 3. Porro hæc opinio aliter & aliter probari consueuit. Quidam ita eam confirmant: actus intellectus sunt obiectum adæquatum logicæ; at ij praxes esse nequeunt: nullum ergo obiectum logicæ praxis esse potest: hoc autem ipso, quod logica respectu nullius obiecti sit practica, prorsus erit speculatiua. Alij secundò sic arguunt; obiectum logicæ est solum ens rationis: at hoc praxis non est, cum vere non fiat sicut ad praxim oportet, sed tantum ad instar eius quod fit illud fingamus: dialectica ergo nulla ex parte praxim respicit, ac proinde neutiquã erit practica, sed omnino speculatiua. Tertio alij hoc argumento malunt vti, scientia speculatiua est, quæ definiendo, diuidendo, & argumentando, procedit, siue quæ resolutorio modo tendit, sicut etiam scientia practica quæ contrario & compositiuo modo teste B. Thoma. 1. part. quæst. 14. art. 9. at vniuersa logica in definiendo diuidendo & argumentando posita est, & tota resolutorio modo progreditur; ergo vndequaque speculatiua est, ac minimè practica.

37 Verum enimverò hæc sententia cum tam fragilibus innixa sit fundamentis, vel solum eapropter reiici meretur. Respondeo ad primum argumentum eius maiorem esse falsam, vt ex tractatu 1. liquet; minorem etiam, vt in metaph. lib. 6. tom. 5. cap. 3. docebimus. Ad secundum; Maior est falsa, vt etiam ex superioribus constat: Deinde minor; siquidem ens rationis licet propriè factibile non sit, sed potius quid fieri impossibile, tamen impropriè & secundum quid factibile est, quod sufficit vt praxis sit respectu cognitionis dirigentis ad eius qualem qualem effectionem: qua ratione actus virtutum moralium in Deo praxes sunt, cum tamen non sint propriè factibiles: & quo pacto verbum, quamuis genitum non factum, nihilominus praxis rationem fortassis obtinet. Vide quæ in met. de praxi & speculatione disseremus, neque non quæ capite sequenti subiiciemus. Ad tertium: scientia speculatiua & practica non in eo dissident, quod illa resolutorio modo procedat, seu conclusiones in principia per argumentationem, aut definitum in genus & differentiam per definitionem, aut totum in partes subiectiuas per diuisionem resoluat, contra vero hæc compositiuo modo seu considerando applicationem formæ ad materiam progrediatur, vti plures Thomistæ contendunt: tum quia scientia procedens resolutorio modo seu definiens, diuidens, & argumentans, ad executionem sui obiecti conferre, & ad eam tanquam finem referri potest, vt visitur in hoc actu, *definitio constat genere & differentia*, qui sanè dirigit ad eliciendum hunc actum, *homo est animal rationale*, aut alium similem, & eius executionem sibi finem præstituit, cum tamen suum obiectum in genus & differentiam resoluat; eademque eius erit ratio, etiamsi obiectum suum in principia resoluat, & ex eo quod definitio sit *oratio explicans naturam rei*, & talis esse nequeat, quin constet genere & differentia, eam constantiam efficiat atque concludat: sed cognitio suapte natura relata ad executionem operis sibi subiecti, hoc ipso est practica: igitur cognitio procedens resolutorio modo est practica, ac proinde modus hic neutiquam est proprius solius speculationis. Tum etiam, scientia Dei de Angelo, & Angeli de suis operationibus practica est, vt certo certius: nihilominus compositiuo modo non procedit; id est applicationem formæ ad materiam non considerat, cum Angelus & operationes eius immanentes saltem & vitales, materiei & omnis corporeæ concretionis ac terrenæ fæcis expertes sint: Et quidem, sic & non aliter, modum hunc compositiuum Thomistæ explicant, & practicis notitiis proprium esse autumant, nisi fallor delusi exemplo plurimarum artium, quæ hoc docent, quatenus in aliquam materiam sensibilem imprimenda sit forma quædam artificiosa domus, nauis, imaginis, vestis, gladij, aliaue eiusmodi. Denique è contrario scientia nostra de cœlo v. g. speculatiua est, non practica, & tamen modo compositiuo procedit, & applicationem ac vnionem formæ cœlestis ad eius materiam, si non à nobis, at à Deo factibilem considerat. S. Thomas autem cap. 6. inferius explicabitur, quare immerito nominis eius profugio aduersarij vtuntur.

38 Secunda sententia est, logicam esse omninò practicam & neutiquam speculatiuam. Cui suffragantur Aureol. quæst 3. prol. art. 2. Occam. quæst. 11. Corollar. 2. conclusionis 4. Gregorius quæst. 5. art. 1. Gabriel quæst. 11. art. 2. post. 5. conclusionem. Fonseca, tom. 1. metaph. lib. 2. cap. 3 quæst. 2. Scaliger exercit. 307. num. 23. Iandun. 6. metaph. quæst. 5. Paulus, Venet. initio suo logicæ, Gilius lib. 1. tract. 5. cap. 1. n. 3. Rodericus disput. 3. log. s. 3. subs. 2. & alij tum neoterici, tum antiqui. Quorum etiam opinio sicut præcedens, non vno solet probari modo. Aliqui eius fautores sic arguunt. Dialectica tota est in dirigendis actibus intellectus tota in eorum artificiosa effectione procuranda, aliudque præter eos, aliove modo nihil considerat: practica igitur ex toto est. Item alij sic arguunt: logica tantum respicit voces, & respectu ad illas habet, hoc solo fine, vt ad earum artificiosam dispositionẽ, atque effectionẽ dirigat: omnino igitur practica est, & nullateuus speculatiua. Cæterum istiusmodi rationum leuitas arguit, quam tuentur sententiam leuem esse, parumque momentosam. Principiò namque, nec solos actus intellectus, nec solas voces obiici formaliter logicæ docenti, sed etiam res prout vtrisque subsunt, eorumque merito significantur, & per late ostensum tractatu 1. & inferius cap. sequenti fortassis ostendetur, falso igitur principio ea nititur opinio. Vlterius res quatenus actibus intellectus aut vocibus subiiciuntur, saltem sunt obiectum materiale logicæ docentis, quod ne aduersarij diffitentur: cur ergo dialectica respectu rerum speculatiua, ac proinde non omnino practica sit; quemadmodum actus intellectus verus aut falsus esse potest, munere solius obiecti materialis, vt cum conclusioni falsæ ob præmissam veram

aut conclusioni veræ ob aliquam præmissam verisimilem quidem, reuera tamen falsam intellectus assentitur: his enim euentis conclusio est vera aut falsa ratione sui soliùs obiecti, non vero obiecti propositionis præmissæ, quod cum repræsentetur sicuti est in se, quomodo potest tunc conclusioni falsitatem aliquam impertire? cum vè, hac existente vera, illud repræsentetur aliter ac est reapse, quo pacto eiusmodi veritatem constituere sustinet? Adiice, quod plures aduersarij logicam etiam vtentem omnino practicam esse velint; quam immeritò tamen, capite sequenti clarebit.

39 Tertia sententia est, logicam esse partim practicam, partim speculatiuam. Ita Suarez disp. 44. Metaph. sect. 13. num 54. Vazquez prima parte q. 1. art. 4. disp. 9 c. 1. num. 2. Compton. disp. 10. log. sect. 6. Hurtadus disp. 2. logicæ sect. 2. & disp. 9. §. 2. Rubius q. 5. procem. Conimb. q. 4. procem. art. 5. per totum Louanienses. q. 15. in Porphyrium. Quorum tamen aliqui putant, logicam dicendam esse absolutè & simpliciter practicam, propterea quod etsi speculationibus intermista sit, eius tamen finis sit praxis, & hæc primas in ea partes sibi vendicet: alij contrà vtramque denominationem eis ex æquo conuenire. Hanc autem dissensionem non de rerum qualitate, sed de verborum comprehensione arbitror; eos vero rectius loqui; qui admissis variis habitibus dialecticis, quorum alij sint practici, alij speculatiui, aut concessa eidem simplici habitui respectu diuersorum vtraque illa denominatione, logicam totam præcisè & simpliciter practicam dicendam esse existimant. Vt enim supra sæpius animaduersum ex doctrina Aristotelis lib. 3. de anima cap. 10. & 2. metaph. cap. 1. finis est qui potissimum scientias specificat, & practicas vel speculatiuas denominat. Illud autem in superiori sententia, etiam penès id quo rem ipsam tangit, & seorsim ab appellatione totius dialecticæ, vndeve petenda sit; mihi magnopere displicet, quod plerique eius authores arbitrantur logicam etiam docentem reuera practicam simul & speculatiuam esse. Huius enim contrarium longè probabilius ac verius est, vt cap. sequenti ostendemus.

40 Quarta sententia est, dialecticam nec esse practicam nec speculatiuam. Ita Pererius lib. 1. phys. cap. 3. ad eius finem, Zabarella lib. 1. de natura log. Petrus Niger quæst. 14. Clypei & alij. Enimuerò hæc opinio, quantum ego opinor, cæteris est inverisimilior. Atque in primis æqui bonique non consulo, quod aiunt aduersarij plerique, dialecticam nec artem nec scientiam propriè esse, inde infetentes fieri non posse, vt practica vel speculatiua sit, & non potius instrumentum quoddam, cuius præsidio cæteræ facultates vel speculentur vel practicè cognoscant, artisve aut scientiæ rationem obtineant. Quod enim logica sit ars quod etiam scientia cap. præc. satis probatum manet. Adhæc, quod supponunt contrarij, solam artem aut scientiam propriè sumptam esse posse practicam aut speculatiuam, id à me nunquam impetrabunt: quidni enim facultas quæuis intellectualis, vera si sit, & opus aut otium ab opere finem habeat, practica aut speculatiua esse queat? quanquam nec ars sit, nec scientiæ, propriè & strictè: qua ratione multi non solum scientiam strictam & ab Aristotele definitam, sed etiam artem presè sumptam, respectu creaturarum creatori negant: propterea quod eiusmodi artem cum periculo erroris coniunctam, & eius præcauendi gratia inuentam existiment? Nihilominus scientia Dei de creaturis practica est aut speculatiua, provt eas factas aut faciendas repræsentat: Tametsi ergo logica (quod falsum arbitror) propriè, & rigorosè nec sit ars nec scientia, at practicam vel speculatiuam eam esse oportebit. Item tertio nodum mihi videtur in scirpo quærere, qui in aliqua disciplina, quæcunque, sit medium disquirit inter duas illas denominationes, eique neutram illarum congruere retur. Aut enim eiusmodi facultas dirigit ad executionem sui obiecti, aut non est ita directiua; aut sistit in eius contemplatione, aut vlterius progreditur: vtrumcunque autem eligas, necesse est, eam practicam, aut speculatiuam esse fatearis. Denique Aristoteles in nulla disciplina, res sibi subiectas, provt sunt, cognoscente, istiusmodi medium agnoscit: quin imo illud reiicit 6. Metaph. text. 1. *omnis intellectus, aut actiuus, aut factiuus, aut speculatiuus est.* Porrò, vt constabit in loco, per actiuum & factiuum intelligit practicum: hoc ergò adæquate distinguit contra speculatiuum, eique immediatum esse putat, aliàs diuisio ab eo tradita inadequata & insufficiens esset, neque omnia inferiora comprehenderet.

CAPVT V.

Superioris instituti prosecutio.

HActenus vidimus qua ratione alij de modo repræsentandi practico & speculatiuo logicæ sentiunt. Sed bona cum illorum venia, dico primò, logicam docentem, hoc est eam quæ præcipit, quo pacto possimus definire, diuidere, argumentari, aut alitercunque veritatem rerum assequi, practicam omninò, & nullatenus speculatiuam esse: Item secundo logicam vtentem, si est docens cum respectu quodam superius explicato ad alias scientias, prorsus etiam practicam esse: Rursus tertio logicam vtentem, sumptam pro ea parte dialecticæ, quæ definitionem, diuisionem, & argumentationem in particulari, ac certa quadam materia cuiusuis alterius scientiæ faciendam considerat, esse itidem ex toto practicam. Præterea quarto logicam vtentem, provt modum sciendi existentem & factum intuetur, partim esse practicam & ex parte speculatiuam. Deinde 5. logicam vtentem, acceptam pro ea portione dialecticæ, quæ res secundum esse physicum, & earum prædicamentorum constitutionem respicit, esse ex integro speculatiuam. Post hæc sextò logicam vtentem, si sumatur pro actibus & habitibus aliarum scientiarum, provt à logica directis, aliquando esse omninò practicam, interdum omnino speculatiuam, & nonnunquam mixti generis, simulque practicam & speculatiuam: nam triplicem hanc varietatem subeunt aliæ scientiæ quæ logicæ præceptis vtuntur. Denique logicam, provt est vtens ac docens, & res penes earum esse physicum & prædicamentale, sobriè quidem, & parcè, secundas vero intentiones ex professo, & copiosè pertractat, ac duplicem hunc tractatum in vnam quandam scientiam totalem, more vnius in scholis tradi solitam congerit; eam, inquam, ita vsurpatam, atque ex vsu, & doctrina commistam, partim esse practicam, & partim speculari, etiamsi quæ est in ea speculationum paucitas, contrà verò numerus cognitionum operi, ac praxi incumbentium, magis dicenda sit practica quam speculatiua, imò multoties absolutè, & simpliciter practica; propterea, quod non speculetur, nisi quodammodo praxis gratia, & hæc sit præcipuus finis, quem sibi proponit, & in 41

quem

quem speculationes suas refert, atque contendit.

42 Primæ assertioni nostræ fauent authores, quos cap. præc. pro secunda sententia laudauimus: eorumdem etiam non pauci, secundæ, & tertiæ assertioni nostræ suffragantur. Et quidem merito: par enim harum & illius causa: si enim logica docens est omnino practica, quidni vtens? quæ eam includit, & ei superaddit solum respectum, quo ad alias scientias concurrit influitque; hic autem concursus & influxus, quo differt à docente, non tollit quo minus eius instar sit practica, imò ad hanc denominationem illi tribuendam magnopere conducit. Rursus, si logica docens, quia præcipit in communi practica est, certè ea quæ præcipit in particulari aut, quod iuxta esse duximus, vtitur, eo magis erit practica, quo actionem propius & vicinius respicit: illa ergò si omnino practica, certè & hæc potiori iure. Quocirca probata prima assertione nostra, duæ sequentes vna, eademque opera probatæ manebunt. Quod autem attinet ad quartam assertionem nostram, ea sponte sua claret: cum enim dico, hic actus homo est animal rationale, v.g. à me elicitus est bona definitio, & genere constat, atque differentia; huiusmodi reflexa cognitio quam dialecticæ vtenti adscripsimus, duplicem respectum habet, alterum ad primam productionem eius definitionis, alterum verò ad illius conseruationem: ex priori respectu talis cognitio non est practica, sed speculatiua, ob id quod primam productionem definitionis illius supponat iam exercitam, & consequenter ad eam exercendam siue exequendam dirigat: ex posteriori autem est practica, quoniam ad supradictam definitionem conseruandam mouet: idcirco enim conseruare possum, & soleo definitionem à me semel elicitam, quia illam esse bonam mihi persuadeo.

43 Reliquæ verò assertiones nostræ vacant propemodum omni difficultate; atque earum probatio in superioribus est multoties tradita. Proinde vt dixi totum negotium nostræ sententiæ deuoluitur ad primam assertionem, qua statuimus logicam docentem omnino practicam, & nullatenus speculatiuam esse. Quod igitur ita se res habeat, hunc in modum probatur. Dialectica tantum respicit instar obiecti secundas intentiones, internas, externasve, nimirum cognitiones, aut voces; vel certè primas intentiones, siue res provt secundis subsunt, ab iisque rationem subiecti, prædicati, medij, extremi, generis, speciei, proprij, definiti, diuisi, demonstrati, aliamve similem accipiunt. Atqui nihil horum est, respectu cuius logica docens non sit practica: omnino ergò, & respectu cuiusuis sui obiecti practica est, adeoque nequaquam speculatur. Consequentia per se, maior ex dictis tra. 1. Minor autem suadetur, quoniam vt videbimus in metaph. eo ipso quod cognitio aliqua vel facultas sit directiua ad effectionem actuum intellectus sibi per reflexionem quandam obiectorum, hi erunt praxes, & illa practica: par ratio est vocum: par rerum vt subsunt quibusdam denominationibus effectioni obnoxiis. At logica docens dirigit ad artificiosam effectionem actuum intellectus, & vocum, necnon etiam rerum in esse intentionali, & penes denominationes subiecti, prædicati, definiti, diuisi & cæteras similes: erit ergo omnino practica & nil speculationis habebit. Illud autem huic probationi solum obstat, quod logica multas definitiones, diuisiones, & alias secundas intentiones consideret, à cognoscente infectibiles, idque per se, & non ex accidenti: item quod vix intelligi possit, aut explicari, quo pacto res actibus nostris obiectæ rationem praxis obtineant, aut, quod instar est, quomodo logica respectu illarum practica esse queat. Vnde.

Obiicies primò, dialectica docens res habet pro obiecto formali: docet enim, quatenus propositio sit facienda ex subiecto, & prædicato, definitio ex genere & differentia, argumentatio ex medio & maiori ac minori extremo, esse autem subiectum prædicatum, genus, medium, extremum, aut rebus conuenit intuitu nostrorum actuum, aut his intuitu rerum: has igitur logica docens respicit, earum autem respectu actiua seu practica esse nequit: nam res actibus nostris substratæ sunt Deus, Angelus, cœlum, elementa, & similia: aliquod igitur obiectum non practicè respicit. 44

Occurrendum tamen huic obiectioni; vt cognitio aliqua sit practica respectu alicuius obiecti, satis esse vt dirigat ad alterutrū è duobus, vel vt fiat obiectum, vel vt aliquid circa obiectum fiat: at dialectica dirigit, vt aliquid circa res fiat, videlicet vt definiantur, diuidantur, demonstrentur, aut alio quouis modo verè cognoscantur: igitur respectu rerum practica erit. Maior probatur primò: quia cognitio ita directiua non sistit in sola contemplatione obiecti velut fine, sed vlterius ad aliquid circa illud efficiendum progreditur & ordinatur: solius igitur huius efficaciæ & directionis beneficio practica erit. Secundò quoniam cognitio qua architectus ligna, lapides, cæmenta & reliquam materiam domus cognoscit, practica est, respectu materiæ cognitæ: at non alia ratione, nisi quia ad aliquid circa illa efficiendum dirigit, atque quatenus ex ea domus fieri artificiosè debeat, exprimit. Quod autem ea cognitio circa materiam domus practica respectu illius sit, conspicuum est: quia alias ars construendæ domus non esset omnino practica, sed quadantenus speculatiua, quo nihil dici potest inscitius. Huic doctrinæ aperta ratione fauet, præter innumeros alios, P. Fonseca lib. 2 metaph. cap. 3. quæst. 2. sect. 4. parum ab initio, his verbis: *Dicimus artem fabrilem esse practicam, quia & ligna quæ sunt eius materia, sunt res naturales, & à physico tractantur; tamen quia tractantur directiuè ab arte fabrili, vt de iis fiat hoc pacto scamnum, illo autem mensa, &c. ideò non est contemplatiua sed practica.* 45

Idem paulò aliter explico. Logica docens dirigit, vt res fiant intentionaliter: siue in esse obiectiuo definiti, diuisi, &c. at ea directio ad notitiam practicam etiam rerum satis superque est: ergo. Minor probatur, quia quod illud fieri sit impropriè & metaphoricè fieri, non obest, quo minus notitia sit verè practica, respectu rerum quæ ita fiunt: talis igitur est censenda: Antecedens suadetur, tum quia vt supra sæpe sæpius doctum, prudentia in Deo strictè practica est respectu cæterarum eius virtutum moralium, quarum tamen actus ab ea directi, solum impropriè & intentionaliter siue vt alij loquuntur, grammaticaliter fiunt & aguntur: tum etiam, quia ars non solum est circa constructionem rerum, verumetiam non raro circa earum destructionem, vt cernes in militari, venatoria & similibus, quæ magna ex parte ad destruendum tendunt tendunt, & hunc sibi finem præstituunt. Atqui ars destructiua etiam rerum practica est, talemque eam esse, nemo quem viderim inficiatur: cognitio igitur aliqua practica est intuitu destructionis, cum tamen destructio impropriè tantum fieri dicatur, & potius non fiat quam fiat, atque adeo logica docens practica erit respectu rerum, quæ ex directione illius impropriè intentionaliter, aut in esse obiectiuo fiunt. Dices, eodem argumento confici posse, visionem beatam 46

practi

practicam esse respectu Dei amati, cuius tamen contrarium cum communiori sententia aduersus Scotum suo loco ostendemus: sequela in aperto esse videtur, quoniam visio beata dirigit, vt aliquid circa Deum fiat, nimirum amor beatificus, siue, quod iuxtà est, ea dirigit vt Deus in esse obiectiuo siue amato fiat quodammodò. Respondeo, ad notitiam practicam opus esse, vt id quod fit vi illius, quatenus fit, siue vt id quod circa materiã ei subiectã vi illius fit, ab ea cognoscatur; aliàs praxis, qua praxis est, non esset obiectum cognitionis practicę, contrà quàm in tempore docebimus; amor autem beatificus, seu Deus in esse amato à visione beata, prout beata est, non attingitur; haud enim beat nisi Deum videndo. Proinde in nostris principiis visio beata respectu Dei aut amoris diuini practica non est.

47 Tertio idip um explico & confirmo. Quemadmodum praxis debet esse factibilis secundum se, ita debet esse factibilis à cognoscente, per se vtique, & nisi aliud ex accidenti eueniat: at non debet esse simpliciter & propriè factibilis à cognoscente: igitur neque secundum se propriè factibilis esse debet, ac proinde esto res tantum impropriè & in esse obiectiuo factibiles sint, adhuc praxes esse poterunt, & dialecticam practicam nominare. Maior constabit ex dicendis in met. l. 6. tractatu 5. c. 3. vti disseremus. Minor probatur, quoniam medicus absolutè & simpliciter proprievè sanitatem non facit, quæ tamen praxis est & medicinam practicam denominat: quod de medico dictum est, perspicua ratione constat: tum quia is tantum mediatè sanitatem causat: huiusmodi autem causalitas & mea & aliorum plurium iudicio semper impropria est: tum etiam quia ita mediatè ad sanitatem concurrit, vt non causam aliquam eius productiuam producat, sed tantum applicationem talium causarum, quæ sicut non facit sanitatem, sed duntaxat est conditio sine qua eam medicamina neutiquam facerent, ita meritò illius ars medendi eiusque professor sanitatem absolutè & propriè non efficiunt. Idipsum potest aliarum artium exemplo declarari.

48 Iterum obiicies, aduersus primam assertionem nostram: Hic actus, *definitio constat genere & differentia*, par autem ratio cuiusuis alterius regulæ dialecticæ, attingit ex parte obiecti vt aiunt. definitiones Angelicas, quæ non sunt ab homine factibiles, & similiter plures definitiones humanas, quæ etiam à cognoscente fieri non possunt, si intellectio consistat, vt plures, & quidem probabiliter, censent, non in qualitate absoluta, sed in modo essentialiter illigato ei, cui semel inest, sic vt inde nulla vi diuelli queat, aut alibi collocari: Igitur superadictus actus aliqua ex parte speculatiuus est: attinet autem proculdubio ad logicam docentem: atque adeò hæc non est omninò practica.

49 Ad hanc obiectionem dicendum est, vt actus ille quem opponit, sit omnino & adæquatè practicus, sufficere vt definitio absolutè & simpliciter sumpta sit factibilis à cognoscente, tametsi hæc vel illa definitio, Angelica scilicet aut alterius hominis, ab eo fieri nequeat. Quod in hunc modum suadeo, & explano: actus intellectus practicus dici nequit ab obiecto implicito sed à solo explicito siue expresso: at ille actus habet pro obiecto explicito definitionem absolute & simpliciter sumptam, quæ à cognoscente factibilis negari nequit; & pro obiecto implicito definitionem huius destinatæ speciei, aut indiuiduationis, quæ fieri nequit à cognoscente; actus igitur ab hac minime speculatiuus dici poterit, sed duntaxat practicus à ratione illa præcisa definitionis explicatè cognita. Maior constat, quia aliàs hic actus, *Deus est summum bonum*, foret practicus, quod & falsum est, & contrarium multis eorum quibuscum disceptamus: etenim actus ille implicitè & virtualiter cognoscit Deum esse summe amabilem, siue amandum, ac proinde eius amorem elici posse & debere: igitur aut obiectum implicitè cognitum non specificat notitiam practicam, aut is actus practicus erit respectu diuini amoris, quem etsi non expresse, at implicite & latenter cognoscit.

Respondeo secundo, cum dicimus logicam docentem omninò & adæquatè practicam, id accipiendum seruata vt aiunt proportione; si videlicet logica humana cum modo sciendi humano, & Angelica cum Angelico, & logica huius indiuidui cum modo sciendi eius proprio comparetur: Nec vero aliud opus, vt logica docens absolute & simpliciter dicatur omnino practica: idcirco enim Petrus v. g. (quem disputandi gratia supponamus realiter à suis partibus indistinctum) absolutè & simpliciter dicitur eiusdem prorsus speciei cum Paulo, quia partes omnes vtriusque tum essentiales, cum integrales sunt eiusdem speciei, si cum proportione sumantur, & corpus cum corpore, anima cum anima, pes cum pede, oculus cum oculo, & brachium cum brachio conferantur, esto partes viriusque sint diuersæ speciei, si sine ea proportione accipiantur, & anima vnius, cum corpore alterius, & pes cum oculo, & oculus cum brachio contendantur. Quare eodem ritu logica docens omninò practica erit, eo quod nullum actum habeat non practicum, si partes scientiæ cum partibus obiecti componantur. 50

Repulimus duas superiores obiectiones, quibus nostræ sententiæ fundamentum petebatur: reliquum est, vt quæ alio nomine negotium facessunt, eas reiiciamus. Obiicies igitur tertio, logica docens considerat definitionem, diuisionem argumentationem, & similia, non in particulari, sed in communi: Atqui cognitio rei quantumuis operabilis, si tamen eius sit in communi, hoc ipso est speculatiua; igitur, &c. Maior cum sit indubia, suadetur minor, tum ex B. Thoma, 3. de an. text. 47. tum etiam, quia mathematica considerat naturam & proprietates quantitatis continuæ, sic vt ad huius effectionem ea consideratio multoties conferat: qua ratione statuitur l. 1. Euclidis theorem. 22. propos. 32. triangulum esse, qui habet tres angulos æquales duobus rectis. Rursus quod plus, docet ac præcipit multoties, aliquid cõstruere, v. g. eodẽ l. 1. Euclid. probl. 1. propos. 1. super data recta linea terminata triangulum æquilaterũ constituere: Porro tota mathematica huiusmodi theorematis & problematis constat; ad hæc enim propositiones & lemmata reducuntur: nihilominus ea tota est omnino speculatiua, & nullatenus practica, propterea quod quantitatem, duntaxat in communi consideret; consideratio ergo in communi rei etiam operabilis nequit non esse contemplatiua. 51

Respondeo, etiamsi cognitio rei in communi eo ipso sit impropriè & latè speculatiua; at si res ad viuum resecetur, non semper eam speculari, sed practicam haud raro esse: cuius argumentum me iudice manifestum est, quod artes omnes practicæ, vt musica, rhetorica, venatoria, fabrilis & cæteræ id genus, communia solum præcepta tradant, eaque ad particularem materiam, & indiuiduum opus non applicent, provt docent, sed tantum quatenus vtuntur. Arist. autem & B. Thom. cap. seq. explicabuntur. Matheseos exemplum non vrget: etenim super id quod probabile est, hanc facultatem 52

esse

esse quadantenus practicam, quia si non omnia, nec pleraque, quæ cognoscit, at aliqua potest exequi, vt in metaph. lib. 6. tract. 5. cap. 2. exponemus, facilè à nobis saluis nostris principiis reddi potest ratio, iuxta dicenda loco nuper citato, cur mathematica sit omnino speculatiua, & non practica, vt tanquam magis verisimile ibid. amplectemur: Nam executio triamguli: v. g. est adeo facilis, & plerumque adeò inutilis, vt non sit operæ pretium, non sufficiens finis theorematis mathematici, quo eius natura & proprietates summo ingenio & artificio demonstrantur: par est ratio cuiusuis alterius theorematis: par cuiusuis problematis: quando ergo notitia practica executionem sui obiecti velut finem respicit; nil mirum si mathematica non sit practica, sed speculatiua; quin ad huius rei reddendam rationem oporteat confugere ad vniuersalitatem illam, qua obiectum suum repræsentat.

53 Bene verum est, constructionem trianguli, aut circuli, alteriusve figuræ, in certa quadam ac sensibili materia eius aliquando vtilitatis esse, vt propter eam veluti finem, cognitio qua attingitur, quantumlibet exquisita, meritò tamen possit expeti: vt, v.g. cum ad obtinendam victoriam, in vnam figuram potius quam aliam acies formari debet: cæterum cognitio ad materiam sensibilem ac militarem ita descendens, haud est mathematica, etiam latè & secundariè, vt author est Clauius noster in prolegomenis ad elementa Euclidis, vbi communem Procli & aliorum opinionem sequens docet mathematicam primariam duplicem esse, geometriam videlicet & arithmeticam, provt in intellectilibus & ab omni materia sensibili separatis positas: secundariam verò sextuplicem esse, nimirum astrologiam, perspectiuam, geodesiam, musicam, supputatricem, atque mechanicam, siue machinarum effectricem. *Militarem autem artem*, vt ait ibi, *eam inquam, quæ ad instruendas coordinandasque pertinet acies, quam Græci τακτικὴν vocant, vnam aliquam ex mathematices partibus dicendam esse non censent*, antiqui scilicet: & tandem subiungit; *ille etiam qui aciebus instruendis operam accommodat, mathematicis quidem vtetur theorematibus, nec tamen ob hoc erit mathematicus, quamuis interdum quidem volens eam, quæ numerosa est pauciſſimam ostendere multitudinem, castra suosque exercitus ad figuram circuli formet; interdum verò ad figuram quadranguli, quinquanguli, vel alterius cuiusdam multanguli, vbi plurimam apparere cupit.*

54 Obiicies denique quarto: logica docens agit de signo in communi, eiusque naturam explicat: at ea consideratio speculatiua est, non minus quam cognitio entis in communi, aut trianguli vt sic, quæ ad metaphysicam & mathematicam spectat: quæ enim vtrinque potest discriminis ratio afferri. Verùm in primis probabile est quod aliqui docent, accuratam signi tractationem attinere, non ad logicam docentem, sed ad metaphysicam: tum quia signum in communi abstrahit à triplici materia intelligibili, sensibili & indiuidua, qua sub abstractione metaphysica tendere communiter censetur: tum etiam quia sicut de variis speciebus entis variæ scientiæ differunt, ita similiter de variis speciebus signi, nimirum Theologia de signis practicis gratiæ, qualia sunt Sacramenta: astrologia de signis tempestatis & malaciæ: medicina de signis prosperæ & aduersæ valetudinis: grammatica & rhetorica de signis externis & vocalibus: logica potissimum de signis internis & intellectualibus, &c. Sicut igitur metaphysica velut scientia quædam superior, & architectonica de ente in communi differit, ita etiam & de signo in communi; quantumuis de eo occasionaliter in dialectica agatur & ab ea veluti mutuò accipiatur. Respondeo secundò; tametsi ad logicam spectet agere de signo in communi, id que ex professo, eo quod tota ferè posita sit in explicandis signis nec quibuscunque, sed nobilissimis & spiritualibus horumque notis externis; cæterum eam differere de signo in communi, eiusque natura, proprietatibus, & speciebus, non provt est docens, nulla enim doctrina opus ad effectionem signi absolutè & simpliciter sumpti, sed provt est vtens, qua ratione cum de ente vt sic, deque prædicamentis decem agit, respectu sui principalis obiecti, non docens sed vtens censetur. Quantumlibet ergò cognitio signi in communi, eiusque proprietatum, &c. sit speculatiua instar eius qua ens à metaphysica & triangulus à mathematica cognoscitur, exinde tamen haud fiet, logicam docentem aliqua ex parte contemplari, aut praxi deesse. Alia argumenta aduersus nostram sententiam relata & reiecta habes c. præc. quæ hic idcirco prætermitto.

CAPVT VI.

Solutio authoritatum aduersus nostram sententiam & contrariæ aliqualis defensio.

OBiiciunt primo aduersarij Aristotelem, vt refert Laërtius in eius vita, censuisse logicam esse contemplatiuam: nec credi par esse, quod aiunt Conimbr. hoc Laërtium de eo finxisse. Obiiciunt secundo B. Thomam secunda secundæ quæst. 47. art. 2. *Ratio speculatiua quædam facit, puta syllogismum, propositionem, & alia huiusmodi.* Et 1. 2. quæst. 57. art. 4. ad 3. *etiam in ipsis speculabilibus, est aliquid per modum cuiusdam operis, vt puta constructio syllogismi, aut orationis congruæ, aut opus numerandi, & ideo quicunque ad eiusmodi opera rationis habitus speculatiui ordinantur, dicuntur per quandam similitudinem artes.* At constat logicam docentem in syllogismis, propositionibus, & aliis id genus constituendis positam esse; quin ergo sit speculatiua iuxta B. Thomam, nullo potest iure negari. Obiici etiam potest B. Damascenus, cap. 48. dialect. *Scientiam demonstrationem esse logicæ speculationis*: quidni ergo iuxta ipsum definitio similiter diuisio, & quiuis alius sciendi modus à logica speculatiuè considerentur. Opponi quoque potest Porphyrius in præf. ad prædicabilia, *de istarum rerum speculatione compendiosam tibi traditionem faciens, &c.* At non est, quamobrem Isagoge Porphyrij speculatiua sit, potius quam reliqui tractatus dialecticæ facultatis. 55

Pro explicatione horum, & similium testimoniorum, necnon quali quali oppositæ sententiæ defensione animaduertendum est, practicum & speculatiuum dupliciter sumi posse & solere: primo propriè & strictè, quo sensu vbertim explicanda sunt à nobis in metaph. & in eo authores nuper adducti minimè loquuntur, atque in eo logica omnino practica est: secundo latè & impropriè, & hoc sensu dialectica quodammodo speculatiua est, eumque & non alium authores nobis paulò superius obiecti intendunt. Quod autem practicum & speculatiuum impropriè ac latè ab authoribus accipi soleat, idque multis variisque modis, constabit ex eorum testimoniis, quæ hic referre non grauabor. 56

Primo ergo accipi solet actus speculatiuus pro omni & solo intellectus actu, siue aliàs practicus sit siue non. Ita Aristoteles 3. de anima textu 45. 57

Intelle

intellectus practicus etiam cum rem aliquam huiuscemodi contemplatur, &c. Ita etiam prudentia alioqui practica, dicitur tamen speculatiua, qua virtus intellectualis est, à Xenocrate apud Aristotelem lib. 6. topic. c. 2. vbi sic id refert. *Xenocrates prudentiam definitiuam & contemplatiuam eorum quæ sunt, dicit esse.* Fauet etiam huic acceptioni Damascenus c. 29. *speculatiuum est intelligere incorporalia & immaterialia, speculatiuum autem speculatur & materialium naturam.* Et inferius c 48. *speculari autem dicitur intelligere, astronomizare, geometrizare & alia.*

58 Secundo vsurpari solet latè & impropriè notitia practica pro ea quæ coniunctam habet voluntatem operandi, qua eius directio in actum secundum reducitur, & speculatiua, pro ea quæ à tali voluntatis actu seiuncta est, & cuius directio in actu primo manet, & ad secundum non transfertur. Ita D. Thomas q. 2. de verit. art. 8. corp. *sed sciendum est, quod artifex de re operabili, habet duplicē cognitionem scilicet, speculatiuam & practicam: speculatiuam quidem, siue theoricam cognitionem habet, cum rationes operis cognoscit, sine hoc quod eas ad operandum per intentionem applicet; sed tunc proprie habet practicam cognitionem, quando extendit per intentionem rationes operis ad operationis finem.* Notandum autem est, in hoc testimonio voculam, *proprie*, aut appellare super, *habet*, non vero super, *practicam*; aut certè appellare super, *practicam*, in actu secundo, non verò quomodolibet & absolutè. Porrò tam in hoc secundo sensu, tam etiam in eo quem numero præcedenti posuimus, quis ambigat dialecticam esse quodammodo speculatiuam: cum in actibus intellectus sita sit, & eius directio non semper ad actum secundum per intentionem applicetur.

59 Tertio eę differentiæ ita accipi solent, vt actus practicus cum experientia & notitia singularium, & speculatiuus cum notitia vniuersalium recurrant, ac perinde sint; Ita D. Thomas 3. de anima text. 47. *aliquando autem intellectus considerat aliquid agibile, non tamen practicè sed speculatiuè, quia considerat ipsum in vniuersali, & non secundum quod est principium particularis operis.* Et 2. 2. quæst. 49. art. 6 *Ad secundum dicendum, quod speculatio est circa vniuersalia.* Item Paulus Laym. lib. 1. Theol. moralis tract. 1. c. 5. num. 2. ait, iudicium practicum esse, quod de actione in particulari elicienda aut omittenda residet in intellectu: speculatiuum vero, quod circumstantias particularis operis non considerat.

60 Quarto eæ differentiæ latè sumptæ ita accipi solent, vt actus speculatiuus idem sit cum scientia, quæ rem in principia resoluat, per definitionem, diuisionem, & argumentationem, practicus vero cum ea notitia quæ ita resolutoria non sit. Sic Aristoteles 2. Metaph. c. 1. text. 3. *Etsi practici considerent, quo pacto res se habent, non tamen contemplantur causam ipsam per se.* Sic etiam D. Thomas 1. part. q. 14. art. 9. *potest dici scientia speculatiua, quantum ad modum sciendi, vt puta, si ædificator considerat domum definiendo, & diuidendo, & considerando vniuersalia prædicata illius; hoc siquidem est, operabilia modo speculatiuo considerare, & non secundum quod operabilia sunt: operabile est enim aliquid, per applicationem formæ ad materiam, non per resolutionem compositi in principia vniuersalia formalia.* Atque in hoc etiam sensu, eoque quem explicuimus num. præc. nemo erit qui dialecticam quodammodo speculatiuam inficias eat; cum & circa vniuersalia sit, neque non etiam resolutoria sit, vt pote quæ definit, diuidit, & argumentatur.

61 Tandem eæ differentiæ ita vsurpari solent, vt notitia practica ea sola sit, quæ ad exteriorem actionem tendit ac refertur; speculatiua vero, quæ vel ad nullam actionem, vel certè non ad exteriorem siue corpoream. Sic D. Thomas 1. 2. q. 57. art. 1. ad 1. *Practicum vel operatiuum, quod diuiditur contra speculatiuum, sumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinem habitus speculatiuus, sed solum ad interius opus intellectus, quod est speculari verum* & 2. 2. q. 159. articulo 2. *Finis contemplatiuæ cognitionis, est ipsa cognitio veritatis, quod pertinet ad intellectum contemplatiuum, vel est aliqua exterior actio, quod pertinet ad intellectum practicum seu factiuum, & ideo sufficienter etiam diuiditur per actiuam & contemplatiuam.* Quod autem nomine actionis exterioris corpoream, & proprie talem intelligat, quæstionis seq. articulus primus liquidum planumque facit; & iuxta hunc sensum logica quodammodo speculatiua dici debet. Ex testimoniis hactenus allegatis colligitur, quo pacto nostra sententia sic vera sit, vt aliquid etiam contrariæ ttibui oporteat, ac logica ita practica sit, vt in alio sensu minus proprio eam multipliciter speculatiuam dici possit & conueniat.

Cæterum ex prædictis testimoniis neutiquam 62
colligitur, logicam esse proprie speculatiuam & non practicam: tum quia de impropria & lata speculatione intelligenda illa esse rationes nostræ sententiæ persuadent: tum quia allegati authores, tantum non omnes, aliique nobis obiici soliti, sese aliis locis explicant, & logicam esse non contemplatiuam, sed practicam edocent. Atque in primis Aristoteles author est, dialecticam in praxi & actione syllogizandi vtique, aut aliter disserendi, positam esse, nec in sola contemplatione obiecti sui quiescere. *Propositum quidem negotij est*, inquit. 1. top. c. 1. Methodum inuenire, *per quam poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex probabilibus.* Et c. 2. *consequens autem erit, ex iis quæ dicta sunt dicere, ad quot, & quæ vtile sit hoc negotium. Est autem ad tria: ad exercitationes, ad colloquia, ad eas, quæ secundum philosophiam sunt, disciplinas. Quod igitur ad exercitationem sit vtile, ex his perspicuum est: methodum enim habentes, facile de proposito argumentari poterimus. Ad colloquia, &c.* Consentit Augustl. l. 8. de ciuit. Dei ibi cum Platone distribuens philosophiam in tres par. *vnam moralem, quæ maxime in actione posita est: alteram naturalem, quæ contemplationi deputata: tertiam rationalem, qua verum dijudicatur à falso.* Vides quomodo dialecticam non minus quam disciplinam moralem à scientia speculatiua seu contemplatiua secernant.

Accedit etiam huic sententiæ D. Thomas opusc. 63
70. super Boëtium de Trinit. quæst de diuisione scientiæ speculatiuæ in respons. ad 2. En eius verba; *Ad secundum, dicendum, quod scientiæ speculatiuæ, vt patet in principio metaphysicæ, sunt de his, quorum cognitio quæritur propter seipsas, res autem de quibus est logica, non quæruntur propter seipsas, sed vt adminiculum quoddam ad alias scientias, & ideo logica non continetur sub philosophia speculatiua, vt pars principalis, sed quasi quoddam reductum ad eam, prout ministrat speculationi suæ instrumenta.* Idem proculdubio sentiunt, Plato & Boëtius quos sequuti Augustinus & Thomas, in relata nuper verba loquuntur. Idem insinuat Richard. Victor. l. 1. exception. c. 23. Idem alij plures, quos referre superuacat.

CAPVT

CAPVT VII.

Qua vtilitate, neceſsitate, ac ſubalternatione dialectica obiectum ſuum repræſentet?

64 TAmetſi aliqui hodiéque logicam, quia ignorant, omnino negant, & quod de Rabirio, & Amafanio refert Cicero l. 2. academ. quæſt. *nulla arte adhibita, de rebus ante oculos poſitis vulgari ſermone diſputant, nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem eſſe, nec dicendi, nec differendi putant*: Cæterum logicam facultatem reuera dari, & non chimicæ artis more fingi, ſi tamen hæc fingitur, velut luce dilucidius ipſa ſuppono, ac proinde ad eius vtilitatem, neceſſitatem, ac ſubalternationem pergo. Vt autem harum trium proprietatum, primam aggrediar, eam inde colligo, quod philoſophiæ pars ſit logica, ac ſimul inſtrumentum, quemadmodum homo membris ſuis, & velut inſtrumentis vtitur, & velut partibus conſtituitur: quam vtilis ergo eſt philoſophia, tam non inutilis, nec inanis eſt logica: quantæ verò vtilitatis ac dignitatis ſit philoſophia manifeſtum eſt. Illud etiam dialecticæ vtilitatem non parum commendat quod ea vſus fuerit Chriſtus Dominus vt tradit B. Auguſtinus lib. 1. contra Creſcon. cap. 17.

65 Quæ autem Ariſton, Zeno, Carneades Clitomachus, Origenes, Philo, & alij dicere ſolebant, teſte Pierio in Hieroglyphicis, eos qui dialecticam enixiori conatu ſectarentur, iis aſſimilari, qui cancris veſcerentur: cibi enim admodum exigui gratia, circa oſſa tam multa numero, tantum laboris ab eis inſumi: item dialecticam iuſtis quidem menſuris comparandam eſſe, quibus tamen eius artis periti non triticum aut vtile quidpiam metirentur, ſed paleas aut quiſquilias & id genus alia. Rurſus dialecticorum ſermones aranearum telis ſimiles eſſe, quæ quidem artificioſè admodum elaboratæ eſſent, nulli vero inſeruirent vſui. Præterea per animaculum illud cyniphem appellatum, & ex Ægyptiorum plagis vnam, intelligi debere dialecticam artem, quæ minutis & ſubtilibus verborum ſtimulis animos terebrat, & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus nec videat, nec intelligat vnde decipiatur. Deinde facultatem hanc Polypi ſimilem eſſe, qui præ fame ſuamet flagella paſcitur: eius enim profeſſores aucta iam doctrina peritiores factos, in ſuaſmet opiniones mox graſſari, eaſque deſtruere: neque non æquiparari merito poſſe lunæ, cuius inſtar, alternis lucet ac deficit, decipitve, eoque ſolo conſtans eſt, quod nihil habeat vnquam conſtans, certum aut ſtabile: eam quoque nugarum argutiis & ſubtilitatibus, gallinaceum lac ex illo ſuæ copiæ cornu polliceri, rerum tamen omnium inanem eſſe, &, quod aiunt ollas tantum oſtentare: denique ſimilem eſſe piſcibus ſquama pinniſque carentibus qui in luto ſemper hæſitant, nec ad aquarum ſuperficiem, aëriſque participatum attolluntur vnquam. Hæc, aio, & ſimilia non dialecticam tangunt, ſed neque eius profeſſores optima re peſſime vtentes. Quod ſi vitio vertas huic facultati, nullam non damnes: vt enim Platonis in Euthidemo verba vſurpem, *An ignoras, in quouis ſtudio viles & nullius pretij homines permultos eſſe: probos vero paucos, eoſque maximo in pretio habendos eſſe? Nonne tibi videtur pulchrum quiddam eſſe gymnaſtica, mercatura, rhetorica, res militaris? Nonnè vides in vnaquaque harum artium multos ad opus vnumquodque ineptos & deridendos.* Conſule Titelm. in apologia pro dial. Louanienſ. in proœmial. Logicæ. Conimbric. quæſt. 6. proœm. art. 1. & 2. qui & alij patrum teſtimoniis & rationibus huius facultatis vtilitatem & dignitatem perſuadent.

Præcipua autem logicæ vtilitas eſt ad alias ſcien- 66
tias capeſſendas: quare operæ pretium erit, eius ad illas concurſum explicare, & qualis ſit, directiuus ſcilicet an effectiuus, oſtendere. Nonnulli dialecticam ad actus aliarum ſcientiarum efficienter concurrere exiſtimant: quia in eo concurſu nulla repugnantia viſitur, & aliunde dignitatem ac vtilitatem dialecticæ maximè commendat. Porrò huius ſententiæ authores diuiſi ſunt: alij enim ſoli dialecticæ actuali, alij actuali & habituali concurſum hunc effectiuum tribuunt.

Verum enim impugnari facili negotio poſſunt: 67
nam, ſi de logica habituali ſermo, nullus habitus efficit niſi actus ſimiles iis, à quibus immediatè, & per ſe gignitur, ſi tamen hos efficit, & non potius eorum effectionem à potentia impetrat: alioqui profectò habitus temperantiæ ad actus fortitudinis, aut iuſtitiæ efficienter concurreret: at habitus dialectici immediatè, & per ſe non generantur per aliarum facultatum actus, quos tempore, & natura plerumque anteuertunt: ſolumque mediatè, & occaſionaliter ab eiuſmodi actibus aliquando originem trahunt, vt cum occaſione aliarum diſciplinarum qui eis incumbit, & operam nauat, ſimul etiam præcepta, & inſtituta dialectica eis vtilia ſecum animo volutat. Deinde ſicut dialectica præit alias ſcientias, eaſque regulat, ita fides, ſpem, & charitatem, nec non prudentia cæteras virtutes morales: atqui neque habitus fidei theologicæ ad actus ſpei, & charitatis, neque habitus prudentiæ ad actus cæterarum virtutum moralium efficienter cõcurrunt. Denique intellectus, & habitus aliarum ſcientiarum, ad earundem actus efficiendos ſufficiunt, & nullo dialecticæ concurſu egent niſi ad tales actus dirigendos; ſuperfluus igitur eſt concurſus effectiuus dialecticæ habitualis ad alias ſcientias, ac proinde neutiquam admittendus: naturalis enim ordo rerum vt neceſſaria poſtulat, ita ſuperfluis repugnat.

Quod ſi de logica actuali ſermo ſit, ea quoque 68
efficere nequit actus aliarum facultatum, earumque munia: tum propter rationes numero præc. poſitas, & huic inſtituto non minus quam ſuperiori vtiles, atque accommodatas; tum etiam quia alias apprehenſio ad iudicium, præmiſſæ ad concluſionem, actus imperans ad imperatum, intentio ad electionem, ſimplex complacentia ad amorem efficacem, ſenſio materialis ad cognitionem ſpiritualem, cognitio ad amorem efficienter concurrerent: quod & ſponte ſua incredibile eſt, & inſuper alibi ex profeſſo impugnabitur, & à multis eorum quibuſcum cernimus nequaquam admittitur. Argumentum autem partis aduerſariæ facilè ſoluitur ex dictis hoc & numero præcedenti: eaquepropter cenſeo logicam non efficere actus aliarum ſcientiarum ſed ad eos dirigere & facem præferre. Huiuſcemodi concurſum directiuum & non alium admittunt plerique authores huius ævi: Eundem etiam inſinuant antiqui, quoties logicam vocant alij regulam & menſuram artium, alij clypeum diſciplinarum, alij formatricem ſapientiæ, alij ducem atque magiſtram cæterarum facultatum, alij lucem earum omnium, alij examen & libramen veritatis, alij clauem auream, alij rationis oculum, alij denique mundi rationalis

hoc est humanæ mentis solem. Quis enim non videat hæc eo solum spectare, vt dialectica ad aliarum facultatum munia nos instruat, illuminet, &, quod perinde est, dirigat.

69 Porrò an logica merito huius directionis necessaria sit ad alias scientias, necessarium est hoc loco explicare. Præmitto autem primò, dialecticam duplicē esse, aliam naturalem, artificialem aliam; illa est lumen naturale intellectus, quo potentia hæc spiritualis verum à falso discernere potest: qua ratione Aristoteles 1. rhetor. cap. 1. homines à natura dialecticos esse asseruit: hæc posterior in eiusdem luminis consummatione & perfectione posita est: perficitur autem & consummatur regulis & institutis dialecticis, quæ vel longa obseruatione ac propria industria, vel alterius doctrina & magisterio comparantur. Quod autem alij logicam naturalem ab artificiali in eo distinguunt, quod illa sine libro & magistro, secus verò hæc comparetur, vocum abusus est, earumque ad peregrinam atque inter authores insolentem significationem detorsio. Reiicitur ergo: tum quia logica artificialis infundi à Deo potest, quidni enim? at eo euentu sine libro & magistro humano haberetur: tum etiam quia logica artificialis & naturalis, non tantum ex modo, quo vtraque comparatur, distinctæ sunt, vt hi authores, verum etiam secundum se & quoad substantiam, sicut virtutes acquisitæ & infusæ iuxta ipsos & plerosque, non solum quoad modum, sed & quoad substantiam discriminantur; vtramque logicam compendio tetigit Albertus init. prædicab. *logicæ modus natura incipit, perficitur autem arte, vsu & exercitio.*

70 Præmitto secundò, necessitatem vnius rei ad aliam duplicem quoque esse; aliam simpliciter talem sine qua videlicet absolutè res comparari non potest, quomodo vita loco motiua ad iter peragendum necessaria est: aliam secundum quid talem, sine qua res non tam facilè ac cito haberi potest, quo pacto equus ad iter peragendum necessarius dicitur. Præmitto tertiò, necessitatem præterea duplicem esse, scilicet physicam & moralem: Tum res est necessaria physicè quando ea deficiente, hoc ipso deest aliquod requisitum physicum ad operandum, qua necessitate requiritur aduertentia, ac deliberata cognitio ad cohibendos motus primò primos. Tum verò res est necessaria moraliter, quando ea absente adest nihilominus omne requisitum physicum ad operandum; sed & adest tanta difficultas ad operandum, vt potentia nunquam sit ad opus proditura; qua necessitate auxilium aliquod gratiæ maius communi ordinario requiritur ad grauissimæ tentationis victoriam. Præmitto quartò, duobus etiam modis scientiam sumi; primo quoad substantiam, id est directam certitudinem & euidentiam, provt nimirum ea tendit dumtaxat in suum obiectum, quin ipsa alteri actui obiiciatur: secundò, quoad modum quendam perfectionis, & reflexam certitudinem & euidentiam, quatenus videlicet scientiæ nostræ falsum subesse non posse, eamque legitime definire, diuidere, & argumentari certò & manifestè cognoscimus.

71 His adnotamentis præiactis, dico primo; logica naturalis est necessaria ad omnes scientias comparandas, non tantum secundum quid, sed etiam simpliciter, nec solum moraliter, verum etiam physicè, nec quoad substantiam modò, sed etiam quo ad modum, & reflexam certitudinem, atque euidentiam. Constat hæc assertio, ac mea quidem opinione manifesta est: namque sine lumine naturali intellectus, quod à Deo signatum est super nos, fieri nequit, vt alias scientias vllo modo consequamur. Dico secundo: logica artificialis, ea videlicet, quæ definiendi, diuidendi, & argumentandi leges tradit, aut alio quouis modo verum à falso dilucidat, saltem secundum quid necessaria est ad alias scientias etiam quo ad substantiam comparandas, cum sine eius præsidio non tam citò, ac facilè comparentur: cæterum non est simpliciter necessaria ad eas ita adquirendas: primò quia dialectica ipsa sine præuia directione alterius scientiæ comparatur, aliàs daretur progressus in infinitum: igitur & reliquæ scientiæ, præsertim quæ non sunt magis arduæ & difficiles, sine præuia directione dialecticæ, aut alterius scientiæ simpliciter adquiri possunt quo ad substantiam suam, & directam certitudinem, atque euidentiam. Secundò, quoniam dialectica non est simpliciter necessaria ad scientiam immediatam, & intuitiuam rei quo ad substantiam, vsurpatam, vt enim intuitiuè cognoscam diem esse, aut noctem appetere, dialectica opus non est: igitur nec est necessaria simpliciter ad scientias abstractiuas, & immediatas, quæ discursu constant, quo ad suam substantiam: Namque quod in modo tendendi abstractiuè & intuitiuè aliquod sit vtrinq; discrimen, parum attinet, quod ad præsens attinet: quemadmodum amorem aliquem efficacem & perfectiorem esse, & alium inefficacem atque imperfectiorem, efficere non potest, vt vnus potius quam alter directione cognitionis simpliciter egeat. Tertiò, vt euidentia abstractiua immediata seu mediata cognoscam hominem esse animal, dialectica simpliciter opus non est, vt experientia testatur; igitur ad comparandam substantialiter scientiam aliquam abstractiuam totalem, ex pluribus euidentiis abstractiuis conflatam, dialectica simpliciter necessaria non erit: veluti, si vnus actus amoris sine directione cognitionis haberi posset, & collectio plurium amorum posset absque ea voluntati inesse. Denique quartò ante Zenonem Eleaten primum dialecticæ artis inuentorem, Thales Milesius & alij eius æui sapientes rerum naturalium scientiam consequuti sunt sine logicæ præsidio: Antiquissimi etiam illi Ægyptij ante dialecticæ inuentionem mathematicas disciplinas adepti sunt; eaque & hodie multi logicis præceptis neutiquam imbuti, magna cum laude assequuntur. Haud igitur dialectica ad alias scientias quoad earum substantiam, omninò & simpliciter necessaria est.

Dico tertiò logica artificialis est simpliciter & 72
omninò necessaria ad acquirendas alias scientias, quoad earum certitudinem & euidentiam reflexam, modumque quendam perfectionis. Ratio huius assertionis est, quoniam tunc alias scientias perfecto quodam modo, & euidentia ac certitudine reflexa potimur, quando nobis constat actu habituve, earum argumentationes legitimas & formales esse, hoc est regulis & legibus bonæ argumentationis conformes: item earum definitiones, diuisiones aliasque differendi rationes similiter se habere, & præceptis definiendi, diuidendi aut aliter differendi consentaneas esse. Atqui hæc scire nullatenus possumus sine logica artificiali: sicut enim iustum dicitur respectu habito ad ius alterius, ita argumentatio formalis & legitima respectu formæ & legum bonæ argumentationis: vnde quemadmodum cognosci nequit, an aliqua datio aut acceptio iusta sit, quin de iure dantis aut accipientis constet, ita dignosci nequit, an argumentatio aliqua formalis & legitima sit, nisi munere dialecticæ artificialis certi simus, de forma ac legibus argumentationis. Par

autem

autem eſt ratio definitionis, diuiſionis & cuiuſuis alterius diſſerendi modi.

73 Dico quarto, neceſſitas dialecticæ ad alias ſcientias nanciſcendas, non eſt moralis duntaxat, ſed phyſica. Etenim ſi ſermo ſit de neceſſitate ſecundũ quid, quæ meritò poteſt eſſe magis controuerſa, ea quidem logicæ conuenit intuitu aliarũ facultatũ; demus enim duos homines, alterũ dialecticũ, alterum dialectica minimè inſtructum, & ingenio ac cæteris omnibus pares; ſanè eodem ſpatio temporis, qui dialecticæ eſt, ignarus eſt tot ſyllogiſmos, definitiones, ac diuiſiones erroris expertes nequibit ſimpliciter efficere, quot ille qui dialecticæ gnarus ac ſcius eſt: at hæc impotentia orietur proculdubio ex defectu alicuius requiſiti phyſici ad operandum, & non ex aliqua difficultate morali, aut renitentia voluntatis: ſupponimus enim ambos cæteris omnibus pares, & conſequenter æque ad operandum pronos atque inclinatos. Deficiente ergo logica artificiali, deeſt hoc ipſo phyſicum aliquod requiſitũ ad alias ſcientias comparandas, adeóque ad eas logica quantumuis ſecundum quid, tamen phyſicè eſt neceſſaria. Quod ſi ſermo ſit de neceſſitate illa omnimoda ac ſimpliciter tali, qua dialectica ad alias diſciplinas quoad modum nuper explicatum requiritur, eam eſſe phyſicam adhuc clarius conſtat: Quidquid enim omnifariam & abſolutè neceſſarium eſt, phyſicè neceſſarium cenſetur, eoque abſente ſemper abeſt aliquid, ſine quo nullatenus operari poſſumus, ne dum ad operandum propenſi ſumus.

74 Quæ de neceſſitate omnimoda logicæ naturalis prout à nobis explicatæ ad alias ſcientias dicta ſunt, ea inter omnes conſtant: quæ autem de neceſſitate logicæ artificialis non morali ſed phyſica, non ſimpliciter ſumpta, ſed ſecundum quid, ſi ſermo ſit de aliis ſcientiis quoad ſubſtantiam, at non ſecundum quid, ſed ſimpliciter ſumpta, ſi ſermo ſit de aliis ſcientiis quoad modum, eumque iuxta vulgarem loquendi vſum ab illarum ſubſtantia multoties indiſcretum, ea inquam omnia etſi non inter omnes conſtant, at certè inter pleroſque: Atque vt aliquos memorem, ea luculenter confirmat Ariſtoteles 1. phyſ. & 1. metaph. nec non etiam 2. aliiſque locis. Plato 6. de repub. Auguſtinus lib. 3. contra academ. cap. 17. & l. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 31. & lib. 2. de ordine c. 13. Cicero l. 5. tuſcul. quæſt. & l. 2. & 3. de finibus & l. de perfecto oratore, Clemens Alexand. 6. ſtrom. Galenus l. 1. ſimplicium medicam. Item Fonſeca l. 2 metaph. cap. 3. quæſt. 4. ſect. 1. 2. & 3. Auerſa quæſt. 1. log. ſect. 4. Iauellus tract. 1. cap. 4. Conimb. quæſt. 6. procem. art. 1. & 2. Hurtadus diſp. 2. log.

75 Conſultò dixi, doctrinam traditam conſtare inter pleroſque ab eiſque vel exprimi vel inſinuari, haud tamen omnes eam ſequi. Etenim aliqui putant logicam eſſe ſimpliciter neceſſariam ad alias ſcientias, quoad ſubſtantiam etiam, comparandas, vtpote Albert. c. 3. in Porphyrium, Ægidius Romanus init. poſt. Burleus & Petron. ac nouiſſime P. Amicus tract. 1. log. q. 1. dubit. 2. Contra verò Epicurei Cirenaici apud Ciceronem & Senecam alioſque logicam ad alias ſcientias neceſſariam etiam ſecundum quid aut præuia ratione vtilem eſſe negabant. Horum opinio nullo probabili argumento nititur, & quos pro ſe cauillos habet, eos huius initio capitis diluimus. Illorum autem ſententia iis ſolet argumentis probari, quæ duntaxat neceſſitatem ſecundum quid logicæ ad alias facultates perſuadent, quare eis referendis aut refellendis non immorabor. Hoc tantum perſtringam, quod aliquibus difficilius quam par eſt, viſum: Ad omnes concluſiones aliarum facultatum qualiterunque ſumptas, ſimpliciter neceſſaria eſt cognitio bonitatis illationis, qua videlicet eas ex præmiſſis ſuis rectè ſequi atque inferri certo ſcitur: Huiuſmodi autem cognitio eſt propria dialecticæ; hæc ergo ad alias ſcientias quomodolibet acceptas, omnino & ſimpliciter requiritur. Cæterum hæc ratio parum habet momenti. Nam primo, notitia quam obiicit, non eſt logica docens, qua de agimus, ſed logica vtens, quippe quæ eſt rebus concreta, & ſuper actus &, obiecta conſequenter aliarum facultatum in particulari reflectit, earumque concluſiones ex præmiſſis ſuis quũ equantur, attingit; At ſine logica vtente alias ſcientias nullatenus acquiri poſſe, ſupponunt velut exploratum omnes authores, qui eam ab actibus aliarum facultatum indiſtinctam eſſe volunt; reliqui vero non de ea ſed de docente ſermonem habent, vt diximus. Rurſus qualiſcunque ſit ea cognitio bonitatis illationis, eam ad nullam concluſionem inferendam neceſſariam eſſe ſimpliciter & abſolute, in Metaphyſica conſtabit: vbi etiam quæ ad talem neceſſitatẽ eius cognitionis probandã hic præpropere ab aduerſariis adduci ſolent, fusè improbabuntur, huic enim loco non conueniunt.

Ad extremum breuiter explicemus, an logica 76
proprie ſubalternetur aliis ſcientiis, aut è conuerſo? Neutra ſubalternatio nobis eſt admittenda, ſi principiis in met. lib 8. tract. 4. ſtatuendis ſtare velimus. Ibi enim oſtendemus, veram ſubalternationem eam eſſe, merito cuius omnia, aut certè, pleraque principia vnius facultatis ſuadentur à priori per ea quæ ſunt alterius propria: Item bifariam contingere, vt principia vnius diſciplinæ ita dependeant in cognoſcendo, à principiis alterius ſuperioris: primum ratione finis, ſi nimirum altera ſuppeditet alteri inſtrumenta, quibus ſit operatura, aut, quod inſtar eſt, opus alterius velut finem remotum, ac mediatum reſpiciat: aut ſecundò ratione obiecti, ſi videlicet id quod eſt vnius contineatur ſub obiecto alius, eique differentiam non eſſentialem, ſed accidentariam ſuperaddat. Priori modo ſubalternatur frænofactoria equeſtri, & hæc militari. Poſteriori verò modo Medicina, quæ eſt de corpore ſanabili, dicitur ſubalternari Phyſicæ, quæ eſt de corpore in communi, ac muſica, quæ eſt de numero ſonoro, Arithmeticæ, quæ verſatur circa numerum in communi. Ex hac autem doctrina fit, logicam aliis ſciẽtiis non ſubalternari: Cum enim eas præcedat tempore & natura, ſequitur, vt ab earum lumine non dependeat, & principia ſua ſine aliena ope à priori ipſa confirmet. Rurſus haud efficit ſuggeritve inſtrumenta, quibus aliæ ſcientiæ operentur: tum quia multæ ſunt duntaxat inſpectiuæ; tum etiam quia ſi res ad viuum reſecetur, logica ipſa non diſtinguitur ab inſtrumentis & præceptis ſuis; qui ergo fieri poteſt, vt ea efficiat, & aliis ſcientiis ſuppeditet? Iam verò obiectum logicæ ſiue ſubiectum (hæc enim nomina modo iuxtà habemus) aut eſt ens rationis aut modus ſciendi, aut veritas formalis ac rectitudo actuum intellectus, aut demonſtratio, aut aliud quoduis; & quodcunque præoptes, obiectum dialecticæ non continebitur ſub obiecto vllius alterius facultatis, ſic vt illud per differentiam accidentalem contrahat. Nec ergo ratione finis, nec ratione obiecti dialecticæ aliis ſcientiis propriè ſubalternatur.

Efficitur ſecundò ex doctrina ſuperiori, diſciplinas 77
alias è contrario non ſubalternari dialecticæ: per huius enim principia non probantur à priori ea quæ

sunt illarum propriæ: nam physica, metaphysica, & mathematica dignitatum suarum probationem à priori aliundè non mutuantur, ad eamque ipsis sufficiunt, vt exploratum omnibus: reliquæ vero scientiæ inferiores, aut similiter institutæ sunt: aut certè à Physica, ac Mathematica probationem à priori suorum principiorum accipiunt: nulla ergo à logica: præsertim cum aliud sit, hanc extrin ecè dirigere ad alias scientias: aliud tales veritates continere, quæ sint causæ, & principia intrinseca eorum, quibus velut principiis etiam aliæ scientiæ vtuntur, vt cernere est v. g. in prudentia affectus nostros dirigente, & fide spem, & amorem accendente, & quauis demum cognitione ad amorem instante: quin tamen propterea his euentis vna principia à priori per alia firmari contingat. Ad hæc, aliæ facultates non parant instrumenta, quibus Dialectica vsura sit, sed potius ea vtuntur, & posteriores sunt: neque etiam alicuius earum obiectum collocatur accidentaria ratione sub obiecto Logicæ, quale illudcunque statuas: haud igitur finis gratia, haud etiam beneficio obiecti, aliæ facultates Logicæ strictim subalternantur.

At enim aliæ scientiæ impropriè subalternantur 78
Dialecticæ iuxta dicta citato tract. præcedenti: ab ea namque omnes iuuantur, eiusque regulis debent; quod inoffenso pede, & absque erroris lapsu procedant. Contrà etiam Dialectica subalternatur impropriè aliis scientiis: quippe quæ ab eis mutuo iuuatur, potissimum vero à Metaphysica: hæc etenim aliqua eius principia à priori probat, siue, vt verius dicam, ei probationi rationes à priori subministrat: veluti cum duas contradictorias non posse esse simul veras, conuincitur à priori, per hoc quod impossibile est aliquid simul esse, & non esse; aut non posse esse simul falsas, quia quodlibet est, vel non est.

LIBER TERTIVS

DE VERITATE SIMPLICI, siue de Termino.

TRACTATVS I.

De essentia veritatis, siue termini.

CAPVT I.

Nonnulla præmittuntur ad definitionem termini.

1 ANTEAQVAM ad varias termini definitiones deueniam, aliqua clara suppono, alia obscura, & dubiosa prius discutio: quò sic in definiendo termino liquidè, & inoffensè procedam. Præmitto ergo primo: omne quod in propositione subiicitur, & prædicatur, in recto, & vt quod, eius terminum dici oportere: veluti in hac propositione, *homo est animal*, particula *homo*, & particula *animal*, termini sunt proculdubio: id quod & omnes fatentur, & exemplo termini physici apertè suadetur: siquidem vbi extremum continui physici, eius terminus sit, extremum continui intentionalis, & enunciatiui, quale est subiectum, & prædicatum in recto, & vt quod v.g. homo, & animal in prædicta enunciatione, eius terminus nullo potest iure negari. Præmitto secundò, aduersus multos Recentiores, copulam propositionis, qualis est in eâ, quam nuper posuimus, vocula, *est*, aut, quod per eam significatur, strictè terminum propositionis dici posse, & debere. Pro quo hæ mihi rationes se se offerunt. Medium syllogisticum, cuiusmodi est homo in hoc syllogismo, omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal: medium, inquam, syllogisticum non minus est terminus syllogisticus, quàm maius, & minus extremum, quorum alterum de altero in conclusione infertur, ac prædicatur; qua de causa syllogismus tribus terminis constare dicitur: simili ergo ratione medium enunciationis, siue vnio non minus eius terminus dici debet, quàm extrema, quæ per illam copulantur: quæ enim disparitatis ratio inter vtrumque medium excogitari potest?

Dicet forsitan aliquis, medium syllogisticum esse 2
terminum propterea quod non semel in syllogismo subiiciatur, aut prædicetur: ac per consequens extremi rationem sortiatur: nihil autem simile in copula enunciatiua, aut propositionis medio cerni. Contra, quoniam aliud est esse terminum syllogisticum, aliud esse terminum propositionis, qua syllogismus constat: sicut aliud est esse medium syllogisticum, & esse medium alicuius propositionis, qua syllogismus constituitur; cum particula, *est*, sit medium cuiusvis propositionis superioris syllogismi, non tamen sit medium syllogisticum propriè, sumptum, sed potius homo. Quod ergo medium, vnius & alterius propositionis extremum sit, efficiet vt illarum terminus sit, inde tamen quod terminus syllogisticus sit, neutiquam sequetur: quemadmodum ergo medium syllogisticum simul eius terminus est, non quia in vna aut alia eius propositione seorsim sumpta directum extremum terminusque est, sed quia totius syllogismi medium est, & veluti nexus, quo eius extrema copulantur; ita similiter, medium enunciatiuum titulo solius medij terminus ac pars enunciationis erit, quantumlibet illud nec subiici, nec prædicari vltro fateamur. Quanquam & hoc diffitendum nobis esse, & vnionem

nem enunciatiuam prædicari, inferius constabit.

3 Rursus terminus moralis & finis creaturæ rationalis, non tantum est aliud extremum increatum, Deus videlicet, verum etiam vnio intuitiua ipsius cum Deo, cum hæc eius beatitudo sit: igitur in propositione similiter, non tam vnum & aliud extremum, sed etiam eorum vnio terminus appellari debet: sicut enim à termino physico ad dialecticum communiter arguitur, ita eodem iure à morali ad eundem arguere licebit. Declaratur; id in quod intellectus & voluntas elicite inclinant, eorum terminus ac finis dici solet: igitur id in quod partes aliquæ innatè inclinant earum terminus est: omnes autem partes in vnionem inclinant, ac pronæ feruntur, eo quod in illa earum perfectio maximè sita sit: partes igitur extremæ propositionis in copulam inclinant, & ita hæc erit terminus extremorum, atque adeò ipsius propositionis. Occurres verò hinc illud olum fieri; vnionem propositionis, esse terminum moralem non verò dialecticum. Vana tamen obiectio & quæ omnibus negotium exhibet: Namque similiter dici posset, subiectum & prædicatum vt quod, atque in recto non esse terminos logicos, sed physicos, eo quod extrema quædam sint: proinde omnibus dicendum est, terminum omnem, eo ipso quod ad propositionem spectet, terminum non esse non posse.

4 Prætereà punctum continuatiuum à Philosophis dici solet terminus communis, in quo extrema continui vniuntur: nihil inter eos hac locutione communius: qua iam olim vsus est B. Damascenus c. 33. dialecticæ: *Cõtinua quidem, quorum particulæ ad aliquem communem terminum copulantur*: Neque non etiam Cassiodorus in dialectica; *Quantitas aut discreta est, & habet partes ab alterutro discretas, nec communicantes secundum aliquem communem terminum, velut numerus, & sermo qui profertur: aut continua est, & habet partes, quæ secundum aliquem terminum ad inuicem connectuntur, velut linea, superficies, corpus, locus, motus, tempus.* Pari ergo ratione copula enunciatiua dici poterit, terminus communis, in quo extrema enunciationis continuantur. Quod autem communis sit, non obest quominus propriè terminus sit, cum vnus idemque terminus propriè talis, pluribus tamen communis sit, vt visitur in Deo, qui rerum omnium creatarum communis terminus ac finis est.

5 Deinde; id per quod duo extrema secernuntur, & separantur, ea terminat, quo pacto territoria contigua pro limite ac termino sibi vendicant, id quod vnum ab alio distinguit. Atque ita dixit Mela lib. cap. 4. *Ancona inter Gallicas Italicasque gentes quasi terminus interest.* Et quo pacto iuxta Augustinum cap. 10. de categor. punctum medium grammes siue lineæ dicitur eius terminus communis, quoniam illius partes inuicem distinguit: ac linea iuxta eundem eodem modo se habet respectu epiphaniæ, siue superficiei, & hæc respectu corporis: necnon simile quidpiam cernitur in tempore, & loco. At copula negatiua hoc ipso extrema diuidit, eorum igitur terminus dici debet. Quin etiam copula affirmatiua aliquatenus diuidit extrema sua, nam illa interiacens, facit ne vnum alteri immediatum & contiguum sit, ac proinde alterutrum ab alio semouet. Dices tamen superioribus rationibus hoc solum concludi, vnionem esse terminum extremorum, in quem inclinant, aut in quo vniuntur, vel etiam quodammodo diuiduntur, non vero propositionis adæquatè & totaliter sumptæ, quæ nec in seipsam veluti finem propriè inclinat, neque sibi vnitur, à seue ipsa diuiditur. Contrà; quia vt aliquid sit terminus propositionis, sufficit vt aliquas eius partes terminet, non vero singulas; alioqui subiectum & prædicatum, termini propositionis dici non possent, cum neutrum sui ipsius terminus, extremumve sit; quando igitur vnio propositionis, extremorum eius communis terminus est, vt argumenta facta conuincunt, hoc satis erit, vt totius propositionis terminus censeatur.

6 Vlterius in his propositionibus, homo est albus, homo existit albus, idem diuersis terminis explicatur: at tota diuersitas se tenet ex parte vnionis, cum subiectum & prædicatum vtrobiq; eadem sint, vnio ergo terminus est. Nihil maiori inter omnes vsurpatius: minor autem & consequentia per se ac spõte sua notæ. Item cum dicitur, homo est animal, de homine non tam prædicatur animal, quam animal esse: igitur copula est etiam prædicatum, ac proinde terminus: nemo enim quem hactenus viderim, prædicatum stricte eiusmodi, à ratione termini exercet. Ad hæc, terminus Syncategorematicus v.g. *aliquis*, est proprie terminus, quod excepto nostro Arriaga nemo dialecticorum hactenus negauit; at solum in consortio alterius saltem mente subintellecti, potest prædicari, vt infra in loco constabit: igitur vnio proprie terminus erit; si quidem, vt vidimus, in consortio alterius prædicatur. Mox; vt aliquid terminus sit, opus non est vt nihil extra illud in propositione reperiatur: aliàs, contrà omniu sententiam, in hac propositione, *homo albus est animal*, homo, & animal dũtaxat essent termini, non vero simul cum homine particula, *albus*, quandoquidem ei tum homo, tum animal eminent quantumvis igitur extra vnionem propositionis sint prædicatum vt quod, & eius subiectum, quibus hinc atque inde clauditur, id minime obstabit, quo minus termini rationem obtineat.

7 Quid? quod suppositionem omnes dialectici affectionem termini supponunt: at vnio pro identitate extremorum supponit, vt vel aduersarij fatentur; ea igitur terminus erit; quippe quæ affectionem eius propriam sortitur. Quid secundo? quod vnionem propositionis eius formam plerique aduersariorum affirmant; non est igitur à dignitate termini releganda. Sicut enim potiores partes syllogismi sunt tres eius termini, si de partibus simplicibus sermo sit, non vero de integris propositionibus, ita similiter potiores ac digniores partes propositionis, erunt termini quibus constat: forma autem propositionis, sicut & cuiusvis alterius rei dignissima ac potissima pars est: ea ergo & consequẽter vnio propositionis eius terminus erit, si, vt dixi, plures aduersariorum principiis suis stare non recusent.

8 Quid tertio? quod, cum omnis propositio nostra, modò saltem sit simplex qualitas, necesse sit, concedere terminos eius extrinsecos, imo præter hos difficile & arduum sit, alios quibus intrinsece constituatur, admittere, vt sequenti tractatu liquebit: at vnio non minus terminus extrinsecus est propositionis quam subiectum & prædicatum: ergo. Minor probatur, quia si terminus cum extremo coincidit, in quo aduersarij maxime nituntur, vnio siue apprehensio respondens huic voculæ, *est*, stricte extremum est, quandoquidem est extra propositionem siue indiuisibilem enunciationem, quæ ab ea non minus quam ab apprehensione subiecti & prædicati incipit, in quo sita est extremi ratio atque natura.

9 Adiice, quod terminus teste Aristotele 1. prior.

& Damasceno c. 48. dialecticæ, est id in quod resolutur propositio: siue quod resolutionem ac desitionem propositionis terminat, eique subremanet; eandem termini definitionem amplectuntur omnes Aristotelici, illamque præter alios optime explicat P. Philippus Dutriu intio suæ manuductionis ad logicam. Atqui propositio in apprehensionem vnionis resoluitur, & hæc resoluta propositione citra dubium supereſſe, ac permanere potest: cur enim, sicut ante hoc iudicium, homo est animal, vtriusque identitatem apprehendo tantum, & non affirmo, ita etiam destructo eo iudicio, talem apprehensionem conseruare nequeam, non aliter atque apprehensionem hominis aut animalis? Nec video, quo iure P. Fonseca oppositum asseruerit. Insuper id quod est primum & vltimum in quouis genere, terminus dici solet; vt certo certius: ast appresio vnionis est prima mentis operatio à secunda, ac tertia distincta, non minus quam apprehensio extremorum; ergo sicut hæc est terminus, ita & illa. Quæ ratio confirmatur inde, quod tertia siue vltima mentis operatio siue conclusio dici debeat terminus argumentationis; tum quia eam concludit, siue terminat; tum etiam quia ita loquitur cum aliis multis Cicero l. 1. ad Herennium his verbis; *conclusio est artificiosus terminus orationis*: similiter ergo prima mentis operatio cuiusmodi est simplex apprehensio vnionis huic voci, est, subiecta, dici debet terminus propositionis, nec non totius discursus. Denique hanc nostram de vnione sententiam tradit Cassiodorus in dialectica; his verbis; *terminos autem voco, verba, & nomina quibus propositio nectitur*. Vnio autem sola est verbum propositionis, eaque maxime proprie nectit, vnitve: igitur iuxta hunc authorem est terminus, quamuis etiam nomina per eam deuincta termini rationem obtineat; Idipsum tenet Damascenus citato cap. 48. dialecticæ, inquiens; *vnaquæque autem propositio ex terminis componitur; vnaquæque enim dictio, terminus propositionis est*. At quis neget verbum, *est*, siue copulam dictionem esse? erit igitur & terminus: Idem etiam sentiunt Boetius, Ioannes, Maior in summulis, & alij: &, quod caput est, Aristoteles nuper allegatus id insinuat. Ex Recentioribus in ea sententia est Compton. disp. 1. introd. sect. 3.

10 Præmitto tertio, casus etiam obliquos strictè terminos esse: quoniam prædicatum propositionis eius terminus est propria ratione: ast hi casus prædicantur in obliquo: propositionem ergò propriè & strictè terminant. Minor probatur: nam in hac propositione, Philippus est rex Hispaniæ, non prædicatur de Philippo præcisè quod sit rex: igitur aliquid vlterius: igitur ea particula, *Hispaniæ*. Secundo, quia casus obliquus est extremum propositionis, vt in iamiam posita visitur: ergo & terminus. Tertiò, quia non tantum subiectum & prædicatum vt quod, verumetiam quidquid subjicitur & prædicatur vt quo, verè terminus est; alias apprehensio subiecti & prædicati obiectiui non foret terminus, cum solum vt quò subijciatur, aut prædicetur, sicut solum vt quo cognoscitur, eiusque obiectum sit, id cui subjici, prædicari & cognosci vt quod conueniunt. Quarto; in his propositionibus, Philippus est rex Hispaniæ, Philippus est rex Iberiæ, Philippus est rex Hesperiæ, idem diuersis terminis explicatur; tota autem diuersitas ex parte solius obliqui casus sese habet: hic igitur termini rationem adipiscitur. Iisdem argumentis suaderi potest, aduerbia, coniunctiones, & alias eiuscemodi particulas terminos esse.

Præmitto quarto, terminum propositionis alium esse extrinsecum, à quo propositio incipit, vel in quem desinit, quin tamen constituatur, qualis est quæuis apprehensio simplex, iudicio prævia, aut ei superstes; alium intrinsecum, quo iudicium constat, tametsi indiuisibilis qualitas sit, vt sequenti tractatu enucleabitur. Sic elementum spirabile & aerium v. g. terminatur intrinsece per primam sui superficiem, partemve, aquæ incubantem; & per supremam, igni proximam & contiguam: eius vero termini extrinseci sunt elementa ignis & aquæ, quibus sursum deorsumque cingitur: præmitto quinto, vocem non significatiuam ex instituto, cuiusmodi est blitiri, proprie terminum esse, eo quod in hac propositione, blitiri est terminus, aliaue similis genij, subiectum sit; quam sententiam lib. 6. latius confirmare & explicare animus est. Præmitto vltimo, vt vt reliquæ propositionis partes stricte termini sint, subiectum tamen & prædicatum in recto strictissimè terminos esse, ac multo magis quam vnionem: tum quia extrema continui pressius illud terminant, quam media vnio; tum etiam, quia Aristoteles 1. prior. id apertè insinuat, cui in vsu vocum ac terminorum maximè deferendum. 11

CAPVT II.

Aliquæ obiectiones aduersus doctrinam hactenus præmissam soluuntur.

QVod præmisimus primo loco, vt est inter omnes constans, ita nullas aut certe nullius momenti difficultates patitur, Magis est dubiosum atque difficile, quod secundo loco præsuppossuimus, eiusque contrarium, vt iam ante monitum, Hurtadus disp. 1. sum. sect. 1. Arriaga ibidem, & alij recentiores certatim tuentur. Quorum primum & potissimum argumentum est hoc: terminus est extremum; terminus ergo propositionis, extremum propositionis; vnio autem non est extremum propositionis, cum sit eius medium, atque illius interiaceat extrema, subiectum videlicet & prædicatum: fieri ergo nequit, vt ea propositionis terminus sit. Secundum eorum argumentum ita habet; si vnio esset terminus, syllogismum non tribus sed quatuor terminis constare oporteret: nam in hoc syllogismo admodum regis Darij pertinente, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal, sunt omnium confessione tres termini, scilicet animal, Petrus, & homo, quorum primus extremum maius, alter extremum minus; tertius vero medium appellatur; at iuxta nos particula, *est*, insuper rationem termini sortitur; ergo præter tres terminos, quartum assignari oportet. Consequens autem est absurdum, & contra omnes dialecticos; præsertim verò Aristotelem, qui nusquam syllogismum nisi tribus terminis cohibuit. 12

Tertium argumentum esto: terminus est id in quod resoluitur propositio; at in vnionem non resoluitur; vnio igitur non est terminus. Minor suadetur; resolui propositionem in vnionem est resoluta propositione eaque destructa, vnionem tamen permanere: quo pacto vt dixit Ouidius, lib. 15. metamorph. 13

Resolutaque tellus
In liquidas rarescit aquas; tenuatus in auras,
Aeraque humor abit; dempto quoq; pondere rursus,
In superos aër tenuissimus emicat ignes

At

At reſoluta, ac deſtructa propoſitione, nequit eius vnio manere aut ſupereſſe; quemadmodum reſoluto ac deſtructo homine eius vnio non remanet, ſed potius tenues euaneſcit in auras. Quartum argumentum ſit ex Ariſtotele lib. 1. prior. c. 1. ſic loquente; *terminum autem voco in quem reſoluitur propoſitio, vt prædicatum, & id de quo prædicatur*: ſentit igitur terminum eſſe duntaxat id quod prædicatur aut ſubiicitur: ſed vnio nec eſt ſubiectum nec prædicatum ſed potius vtrumque media interiacet, eſtque veluti angulus, in quo ambo propoſitionis extrema nectuntur. Poſtremum argumentum ſit huiuſmodi: datur in propoſitione aliquod extremum quod non ſit vnio, nempe in hac propoſitione, Petrus eſt homo, Petrus & homo; vti omnes in confeſſo habent; ſimili ergo modo admittendum eſt in propoſitione medium, quod nullatenus ſit extremum, aut terminus; tale autem medium ecquid eſſe poteſt niſi vnio, quæ voculæ, eſt, reſpondet?

14 Hæc diuerſæ opinionis argumenta, quæ tametſi ſpeciem aliquam veri præ ſe ferant, à vero tamen longe abſunt. Ad primum reſpondeo, terminum quidem eſſe extremum propoſitionis; cæterum hoc nec nobis obeſſe, nec aduerſariis prodeſſe: vltro enim fatemur, vnionem eſſe extremum propoſitionis; non quidem ordine compoſitionis, cum potius interſit extrema propoſitionem componentia, ſed ordine reſolutionis, eo quod propoſitio reſoluatur in vnionem, & hæc illi ſuperſtes ſit, vt ſuperius, expoſuimus, deinde ſi non ordine executionis, at ordine intentionis, cum ambæ propoſitionis partes vnionem intendant, atque ad eius perfectionem veluti finem quendam & terminum innatè propendeant. Quod autem vnio ſit medium propoſitionis, haud prohibet, ne prædictis modis aliiſque multis, ſimul extremi rationem obtineat. Sic idemmet obiectum intentum propter ſe, eſt terminus ac finis: quod ſi eligatur propter aliud, ab alio homine vel ab eodem homine, non per eundem ſed diuerſum actum, ſimul erit medium.

15 Ad ſecundum argumentum reſpondeo, Ariſtotelem, & cæteros omnes tribus quidem terminis ſyllogiſmum cohibuiſſe: cæterum non de terminis partialibus ſermonem eis fuiſſe, ſita enim non tres terminos ſed ad minimum ſex admiſiſſent, cum trium propoſitionum nulla non poſtulet duos terminos partiales, ſibique proprios, & alteri in indiuiduo non communes (ſed de terminis totalibus, totalitate tam actuali, quam potentiali ſiue vniuerſali: hos autem tres duntaxat eſſe nihil prohibet, quantumcunque vnio ſit terminus; haud enim terminus totalis eſt; ſed ſolum partialis, vtpote quæ in conſortio alterius extremi de ſubiecto prædicatur, vt infra ex Caſſiodoro oſtendam. Reſpondeo ſecundo, de termino ſtrictiſſimè ſumpto, Ariſtoteli ſermonem fuiſſe, quoties ſyllogiſmum tribus terminis coercuit; nobis autem de termino ſtrictè ſumpto, vbi vnionem præterea terminum eſſe ſtatuimus.

16 Ad tertium argumentum dicendum eſt, in primis vt vnio terminus ſit, ſatis ſuperque eſſe, vt ſit extremum propoſitionis, ordine ſolius intentionis, non autem ordine reſolutionis, atque hoc ſolo totam argumenti vim euaneſcere. Deinde, verius eſſe reſoluta propoſitione apprehenſionem vnionis ei ſupereſſe; vt enim ab ea incipit propoſitio, cur in eam non deſinat ac reſoluatur? qua ratione à nihilo res creatæ incipiunt, in nihilum iterum redituræ. Quod autem attinet ad vnionem hominis, latum eſt eius ab vnione enuntiatiua diſcrimen: etenim primò, vnio enuntiatiua, ſiue apprehenſio identitatis extremorum non eſt modus iudicij, quo aliquid affirmamus, nec apprehenſionum ſubiecti & prædicati, quæ ad tale iudicium intrinſece aut extrinſece concurrunt, ſed tantum eſt modus ſui obiecti ſcilicet identitatis extremorum, propterea quod eam eſſentialiter repræſentet; & iuxta plures, intellectus, cui eam eſſentialiter inhærere exiſtimant: nihil mirum ergo, ſi ſeparari poſſit à iudicio, illique ſupereſſe: at vnio humana eſt modus hominis, ſiue, quod eodem redit, duarum partium hominis: quocirca non poteſt ab illis à totove homine ſeparari, eique ſubremanere. Rurſus ſecundò; homo iuxta omnes componitur ex corpore, animo, & vnione; etiamſi non omnes in identitate harum partium cum homine conueniant; quare homo nequit perire, niſi periculo alicuius partis, aut quaſi partis earum trium quibus conſtituitur: cum ergo non pereat ratione materiæ, nec ratione formæ rationalis, quæ eſt vtriuſque immortalitas & perpetuitas; reliquum eſt, vt ſolius vnionis iactura ac corruptione intereat: vnio ergo perit, pereunte homine, ac proinde hic in illam reſoluitur: Hæc autem ratio non militat in propoſitione, quæ ſi ſit ſimplex & non compoſita qualitas, vt modo ſaltem probabilius, haud componitur ex apprehenſione vnionis; ſin autem compoſita qualitas ſit, perire quidem poterit, propterea quod pereat apprehenſio ſubiecti, & prædicati, nec opus eſt, vt ea pereunte, hoc ipſo periculum vllum ſubeat apprehenſio vnionis: itaque hæc ei ſub remanere, & illa in hanc reſolui poterit.

Ad quartum argumentum dici debet, terminum 17
quidem ex Ariſtotelis ſententia neceſſario ſubiici aut prædicari: exinde tamen perperam colligi, quod vnio non ſit terminus: ea namque prædicatur vt cap. præc. probatum manet, vtque perſpicue docet Caſſiodorus in dialectica his verbis; *nam ſæpe oratio de oratione prædicatur, hoc modo: Socrates cum Platone & diſcipulis, de Philoſophiæ ratione pertractat; hæc quippe oratio, quæ eſt Socrates cum Platone & diſcipulis, ſubiecta eſt, illa verò quæ eſt de philoſophiæ ratione pertractat, prædicatur. Rurſus aliquando nomen ſubiectum eſt, oratio prædicatum, hoc modo: Socrates de ratione philoſophiæ pertractat: hic enim Socrates ſolus ſubiectum eſt: oratio verò, quam dicimus de philoſophiæ ratione pertractat, prædicatur.* Hactenus ille; vnde ſic argumentor, oratio illa, de philoſophiæ ratione pertractat, iuxta Caſſiodorum prædicatur: ſed continet vnionem, quæ in verbo, *pertractat*, proculdubio deliteſcit: pertractat enim perinde valet, ac eſt pertractans: vnio igitur, eſt, non poteſt prædicari. Reſpondeo ſecundò, Ariſtotelem citato illo lib. 1. prior. cap. 1. poſt obiecta nobis verba, protinus addere *vel appoſito, vel ſeparato eſſe, vel non eſſe*; quaſi non ſolum prædicatum & ſubiectum nomen (de cuius ſolius ſubiectione, ac prædicatione ibi eſt fortaſſis loquutus) ſed etiam eſſe, aut non eſſe, ſiue copulam affirmatiuam aut negatiuam eſſe terminum aſſerat. Quocirca eo loci definit terminum, per hoc ſolum quod ſit, id in quod reſoluitur propoſitio: ſtatim autem ſubiungit exempli gratia ſubiectum, prædicatum, neque non copulam: hanc ergo non minus quam illa terminum eſſe exiſtimat.

Ad poſtremum argumentum dicendum eſt; prin- 18
cipio in homine eſſe aliquam formam, quæ non ſit vnio videlicet animam, & tamen è contrario nullam eſſe in eo vnionem, quæ non ſit forma ſaltem moralis: tametſi ergò aliquod extremum propoſitionis non ſit vnio, tamen è conuerſo, non ſequetur aliquam eius vnionem, ſiue medium non eſſe extremum. Deinde ratio diſparitatis vtrinque ma-

nifesta est : nam subiectum , & prædicatum , cum separari queant , concepto nimirum homine sine animali,aut retrorsum,vnione à se distincta indigent atque adeo medium siue vnio esse non possunt:contrà verò medium propositionis,siue vnio, quantumlibet talis sit , resolutionem propositionis , eiusque innatam propensionem terminare potest:vnde simul terminus & extremum non esse nequit : haud ergo dari potest in propositione medium,quod non sit extremum,esto è diuerso se res habeat.

19 Quod præmisimus tertio loco, quibusdam etiam est difficultatibus obnoxium. Obiicies igitur primò, casus obliquos non prædicari,nec subiici, sed adhærere subiecto & prædicato directo : cum enim dicitur v. g. Paulus est inimicus Petri , haud dicitur de Paulo, quod sit Petrus vt constat,nec etiam quod sit Petri,cum nec iure amicitiæ, nec seruitutis, aut generationis , aliove vllo ad eum fortassis pertineat. Cæterum dicendum est , eiusmodi casus prædicari non in recto,at in obliquo , tum propter dicta superiori cap. tum etiam propter ea quæ nuper adduximus ex Cassiodoro, qui iterum iterumque asserit, & probat orationem aliquando prædicari, & non quaiemcũque,sed eam quæ casu aliquo obliquo constet. Ratio autem contraria nullius est momenti : nihil enim interest, quod in allata propositione, de Paulo non dicatur,quod sit Petrus,hoc namque est Petrum de eo non prædicari in recto , quod vltro fatemur, neutiquam verò , non prædicari in obliquo , quod solum negamus. Rursus non dici de Paulo, quod sit Petri absolutè,sed inimicũ Petri,potius nobis fauet: esse enim inimicum Petri est hunc in obliquo prædicari ; at verò eum esse Petri absolutè , est esse vel seruum,vel amicum,vel filium Petri, aliove nomine ei deuinctum , quod ita an secus sit , nostra nihil refert.

20 Obiicies secundo,casum aliquem, hoc ipso quod obliquus sit , nequire esse terminum propositionis; obliquitatem enim omnem cuiuis termino repugnare : quo pacto circulus , quia nihil habet non obliquum , nihil non circumflexum , atque arcuatum, consequenter etiam nullam habet partem,quæ eius terminus sit aut principium finisve : eadem ratione eius etiam motus quo in orbem, obliquo semper tramite , circumagitur , omni termino caret, omnique principio aut fine , vbi incipiat desinatve: vtrumque breuiter attigit , & alterum ex altero intulit Seneca lib. 5. de benef. cap. 8. *In orbe ac pila nihil est imum,nihil summum,nihil extremum,nihil primũ, quia motu ordo mutatur , & quæ sequebantur præcedunt, & quæ occidebant oriuntur:omnia quomodocumque ierint , in idem reuertuntur.* Huc etiam spectat, quod ait Pierius in Hieroglyph. lib. 39. figuram circularem esse symbolum æternitatis, propterea quod in ea nullum terminum , nullum principium aut finem inuenire sit.

21 Respondeo in primis, circulum quantumuis obliquum vndique & orbiculatim quaqua versus flexum , nihilominus esse terminum planitiei , quam intra se continet , ac volumine suo circumscribit: quidni ergo casus alij præter nominatiuum , quantumlibet obliqui,propositionis termini sint : Rursus falsum est,circulum neutiquam includere terminum vllum , eove constitui : illius enim partes diuisibiles habent aliquem terminum indiuisibilem , & communem in quo vniuntur , aliàs non coalituræ : tandem casus obliqui tales dicuntur impropriè & analogicè, cum tamen, si propriè loquamur , non plus habeant obliquitatis quam nominandi casus , qui vulgo rectus appellatur : vtriusque autem appellationis , vt dixi metaphoricæ & alienæ , ea ratio est: quoniam vti virga v.g. prius recta inflexione & mutatione sui obliquatur , ita nominandi casus cæteris omnibus ordine naturæ prior , postmodum inflectitur, ac multis variatur modis, atque adeò per quandam analogiam & metaphoram tales inflexiones & variationes subsequutæ,casus obliqui vocantur,cum tamen reuera nulla eis insit obliquitas , nulla cum partibus circuli communio magis quam nominandi casui:quare sicut hic,ita etiam illi rationem termini poterunt obtinere. Cætera quæ præmisi difficultates habent alibi soluendas:quocirca eis in præsentiarum supersedeo.

CAPVT III.

Terminus multifariam definitur.

22 IN primis terminum strictè sumptum ita definio. Terminus est simplex conceptus. Quæ definitio conuenit termino extrinseco , qui propositionem non constituit , sed ad eam disponit ; & termino intrinseco , qui simplex conceptus est præcisiuè , non negatiuè : in hac enim propositione , homo est animal,esto simplex qualitas sit , tamen conceptus hominis à conceptu animalis præscindi potest , & vt sic alteruter simplex est , tametsi positiuè & reipsa compositus sit , vtpote à tota propositione indistinctus. Rursus competit vnioni , & aliis particulis, quas terminos suprà probauimus. Demum conuenit termino mentali,quo intellectus concipit,obiectiuo qui ab intellectu concipitur, necnon termino vocali ac scripto, qui intellectus siue conceptiuæ facultatis partus quidam sunt , adeoque conceptus simplices dici possunt.

23 Verum enim obiicies primò, aduersus prædictam definitionem : mera apprehensio rei est terminus, vtique mentalis:& tamen non est simplex conceptus sed compositus ex pluribus gradibus intensionis. Secundò : iudicium, si simplex qualitas sit, est simplex conceptus, & tamen non est terminus , sed potius terminis constat.Tertiò,Deus & Angelus,sicut discursu & propositionibus aliqua inuicem componentibus aut diuidentibus, ita terminis carent:aft conceptus Angelici,simplices,& diuini, simplicissimi sunt , quod ab vtriusque perfectione proficiscitur. Quartò , bruta simpliciter obiecta apprehendunt , & concipiunt : & tamen omnium consensu terminis carent. Quintò , hic terminus complexus, homo albus , est verè terminus : & tamen non est simplex conceptus,cum simplicitas complexioni repugnet. Sextò , terminus æquiuocus propriè terminus est : sed non est simplex conceptus , sed potius conceptu ac significatione multiplex ac diuersus: æquiuoca enim iuxta Aristotelem & omnes , sunt quorum nomen est commune , & ratio significata per nomen omnino diuersa : & quidem , sicut iudicium , etiamsi ex parte actus , sit simplex qualitas, nihilominus non dicitur absolutè simplex conceptus nec termini definitionem participat , quoniam non est simplex ex parte obiecti quod concipit, & significat, sed potius multiplex ac tale , quod plura inter se diuidit aut componit;ita similiter terminus æquiuocus,quantumlibet ex parte nominis sit vnus dici tamen non poterit simplex conceptus,quæ est multiplicitas ac diuersitas rei quã significat & repræsentat. Septimò , terminus constat seu componitur ex genere,& differentia ; hoc enim est illum definiri : est igitur

igitur compositus, adeoque non simplex conceptus. Octauò, terminus vocalis v. g. homo, constat voce & significatione arbitraria, quæ potuit ei abesse: Ergo, &c. Denique terminus vocalis & scriptus, non dicuntur conceptus, sed potius conceptuum nostrorum signa & notæ: ergo nec dicendi sunt simplices conceptus, cum tamen in terminis eos numerari nemo non fateatur.

24 Ad primum argumentum respondeo; meram rei apprehensionem esse conceptum simplicem ex parte obiecti, in quod simpliciter & non componendo aut diuidendo tendit: secus vero ex parte subiecti, in eo si gradatim, siue aceruatim, & non simpliciter suscipitur, vt communiter dici consueuit: Vel breuius; apprehensio, est conceptus simplex obiectiuè, non fortassis subiectiuè aut intensiuè; Ad terminum autem requiritur vt obiectiue simplex sit. Ad secundum eodem modo respondeo, iudicium esse simplicem conceptum, nó ex parte obiecti, quod potius instar plurium cognoscit, atque in quod componendo & diuidendo fertur, ed ex parte subiecti, siue intellectus, in quo sine multiplicitate partium forsitan recipitur: hoc tamen ad rationem termini parum interest. Ad tertium aio; conceptus Angelicos & diuinos simplices esse, etiam ex parte obiecti, quod formaliter non componunt aut diuidunt, cæterum eminenter componere ac diuidere siue perfectionem compositionis & diuisionis ublatis imperfectionibus habere: quis enim neget, eos iudiciis nostris eminere? quo circa termini non sunt cum de horum ratione sit, vt nec formaliter nec eminenter obiectum suum componant aut diuidant, a que in hoc sita sit eorum simplicitas. Ad quartum dico, belluas mente carere, quantumuis obiecta simpliciter apprehendant: vnde earum conceptus amentes sunt, non vero mentales formaliter aut denominatiuè, siue quod perinde est, mediatè vel immediatè: alterutra autem mentalitas harum ad rationem termini requiritur. Aut paulo aliter; cum definimus terminum esse simplicem conceptum, subaudi quoque, humanum eum esse: quo tam hoc argumentum, quàm præcedens, omni difficultate vacabunt.

25 Ad quintum dicendum est, simplicitatem modo à nobis sumi provt solam compositionem aut diuisionem iudicij propriam excludit: terminus autem complexus quantumuis talis, more iudicij non componit nec diuidit, vnde simplicitatem termini obtinet. Quæ etiam solutio sextum, septimum, & octauum argumentum eneruat: haud enim terminus æquiuocus quantumuis ex parte obiecti multiplex; haud terminus in communi, vtvt ex genere & differentia coalescens, & per vtrumque definitus; haud denique terminus vocalis v. g. homo, etiamsi ex voce & significatione arbitraria constans, propterea ad instar iudicij obiecta sua diuidunt aut componunt. Ad postremum dicendum est voces & scripta, etiamsi sint signa conceptuum internorum, esse nihilominus conceptus externos; nec solum vocari conceptus à scholasticis nostris, sed etiam ab antiquis illis latinæ linguæ proceribus, apud quos concipere verba iuramenti, est præire & dictare alicui, verba externa, quibus sit iuraturus: & concipere vadimonium est similiter eius formulam alteri dictare, & coram illo exterius proferre.

26 Quod si propter vltimum argumentum alicui videatur difficilis nostra definitio, facile erit cum Boëtio superius allegato, & Damasceno c. 48 dial. ita eam refingere: terminus est dictio simplex: Ratio enim dictionis, in voces proprie conuenit; cum per eas proprie loquamur, siuè dicamus; actibus etiam intellectus proprie congruit; cum intellectus quoque sibi dicat, & loquatur; qua ratione Pater æternus intelligendo dicit, loquitur, verbumque producit. At enim aduersus hanc secundam definitionem noua quædam difficultas emergit: nam terminus obiectiuus, est verè terminus, cum propriè sit subiectum, ac prædicatum; quis si quidem neget prolata hac propositione, homo est animal, hominem, qui est à parte rei, esse id quod animali subiicitur, & contrà animal quod est in rebus, esse id quod de homine prædicatur? atqui terminus obiectiuus non est dictio, sed res quam dicimus, nec dictio est terminus obiectiuus, siue res obiecta, & cognita, sed potius ipse actus dicendi: perperam ergò terminus per dictionem simplicem finitur. Quæ difficultas etiam aduersus priorem termini stricti definitionem procedit: conceptus etenim non est res quæ concipitur, sed ipsemet actus concipiendi: terminus autem obiectiuus, est res quæ concipitur; haud igitur est conceptus, seu simplex siue alius, cum tamen rationem termini obtineat.

Cæterum huius argumenti facilis est responsio: 27
nam dictio non solum est actus dicendi, sed etiam id quod dicitur; sicut visio non tantum significat actum videndi, sed non rarò etiam id quod à nobis videtur: Atque ita vsurpatur Ezechiel. 1. 1. *Aperti sunt cœli, & vidi visiones.* Isai 6. 9. *Videte visionem, & nolite cognoscere.* Ioel. 2. 28. *Iuuenes vestri visiones videbunt.* Rursus tametsi conceptus multoties significet actum concipiendi, nihilominus meritò poni solet pro ipsa re, quæ à nobis concipitur: haud aliter, ac visus interdum est videndi actus, interdum quoque id ipsum quod videtur: atque ita sumitur à Virgilio lib. 3. Æneid.

Nymphas venerabar agrestes.
Gradiuumque patrem, geticis qui præsidet aruis,
Ritè secundarent visus, omenque leuarent.

Explicato termino strictè sumpto terminum stri- 28
ctissimum, quem Aristoteles in syllogismo triplicem asseruit, in hunc modum definio. Terminus est extremum propositionis in recto. Extremum propositionis, est genus, quo cum termino strictè sumpto conuenit: in recto est differentia, qua ab eo secernitur. Obiicies primò aduersus hanc definitionem, huius propositionis, v. g. homo est albus, primam ac postremam syllabam aut litteram esse eius extrema, cum tamen eius termini non sint; quo enim pacto tales esse queant, quin subiecti aut prædicati rationem obtineant? Oppones secundò, ex ea definitione fieri, syllogismum constare sex terminis strictissimis, cum sex extrema directa, triplici propositione includat. Argues tertio, huius propositionis complexæ, Petrus est currens, & Paulus est sedens, extrema esse, duas propositiones per coniunctionem, *&*, copulatas, quæ tamen eius non sunt termini: item participium illud; *currens* non esse extremum eius propositionis complexæ, sed potius in illa interiacere, nihilominus illius terminum strictissimum esse. Denique quartò insurges: aliquando non nomen sed duntaxat verbum in propositione, de alio prædicatur aut alteri subiicitur: cuius habes paradigma apud Ouid. 4. trist. 3.

Fleque meos casus: est quædam flere voluptas.
Expletur lachrymis, egeriturque dolor

At subiectum ac prædicatum principale propositionis, est eius terminus strictissimus: verbum igitur aliquoties est terminus strictissimus propositionis, cum tamen non sit in recto casu: haud enim declinatur per casus, sed potius per tempora coniugatur; frustrà ergo particula illa,

illa, *in recto*, termini definitionem ingreditur.

29 Ad primum respondeo; prior ac posterior syllaba illius propositionis, sunt eius extrema, quatenus ad quantitatem permanentem aut successiuam spectat, ac materialiter sumitur: scriptio enim & oratio vocalis, syllabis constans, quantitas quædam permanens ac successiua est, cæterum non sunt extrema eius propositionis, formaliter, & provt enunciatio est, in qua ita sumpta illud solum est extremum quod ad extrema mentalia & obiectiua, subiectum videlicet & prædicatum, instar signi refertur, quod non syllabæ aut litteræ, sed integræ dictioni conuenit. Quid? quod littera aut syllaba propositionis rectum esse nequeant. Ad secundum respondeo; syllogismus cõstat sex terminis strictissimis numero distinctis tãtum verò tribus specie distinctis, propter id quod singula extrema in eo repetuntur, & replicantur: huius autem contrarium ex nostra definitione non colligitur. Ad tertium dicendum est, eas propositiones simplices, Petrus est currens, Paulus est sedens, esse extrema vnionis copulatiuæ, non vero vnionis enunciatiuæ, cum neutra de altera prædicetur: solius vero posterioris vnionis extrema terminos esse definiuimus. Adiice, quod neutra earum propositionum, in recto ponatur. Porrò illud participium, *ὑπῆρς*, non est extremum propositionis complexæ immediatè loquẽdo, secus vero mediatè, cum sit extremum directum propositionis simplicis, ex qua simul cum alia resultat ea quæ complexa dicitur. Ad postremum dicendum est, verbum, quoties de alio prædicatur, aut alteri subiicitur, esse æquiualenter in recto, eo nimirum quod vim nominis obtineat; quo nihil inter Grammaticos familiarius.

30 Ex dictis colligitur primo, definitionem Soti cap. 5. lect. vnica, quam Thomistæ communiter amplectuntur, reiiciendam esse, videlicet terminus est *signum propositionis categoricæ constitutiuum*. Primo; quia voci non significatiuæ, qualis est blitiri, non conuenit, vt etiam aduersarij fatentur; & merito, quoniam ea sola vox dici solet signum absolutè, quæ ex hominum instituto aliquid repræsentat: at blitiri esse terminum l. 6. ostendemus. Secundo; quia eiusmodi definitio non conuenit termino, quo propositio non categorica, & absoluta, sed potius hypothetica, vel conditionalis constituitur. Tertio; quia terminus extrinsecus, siue apprehensio simplex propositioni præuia, non potest eam constituere, cum sit simplex qualitas: & tamen est terminus. Denique, sicut propositio definitur sine respectu ad discursum, cur etiam definiri nequeat terminus, nullo habito respectu ad propositionem, etiamsi ita aliquando sumi possit, vt eius definitio propositionem respiciat, sicut ex secunda eius definitione à nobis tradita liquescit.

31 Colligitur secundo; definitionem Villalpandi lib. 1. cap. 1. scilicet, terminus est *signum probabile in propositione*, eadem ratione reiiciendam esse. Colligitur tertio definitionem illam cuius meminit P. Hurt. disp. 1. summ. sect. 2. §. 6. terminus est *vox significatiua ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio*, similiter refutandam esse; tum propter dicta, tum quia in terminos mentales non conuenit, sicut nec in eos quibus propositio, non simplex sed complexa constituitur. Colligitur vltimo, terminum perperam à nonnullis definiri propriè, & quidditatiuè hunc in modum; terminus est *id in quod resoluitur propositio, tanquam subiectum & prædicatum*: Primò, quia per genus valde remotum quale est, *id*, ita definitur, haud aliter, ac si ita hominem definires, homo est ens rationale: nulla autem definitio propria & legitima tradi potest nisi per genus proximum; aliàs tam bona esset superior hominis definitio, ac hæc, homo est animal rationale. Secundo, quia talis definitio ad inferiores species termini, nempè terminum à quo, & terminum ad quem, subiectumve ac prædicatum descendit, non secus ac si quis definiret, animal: est viuens rationale, vel irrationale: ita vero descendere non est proprie definire, sed definitionem cum diuisione confundere. Tertio, quoniam in termino prior est compositio qua propositionem constituit, quam resolutio qua eam non constituit, sicut vniuersim habitus prior est rationis ordine, quam priuatio, & hæc per illum cognoscitur, & explicatur, v.g. tenebræ, per lucem: ea igitur definitio non per conceptum primarium; sed per secundarium traditur, ac proinde quidditatiua nequit esse. Quamuis autem Aristoteles, lib. 1. prior. cap. 1. totam eius definitionis doctrinam tradat, sed non totam vult esse definitionem termini, sed solam priorem eius partem, scilicet, id, in quod resoluitur propositio, & ne hanc esse quidditatiuam & primariam eius definitionem contendit, sed secundariam quandam & perfunctoriam explicationem: cætera vero adhibet exempli, aut diuisionis gratia.

TRACTATVS II.

De speciebus veritatis simplicis, siue termini.

CAPVT I.

Diuisio termini in subiectum, & prædicatum.

PRIMA termini diuisio impræsentiarum nobis explicanda, sit in terminum à quo, & ad quem, siue subiectum, & prædicatum: est enim subiectum veluti basis, & fundamentum, à quo in constructione propositionis incipimus; vt ex eius ethymo perspicuum est: prædicatum autem veluti culmen, & fastigium, ad quod ascendimus. Porrò circa hanc diuisionem illud potissimè disputari potest, & solet, an aut quatenus subiectum, & prædicatum distinguantur inuicem? Iuniores aliqui nullam inter vtrumque distinctionem agnoscunt; aut enim inquiunt, sermo est de subiecto & prædicato obiectiuis; & hæc non distingui constat, ex hac propositione, homo est homo, vbi homo non est alius à semetipso, cum tamen obiecto tenus ipse solus subiecti, & prædicati rationem obtineat: aut potius sermo est de subiecto, & prædicato mentalibus; & hæc etiam indistincta non esse nequeunt, cum propositio mentis sit simplex qualitas, ac proinde distinctionem partium, quarum alia sit subiectum, alia prædicatum, excludat. 1

Verum distinctio aliqua subiecti à prædicato, siue termini à quo propositionis ab eius termino ad quem, nisi splendidè fallor, certa est, atque manifesta. Primò, quoniam ambo diuersa connotata respiciunt, videlicet terminos physicos materiamvè, & formam quarum subiectioni, & informationi physicæ eorum subiectio & informatio intentionalis 2

lis aſſimilatur. Hoc autem ad eorum diſtinctionem rationis,& virtualem ſufficiens eſt, cum merito talis æquiualentiæ, & proportionis animal , & rationale quodammodò diſtinguantur , vt in loco videbimus. Secundò ,quia propoſitio componit ſubiectum cum prædicato , ſi ſit affirmatiua ; ſin minus, alterum ab altero diuidit: compoſitio autem & diuiſio poſtulant diſtinctionem aliquam , eorum quæ componuntur aut diuiduntur. Tertio, quia propoſitio eſt affirmatio vel negatio vnius de alio, at niſi prædicatum de ſubiecto nihil affirmat negatiuè , ſubiectum igitur & prædicatum ſunt vnum aliudque,ac proinde diſtincta Quarto , copula propoſitionis ſubiectum & prædicatum vnit & copulat,atqui vnio & copulatio duum extremorum cum eorum diſtinctione cohæret. Item quinto , in hac propoſitione , *homo eſt animal*,homo eſt ſubiectum:ſed non eſt prædicatũ:altera ergo ratio conuenit homini, & non altera,atque adeò ambæ diſtinguuntur. Rurſus ſexto,nihil diuiditur niſi in plura ; at terminus propoſitionis diuidi meritò ſolet in ſubiectum,& prædicatum , eiuſve terminum à quo , & ad quem ; huiuſmodi ergo conceptus plures ſunt, atque diſtincti. Tandem , quæ iuniores , quorundam nominalium ſententiam ſequuti , opponunt, ea nullius ſunt momenti, & ad huius capitis finem diluentur.

3 Secundò aliqui Thomiſtæ cenſent , diſtinctionem omnem ſubiecti à prædicato eſſe fictam , & ſolius rationis commentitiæ , atque vel hoc nomine ens rationis tantum ac neutiquam reale, eſſe obiectum formale dialecticæ facultatis. In eo autem differunt authores huius ſententiæ , & ſuperioris, quod hi diſtinctionem illam fictitiam , quam inter res indiſtinctas comminiſcuntur , eſſe cenſeant de conceptu ac ratione formali ſubiecti , & prædicati: ij autem , quos proxime oppugnauimus , tametſi dent , talem fingi poſſe diſtinctionem , eam tamen eſſe de ratione ſubiecti , & prædicati , eiſvè eſſentialem abnuant. Cæterum hæc ſecunda opinio late impugnata eſt lib. præc.tract.1.c.6.7.& 8. Ibi enim planum feci , niſi plane fallor , nec artificium ſubiecti , & prædicati , nec aliud dialecticæ artis proprium , vllo figmento, aut ſolius rationis ente conſtitui.

4 Tertiò , alij, inter quos P. Vallius , cenſent eam diſtinctionem, qua de loquimur,non eſſe fictitiam, ſed inter hanc & realem medij cuiuſdam generis,eo nimirum quod ex iudicio noſtro reſiliant effluant in obiecta quædam relationes , non nullius , at debiliſſimę entitatis,quarum vna denominet ſubiectum, & alia prædicatum: quocircà harum , adeoque ſubiecti , & prædicati diſtinctionem aliquam eſſe , ſed qualis inter duas carentias reperitur ; niſi quod carentiæ ſint medium negatiuum,illæ vero relationes reſluæ medium poſitiuum inter ens reale,& id quod eſt ſolius rationis. Quin etiam plures Thomiſtæ per hæc veluti reiectamenta noſtrorum actuum diſtinctionem ſubiecti & prædicati explicant , niſi quod relationes ſic à nobis in obiecta reiectas entia rationis appellent : quare ſolo nomine à priori ſententia diſſident. Quæ tamen quam falſa ſit conſtat ex lib. præc. loco nuper citato. Ibi namque oſtendimus , eiu modi partus noſtrorum actuum monſtroſos & chimericos eſſe , multiſque de cauſis repugnare. Rurſus eſto alicuius lucinæ munere exiſtant , atque in luem edantur , profectò ad diſtinguendum ſubiectum à prædicato , parum in eis erit momenti : nam propoſitio conſtat ſubiecto, & prædicato diſtinctis,vt rationes huius initio capitis poſitæ oſtendunt: at non conſtat iis relationibus , quæ potius propoſitione , gradu quodam naturæ, poſteriores ſunt, & ab illa emanant; eæ igitur ſubiectum & prædicatum nec conſtituunt, nec diſtingunt, vt vt gratis admittantur. Denique aſſignari debet fundamentum , cur prolata hac propoſitione, homo eſt animal, conſurgant tales relationes, merito quarum homo ſit ſubiectum , & animal prædicatum, cum è conuerſo potuerit res euenire , huiuſmodi autem fundamentum nec ab aduerſariis , affertur vllum , & ſi afferatur , ad diſtinctionem & conſtitutionem ſubiecti,& prædicati independenter à commentitiis illis relationibus ſufficiet.

Quartò alij, inter ſubiectum & prædicatũ mentale, diſtinctionem realem adæquatam admittunt, 5
ea verò obiectiuè ſumpta , non niſi per denominationem extrinſecam ac rationis opus , diſtincta eſſe exiſtimant. Prior autem huius doctrinæ pars vnde ſequitur ſecunda , ab eis ſic explicatur : iudicium hoc v. g. *homo eſt animal* , anteuertunt duæ apprehenſiones ſimplices inter ſe realiter adæquatè diſtinctæ ; hominis vna , animalis alia : at altera eſt ſubiectum mentale , altera prædicatum : hæc ergo duo diſtinguntur realiter adæquate, & hanc diſtinctionem quodammodò in obiecta refundunt. Cæterum diſplicent primò , quoniam propoſitio conſtat ſubiecto, & prædicato diſtinctis,vt ſæpe ſæpius dictum eſt , vtque tradit Ariſtoteles l. 1. prior. c. 1. afferens propoſitionem reſolui in ſubiectum & prædicatum , non reſoluitur autem aliquid in partes niſi ſuas , & quibus conſtat atque cohæret : atqui propoſitio non conſtat iis apprehenſionibus præuiis, ſed potius eas ſupponit , & veluti à cauſis extrinſecis proficiſcitur. Perperam ergo per eas ſubiectum & prædicatum , atque vtriuſque diſtinctio explicatur. Rurſus modò , & in hac rerum ſerie iiſdem apprehenſionibus præuiis hominis & animalis , vti quis poteſt & ſolet , vt hominem eſſe animal affirmet , vel potius animal eſſe hominem prout ei libuerit , nec earum vllo quaſi præiudicio cogitur, vt vnum extremum magis quam aliud ſubjiciat aut prædicet : quin imo ad vtrumlibet eſt indifferens , ſicut cum eadem cognitione indifferenti alicuius obiecti , voluntas poteſt illud amare vel odiſſe : atque non minus illius quam huius experientia locuples teſtis eſt: at nulla forma indifferens ad oppoſitos effectus formales,poteſt vnũ præ alio deſtinatè tribuere , nequit igitur ab apprehenſionibus præuiis oriri, quod vnum extremum potius quam aliud ſit ſubiectum quodue vnum præ alio rationem prædicati obtineat.

Tertiò ; per id reipſa homo ſubjicitur animali , 6
per quod animal de homine prædicatur , ſicut per eandem paſſionem , vnionemve materia phyſice ſubjicitur formæ , & hæc illam informat , & ab ea ſuſtentatur : falſum igitur eſt diſtingui realiter adæquate, ſubiectum mentale ſeu formale ab eo quod ſibi reſpondet prædicato , hoc enim eſt quo aliquid prædicatur , & illud quo ſubjicitur. Quartò , apprehenſio hominis , ſi ſola & per ſe exiſtat , non ſubjiciet eum animali, aliàs etiam hoc de illo prædicaret , adeoque ea præciſe ſumpta inſtat totius iudicij haberet : idip um conſtat de apprehenſione prædicati , nimirum animalis : quidquid igitur ſit de iis apprehenſionibus ſimul ſimptis , an non obſtante earum indifferentia nuper aduerſariis oppoſita , vnum extremum conſtituant deſtinatè ſubiectum , & aliud prædicatum ? certe quod altera denominatio harum ab vna apprehenſione ſola, & altera ab alia proueniat , euidenter falſum eſt , vt hoc argumento demonſtratur. Quod ſi propterea aduerſarij,

sarij, quamlibet earum denominationum non nisi multis apprehensionibus acceptam referri putent, atque ita sibi videantur euasisse; nullo tamen negotio deprehendi possunt: nam, præter id quod ad apprehensionum indifferentiam nihil est quod respondeant, si complexio apprehensionum quę prælucent, facit vt homo subiiciatur, eademque vt animal prædicetur; subiectum ergo vt quo siue formale cum prædicato similiter vtrumpato prorsus idem est, vbi nam ergo vtriusque adæquata distinctio quam ad uersarij pollicebantur.

7 Quintò, eorum sententia confutatur, quoniam vt rectè docet Auersa quæst. 24. logic. sect. 2. contingere aliquando potest, vt propositionem non duæ apprehensiones simplices præcedant, sed vna sola, quæ omnes terminos propositionis repræsentet, non tamen componat aut diuidat: vt enim iudicem hominem esse animal, quid opus est apprehendere hominem secundum se, aut animal secundum se, vbi hominem esse animal apprehendo: atqui tunc subiectum & prædicatum iudicij nostri neutiquam distingui possunt realiter adæquatè, merito diuersarum apprehensionum, quas nullas prælucere supponimus. Item sexto, Deus prædicat animal de homine, & hominem animali subiicit, at simplicium apprehensionum expers est, rationes ergo subiecti & prædicati generatim sumptæ per multiplicitatem apprehensionum frustra declarantur. Hæc cum ita sint, cum dicitur vna apprehensio subiecti, & alia prædicati, haud sensus est, quod vna subiectum, & alia prædicatum constituat, in quo hallucinari solent ij, quos hactenus impugnauimus, quin potius altera apprehensio dicitur subiecti, id est eius extremi quod non ab ipsa sed à toto iudicio subiicitur, & altera prædicati, hoc est, eius extremi, non quod ipsa prædicet, sed potius iudicium quod consequitur.

8 Quintò alij, quorũ doctrinã magna ex parte probabilẽ reputat Vallius 1. perhier. part. 3. q. 3. c. 3. distinctionem subiecti & prædicati realem inadæquatam censent, eiusque explicandæ gratiæ ad apprehensiones præuias, necnon etiam modum specialem tendendi propositionis recurrunt, ita vt subiectum formale siue mentale sit iudicium in recto & vt quod; in obliquo verò, & vt quo, apprehensio hominis, v.g. contra verò prædicatum mentale vt quod & in recto sit idem iudicium, & vt quo ac in obliquo apprehensio præuia animalis. Subiectum autem subiectiuum aiunt esse hominem provt à parte rei se habet in recto; & in obliquo iudicium cum apprehensione hominis: similiter prædicatum obiectiuum esse animal simul cum eius apprehensione & iudicio, quod tam eam quam aliam secum coniunctam sequitur. Ex quibus declarant primo, quatenus prædicatum quomodocumque sumptum de subiecto dici possit, nimirum quia etsi distinguantur, at non secundum ea quæ dicunt in recto & vt quo: qua ratione hæc propositio est vera, Deus est homo, eo quod rectum eius affirmationis sit idem, videlicet persona verbi, tametsi natura diuina, & humana in obliquo connotatæ distinguantur. Secundò, quatenus cum iisdem apprehensionibus hominis & animalis, homo modo subiici, modo prædicari, & animal pari ratione nunc subiectum nunc prædicatum possit esse: sicut enim idem corpus modo fit homo, aliquando equus, pro diuersitate animarum qua suscipit, ita eadem apprehensio hominis eum cum vno iudicio subiectum, & cum alio prædicatum constituit; eodemque ritu animal, vt prædicatum sit, potius quam subiectum, aut contra, à iudicio determinatur. Tertiò, quatenus subiectum & prædicatum realiter inadæquatè distinguantur.

Sed hæc opinio parum demulcet. Nam quod 9
opposuimus aduersus priorem sententiam, per idem omnino subiici vnum extremum, & prædicari aliud, sicut in receptione ac inhæsione physica vsuenit; item vnum prædicari, & aliud subiici, aut nulla apprehensione præcedẽte, vtin Deo cõtingit; aut certè non nisi vna sola ex parte obiecti cõposita, vt nobis frequens est: hoc inquã totum aduersus præsentem sententiam pariter procedit. Rursus, quod docet iudicium esse subiectum, & prædicatum formale vt quod, & in recto, & connotare in obliquo apprehensiones, quamuis ad verbi quæstionem spectet, eius tamen non est dissimulanda falsitas: etenim prædicatum vt quod, propriè fando, est id quod prædicatur de alio, & prædicatum vt quo est id quo siue merito cuius de alio dicitur, ast in hac propositione, *homo est animal*, iudicium est id quo, non quod de homine enunciatur: ipsum verò animal quod, non quo prædicatur; impropriè ergo & abusiue iudicium dicitur prædicatum vt quod, cum potius hoc animali conueniat: eadem autem est subiecti ratio. Denique quod aduersarij explicare conantur, prædicatum quomodolibet sumptum de subiecto dici posse, satis absurdum est; solum enim prædicatum obiectiuum de subiecto, animal v.g. de homine, dicitur, nisi aliqua vtamur reflexione, cuius tamen quæ necessitas est? Quin etiam ea admissa dicunt plures, subiectum, & prædicatum pro formali ita distincta esse, vt neutrum de altero dici queat, haud aliter ac in albo & dulci pro formali sumptis euenit. Quorsum ergo tot ambages ad explicandam doctrinam in quæstione positam, atque inter multos minimè receptam.

Alij sextò tuentur, distinctionem subiecti, & prædicati esse omnino voluntariam, & arbitrariam, ac extrinsecus & accidentaliter proficisci ab actu voluntatis, & maiori conatu, quo quis potius hominem quam animal scire desiderat, & aliquid de illo potius quam de hoc affirmare intendit, cum tamen hic actus, homo est animal secundum se sumptus non magis asserat hominem esse animal, quam è conuerso, animal esse hominem, & in vtriusque identitatem ex æquo, & indiscriminatim consentiat. Sed non placent: nam propositio constat subiecto & prædicato, quod si abnuant, quidni etiam inficias eant, hominem anima & corpore constare? at propositio non constat actu voluntatis, aut maiori illo conatu: igitur per eum nõ constituuntur, nec distinguntur subiectum, & prædicatum. Minor est in propatulo: sicut enim prima mentis operatio, qualis est apprehensio, & tertia, qualis est syllogismus, actum voluntatis supponunt, non includunt, non est cur idem dici non debeat de secunda mentis operatione cuiusmodi est propositio, qua essentialiter aliquid subiicitur, aut prædicatur. 19

Præterea secundo, obiectum illius conatus aut est 11
inintelligibile, aut erit ipsemet conatus & nihil aliud; quod ad declarandam distinctionem ac constitutionem subiecti & prædicati inutile prorsus est; quid enim refert, actum aliquem voluntatis in se reflectere, & se tantum velle, vt vnum potius quam aliud sit subiectum propositionis. Assumptum probatur, quoniam aliquid sciri & affirmari de homine quod est obiectum illius actus, non est præcisè iudicium, quo hominis & animalis repræsentatur identitas, iuxta aduersarios; aut igitur est omnino inexplicabile, aut est ipsemet actus voluntatis, se duntaxat amans, & sibi tantum intentus, quod nec

hui c

huic, nec vlli potest instituto deseruire. Item tertio, vnum sciri, & affirmari de alio est vnum esse subiectum, & aliud prædicatum, circumscripto quouis alio; conatus igitur ille voluntatis hominem vult esse subiectum, & animal prædicatum: non igitur constituit, alterum subiectum, & alterum id quod prædicatur; quemadmodum actus quo Deus vult res creatas vniri & produci, eas formaliter non vnit nec producit, sed duntaxat instar causæ extrinsecæ, ac veluti efficientis, vt in confesso habent etiam ij quibuscum disceptamus. Denique eiusmodi actus voluntatis, de quo lis est, vnus & indiuisibilis est; insufficiens ergo, vt merito illius subiectum, & prædicatum distinguantur, sicut subiectum, & forma physica v. g. corpus & anima, non nisi per diuersas entitates distinctionem merentur. His ergo de causis conatus ille aduersariorum irritus est, ac me iudice omninò vanescit.

12 Quapropter in ea sum opinione, vt existimem distinctionem subiecti formalis siue mentalis à prædicato consimili esse solius rationis ratiocinatæ, eamvè quæ virtualis dici consueuit: idem enim indiuisibile iudicium affirmando subiicit vnum, & non prædicat, contrà verò aliud non subiicit, sed prædicat: hoc autem est subiectioni, & prædicationi conuenire prædicata contradictoria, easque proinde virtualiter distingui, haud aliter atque actus contritionis v. g. ita est realiter idem, vt sit virtualiter ac ratione multiplex, quoniam munere illius Deum amo, & non abhorreo, contra vero peccatum odio, & non amore prosequor. Hic quoque interuenit æquiualentia illa & proportio vnius rei cum diuersis, subiecti nimirum, & prædicati, siue formæ intentionalis, cum subiecto & forma physica realiter distinctis: quare sicut animal & rationale hominem ratione ac virtualiter distingunt merito talis æquiualentiæ, & quia provt animal cum belluis, & provt rationale cum Angelis conuenit, ita etiam simile quidpiam in præsenti accidit. Non me latet, alios aliter hanc subiecti, & prædicati formalis distinctionem explicaturos: sed qualis ea sit modo non laboro, ac satis habeo, si aliqua concedatur.

13 Quod si sermo sit de iudicio composito ex multis apprehensionibus, quale fateor esse possibile, simili modo complexio apprehensionum erit reapse subiectum formale; & etiam prædicatum formale, sic tamen vt hæc duo munia ratione distinguantur, non secus ac fundamentum, & terminus est realiter tam paternitas v.g. quam etiam filiatio, ita vero vt hæ relationes ratione quadam & virtualiter intrinsecè, vel extrinsecè distinguantur. Quod autem attinet ad subiectum, & prædicatum obiectiuum, ea distinguntur aliquando realiter adæquatè, vt cum dicitur, homo est lapis, aut homo non est lapis: vel realiter inadequatè, vt cum enunciatur homo est albus: vel tantum ratione, vt cum asseritur, homo est animal, vel homo est homo, hæc enim geminatio hominis est quædam eius à se ipso distinctio, quæ oritur ex eo, quod per plures actus aut vnius diuersas formalitates concipiatur.

14 Atque hinc fit satis argumentis huius capitis initio propositis, aduersus omnem distinctionem subiecti à prædicato. Porrò si obiiciatur inexplicatum manere, curnam huius propositionis v.g. homo est animal, homo sit subiectum magis quam animal, aut hoc potius quam homo prædicatum; quamuis enim è diuerso se res haberet, nihilominus homo, & animal, nec non etiam formalitates iudicij vtrumque comparantis eodem modo, videlicet ratione distinguerentur; respondeo, discrimen istud hominis ab animali, & quod alterum subiiciatur, alterum prædicetur, non oriri ex distinctione rationis huc vsque expositæ: at proficisci ex speciali natura & ingenio iudicij simplicis, aut compositi, quod si non existeret, sed aliud alterius indolis, haud dubie haberet alias formalitates, quarum vna homini esse prædicatum, & animali esse subiectum tribueret; Rursus si obiiciatur compositionem & diuisionem subiecti, ac prædicati similiter fore solius rationis, quemadmodum vtriusque distinctio est tantum rationis, & non realis; quapropter futurum, vt Deus intelligat componendo, & diuidendo more intellectus nostri, cum non minus in eo quam in nobis compositio & diuisio rationis, locum habeat; respondeo huic difficultati à me satisfactum iri in Metaphysicâ, cum sermo fuerit de actibus intellectus.

CAPVT II.

Diuisio termini in transcendentem, & non transcendentem: & an vterque possit infinitari?

15 AVthores frequenter diuidunt terminum in transcendentem, & non transcendentem: quamuis autem transcendentia aliquando significet ascensum; quo pacto apud Ciceronem in somn. Scipion. Caucasus, & aduersus Catilinam Alpes transcendi dicuntur: cæterum multoties etiam ponitur pro libero, & vago excursu per plures homines, loca, aut tempora, aliaue quæcunque: quomodo dixit Cornel. Tacit. Annal. lib. 17. *transcendet hæc licentia in Prouincias.* Atque in hac posteriori significatione vsurpatur à Dialecticis, vbi illam termino attribuunt aut adimunt. Terminus ergo transcendens iuxta eos est, qui in omni conceptu reali imbibitur; deque eo prædicatur: Sextuplex est, & clauditur hac dictione, REVBAV cuius simpla elementa singulos terminos transcendentes exprimunt, rem, ens, vnum, bonum, aliquid verum. Possunt etiam memoriæ causa prædicti sex termini transcendentes hoc versu pentametro claudi.

Ens, vnum, verum res aliquidque, bonum.

Terminus autem non transcendens est, qui omnes conceptus positiuos, & reales non penetrat, neque per omnes longè latéque vagatur vt homo, equus, & quiuis alius conceptus præter sex illos, quos vulgari dictione REVBAV, nec non præcedenti illo versiculo clausimus.

16 Animaduertas velim primo, multa dici transcendere, quæ tamen strictè & rigorosè termini transcendentes non sunt, provt modo transcendentia vsurpatur. Sic ratio spiritus, aut infiniti, aut increati omnia prædicata Dei realiter saltem transcendit, & de nullo eorum non prædicatur. Sic etiam substantia omnes hominis formalitates aliquo transcendit modo, ac de eis verè affirmatur: Cæterum huiusmodi transcendentia est tantum in aliquo genere, & ideo secundum quid, qua de in præsenti non loquimur. Secundo, diuisionem hanc vlterius extendi posse ad aliud membrum diuidens, videlicet terminum supertranscendentem, qui per omnes conceptus non solum reales, & positiuos, verumetiam chymæricos, & negatiuos vagatur, vt intelligibile, amabile.

17 His suppositis, quod terminus non transcendens, vt homo v.g. equus, lignum, & quiuis alius vi negationis sibi adiunctæ possit infinitari cum Arist.

lib. 1. periherm. cap 2. tuentur omnes, & iuremeritò, vt ex dicendis constabit. Maior est conrroversia, an terminus transcendens cuiusmodi est ens, verum, &c. possit infinitari? Negant Albert. Magn. in huius lib. comment. tract. 2. cap. 5. & apud eum Auicenna, Tolet. etiam hic q. vnica concluſ. 4. Masius q. 5. Huius sententiæ probatio communis est talis: terminus infinitus, vt ex ipsa eius ethymologia liquet, est qui per omnia entia, & non entia vagatur, ac latissimè excurrit, eo solo exempto quod infinitatem vi adiunctæ particulæ subit, qua ratione non homo v.g. numeratur inter terminos infinitos: nam præter hominem nullum aliud ens reale, nihil etiam realitate destitutum reperias, de quo non hominem esse verè non dixeris: at terminus transcendens ens v.g. adiecta particula, *non*, ita nequit vagari, sed potius solis non entibus conuenit: infinitatem ergo nequit induere. Secunda eiusdem sententiæ probatio esse potest hæc: syncategoremata ista *omnis*, *aliquis*, transcendentia quodammodo sunt, quod sit alia non permittantur, certè terminis transcendentibus, aut, quod plus est, supertranscendentibus quoad amplitudinem, & vniuersalitatem æquipollent; alterum enim cuncta entia, & non entia copulatiuè, alterum disiunctiuè complectitur: at nequeunt infinitari, nam si dicas, non omnis homo est lapis, perinde est atque quidam homo non est lapis, adeóque ibi particula, *non*, haudquaquam infinitat, sed potius negat: Item, si asseras *non aliquis homo est lapis*, iuxtà est, atque *nullus homo est lapis*, ac proindè hìc etiam particula, *non*, potius negat, quàm infinitat: vtrumque autem horum constat per regulas æquipollentiarum: consequens ergo est, vt transcendentia possint infinitari, vel quia prædicta syncategoremata transcendunt non minus quam ens, & eius attributa: vel quia, si secus se res habet, eorum atque transcendentium par est ratio, si amplitudinem, & vniuersalitatem spectes, quæ sola potest obesse, ne particula, *non*, vllatenus infinitet: quocirca argumentum hoc aut ab inferiori ad superius negatiuè, aut saltem à simili valet, atque concludit. Tertia eiusdem sententiæ probatio esse potest huiusmodi: terminus hic *iniustus*: v.g. haud est infinitus, sed priuatiuus iuxtà omnes, quantumuis particula, *non*, recidat supra iustum, eique adiungatur: non alia ratione, nisi quia munere illius non vagatur latissimè per omnia entia, & non entia, vno solo excepto, ad instar huius termini, *non iustum*, aut huius, *non homo*: nam non omne quod non est iustum est iniustum, lapis enim, leo, equus &c. ita sunt instituti, vt quiuis eorum non sit iustus: & tamen nullus eorum est propterea iniustus cum iniustitia iustitiæ capacitatem, qua proculdubio carent, & non solam eius habitus absentiam significet: similiter ergo non ens haud erit terminus infinitus, quantumlibet in eo particula, *non*, adiiciatur enti, videlicet propter defectum illius latitudinis.

18 Contraria sententia est Soti lib. 2. summ. cap. 1. not. 6. Suessani, & Louanienſium lib. 1. periherm. cap. 2. Conimbr. eodem lib. cap. 4. quæst. 2. art. 3. ad 3. Niphi, & aliorum plurium: eaque mihi magis probatur. Nam in primis hæc propositio, *chimæra est non ens*, haud est negatiua, vt est inter omnes exploratum: ergo particula, *non*, eam ingrediens haud negat: reliquum ergo est, vt infinitet: quod enim alterutrumlibet præstare debeat, est certo certius; at non infinitat chimæram, vtpote cui non adiungitur: solum ergo ens, cui proximè adiacet. Secundò, quoniam hæc propositio, *homo non est non ens*, formaliter loquendo est negatiua; negat ergo de homine non ens; igitur particula, *non*, secundo loco adiecta afficit non verbum; sed ens: illud ergo infinitat: nec enim negat, cum non ipsa, sed alia similis prius posita verbum afficiat, sicut ad negandum oportet: vbi autem non neget, non poterit infinitare. Tertiò, quoniam haud magis est de ratione termini infiniti, vt per entia, & non entia vagetur omnia, quam de ratione termini finiti, vt vago illo ac libero per vtrumque genus excursu careat, si ad vocum ethymon respicias; sed terminus aliquis finitus, videlicet cognoscibile, aut amabile, vagatur nihilominus per omnia entia, & non entia: nullum enim est, quod non cognoscas, nullum quod non ames, si alicuius boni speciem induat: poterit igitur è contrario non ens esse terminus infinitus, etiamsi entia & non entia minimè adæquet.

Quartò, quia, etsi non ens reale, non bonum, non verum, &c. videantur non vagari per omnia entia, & non entia, quodam sensu nimirum reali, & identico; at alio videlicet formali, & reduplicatiuo ita vagantur citra dubium: quanquam ergo eiusmodi latitudo, & vagus per omnia quæ sunt, & quæ non sunt, excursus sit de ratione termini infiniti nihilominus eiusmodi conceptus erunt infiniti, ac proinde qui transcendunt, bene poterunt infinitari. Quod autem assumptum est, haud est difficilè probatu: namque à primo de non entibus cunctis verum est dicere quod nullum eorum sit formaliter & reduplicatiuè ens reale, bonum, aut, verum, cum ne eiusmodi sint realiter & identicè: deinde conceptus illi, qui sunt reuera entia, haud sunt omnes formaliter, & reduplicatiuè ens reale, bonum, aut verum propter distinctionem rationis, qua differentiæ vltimatè sumptæ excludunt hos conceptus communes, nec non hi seipsos mutuò: non ergo vagantur hoc sensu per omnia entia, & non entia. Quinto; tametsi notio termini infiniti deducta sit ab ea amplitudine, qua multoties sese extendit ad omnia ferme entia, & non entia, vt claret in non homine, non equo, & aliis id genus: cæterum, vt bene animaduertunt Conimbr. Niphus, & alij, eius essentia non in ea consistit, sed in hoc quod particulam, *non*, aliamve similem nomini alicui positiuo, non autem verbo adiiciat: sicut enim affirmare est proprium solius verbi, ita negare stricte sumptum; quocirca particula inficialis nomini adiecta haud dicitur negare, sed infinitare, & ad summum laxè, ac minus stricte negare: quandoquidem ergo particula, *non*, adiici possit & soleat terminis transcendentibus, quidni hi possint infinitari, quantumlibet non conueniant entibus omnibus, & non entibus, sed his solis? Sic lapis dici, ac duci creditur à lædendo pede, quia tamen eius essentia in hoc non consistit, ea causa est, cur possit esse lapis, quod pedem non lædit.

Sextò; ne nominum ethymologiæ parum deferre videar, terminus infinitus dici potest, qui vi formæ, & modi inficialis, si quem includit, vagatur per omnia ferè entia, & non entia, sicut finitus è contrario est, qui vi formæ & modi nihil vtique negantis ita non vagatur: hac autem ratione non ens reale expatiatur liberè per omnia entia, & non entia, & solis non entibus haud est adstrictum: habet enim particulam inficialem, *non*, sufficientem ad eiusmodi vniuersalitatem tribuendam: quod autem eam minimè tribuat non enti, nihil interest, hoc siquidem oritur à materia peculiari cui superuenit, cum tamen, si superueniret alteri materiæ, eam proculdubio vim esset habitura: Contrà etiam imagi- 19

nabile

nabile, cognoscibile, volibile ratione supradicta non vagantur liberè per omnia entia & non entia: haud enim habent formam illam inficialem, cuius est eam libertatem claustri nesciam tribuere, quantumuis materiam latissimè fusam, ac nullis omnino terminis circumscriptam sibi vendicent. Licèt ergo terminus infinitus dicatur, qui par est entibus, & non entibus, siue cui liberum, & integrum est, per vtraque vagari; quodam tamen sensu totum hoc locum habere potest in non ente, non vero non bono, &c. sicut ad trascendentium infinitatem oportet. Sic contrariæ. v.g. definiuntur quæ non possunt esse simul veræ, bene tamen simul falsæ: & tamen hæ propositiones, omnis homo est animal, nullus homo est animal, iuxtà omnes sunt contrariæ, quāuis nequeant esse simul falsæ magis quam simul veræ, videlicet quia id habent beneficio solius materiæ, secus verò formæ, quæ quidem in veritate sola, non autem in falsitate tribuit repugnantiam.

20 Septimò, vt ethymologia vocum, cui maxime fidunt aduersarij, defendatur, satis superque est, vt terminus infinitus dicatur ille, qui latissimè, & in infinitum fertur per omnia alia ab eo distincta, supra quod appellat particula infinitans, *non*, vel alia similis: hac autem ratione tueri possumus non ens reale esse terminum infinitum: extendit enim sese ad omne id quod non est ens reale, nimirum ad omnia rationis entia, siue figmenta. Vrgebis tamen iuxtà hanc solutionem saltem supertranscendentia, cuiusmodi sunt imaginabile, volibile, & ipsum ens vniuersalissime sumptum, & quatenus entia realia, rationis, horumque attributa omnia complectitur, & perinde est atque quidquid habet esse, seu verum, seu fictum, seu positiuum, seu negatiuum, seu differentiale, seu indifferens, ea inquam haud posse infinitari. Verum quid inde? non enim de his est potissime nostra quæstio. Deinde, vt multiplicem doctrinam superius traditam omittam, iuxta quam vna eademque opera transcendentium, ac supertranscendentium etiam infinitas est defensa, sanè hæc etiam solutio quæ præ manibus est, ita potest explicari, vt iuxtà eam supertranscendentia queant infinitari: Nam non ens, non imaginabile, non volibile, tametsi non conueniant infinitis non entibus, sicut nequeunt infinitis entibus conuenire; cæterum si per impossibile darentur infiniti conceptus, quorum nullus esset ens, quantauis vniuersalitate sumptum, nullus imaginabilis, aut volibilis, certè quiuis eorum esset nō ens, & quid non imaginabile, atque non volibile: propter hanc ergo infinitatem conditionatam dici potest terminus infinitus non ens, non imaginabile, non volibile: præterquam, quod, si sermo sit saltem de non imaginabili, & non volibili, ea in sensu formali, & reduplicatiuo infinitis entibus, & multo magis non entibus absolutè & de facto, vt aiunt, conueniunt, vti superius explicatum.

21 Atque ex his liquet ad primum argumentum aduersariorum. Ad secundum, transeat syncategoremata illa, *omnis*, *quidam*, haud posse infinitari quod tuetur Sotus loco supra citato, id sane proterea est quod particula, *non*, quæ videtur eis adiungi non supra illa reuera, sed supra verbum fortasse appellet, vt ipsum supponit argumentum: at particula illa, *non*, immediatè appellat supra terminos transcendentes, vt constat ex nostris rationibus, & communi omnium consensu: quidni ergo possint infinitari? Quod si instas, syncategoremata illa esse transcendentia, ac proinde terminos aliquos transcendentes infinitatem respuere, facilis est responsio, negando scilicet ea transcendere propriè: haud enim Petrus. v. g. haud vllum alterius speciei individuum est omne; haud etiam omnis homo. v. g est quidam homo, haud omne animal quoddam tantum, cum tamen quiuis conceptus tam in communi quam in particulari sit ens, bonum, verum, &c. Deinde secundò, si dicatur, vtvt transcendant ea syncategoremata, non tamen esse transcendentia, de quibus loquimur, nec dictione, *reubau*, comprehendi.

Præterea ad secundum illud argumenutm dici 22
potest secundo, & quantum sentio magis probabiliter, ea syncategoremata omnis, aliquis, infinitari, & particulam, *non*, suprà illa non supra verbum immediatè appellare, vt voces præ se ferunt: quod autem objicitur, hanc propositionem, non omnis homo est lapis, æquiualere huic, quidam homo non est lapis, non conuincit esse easdem formaliter, sed potius diuersas, more cæterarum rerum, quarum æquipollentia est ab earum identitate seiuncta; nihil enim sibimet ipsi æquipollet. Idem dicendum est de altera propositione, non quidam homo est lapis, comparata cum hac, nullus homo est lapis: super id, quod, etsi hæ posteriores non tantum æquipollerent, sed etiam essent formaliter eædem, nihil inde posset aduersus nostram sententiam colligi, vt constabit ex mox dicendis. Adjice, ambas propositiones nobis obiectas hoc probare ad summum, fieri non posse, vt præfata syncategoremata infinitentur infrà propositionem, secus verò quando sunt extra illam.

Est tamen non leuis aduersus secundam solutio- 23
nem nostram difficultas: nam hæc propositio nullus homo est lapis, est formaliter negatiua, ac proinde negatio in syncategoremate, *nullus*, inclusa, atque delitescens appellat suprà verbum, illudque reuera spectat: quamuis ergo in his propositionibus, *non omnis homo est lapis*, *non quidam homo est lapis* negatio proxime adstet syncategorematis, haud tamen supra illa, sed supra verbum appellabit, atque hoc solum reapse afficiet: nullam ergo infinitatem eis tribuet: ad hoc enim opus esset eam non appellare supra verbum, nec negare. Respondeo negato antecedenti: tum quia, *nullus*, est negatio adiectiua, non aduerbialis: sed adiectiuorum proprium est non verba, sed nomina afficere, & suprà ea appellare, sicut aduerbiorum è contrario se gerere, quod est primum principium grammaticæ facultatis: tum etiam quia cum dicitur, nullus homo non est animal, posterior negatio appellat suprà verbum: prior ergo latens in syncategoremate supra illud solum appellabit; nisi vero duplex negatio ex æquo appellet immediatè supra vnum, idemque verbum. Quamuis autem hæc propositio, nullus homo est lapis, & quæuis alia id genus vulgo dicatur negatiua, eaque phrasis sit etiam à nobis passim vsurpata, hoc tamen, quod dici consueuit, haud est formaliter, sed æquialenter intelligendum.

Ad tertium argumentum respondeo, terminum 24
illum *iniustus*, propterea non esse infinitum, sed priuatiuum, quia terminus infinitus est, in quo particula inficialis nihil ponit, sed potius tollit, meramque carentiam, non vero aliquid positiuum significat: talis autem minime est hic terminus, *iniustus*, vtpote in quo particula inficialis, *in*, priuationem, adeóque non carentiam solam iustitiæ, sed etiam eius positiuam aptitudinem, & capacitatem indigitat; quare non omnino destruit, sed aliquid adstruit. Atqui, cum dicitur non ens, particula, *non*, tollit & nihil ponit, destruit & non adstruit,

solamque carentiam entis denotat : poterit ergo esse terminus infinitus, quamuis talis esse non possit hoc adiectiuum, *infinitus* : malè ergo ab vno ad aliud arguitur in præsenti. Rursus secundo transeat, maiorem argumenti esse veram, & idcirco terminum illum, *infinitus*, haud esse infinitum, quia non vagatur per entia, & non entia cuncta : certè quod assumitur in minori non est prorsus verum : siquidem non ens, non bonum, &c. per ea quæ sunt, & non sunt, posse quodam sensu vagari superius est expositum.

CAPVT III.

Diuisio termini indirectum, & reflexum.

25 TErminus directus mentalis est cognitio, quæ quoduis aliud, nisi eiusdem potentiæ cognitionem significat : vocalis est vox eiuscemodi cognitionem repræsentans : terminus reflexus mentalis est cognitio, qua intellectus aliquam cognitionem attingit : vocalis est vox talis actus significatiua : ita fermè sumitur ex Petro Hispano l. 1. sum. c 3. Porrò eos terminos ita nominari aduerte, per analogiam, ac proportionem cum rebus physicis : quemadmodum enim radius ille dici solet rectus, siue directus à Philosophis, qui sine vllo obstaculo à luminoso rectà emicat, ac sese diffundit ; reflexus verò, qui in corpus opacum, ac luci imperuium incidit, eodemque tramite in seipsum celeri reciprocatione conuertitur : aut sicuti pila à ludente aliquorsum proiecta, eius impetus motusve est directus, ea verò in proiicientem reuoluta alicuius obicis vi, non directus, sed reflexus : ita provt intellectus, aut in alia obiecta intentionaliter fertur, aut in suosmet reuertitur actus, terminis directis, vel reflexis vti censetur.

26 Quæres autem primò, an quando intellectus seipsum cognoscit, ea cognitio dicenda sit reflexa ? Respondeo cum P. Hurt. disp. 1. sum. sect. 5 §. 25. neutiquam : non quia non posset, nam etiam quoties causa aliqua motu lationis, aut irradiationis, aut calefactionis, aliove in seipsam redit, & alicuius occasione obstaculi, quod in aliud esset actura à se patitur, reflexè operari eo ipso dicitur, sed quod ita libitum non est antiquis, quibus in vsu & significatu vocum potissimè standum est, & quos penes arbitriū est, & ius, & norma loquendi. Cæterùm latè, & impropriè concedi potest, eam cognitionem esse reflexam : dici etenim solet, & intellectum & voluntatem etiam in se reflectere, quando se hæc amat, ille cognoscit : qua ratione per amoris in amantem ipsum reflexionem, de qua maior posset esse dubietas, explicuit tamen Plato in Phædone reflexionem echus, quia à concauis soli disque corporibus resonat, ac certatim verba repulsat. Quæres etiam secundò, an cognitio vnius intellectus terminata ad cognitionē alterius sit ob id dicenda reflexa ? Negat mag. Sotus lib. 1. Sum. cap. 3. notatione 3. & bene : haud enim ea loquutio est in vsu ; haud etiam apta, propterea quod vitalis cognitionis nulla fiat intellectus ad se reuersio, sed potius in functiones alterius rectà pergat.

27 Quæres tertiò : an quando cognitio aliqua semetipsam cognoscit, aut distinctè & clarè, aut obscurè, & in confuso cum aliis obiectis, appellanda sit eo ipso reflexa ? Sotus loco nuper citato negat, in hæc verba : *ille ergo solus conceptus est reflexus, qui obiectiuè suapte natura dependet à præsentia alterius conceptus ; vt sit quodam modo conceptus intuitiuus alterius.* Item Hurt. vbi suprà his verbis : *hæc vox* (scilicet notitia reflexa) *tantum imponitur ad significandam cognitionem de alia cognitione eiusdem potentiæ.* Oppositum tamen verius est : primò, quia intellectus diuinus reflectit in suos actus : at eos per seipsos, & non per alios realiter distinctos cognoscit, quæ est eius infinitas, simplicitas, & perfectio : similiter ergo nostra cognitio, si quando seipsam attingit, erit eo ipso reflexa : quod autem intellectui diuino non sit neganda reflexio, est in aperto : quoniam ea communiter censetur ingens quædam intellectus vt sic perfectio, & iuxta non paucos ei soli concessa : tum etiam quia is loquendi modus de Deo, & P. Hurtado disp. 10. de anima sect 4. §. 41. & Soto, ac cæteris scholasticis est valde familiaris. Secundò suadetur idipsum : quoniam non magis est requisita distinctio ad reflexionem intentionalem, quàm ad motum intentionalem, vt sponte sua patet, & physicis exemplis facilè potest ostendi : at cognitio nostra intentionaliter fertur ac mouetur ad se, quoties se repræsentat, atque cognoscit, vt etiam aduersariis est in confesso : quidni ergo tum sit intentionaliter reflexa ?

CAPVT IV.

Diuisio termini in æquiuocum, & vniuocum.

ÆQuiuoca, à quibus auspicatur Aristoteles, 28
sunt quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ nomini accommodata omnino diuersa, vt canis, qui de sydereo, æquoreo, & latrabili æquiuocè dicitur, propterea quod singulorum rationes specificas, ac diuersas immediatè significet, atque vnà comprehendat. Æquiuoca, alia sunt æquiuocantia, cuiusmodi sunt nomina ; alia æquiuocata, quales sunt res, quæ nominibus subsunt. Rursus æquiuoca alia sunt participantia qualia sunt ea quæ in ratione æquiuoca, & diuersa conueniunt, alia participata, cuiusmodi est ratio illa diuersa, & æquiuoca quæ à pluribus cum disiunctione participatur, veluti obiectum huius actus, canis maritimus, cœlestis, ac latrabilis : æquiuoca item alia sunt à casu seu fortuitu, cum videlicet vnum æquiuocatum independenter ab alio vocem æquiuocam participat, vt cernere est in superius adducta voce, *canis*, quæ ita sydereum significat, ac si ad significandum terrestrem neutiquam esset imposita : alia sunt à consilio, cum scilicet vnum æquiuocatum dependenter ab alio vocem æquiuocam participat, vt videre est in hac voce Philippus, qua secundus, tertius & quartus Hispaniarum Reges appellantur, quartus tamen dependenter à primo, secundo & tertio, atque in eorum memoriam.

Pro definitionis positæ luce, & intelligentia op- 29
pones primo : omnis definitio debet esse vera cum constet genere & differentia, ex quibus totum quoddam metaphysicè, vnum resultat. æquiuocorum autem definitio vna esse nequit : nulla ergo esse potest, adeoque recienda est superiùs posita ; quod eorum definitio vna esse nequeat, videtur perspicuū æquiuoca namque sunt, quorum ratio est omnino diuersa, non ergo vnum, se plura sunt, ac per consequens, nec vna poterunt definitione definiri. Huc accedit, Aristotelem 6. top. cap. 2. docere æquiuoca prius èsse diuidenda, quam definienda quasi diuisionis, non definitionis capacia esse adasserat.

Oppones

30 Oppones secundò Non substantiæ tantum, sed etiam accidentia æquiuoca esse possunt: perperam ergo hæc definiuntur, quorum ratio substantiæ est omnino diuersa. Oppones tertiò. Plura sunt æquiuoca, quorum ratio, vel nulla est, vel certè omninò eadem: perperam ergo definiuntur, ea quorum ratio est omnino diuersa: consequentia liquet: antecedens probatur, quoniã ratio in definitione æquiuocorum sicut etiam vniuocorum idem pollet ac definitio, teste Aristotele 4. metaph. text. 28. *ratio quam significat nomen est definitio*: quod ipsum docet cap. de substant. & alibi sæpe; atque cum eo D. Damascenus capite 8. dialectic. *Vniuoca prædicatio est, quando, & nomen, & definitionem ipsius nominis suscipit: vt animal prædicatur de homine, & suscipit homo, & nomen, & definitionem animalis: animal est substantia, animata, sensibilis, sed & homo suscipit definitionem hanc: & substantia enim est homo, & animata, & sensibilis. Æquiuoca autem prædicatio est, quando nomen quidem suscipit, definitionem autem hominis non suscipit: definitio enim hominis animal, rationale, immortale, intellectuum, & disciplinæ susceptibile: imago neque animal est, non enim animata est; neque rationalis, neque intellectus, & disciplinæ susceptibilis.* Consentit etiam Augustinus in categor. cap. 2. paulo à principio: Et quidem sponte sua & per se id patet, nam quærenti rationem rei, cur v. g. Petrus est homo, per definitionem, videlicet animal rationale, respondemus. Tum sic, plura sunt æquiuoca, quorum aut definitio nulla est, aut certè eadem & non diuersa: Petrus siquidem est nomen æquiuocum respectu huius & illius hominis: at nulla est vtriusque definitio, cum indiuidua provt eiusmodi sint indefinita, aut si definitione hominis in communi ea definiri velis, certè eadem & non diuersa erit vtriusque definitio: substantia item, & accidens nomine aliquo æquiuoco significari possunt: magis enim differunt, quam canis marinus, & terrestris, qui tamen vocis æquiuocationem non respuit, nec vniuocationem exposcunt: at illorum generum, cum suprema & generalissima sint, nullum est genus superius, per quod possint definiri, adeoque alter vtrum est definitionis incapax. Ex quibus planè conficitur, haud pauca esse æquiuoca, quorum ratio, aut nulla est, aut certè omnino eadem: quod erat antecedens probandum.

31 Oppones 4. Non solum nomina sunt æquiuoca, verumetiam verba, & aliæ orationis partes, vt cernere datur, in hac dictione, fero, qua quod narratur, & quod portatur æquiuocè explicamus. Oppones 5. Genus omne æquiuocum est teste Aristotele 7. phys. text. 31. vbi sub genere latere æquiuocationes asserit: & tamen nomen genericum est commune, & ratio generica ab omnibus speciebus participata omnino eadem, & non diuersa: sustineri ergo nequit æquiuocorum definitio. Oppones 6. Nomen quatenus tale definitur ab Aristotele lib. 1. de interpr. cap. 2. ac cæteris communiter, *Vox significatiua ad placitum sine tempore, &c.* sed nomen æquiuocum in ordine ad diuersa æquiuocata diuersas sortitur significationes: diuersum igitur nomen est; ac proinde æquiuoca non sunt, quorum nomen est commune omnibus, sed diuersum pro diuersitate eorum quæ appellat. Oppones 7. & vltimo. In mente est æquiuocatio; at in ea neutiquam est nomen, vt ex huius constat definitione, qua vox esse asseritur: ergo maior, quæ sola videtur egere probamento, sic firmatur: idcirco est æquiuocatio in voce, quia hæc plura vt plura significat: sed conceptus etiam mentis plura vt plura significat, & repræsentat.

Ad primum horum Respondeo. Sicut multitudo seu numerus, oppositio, vniuersale, exercitus, domus & alia eiusmodi entia per accidens reuera definiuntur, quantumlibet sint diuersa, vt constabit inferius lib. 9 tract. 2. cap. 3. & tract. 3. cap. 1. ita etiam æquiuoca definiri poterunt: Quæ definitio vnitatem quidem eorum, quorum ratio est diuersa, neutiquam importabit, secus vnitatem ipsius diuersitatis, provt abstrahitur ab hac & illa, atque ita abstracta in totum quoddam metaphysicum coalescit: hæc autem duo optimè cohærent, haud secus atque quod multitudo v. g. in communi sumpta pluralitatem vnitatum exhibeat, non verò ipsius multitudinis, quæ respectu huius & illius, neutiquam est diuersa, sed potius vna & eadem. Atque Aristoteles loco citato, aliud, quam aduersarij putant, intendit, videlicet in æquiuocis prius esse distingui, seu diuidi, aut diuersa esse quam ab intellectu ita cognosci, ac definiri: quod quis abnuat, cum prima intentio secundam omnium consensu anteuertat? 32

Ad secundum Respondeo: ratio nomini accommodata in definitione æquiuocorum non est definitio strictè sumpta sed latè, & provt cum descriptione recurrit: nihil autem esse potest, quod descriptione aliqua explicari, & ab alio quouis secerni non possit, quantumuis supremum aut infimum, genus generalissimum, aut indiuiduum: nec Aristoteles, & Damascenus supra obiecti rationem, & definitionem alio sensu confundunt, quam qui nuper manet insinuatus. Porro definitio, ac ratio per cuius diuersitatem explicuimus æquiuoca, nec est solus conceptus formalis vt Amonius, Simplicius, Damascenus, & Louanienses censent, nec solus obiectiuus, provt formali subest. Quod ita suaderi potest. non est potior ratio, cur subintelligi debeat vnus, quam alius in definitione æquiuocorum: neuter ergo subintelligendus est in ea seorsim, sed vterque iunctim. Vlterius ratio ea ibi subaudita est ea, quæ nomini accommodatur, eove significatur: nomen autem vtramque rationem, scilicet formalem, & obiectiuam significat. 33

Ad tertium Respondeo: substantia bifariam accipitur; primò, provt ab accidenti distinguitur, & ita de ea sermo non est in præsentiarum: secundò, quatenus ab accidenti, & eo cui accidit abstrahitur, & quidditatem, seu essentiam significat; quo intellectu eam 3. met. text. 15. & alibi sæpe Aristoteles vsurpat: atque ita in definitione æquiuocorum accipitur, & in accidentia conuenit. Ad quartum Respondeo: nomen in definitione supradicta sumitur pro quauis orationis parte, seu quatenus est notamen, aut nota eorum, quæ in mente sunt, aut si mauis in rebus, vt Boëtius, & Sotus rectè explicant. Ad quintum Respondeo, æquiuocum duplex esse, scilicet vel physicum, & secundum esse, vel logicum, & secundum rationem, qua ratione etiam vniuocum diuiditur bifariam: Genus ergo est æquiuocum secundum rem & physicum, eo quod reipsa eius oratio sit omnino diuersa: Cæterum est vniuocum secundum rationem, & logicum, propterea quod eius ratio, quatenus per intellectum abstracta ab inferiorum discriminibus, omnino sit vna, & eadem, quod & non aliud Aristoteles voluit: porrò autem sola æquiuoca logica, & penes rationem definiuntur in præsenti. 34

Ad sextum Respondeo primò, nomen pro solo dearticulato sono, circumscripta significatione, sumi potest, ac solet, vt expressè docet magnus Albertus hic tract. 1. cap. 2. Quare, cum omnia æquiuoca eadem voce de articulata denotentur, vnum, & idem 35

erit omnium nomen, quantum illudcumque diuersas significationes sibi vendicet. Deinde respondeo: tametsi nomen sonum dearticulatū in recto,& velut subiectū,& in obliquo significationē importet,quod immerito Albertus vbi supra negauit (id sufficiet vt æquiuocorum idem & commune nomen sit; Quemadmodum enim idem subiectum triplici candore affectum dici solet multoties vnum album teste B. Thoma 1 part quæst. 39. art. 3.& 3.part. quæst. 3. art. 7. ita vna eademque vox, qualis est æquiuoca, diuersis significationibus moraliter informata vnum idemque nomen est censenda,quantumuis ratio nominis,tam ipsam vocem,quam eius significationem cohibeat.

36 Septimum ac postremum argumentum postulat, vt, quod inter dialecticos multis in locis disputari consueuit, hic breuiter expediamus, an scilicet in mente reperiatur æquiuocatio: quæstio quidem leuis momenti, & cuius vtraque pars problematicè defendi potest: atque inprimis partem eius negatiuam facilè tueri possumus: tum quia in mente nullæ sunt voces:ergo nulla æquiuocatio,quæ voces formaliter importat: tum etiam, quia in mente diuina nulla est æquiuocatio: Deum enim æquiuocare abonum est, & imperfectionem redolet, iuxta communem loquendi vsum: & tamen est in Deo conceptus, qui cum vnus sit,plura vt plura repræsentet: ergo esto in mente nostra vsu veniat, adhuc æquiuocatione carebit: tum demum, quia ad æquiuocationem opus est, vt nomen æquiuocum plura seorsim,& alterum in sensu diuiso alterius significare possit actu secundo: quod certè in voce reperiri potest, cuius significatio talis actu secundo ei est extrinseca & accidentalis: quocirca eam mutare, & modo in huius, modo in alterius notitiam actu ducere valet, vt in his propositionibus canis latrat, canis lucet, non raro contingit: cæterum conceptus mentis nunc vnum, nunc aliud actu secundo significare, ac repræsentare nequit, eo quod repræsentatio ei sit essentialis: proinde conceptus mentis nullam admittit æquiuocationem. Ex his liquet ad rationem diuersæ partis in argumento septimo superiùs insinuatam.

37 Affirmatiua etiam quæstionis pars haud est minus probabilis: atque contra non paucos Thomistas suaderi potest, in hunc modum: eo ipso quod vnus realiter conceptus plura vt plura repræsentet, is æquiuocus censeri potest,ac debet:at eiusmodi conceptus in mente reperitur: ergo & æquiuocatio. Minor fusè ostendetur in metaphysica lib.6. tract. 4.cap. 3. 5.6.& 7. Maior autem hic absque negotio probatur: siquidem ij conceptus nomen commune dici potest, & aliunde ratio repræsentata,& significata per illam est, vt supponimus,omninò diuersa ac multiplex:cur ergo æquiuocus esse nequeat? antecedens videtur perspicuum:namque verbum non pro exteriori tantum orationis parte, sed etiam pro quouis conceptu expresso mentis à plerisque Theologis, & Philosophis vsurpatur:similiter ergò nomen vsurpari poterit pro quocunque mentis nostræ conceptu.

38 Quod autem est à nobis contrà oppositum inter negatiuam quæstionis partem tuendam haud est operosum diluere. Præterquam enim, quod voces paulo latius sumptæ significare possint omne verbum, siue interius,siue exterius; sicut ad mentalem æquiuocationem sufficit: aliud equidem est, æquiuoca deriuari à vocibus, aliud eas essentialiter includere,nec sine illis vspiam posse consistere:quemadmodum aliud est lapidem dici, ac duci à lædendo pede, aliud quod in læsione pedis sita sit illius essentia: quæ cum sint, quid est quapropter in mente quantumuis vocum experti, locum tamen æquiuocatio non habeat? Rursus æquiuocari perinde multoties est atque hallucinari, ac diuersis significationibus alicuius vocis ludificari,atque in errorem adduci: quo sensu Deum summe sapientem, & suapte natura omniscium non æquiuocari certum est, sed potius eum qui tale quidpiam Deo auderet affingere: cæterum æquiuocari frequenter quoque significat haud aliud, quam conceptum mentis æquiuocum, ac pluribus diuersisque rebus ex æquo repræsentandis intentum: quo intellectu Deum æquiuocari quid habet incommodi? Tandem, quod nomen æquiuocum mutabilem habere debeat significationem, & modo huius obiecti actu secundo, modo alterius solius; hoc tametsi probabile sit, negari tamen potest satis probabiliter.

Alij aduersus mentalem æquiuocationem obiiciunt,Nomen æquiuocum oportere supponere, modo pro vno,modo alio tantum,solas autem voces variare posse suppositionem, secus vero conceptus mentis. Parum tamen habet momenti hæc ratio: nam in hac propositione, *homo currit*, non minus conceptus hominis omnes confusè repræsentat, quam vox hominis, eos significat:at vox quantumuis eos indiscriminatim significet, modo tamen pro vno, modo pro alio supponit,videlicet pro Petro, si is currat,& pro Paulo, si is sit, qui cursum exercet: conceptus ergo mentis omnes homines nullo eorum facto discrimine repræsentans, nihilominus poterit iam pro vno, iam pro alio supponere, adeoque perperam hæc suppositionum varietas & alternatio tribuitur solis vocibus: quo autem sensu variato obiecto varietur suppositio, tum vocum,tum etiam conceptuum, constabit inferius lib. 10.inter disceptandam quæstionem illam,an veritas,& falsitas sint essentiales propositioni. 39

Alij æquiuocationem mentalem reiiciunt, propterea quod nomen æquiuocum, modò de vno æquiuocato,modo de alio prædicari debeat,aut certe posset in hūc modū, quod latrat est canis,quod lucet est canis:at cōceptus mētis plura vt plura repræsentans non potest,iam prędicari vt quo de vno æquiuocato, iam de alio; aliàs plura vt plura de quouis æquiuocato vt quod prædicari possent,quod falsum est, vt quod maximè. Verum inprimis conditio, quam ad æquiuocationem exposcit argumentum dici non potest ex definitione æquiuocorum: quamobrem estoin conceptibus similiter atque in vocibus locum non habeat, atque hoc ex abundanti permittatur aduersariis, non ob id æquiuocatio omnis est à conceptibus eiicienda, aut solarum vocum propria existimanda. Deinde admissa ea conditione, conceptus mentis plura vt plura disiunctiue repræsentans, modo de vno,modo de alio prædicari potest vt quo, sicut & res disiunctiuè repræsentata modò de vno, modò de alio prædicari potestvt quod:hic igiturconceptus erit æquiuocus. 40

Dices, omnem disiunctionem æquiuocationi obesse: aliàs hic terminus disiunctiuus, *homo*, vel *equus* esset quid æquiuocum respectu hominis & equi, quorum tamen comparatione nullam habet vocem æquiuocam latinum idioma. Contra tamen primo, quoniam idcirco *homo* vel *equus* in æquiuocis numerari nequit, quia non est vnum nomen commune,sicut æquiuocorum definitio postulat, sed plura nomina communia: at conceptus disiunctiuus est vnus & indiuisibilis,eius enim disiunctio,& cum pluralitate coniuncta diuersitas non supra ipsum, sed supra rem significatam appellat. Confirmatur, si 41

ad

ad ſignificandum diſiunctiuè hominem, & equum vna quædam vox deſt naretur ab hominibus, ea quidem eſſet æquiuoca futura: vnius ergo & indiuiſibilis conceptus diſiunctio eum æquiuocum eſſe permittet; antecedens eſt perſpicuum; tum quia eſſet *nomen commune, & ratio ſignificata omnino diuerſa*, quo tantum pacto definiuntur ab omnibus æquiuoca, tum quia non eſſet vox vniuoca, aut analoga, haud enim ratio ei reſpondens eſſet omnino eadem, haud etiam partim eadem, partim diuerſa: eiuſmodi ergo vox eſſet æquiuoca. Quid? quod terminum illum complexum, ac diſiunctiuum, ſcilicet homo, vel equus, aliumq; quouis ſimilè æquiuocũ dici, nihil habeat incõmodi. Hactenus de quæſtiuncula propoſita, iuxtà cuius primam ſolutionem reſponderi debet ad ſeptimum argumentum negata maiori, & iuxtà ſecundam conceſſa maiori, & negata eius minori: probationes autem maioris ſuperius ſunt dilutæ: minoris autem probatio colligi etiam poteſt ex dictis: nomen enim, quod eſt de ratione ac definitione æquiuocorum, vel importat ſolam notam alicuius rei internam externamve, vel ſi vocem non certe niſi latius ſumptam, & provt ea verbum mentis oriſque comprehendit: vtrolibet autem modo nomen, ac proindè æquiuocatio in mente noſtra, & quauis alia ſibi locum aſſerit.

42 Vniuoca, vt ea tandem aggrediar, *ſunt quorum nomen eſt commune, & ratio nomini accommodata omnino eadem*, veluti homo, qui vna voce, vnoque conceptu obiectiuo totum genus humanum repræſentat. Cui definitioni communes ſunt difficultates ferme omnes ſuperioris: quocirca earum multiplex ſolutio à nobis hactenus adhibita æquam vtrique lucem, & confirmationem affert. Vniuoca alia ſunt vniuocantia, alia vniuocata; rurſus alia participantia, alia participata: quæ etiam diuiſio ex æquiuocorum diuiſione ſatis eſt perſpicua.

CAPVT V.

Diuiſio termini in analogum, & denominatiuum.

43 *Analoga ſunt, quorum nomen eſt commune, ratio verò ſubſtantiæ nomini accommodata partim eadem, partim diuerſa*: Cuius omnes particulæ ex cap. ſuperiori conſtant dempta vltima, quam variè varij explicant. eſto eam cum D. Thom. 1. p. q. 13. art. 5. & Scoto in 1. diſtinct. 3. quæſt. 1. & 3. omnes admittant.

44 Eam ergo identitatem cum diuerſitate coniunctam analogorum propriam primo explicant nonnulli, vt diuerſitas ſit eo tenus, quod in recto importatur, & identitas ſit in eo, quod de obliquo connotatur: qua ratione ſanum analogicè ſignificat cauſam efficientem ſanitatis, nimirum medicinam, & ſubiectum, ac ſignum ſanitatis, videlicet hominem ſanum & colorem ſanum, quia cauſa efficiens, ſubiectum, & ſignum ſanitatis, quatenus talia, ſunt diuerſa, ſanitas autem ad quam referuntur, ſeu quam de obliquo connotant eſt omnino eadem.

45 Dices: aduerſus hanc ſententiam, quam veriſſimam arbitror: canis æquoreus, & latrabilis in recto duplicem rationem important, alteram eandem, & vtrique communem, videlicet animal, alteram diuerſam & vtrique non communem, ſcilicet duplicem differentiam animalis: & tamen ratio ſignificata per nomen canis non eſt partim eadem, partim diuerſa, ſicut ad analogiam oportet: ergo à fortiori, vt aiunt, identitas conceptus obliqui, & diuerſitas recti, erit ad analogiam inſufficiens prorſus. Deinde ſecundò canis æquoreus, & latrabilis eadem connotata ſentiendi de obliquo reſpiciunt, & tamen non ſunt analogata, nec reſpectu eorum nomen analogum canis, ſed æquiuocum potius: haud igitur ad analogiam identitas alicuius connotati cum diuerſitate recti ſufficiet. Prætereà tertio, quid eſt illud vnum & cõmune cõnotatum, quod ex obliquo riſus hominis & prati reſpiciunt; certè nullum; quamuis igitur ſuperior ſententia locum habeat in analogis attributionis, ſecus tamen in eis, quæ vocantur proportionis, ſeu proportionalitatis.

Reſpondeo tamen ad primum, & ſecundum, identitatem diuerſitate mixtam analogorum propriam talem eſſe debere, quæ reſpectu nominis analogi per ſe, vt aiunt, & non per accidens ſe gerat, ita vt in impoſitione nominis ad illam attendatur: ideò enim color v. g. dicitur ſanus, quia ſignificat ſanitatem, qua ſubiectum afficitur, ſanus minime appellandus, niſi cum ſubiecto ſanitatis in eodem termino conueniret: quod idem viſere eſt in aliis analogis Identitas autem diuerſitate commixta quæ opponitur in primo & ſecundo argumento contrario, per accidens ad nomen analogum ſe habet, & in eius inſtitutione ad illam neutiquam attenditur: tametſi enim canis æquoreus cum latrabili in ratione animalis conueniat, tamen non ideo canis appellatur, quia ita cum eo conuenit; quinimo ſi per impoſſibile ea conuenientia careret, caniſque latrabilis animal non eſſet, adhuc canis æquoreus canis appellationem retineret, haud ſecus atque canis ſydereus canis appellatur, abſque eo quod in ratione animalis congruat cum latrabili. Ratio à priori eſt, quia vox canis triplicis ſpeciei, quamuis ſeorſim ab alia & independenter ab alia ſignificat, cum tamen in nominibus analogis contrarium vſueniat. Tertium, quod nobis obiicitur friuolum eſt: doctrina namque, quam impetit, haud eſt ad analogiam requiri vnitatem alicuius effectus, ſeu quaſi effectus, quem diuerſa analogata reſpiciant, ſed penes aliquid in obliquo importatum ea non differre, ſed potius conuenire, quocunque id modo accidat. Ecquis autem non videat, riſum hominis, & riſum prati, quantumuis more triplicis ſani vnum quendam terminum à ſe diſtinctum minime intueantur, penes obliquum tamen aliquod conſentire? riſus enim prati dicitur eius viriditas quodammodo ſimilis riſui humano: hoc autem connotatum, per quod explicari ſolet riſus prati, commune eſt vtrique analogato: minus principali quidem, propterea quod ab illo importetur in obliquo, & magis principali, quia cum eo realiter identificatur, tametſi alterum ſit in recto, & alterum in obliquo, vt dictum. 46

Alij ſecundo, & ſatis probabiliter eam diuerſitatem cũ identitate coniunctam in eo collocant, quod nomini analogo ex primæua inſtitutione duplex conceptus reſpondeat, qui ex obiecto ſignificato ſit partim idem, partim diuerſus: quando enim homo ridere dicitur, ſolius hominis concipitur riſus: cum vero pratum ridere, tum riſus hominis, nec non etiam prati ſimul concipiuntur; perinde enim eſt dicere, pratum ridet, ac pratum ad modum hominis ridentis viret: at duplex ille conceptus huic voci riſus reſpondens, ex obiecto ſignificato eſt partim idem, partim diuerſus, eo quod alter obiectum alterius, & aliud repræſentet; ac proinde ab eo ex obiecto inadæquatè diſtinguatur, quæ enim inadequatè ſunt diſtincta, hæc ſunt partim eadem, 47

partim diuersa. Hæc explicatio locum habet, non tantum quando analogia est proportionis, cuiusmodi est ea, quæ interuenit inter visum hominis, & prati, sed etiam vbi est attributionis: sanum enim, cum de homine dicitur, haud alium conceptum elicit, aut supponit, quam quo repræsentatur hominis sanitas inhærere: cum verò de cæteris analogatis dicitur, ei respondet conceptus repræsentans tum illud prius, tum etiam aliquid amplius: perinde siquidem est, medicinam dici sanam, atque causare sanitatem in homine, ac facere vt ei inhæreat: perinde etiam est, colorem dici sanum, atque hominis sanitatem significare. Porro autem huic sententiæ perspicue fauet B. Thomas 1.p.q. 13. art. 10. vbi hanc vocem, *Deus*, de Deo vero & falso analogice dici ob rationem proxime traditam docet; *manifestum est*, inquiens, *quod alia & alia est significatio nominis, sed vna illarum significationum clauditur in significationibus aliis: vnde manifestum est quod analogicè dicitur*. Cæterum animaduertendum est, vt sustineri possit hæc analogiæ expositio, identitatem ac diuersitatem vtriusque conceptus modò explicatam, eam esse debere, quæ respectu nominis analogici ex primæua eius institutione per se & non per accidens se habeat; aliàs canis erit vox analoga, intuitu latrabilis, & æquorei? siquidem duplex conceptus ei respondens est partim idem partim diuersus: idem, quatenus vterque fertur in animal; diuersus, quatenus in differentias animalis vtrique eam proprias contendit.

48 Tertia huius identitatis cum diuersitate coniunctæ explicatio, eaque satis verisimilis adiici potest; quæ sic habet. Ratio nomini analogo accommodata bifariam accipi potest, specificatiue nimirum, & reduplicatiue; atque in primo sensu est diuersa, in secundo verò eadem; quare est partim eadem, partim diuersa. Quod in primo sensu sit diuersa, perspicuum est: nã & lętitia humana, & lętitia prati huic voci, *risus*, accõmodatæ admodũ sunt diuesæ: quod vero in secũdo sensu sit eadẽ, constat: quia ratio nomini accõmodata reduplicatiuè sumpta est ipsa accommodatio, & impositio nominis: (nam perinde est rationem nomini accommodari, ac nomen rationi imponi) accommodatio autem & impositio huius vocis, *risus*, est vna, & eadem, non diuersa, & multiplex, cum ex impositione hominum solam lætitiam humanam significet, & ad lætitiam prati significandam vsu tantum, & consuetudine sit translata. Confirmatur, & illustratur: ratio accommodata huic voci, *animal*, & est obiectiuè vna eademque, vt perspicuum, & ipsa accommodatio etiam est eadem, cum in illa ratione vna, & abstracta non sit aliud, & aliud, in quod diuersa illa accommodatio, & impositio recidat: quamobrem eiusmodi ratio omninò eadem erit, & tam specificatiuè, quam reduplicatiuè. Ratio autem accommodata huic voci, *canis*, est diuersa, & obiectiuè multiplex, vt certo certius, & ipsa accommodatio, & impositio est etiam diuersa, cum cani sydereo independenter ab æquoreo, & è contrario ea sit vox imposita, & accommodata: quapropter ratio substantiæ per eiusmodi nomen repræsentata, eiue accommodata erit prorsus eadem, ac tum in sensu specificatiuo, tum etiam in eo qui reduplicatiuus dici consueuit. Cæterùm ratio huic voci, *risus*, accommodata est diuersa, & obiectiuè multiplex, & accommodatio, seu impositio est eadem eò quod eiusmodi vocula vni tantum imposita sit, ad alterum verò translata; nomen ergò analogum mediat inter æquiuocum & vniuocũ, & alterius identitatem, alterius diuersitatem participat.

Quarto, idem explicari potest, ac dici, rationem analogam esse diuersam, eo quod obiectiuè multiplex sit, in quo cum ratione æquiuoca conuenit, & esse eandem, eo quod similis & proportionalis sit: similitudo enim, ac proportio teste Arist. 5. metaph. & alibi sæpè vnitas quædam, & identitas est. Exemplo rem declaro: Risus hominis, & risus prati obiectiuè diuersi sunt, cum alter propriè, alter impropriè tales sint, qua maior excogitari nequit me iudice diuersitas: similes autem, & proportionales sunt, quoniam, sicut se habet risus hominis ad hominem, ita se habet vitor, seu risus prati ad pratum, & vterque proportionaliter rectam dispositionem intrinsecam exprimit; quamobrem ratio huic voci risus accommodata partim est eadem, partimque diuersa. Par conditio est sani respectu eius, quod causat, eiusque, quod recipit, & eius demum, quod significat sanitatem: cũ enim subiectũ, causa, & signum sanitatis longè diuersa sint, sanũque dicatur impropriè de medicamẽto, & colore sanitatẽ causantibus, & significãtibus, ac proprie de solo eius subiecto, nec mirũ quando sanum est id solum, quod habet sanitatem, sicut album id, quod albedinem habet; tamen quemadmodum se habet subiectum sanitatis eam recipiendo, ita etiam signum, & causa eam significando, aut operando. Quem explicandi modum vocis ethymon confirmat; siquidem analogia Græcis idem significat, quod latinis proportio, & comparatio, ac similitudo, vt notat Cicero lib. de vniuersit. Porro diuersitas analogorum propria iis omnino intrinseca est, & similitudo omnino extrinseca, cum immediatè versetur inter proportiones, & ex eis mediate dimanet in analogata, quæ proportionem proportionum seruant. Nec obstat, quod etiam inter significata nominis æquiuoci reperiatur eiusmodi proportio, & quod, sicut se habet canis latrabilis ad rationem animalis, ita etiam se habeat canis æquoreus ad rationem animalis; nam hæc proportio inter æquiuocata per accidens est, nec in impositione nominis ad eam attenditur: secus vero se gerit ea, quæ visitur inter analogata: proinde ratio nomini analogo accommodata, & vi illius per se significata erit ex parte eadem, non verò ratio nomini æquiuoco subiecta, eiusque vi repræsentata: Quod autem ea proportio inter significata nominis vniuoci reperiatur, analogiam non arguit; eò quod non sit cum diuersitate coniuncta. 49

Denique idem facilius explicari potest, si omnis ratio analoga ab analogatis suis abstrahi possit, vt abstrahi posse ostendemus inferius contra plerosque, aut certe complures authores. Etenim huic voci, ens, ex. g. triplex conceptus obiectus respondet, videlicet ens reale, ens rationis, ens ab vtroque præcisum: & quiuis horum conceptuum est partim idem cum quouis alio, partimque ab eo diuersus: ergo ratio nomini analogo accommodata erit, partim eadem, partim diuersa: minor est in perspicuo: quoniam ratio entis abstracta à reali, & rationis distinguitur ab alterutro inadæquate, sicut animal ab homine, & equo; ac proinde cum vtrouis est partim eadem, partim diuersa: rursus ens reale, & rationis cum conceptu illo abstracto, partim idem, partimque diuersum erit è conuerso: tandem ens reale est diuersum ab ente rationis, & è contrario, & est etiam idem alterutrum cum alio in tertio, quod abstractum, & vtrique conueniens repræsentatur entis vocabulo. Cæterum nomini vniuoco vnus solum conceptus obiectiuus, æquiuoco vero multiplex adæquate distinctus respondet; ac proinde identitas hæc cum diuersitate, & diuersitas 50

sitas cum identitate coniuncta analogorum erit propria, & æquiuocis, ac vniuocis neutiquam communis. Corroboratur, & illustratur amplius: significata vocis analogæ, partim eodem conceptu formali, partim diuersis repræsentantur; eodem conceptu, cum vnum à cæteris duobus abstrahitur; diuerso, cum alterum, prout distinctum ab altero concipitur: ergo ratio nomini analogo accommodata est, partim eadem, partim diuersa. Atqui significata nominis vniuoci vno, eodemque conceptu formali, & eius, quod est æquiuocum multiplici, & omnino diuerso repræsentatur.

51 Analoga, in analogata, & analogantia, participata, & participantia dissecari possunt, vt ex dictis superius liquet. Secundo, & communiter in analoga attributionis, & proportionis. Analogia attributionis est, qua plura eidem nomini accommodata ad terminum obiectiuè vnum referuntur, siue attribuuntur, qua ratione homo sanus, medicina sana, & color sanus dicit consueuit, facta scilicet relatione, & habito respectu ad eandem sanitatem, quam homo suscipit, medicina efficit, & color indicat. Analogia proportionis est, qua nomen significat proportionaliter plura, non vero attributa, & relata ad eundem terminum, vt risus respectu risus humani, & pratorum, qui sane ad eundem terminum strictè non referuntur: si enim ad aliquem maximè ad risum hominis: at risus pratorum ad hunc non refertur verè, & propriè, sed impropriè, & proportionaliter, nec etiam risus humanus verè ad eum refertur, cum nihil possit verè ad seipsum referri. Quamuis autem proportio iuxta vim Græci nominis superius à nobis insinuatam ex Cicerone, cui etiam consentit Fabius lib. 1. institut. cap. 6. August. in categoriis cap. 2. S.Thomas 1.p.q.13. art.5. & qu. 2. de verit. art.11. communis sit omni analogiæ: cæterum egestas nominum fecit, vt ad secundam analogiæ speciem significandam, & à priori distinguendam applicaretur: Atque vita latinis est in vsu.

52 Aduersus definitionem analogorum objicies, ea non distingui ab æquiuocis, at eam distinctionem illorum definitio, & identitas cum diuersitate coniuncta à nobis multifariam explicata intendit: perperam ergo sunt definita. Quod ab æquiuocis non distinguantur, suadebis: tum, quia Aristoteles hic adduxit in exemplum æquiuocorum animal respectu veri, & effigiati; quod tamen esse analogum comparatione eorum est certo certius; tum, quia 1. elenchorum cap. 6. docet, ens esse æquiuocum: at eius æquiuocatio alia esse nequit, nisi quædam eius analogia: tum tertiò, quia in præsenti nullam facit mentionem analogorum, ac tantum de vniuocis, & æquiuocis quæstionem instituit, quod argumento esse potest eum sub æquiuocis analoga fuisse complexum; atque hæc ad illa reuocasse.

53 Hæc propter analoga ab æquiuocis distincta negant quidam recentiores, quibus fauet Auicenna apud Auerroem eo libro, qui inscribitur destructio destructionum disp. 7. dub. 5. Sed immerito, quæ enim hoc capite, quæ præcedenti disputata à nobis, ea latum inter vtraque discrimen conuincunt; dummodo proprie, & stricte vsurpentur æquiuoca, provt videlicet perinde sunt, atque ea, quorum ratio est omnino diuersa: Sin autem sumantur impropriè, ac provt sunt, quorum ratio est diuersa, siue sit ex parte eadem, siue secus; ita quidem ea comprehendere analoga haud est dubitandum. Hoc autem sensu dixit Aristoteles animal esse æquiuocum intuitu veri & picti, hoc docuit ens esse æquiuocum comparatione substantiæ, & accidentis; hoc analoga sub æquiuocis comprehendit, & vna eademque opera vtraque explicuit. Atque totam hanc solutionem breui perstrinxit D.Thomas 1.p.q.13. art.10. ad 4. *animal de animali vero, & de picto non dicitur purè æquiuocè. Sed philosophus* (asserens æquiuocationem animalis respectu vtriusque) *largo modo accipit æquiuoca, secundum quod includant in se analoga; quia & ens, quod analogicè dicitur, aliquando dicitur æquiuoce prædicari de diuersis prædicamentis.*

Obiicies secundo cum aliis aduersus definitionem analogorum, vtvt analoga sub æquiuocis non comprehendantur saltem è conuerso æquiuoca aliqua comprehendi oportere sub analogis, atque ab his indistincta esse debere: hoc autem posterius non minus absurdum videtur, quam illud prius: Quod tamen sequatur, hac ratione probabis: æquiuoca, alia sunt à casu, & fortuitu, alia à consilio, vt superius visum, vtque docent Simplicius, Boëtius & Amonius in præsenti, Auerroës in epitome log. cap. 2. Porphyrius interrog. 16. Conimbr. in prædicam. q. 1. a. 1. Auersa q. 15. log. sect. 1. Titelm. l. 2. c. 3. August. in categor. cap. 2. & Arist. ipse 1. ethicorum cap. 6. at æquiuoca à consilio non possunt non esse analoga: hæc enim ita instituta sunt, vt vnum eorum prius, & independenter ab alio nomen participet, aliud vero posterius, & dependenter à priori, ac propter proportionem cum illo, aut quandam ad illud attributionem: risus siquidem hominis talis dicitur ex primæua vocis institutione, pratum verò non dicitur ridere, nisi facta translatione vocis, & ob proportionem cum risu humano: homo similiter sanus appellatur primariò, medicus verò, & color secundario, & vi cuiusdam attributionis ad sanitatem hominis, vt suprà declaratum est semel atque iterum. At hoc modo se habent æquiuoca à consilio v. g. Philippus primus Hispaniarum Rex ita dictus est primò & per se ac sine ordine ad alium priorem eius nominis: Cæteri vero sequentes propter similitudinem cum priori, aut per attributionem ad illum, atque vt significent eum, eiusque memoriam conseruent: huiusmodi ergo æquiuoca sunt analoga. Rursus, nullum nomen videtur magis æquiuocum quam canis, cuius propterea exemplo cum cæteris omnibus dialecticis ad æquiuocationem explanandam supra sumus vsi: sed nomen canis est analogum: sicut enim propter similitudinem quandam, & proportionem quam habet viriditas prati cum risu ac lætitia hominis, ei nomen risus est impositum, adeoque illud analogice participat, ita etiam videtur nomen canis de sydereo, & latrabili analogice dici quandoquidem est impositum syderi vi cuiusdam similitudinis cum cane latrabili, & quia instar illius mordet corpora nimio calore, eaque morbis afflictat; nec non fortè quoniam illius celeritatem, cursumque per inane volans imitatur quodam modo. Ad quæ alludit Manilius lib. 1. Astronom. c. 4.

54

Subsequitur rapido contenta canicula cursu,
Qua nullum terris violentius aduenit astrum.

Et inferius eodem lib. cap. 7. de istomet sydere, ac Zodiaco circulo per illud, aliáque gradiente ac in semetipsum reuertente

Perque pedes primos cernicem transit, & vrsæ,
Quam septem stellæ primam iam sole remoto
Producunt, nigræ præbentem lumina nocti,
Et Geminis Cancrum dirimit stringitque flagrantem
Ore canem.

Cæterum longè verius, ac probabilius est, æquiuoca

55

uoca omnia propriè sumpta nihil cum analogis habere commercij, & ab eis haud paruo interstitio dissita esse. Ad primam rationem contrariam dicendum est, æquiuoca à consilio esse impropriè æquiuoca; quamobrem non esse absurdum, si sint analoga hæc enim à solis æquiuocis strictè sumptis distincta volumus. Secundo dici potest, satis verisimilem esse sententiam eorum, qui apud Auersam supra qu. 15. log. s. 1. docent, ne æquiuoca à consilio confundenda esse cum analogis, propterea quod hæc fundamentū habeant in habitudine aliqua rerum ipsarum, earumque proportione, aut attributione, illa verò in affectu aliquo imponentis, veluti cum quis filium suum vocat Ioannem, aut quia ita vult Baptistam Christi honorari, colíque, aut quia desiderat ita memoriam suam ad posteros transmittere.

56 Ad secundam rationem oppositam dicendum est, nomen canis duplicem habere significationem, alteram poëticam, & vulgarem, à syderis, animalisque latrabilis proportione ac similitudine deriuatam: Poëtæ enim, & cum eis vulgus delectatur valde metaphoris, translatisque verbis: aliam philosophicam, quam tum animal latrabile, tum etiam sydus sine vlla altrinsecus dependentia significat: Philosophi siquidem, cum agnoscant quantum sit perfectionis in eo sydere, quanta, & quam latè diffusa vis operandi, haud curant de proportione, quam habet cum cane latrabili, ac proinde nullo illius respectu habito ita sydus nomine canis exprimunt, ac si nullum esset animal latrabile, nullave supradicti syderis cum eo proportio. Aliter, & fortasse magis ex vero, responderi potest, proportionem illam syderis, vnde dicti dies caniculares cum cane latrabili occasionē præbuisse, vt vocetur vulgo canis: cæterum nomine canis, haudquaquam eam significari, sed solam formā essentialem eius syderis provt distinguitur à cane latrabili, habetque sua prædicata quidditatiua ab illius independentia, & dissimilia prorsus. At ex aduerso proportio illa, quam habet viriditas prati cum risu humano, significatur immediatè, ac per se hac voce, *risus*, quoties pratum dicitur ridere; necnon etiā attributio illa medici, & coloris ad sanitatem hominis vocabulo sani, cum medicus, & color appellatur sanus: ex quibus fit, rationem substantiæ significatam nomine risus, ac sani esse partim eandem, partim diuersam. sicut ad analogiam oportet, secus verò rationem significatā nomine canis. Atque hinc etiam emergit alia ratio, quapropter æquiuoca à consilio nō sint propriè loquendo analoga, vti superius statutū est, velut non minus probabile quā eius contrarium: licet enim respectus vnius analogati à consilio ad aliud occasionem præbuerit, vt vnum vulgo sortiatur nomen alterius, vtque vnus homo v. g. vocetur Philippus, sicut alius se prior: cæterum respectus ille haud significatur nomine analogovtrique communi, nec perinde est Philippus, qui nunc sceptrum tenet Hispaniarum, atque Rex, seu Monarcha conseruans memoriam aliorum eiusdem nominis, quamuis reuera eam ita conseruet: at perinde est risus prati ac eius viriditas, provt habens proportionem cum risu humano: & sanum medici & coloris iuxta est cum signo, aut causa sanitatis.

57 Confirmatur & declaratur superior doctrina. De ratione, & genio nominis analogi est, vt de vno analogato dicatur propriè, & de alio impropriè, vtve forma per illud significata vni insit propriè & intrinsecè, & alteri impropriè, & extrinsecè. Ita quod attinet ad analogiam proportionis omnes: quoad eam verò quæ dicitur attributionis, Fonseca, Tolet. Masius, Iacob. Pauesius, Auersa, & alij complures. Quin etiam B. Thomas 1. p. q. 16. art. 6. ita de vtraque analogia indiscriminatim sentit, & vtramque complectitur his verbis: *quando aliquid dicitur analogicè de multis, illud inuenitur secundum propriam rationem in vno eorum tantum, à quo alia denominantur.* Tum sic canis cælestis est propriè canis, non minus, quam terrestris: cedò enim aliud eius proprium nomen? cum tamen risus prati haud sit propriè risus, sed viror: & sanitas coloris ac medici, haud sit propriè talis sed sola attributio ad sanitatem veram, & humanam: magis ergo est, vt nomen canis sit æquiuocum, quam analogum. Si quis tamen contrarium verius esse contendat, idque ei largiamur vltrò; nihil equidem exinde sequetur aduersus dicta: nec enim propterea timendum est, ne desint alia nomina strictè æquiuoca, & ab analogis distincta, eiusmodi est gallus respectu galli gallinacei, & Galliarū accolæ: & similia non pauca. Atque hæc de analogis.

58 Porrò denominatiua sunt, *quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu.* Contrà quam definitionem Aristotelicam, & communem obiici solet. Album est denominatiuum ab albedine sed ei non conuenit præfata definitio: ergo, &c. Minorem probant nonnulli primò: album ab albedine solo casu non differt, sicut album ab albo, in ablatiuo casu sumpto, diffidet; cum significet formam, & subiectum, quæ tamen non significantur per albedinem. Secundò alij: album, & albedo sunt in nominandi casu: ergo casu non differunt. Tertiò alij: album pro formali sumptum est albedo: ergo ab ea formaliter sumptum ne casu discriminatur. Quartò quidam alij, eandem probant minorem: album & albedo, si differrent casu, maximè, quia in eandem syllabam caderent, ac desinerent: at hæc ratio nulla est: aliàs musica adiectiuè sumpta, ac supponens pro fœmina eius artis perita, ab ipsamet arte substantiuè sumpta neutiquam foret denominatiuum.

59 Rursus obiici conuenit aduersus eam definitionem illam nec conuenire denominatiuo reali, nec nominali, seu, quod perinde, nec rei concretæ, nec nomini concreto, aut si mauis, nec denominatiuo denominato, nec denominatiuo denominanti: nulli ergo definitio conuenit. Consequentia est perspicua. Probatur antecedens quoad primam partem: denominatiua realia, seu res concretæ casus non habent: ergo casu non differunt, ac per consequens nec solo casu, provt definitio exposcit. Quoad secundam partem probatur idem antecedens: *fortis* est denominatiuum à fortitudine: & tamen illud nomen, *fortis*, non deriuatur, nec appellationem habet à fortitudine, sed è conuerso fortitudo à datiuo, *forti*, aliqua ei adiectione facta. Insuper Aristoteles eodem tenore definit denominatiua, atque vniuoca, & æquiuoca: sed definitum in definitione vniuocorum,, & æquiuocorum sunt non nomina, sed res in recto, provt nomina connotāt, vt sponte sua perspicuum: similiter ergo de denominatiuis philosophandum. Prætereà nomen nō appellatur, aut, quod instar est, nullam habet appellationē, sed sola res: ergo nomini concreto, seu denominatiuo denominanti ea definitio non conuenit.

60 Cæterùm hæc argumenta non vrgent admodum. Ad primum eorum respondeo, sermonem non esse Aristoteli de casu grammatico, de quo tamen prior obiectio tota procedit, sed de casu dialectico, quo forma aliqua super aliud cadit, illudque afficit, & ei quasi adiacet: qua ratione album proculdubio ab albedine casu diffidet: quoniam album importat albedinem subiecto inhærentem, illudque afficientem; albedo autem ab inhærentia præscindit: quocirca huiusmodi accidens ab omni subiecto etiam accidentario

dentario veluti liberatum, & nec materiæ, nec etiam quantitati inexistens, neutiquam esset album, esset tamen albedo, vt certo certius.

61 Ad secundum respondeo, denominatiua realia, seu res concretas impræsentiarum definiri (vt contrà non paucos Nominalium persuadet secunda pars secundæ obiectionis, ac triplex ratio in ea breuiter insinuata) atqui eiusmodi denominatiua, seu concreta casu Dialectico ab abstractis differre. Deinde, tametsi de casu grammatico sermo esset, adhuc denominatiua realia tali casu differre possent ab abstractis: sicut enim vnum ab alio solo nomine differre dicitur; ensis v. g. à gladio: non quod nomine constet, nomenvè sit, cum non sit oratio, nec orationis pars, sed, quod nomine significetur: ita pariter denominatiua realia, seu res concretæ ab abstractis differre poterunt, solo casu: non quo constent, sed quo significentur. Sed de abstractis, & concretis (à quibus denominatiua vix differre arbitramur) plura tract. sequenti.

TRACTATVS III.

De aliis speciebus veritatis simplicis siue termini.

CAPVT I.

Terminus in communi vlterius quintupliciter dissecatur.

1 IN primis autem dissecari solet in concretum, & abstractum. Concretus est qui rem instar compositi significat: veluti homo, albus, nullus: qui termini exprimunt totum quoddam ex humanitate, & subsistentia, ex subiecto & albedine, ex nullitate, & re quæ nulla asseritur: abstractus est, qui rem instar partis significat: veluti humanitas, albedo, & nullitas; qui termini partem quandam hominis, albi, nullius, aut quasi partem significant provt talem. Quæ definitio colludit cum ea, quam tradunt Fonsec. lib. 1. cap. 23. & Cardinal. Toletus lib. 2. cap. 13.

2 Obiiciunt aduersus eam Recentiores: Deus est terminus concretus, sicut Deitas abstractus: nihilominus non significat compositum, propterea quod Deus ob infinitam simplicitatem ac perfectionem suam ab omni compositione sit alienus. Confirmant primo, quoniam corpus simplex, possibile saltem est: at est terminus concretus: hic ergo compositum non significat. Confirmant secundò, humanitas significat essentiam hominis adæquatè sumptam: at ea constat corpore & anima; humanitas igitur significat, rem compositam; cum tamen neutiquam sit terminus concretus, sed abstractus.

Respondeo, Deus ex subsistentia diuina virtualiter intrinsecè componitur. Deinde saltem ratione nostra, seu virtualiter extrinsecè componitur ex duabus formalitatibus, quarum penes alteram cum subsistentia creata, & penes alteram cum natura creata conuenit; hæc autem compositio, cum sit præcisè secundum quid talis, sicut & illa prior, inde est vt neutra in Deo imperfectionem arguat vllam. Demum estò Deus tum virtualiter intrinsecè, tum etiam virtualiter extrinsecè sit indistinctus & simplex? tamen ea vox eum per modum compositi significat: haud secus atque eum concipimus velut corporeum, quin re aut ratione, corporeus sit? Ex quo ad primam confirmationem liquet. Ad secundam ferè eodem modo respondeo: aliud est significare rem compositam, aliud eam significare per modũ compositi: etenim in eodẽ conceptu reperitur interdum ratio partis, & totius, & voce aliqua exprimi potest magis ratio partis, quam totius: proinde ea vox, *humanitas*, est terminus abstractus, non concretus, quialicet compositum ac totum quoddam exprimat, magis tamen in eo rationem partis quam totius exprimit; & ita compositum non per modum compositi, sed partis significat. Sic vox, *rationale*, in homine magis vim discursiuam quam sensitiuam exprimit, quamquam vtramque quodammodo indigitet.

In hac diuisione animaduertendum est, concreta 3
alia esse substantialia, cuiusmodi sunt homo, Angelus; alia accidentalia, vt albus, niger; alia realia, vt quodlibet horum; alia rationis solius, qualia sunt composita ex genere & differentia: alia demum merè vocalia, veluti ens respectu entitatis, res respectu realitatis.

Præterea diuidi solet terminus in connotatiuum, 4
& absolutum: absolutus est, qui significat rem instar per se stantis, vt homo; connotatiuus est, qui eam significat per modum alteri adiacentis, vt albus. Obiicies primo contra vtramque definitionem: homo significat humanitatem suppositò adiacentem, & non per se stantem, & tamen est terminus absolutus, non connotatiuus. Secundo vbicatio, duratio, albedo, & similes notiones significant rem alteri adiacentem, videlicet formam accidentalem, de cuius conceptu est accidere, seu adiacere, nihilominus non sunt termini connotatiui: demum negatio, carentia priuatio, non significant rem, ac proinde nec rem per se stantem, cum tamen termini absoluti censeantur.

Ad primum, & secundum argumentum respondeo: aliud est significare rem alteri adiacentem, 5
aliud rem per modum alteri adiacentis: siue quod iuxta est, longe diuersa sunt, significare rem alteri adiacentem ex parte obiecti, & eam significare ex parte modi: sicut diuersa sunt, cognoscere animal ex parte obiecti, quod fit secundum aliquos per actum respondentem huic voci, rationale, & illud cognoscere ex parte modi, quod neutiquam fit eo actu, vti paulò supra in simili dictum: notiones ergo adductæ in prima, & secunda obiectione priori modo significant, non posteriori, posterior autem significatio est propria termini connotatiui, & ideo eæ notiones ita sunt termini absoluti, vt significationem propriam, & genuinam termini connotatiui minimè sortiantur. Ad tertium argumentum respondeo, non in definitione termini absoluti, & etiam connotatiui latè sumi, qua ratione non entia complectitur.

Ex dictis colligitur primo, omnia nomina sub- 6
stantiua, etiam ea Pater, Dominus, Rex, & similia esse terminos absolutos; in quo ferme solus Fonseca lib 1. cap. 24. dissentit. Constat secundo, omnia nomina adiectiua provt talia esse terminos connotatiuos, id quod est, & ex ethymo vocis, & nostra definitione, & communi consensu perspicuum. Constat tertio contra nonnullos recentiores, adiectiua neutraliter & substatiuè sũpta esse terminos absolutos, siquidẽ à connotatione & adiectione omni absoluta sũt, alias adiectiue sumerẽtur, cõtra quã supponitur.

Constat

7 Constat quartò, terminum absolutum malè definitum à Villalpando lib. 1. cap. 5. eum *qui non sumit denominationem ab alio* : tum quia definitio conceptibus positiuis compingi, si potest debet : tum quia homo est terminus absolutus, cum tamen ab humanitate denominationem sumat. Constat quintò, non melius à Soto cap. 10. lect. 1. terminum absolutum definitum esse, eum *qui præter suum materiale nihil aliud adiacere, vel non adtacere significat* : quia perperam omni termino absoluto materiale attribuit, cum Deus, & Angelus eo careant : cæterum ita ea definitio explicari potest, vt eadem sit cum nostra, & ita solo obscuritatis vitio laborat: Constat sextò, perperam etiam definitum ab Hurtado disp. 1. sum. sect. 9. terminum absolutum, eum *qui se solo est perfectè significatiuus*. Primò, quia omnis terminus est se solo perfectè significatiuus, siquidem se solo significat omne id, ad quod significandum ab hominibus impositum est, quo pacto agens illud perfectè agit, quod producit totum effectum, ad quem producendum ab authore naturæ destinatur : secundò, quoniam ideo albus iuxta ipsum non est perfectè significatiuus, quia eo nomine audito hæret auscultans, nec quiescit, donec an sit Petrus, an Paulus, aut alter comperiat: ast audita hac voce homo idem vsu venit; & audiens, quis sit in particulari, anxius explorat: homo igitur in hoc sensu non est perfectè significatiuus, cum tamen sit terminus absolutus.

Insuper diuidi conuenit terminus in categorematicum, & syncategorematicum; ille est, qui prædicationem se solo in recto claudere potest, vt homo, albus, quorum alteruter in propositione, vel subiectum, vel certè prædicatum directum esse potest: hic est, qui aliter in propositione collocari postulat, vt omnis, nullus, quorum neuter in propositione subiici aut prædicari directè se solo potest; quibus adde vnionem aliasque particulas orationis videlicet aduerbia, coniunctiones, interiectiones, & similia. Hæc definitio vtriusque termini cum vocum ethymo belle colludit; nam categoria, latine prædicatio est, quare terminus syncategorematicus sonat eum, qui simul cum alio extremo directo in prædicatione collocatur, & categorematicus, qui sine alterius adminiculo in prædicatione directè ponitur: Item duplex ea definitio colludit etiam cum duabus à B. Thoma 1. part. quæst. 31. art. 3. traditis *dicitur autem* (inquit ille) *dictio categorematica, quæ absolutè ponit rem significatam circa aliquod suppositum, vt albus circa hominem, cum dicitur homo albus*, & paulò infrà, *dictio verò syncategorematica dicitur, quæ importat ordinem prædicati ad subiectum, sicut hæc dictio omnis, vel nullus*. Ecquid autem est ponere rem significatam circa aliquod suppositum, nisi rem aliquam exprimere, quæ de alia possit se sola prædicari directè, aut quæ se sola possit alteri in propositione directè subiici? ecquid etiam est importare ordinem prædicati ad subiectum, nisi id dumtaxat repræsentare, quod se solo nequeat esse directè prædicatum, aut subiectum propositionis, sed potius modus quidam & ordo vnius ad aliud. Huc etiam recidunt definitiones Soti 1. part. introduct. cap. 8. notab. 1. & fermè Toleti lib. 1. cap. 12. iuxta quos terminus categorematicus est, *qui significat aliquid, vel aliqua*; & syncategorematicus, *qui significat solum aliqualiter*.

8 Obiicies primò, hæc vox *syncategorematicus* est terminus syncategorematicus, vt perspicuum videtur: at se sola propositionem directè claudit, vt cernere est in hac, aliquis terminus est syncategorematicus. Respondeo distincta maiori: est terminus syncategorematicus in actu signato, non verò in actu exercito, sicut hæc vox, signum naturale, in actu signato, est signum naturale, cum tamen in actu exercito sit signum arbitrarium, & quod aiunt, ad placitum. Obiicies secundò ex P. Hurtado disp. 1. sect. 10. omnia nomina substantiua sunt categoremata, & adiectiua syncategoremata: at iuxta nostram definitionem etiam adiectiua sunt categoremata: ergo vitiosa. Maior, quæ sola probationis indiga est, hunc in modum suadetur: syncategorematicus idem est, ac consignificatiuus teste Calepino, Nebrissensi, & aliis: sed consignificare omnibus adiectiuis commune est, nimirum quæ simul cum substantiuis significant, eisque adiacent. Respondeo, omnia nomina adiectiua syncategoremata non sunt: tum quia omnes logici syncategoremata aliter vsurpant, vt ipse, quo cum disputo, fatetur: at in vsu vocum communis consuetudo potissimè spectanda: tum quia syncategorema est consignificatiuum, & categorema se solo significatiuum, vt vltro damus: sed nomina adiectiua per se significatiua sunt dialecticè, & non præcisè simul cum alio, cum in propositione queant per se & sine adminiculo alterius prædicari, vt constat in hac *homo est albus* : tum tertiò, quia eadem vox eodemque terminata modo, nequit esse iam nomen substantiuum, iam adiectiuum : at eadem vox potest esse interdum categorema, interdum syncategorema vt colligitur ex D. Thoma suprà 1. part. quæst. 13. art. 3. & cernere est in hac voce solus, quæ in ista propositione, *Deus est solus*, categorema est, in hac verò, *Deus solus est æternus*, syncategorema est, & ob id prior propositio est falsa, secus vero posterior.

Obiicies tertiò, ex eodem citata disp. 1. sect. 10. 9
hæc pronomina omnis, nullum, aliquis, & similia, syncategoremata sunt, & tamen possunt se solis propositionem directè claudere, & eius integrum prædicatum esse, vt videre est in his; *homo confusè cognitus est aliquis; carentia omnis rei est nullus, aut nullum; Deus & creatura sunt omnia*. Respondeo, in prima propositione subauditur homo: in secunda, ens: aliàs falsa esset, quod inde constat, quia si dicas *carentia est nullum ens, aut etiam non ens*, propositionem falsam haud dubiè proferes: subintelligitur ergo præcisè ens, secluso quidem non ente: eadem ratione coniunci potest in tertia subaudiri ens, aut quid eiusmodi sumptum in plurali. Quocirca nullum eorum pronominum interius, siue in mente est se solo prædicatum vllius propositionis, esto exterius, & in voce tale sit, quod solum adducta exempla persuadent.

Obiicies quartò, ex Arriaga disp. 1. sect. 4. nomina 10
substantiua, quæ omnium confessione sunt categoremata, possunt in propositione directè subiici, & prædicari: pronomina vero illa, omnis, nullus, &c. quæ iuxta omnes sunt syncategoremata, nec possunt directè subiici, nec prædicari: at nomina adiectiua media sunt inter hæc & illa, siquidem subiici nequeunt, prædicari possunt, vtique se solis: erunt igitur partim categorematica, & partim syncategorematica, ac proinde perperam diuiditur terminus in categorematicum, & syncategorematicum, cum vlterius in vtrinque medium, & penes aliquid cum altervtro similem diuidi eum oporteret. Respondeo, nomina adiectiua media quidem sunt inter substantiua & pronomina, verum nomina substantiua sola non sunt categoremata, vt apertè probatum est paulo superius: vnde nomina adiectiua inter categoremata, & syncategoremata non mediant, vt obiectio contendit. Itaque syncategorema, quodcunque sit,

nega

negationem quandam virtualiter includit, quæ velut malignantis naturæ illud à ratione subiecti & prædicati in recto excludit: nomen autem adiectiuum saltem prædicatum directum se solo esse valet, quamuis non subiectum, atque adeò syncategorema esse non sustinet. Vtriusque signum est, quod prolata hac propositione, *albus est homo*, particula, *albus*, censetur esse prædicatum, non subiectum, quia non hoc sed illud esse potest, nullo alio in mente subintellecto: Cæterum prolata hac propositione, *aliquis est homo*, particula, *aliquis*, à nemine censetur rationem prædicati obtinere in mente interiusvè, aut ea propositio huic æquipollere, *homo est aliquis* sicut illa prior æquipollet huic, homo est albus, quia nimirum *aliquis* est terminus syncategorematicus, adeóque nequit vnquam esse se solo in intellectu nostro subiectum, aut prædicatũ, sed semper in consortio alterius, quod etsi taceatur exterius, tamen intus necessariò subauditur: cùm ergo alio subaudito possit esse ex æquo seu subiectũ, seu prędicatum, non est quamobrem subiectum non remaneat vti voces externæ præseferunt, sonantque.

11 Vltimò obiicies; in hac propositione *nullum est animal, quod non viuat*, particula illa, *nullum*, subiicitur se solo, & tamen est syncategorema: quod etiam visere est in hac prædicatione, *nullus est Deus non trinus*. Respondeo, in neutra propositione adductum syncategorema se solo subiici: nam prima æquipollet huic in mente, *nullum animal est non viuens*; secunda huic, *nullus Deus est non trinus*.

12 Ex his quæ huc vsque disseruimus, perspicue colligitur, tres diuisiones termini proximè positas affines quidem esse, cæterum inuicem discrepare, qua in re hallucinatus est, quantum arbitror, P. Hurt. disp. 10. sum. sect. 10. vbi duas posteriores confundit & Mag. Sotus lib. 1. sum. cap. 1. not. 3. vbi primam & secundam haud distinguit; siquidem terminus categorematicus significat omnia nomina substantiua, & adiectiua, vt homo, albus: terminus absolutus tantum substantiua omnia, vt homo, albedo: terminus abstractus tantum aliqua substantiua, vt albedo, humanitas: quare terminus categorematicus est superior absoluto, & absolutus abstracto, quia nullus terminus est absolutus, qui non sit categorematicus, & nullus abstractus, qui non sit absolutus; cum tamen è conuerso plures termini sint categorematici, qui non sint absoluti, & plures absoluti, qui non sint abstracti: quo pacto, animal v.g. est superius homine, eo quod nullus homo non sit animal, non tamen è conuerso.

13 Idem ordo superioris & inferioris, sed tamen inuersus, reperitur inter tria reliqua membra diuidentia præmissis opposita: nam terminus concretus, nomina substantiua, & etiam adiectiua complectitur, vt homo, albus: connotatiuus sola nomina adiectiua, vt albus, ruber; syncategorematicus sola pronomina adiectiua, & similes particulas, vt omnis, nullus: vnde terminus concretus est superior connotatiuo, & connotatiuus syncategoremarico: quocirca iure merito in idem caput has tres diuisiones coniecimus, vt earum differentia, conuenientia, & ordo, per iuxtapositionem melius appareat.

14 Recta quoque doctrinæ methodus postulat, vt hic etiam breuiter discutiatur celebris illa diuisio termini in rectum, & obliquum. Illud dicitur impotari in recto, quod nominandi casu, qui rectus est, repræsentatur; in obliquo vero, quod cæteris casibus significatur. Non me latet aliquos recentiores censere, illud in recto importari, quod cognitione directiua amoris, aut odij seu vi cuius res amari, aut odio haberi possit, repræsentatur, & importari in obliquo, quidquid secus repræsentatur. Hæc tamen doctrina mihi non placet; primo quia sensio belluina rem velut appetibilem repræsentat: ait illam nec in recto, nec in obliquo exprimit, cum belluæ omnis dearticulationis rectæ, & obliquæ sint incapaces: secundo, quoniam hic actus, *imago diuinæ bonitatis*, summam & infinitam bonitatem verè repræsentat; cur ergo ad eius amorem dirigere nequeat, quantumuis eam in obliquo repræsentet: tertio, quia repræsentari in obliquo est indirectè cognosci, & repræsentari in recto est directè cognosci: at indirecta cognitio qua aliquid in alio cognoscitur amorem, & odium regulat alias beati non possent creaturas in Deo cognitas amare; ergo etiam indirecta cognitio quæ casui indirecto, & obliquo respondet, amorem & odium regulare poterit. Quartò, quoniam fieri aliquando potest, & solet, vt cognitio rem in obliquo repræsentans clarior sit, atque perspicacior, ea quæ illius bonitatem in recto exprimit, vt si asseras, *pater amici est mihi ignotus*; ita enim si res habeat veluti asseritur, bonitas obliquè repræsentata clarius, & dilucidius apparet, quam bonitas in recto cognita: hæc ergo si amorem excitat, à fortiori illa. Quinto tandem: verbum eandem habet vim elicitiuam amoris, & odij per quodcunque tempus sit coniugatum, & siue ponatur in præsenti, à quo eius incipit coniugatio, siue in præterito, siue in futuro: quocirca vti bona, aut mala præsentia nos delectant, vel angunt, sic etiam præterita nobis placent, aut displicent, sic & futura timemus, aut speramus: similiter ergo nomen, seu ponatur in recto, à quo eius incipit declinatio, siue in aliquo obliquo, eadem tamen vi affectum amoris aut odij accendet. Alij censent, id importari in recto, quod ex vi cognitionis quam terminat subiectum, & prædicatum propositionis esse potest; in obliquo verò, quod nec subiici potest, nec prædicari. Cæterum supra tract. 2. cap. 1. n. 10. satis probatum manet, casus obliquos subiici & prædicari in consortio rectorum: quo hic sentiendi modus corruit.

15 Tandem diduci solet, terminus in specificatiuũ, & reduplicatiuũ: hic exprimitur huiusmodi particulis, prout, inquãtum, vt, quatenus, & similibus; ille vero, quauis voce ab eiusmodi parriculis absoluta: hic significat non tantum quod res ita se habeat, sed quod penes eam sit causa & ratio, cur ita se habeat: ille vero effectum, non vero causam: exemplum huius sit; *album in quantum album immediatè dissipat visum*: exemplum illius; *album immediatè disgregat visum*: nam in priori propositione album sumitur reduplicatiuè, in posteriori verò specificatiuè. Quod autem ait P. Hurt. initio log. §. 2. eas particulas recidere in has, *formaliter* ac *materialiter*, mihi omnino haud placet: tum quia, in hac propositione *album in quãtum album est compositum ex subiecto & albedine*, album non magis sumitur formaliter quam materialiter, imo vtroque modo: at sumitur potius reduplicatiuè, quam specificatiuè: tum etiam, quia accipi reduplicatiuè, siue formaliter iuxtà ipsum est prædicatum conuenire subiecto ratione alicuius formæ, & quod ita conueniat denotari: hoc autem est falsum, quoniam in hac propositione, *materia prima quatenus talis est substantia*, materia sumitur reduplicatiuè, & tamen nihil denotatur ei conuenire ratione alicuius formæ, sed potius ratione, sui prout omnem formam natura anteuertit: fortassis tamen Pater Hurt. nomine formæ solam intelligit causam, aut rationem, cur ita sit aliquid, quamuis exemplum, quo vtitur, albedinis de vera for-

ma, actuvè in subiecto recepto, eum loqui indicet.

CAPVT II.

Quid qualibet concreta importent, & quo pacto?

16 QVod attinet ad concreta accidentalia, siue intrinseca, siue extrinseca, vt v.g. album, nigrum, genus, speciem &c. ea quidem importare semper in recto subiectum & in obliquo formam, docent Aureol. in 1. dist. 4. q. 1. art. 4. Auicenna 2. p. log. cap. de proprio Hurt. disp. 6. de an. s. 4. §. 38. & disp. 9. met. sect. 3. num. 28. Arriaga disp. 1. sum. s. 9. num. 262. & 66. Idem tradunt Fonseca lib. 5. met. cap. 7. q. 5. sect. 4. & Sotus q. vnic. de gen. art. 2. quibus in locis ambo, tametsi concreta accidentalia pro formali, adeóque magis principaliter censeant significari, ac nominari penes formam, quam penes subiectum; cæterum eorum nomina pro hoc supponere non pro illa, seu, quod perinde est, hoc non verò formam esse, id de quo dicitur quodlibet concretum, & quod dicitur dicto omni concreto, ac per consequens subiectum solummodò importari ab eis in recto adasserunt. In eadem sententia est Capreolus in 1. sent. dist. 4. art. 1. ad 2. his verbis, *Licet album, & albedo idem significent, tamen album copulat subiectum; significat enim albedinem in concretione ad illud, & subiectum dicit in recto, & ideò supponit pro illo, & non pro albedine, albedo autem significat eandem formam sine tali concretione, sed per modum substantiæ, vt dictum fuit supra, & ideo album non prædicatur de albedine, nec è contrà.*

17 Cæterum concreta accidentalia, quæ eacunque sint importare semper in recto formam, & non nisi in obliquo subiectum, aliquorum est sententia: quæ etiam tribui solet Caietano, Scoto, & assèclis: At vero eiusmodi concreta aliquando importare in recto solam formam, aliquando subiectum censent alij, quos suppressis nominibus refert supra Hurtadus disp. 6. de an. sect. 4. idem etiam innuit Auersa q. 23. log. sect. 3. §. *addi potest*. Ita de concretis accidentalibus specificatiuè, & absolutè sumptis alij, aliique authores: ea autem reduplicatiuè sumpta importare in recto formam solam docent plerique: at subiectum simul, & formam quamuis pauci, sed tamen aliqui.

18 Rursus quod attinet ad significationem nominum, concreta accidentalia, quatenus talia, significari magis principaliter penes formam, & minus principaliter, solumque insinuatitiè penes subiectum, docent Auerroës lib. 5. met. comment. 14. Alexander Alensis ibidem, Albertus Magnus etiam lib. 5. met. tract. 1. cap. 11. Capreolus supra in 1. dist. 4. q. 1. & 2. Durandus in 1. dist. 34. q. 2. Gregorius in primum dist. 8. q. 2. art. 4. Item B. Thom. lib. 5. met. lect. 9. his verbis, *nec est verum quod Auicenna dicit, quod prædicata, quæ sunt in generibus accidentis principaliter significent substantiam, & posterius accidens, sicut hoc quod dico album, vel musicum: nam album vt in prædicamentis dicitur, solam qualitatem significat, consignificat autem hoc nomen album subiectum ex consequenti, in quantum significat albedinem per modum accidentis, vnde oportet quod ex consequenti includat in sui ratione subiectum; nam accidentis esse est inesse, albedo enim etsi significat accidens, non tamen per modum accidentis, sed per modum substantiæ, vnde nullo modo consignificat substantiam, si autem principaliter significaret subiectum, tunc prædicata accidentalia non ponerentur à philosopho sub ente secundum se, sed sub ente secundum accidens: nam hoc totum, quod est homo albus, est ens secundum accidens.* B. Thomam Caietanus, & eius factionis authores alij communiter sequuntur. Sed Auicenna, Hurt. & Aureol. locis citatis malunt, concreta accidentaria importare subiectum velut magis principale significatum, & formam velut minus principale: Alij autem indicant, vtrumque ex æquo significari, & neutrum eatenus alteri anteferendum. At Fonseca relato illo cap. 7. lib. 5. metaph. quæst. 5. sect. 4. distinguit inter concreta accidentalia arte facta, & ea quæ sunt naturalia: atque hæc docet principalius significari penes formam, quam penes subiectum, illa vero quoad vtrumque ex æquo, & formaliter, neutrumque insinuatitiè, & secundaria ratione.

19 Denique, quòd spectat ad rationem intrinsecam vel extrinsecam cuiuslibet concreti accidentalis; plerique authores significant, omne concretum accidentale importare intrinsecè, ac per identitatem realem tam formam, quam subiectum: Cæterum Rubius in prædicam. cap. 4. q. 2. à num. 15. tradit bifariam sumi posse, & solere concretum accidentale: primò, provt est vnum per accidens, & ex rebus ad diuersa spectantibus prædicamenta coalescens, & ita importare formam; & subiectum v. g. albedinem & parietem, intrinsecè quidem, & per identitatem veram: secundo prout est vnum per se, vniusque duntaxat prædicamenti, & sic importare intrinsecè & identicè solam formam accidentalem, eiusque vnionem cum subiecto, hoc vero tantum extrinsecè, & connotatiuè, ac velut quid ab eo realiter adæquatè distinctum.

20 Hæ authorum sententiæ de concreto accidentali. Quod autem attinet ad concretum substantiale, quale v. g. correspondet huic voci, *homo*, aliqui, in quibus P. Arriaga disp. 2. summul. sect. 9. docent, in suppositis purè creatis inuolui solam naturam in recto, & subsistentiam in obliquo; at in Christo modò subsistentiam inuolui in recto, & naturam in obliquo, interdum etiam vice versa, hanc in recto, & illam in obliquo. Alij verò, inter quos P. Vasq. 1. part. disp. 130. cap. 3. num. 3. putant concreta substantialia his respondentia nominibus, Deus, homo, quidam homo, importare in recto solam naturam, & in obliquo subsistentiam: è contrario verò se habere concreta his subiecta vocibus, Petrus, Paulus, Persona, Pater æternus, eius Filius, aut Spiritus sanctus. Sed alij ex quibus videtur esse Auersa quæst. 23. log. sect. 3. existimant omnia concreta substantialia, importare in recto seu directè tam naturam, quam subsistentiam.

21 Porrò quod spectat ad significationem nominum, concreta substantialia expressius, & distinctius, adeóque magis principaliter significari quoad naturam, si sint his subiecta vocabulis, homo, Deus, hic homo, aliisque id genus: sin autem istis, persona, suppositum, Pater æternus, Filius, &c. quoad solam subsistentiam ita significari, tuentur Vasquez & Auersa locis citatis, ac cæteri fermè Authores: dixi, *fermè*; quoniam aliqui Thomistæ cum Capreolo in 1. dist. 4. q. 1. art. 1. concluf. 5. docent omne concretum substantiale significari principaliter, & distinctè quoad solam naturam, nec nisi secundariò & implicitè quoad subsistentiam. Tandem Scolastici quos viderim, ferè omnes in ea sunt sententia, vt putent concretum omne substantiale importare intrinsecè, & identicè tam naturā, quam subsistentiā, & neutram extrinsecè, ac tantum connotatiuè.

CAP.

CAPVT III.

Quid nobis inter tot authorum placita videatur probabilius.

22 Assero primo: concreta accidentalia siue intrinseca, siue extrinseca, specificatiue sumpta, quandoque subiectum in recto, & formam in obliquo, quandoque è contrario formam in recto, & subiectum in obliquo; interdum etiam ex æquo subiectum & formam in recto, & interdum in obliquo vtrumque important. Probatur assertio penes primam eius partem: quia hæc propositio vera est, *album est dulce*: sed hæc propositio, *albedo subiecti est dulcedo illius*, aut hæc, *albedo & subiectum est dulcedo* neutiquam esse possunt veræ: album ergo in priori propositione, qua specificatiuè sumitur, albedinem in recto nec ex parte nec ex toto importat; alioqui prior illa propositio sequentibus æquipolleret, & omnes tres falsæ essent. Probatur assertio quoad secundam eius partem: quoniam hæc propositio, *album immediate disgregat visum*, vera est, album ergo, quatenus in ea sumitur, neutiquam dicit in recto subiectum, aliàs esset falsa, cum subiectum nequeat immediatè visum dissipare. Item hæc propositio est vera, *album distinguitur formaliter à dulci*; at non nisi quia in mente æquiualet huic, *forma albi distinguitur à forma dulcis*: sicut ergo in hac posteriori album infert in recto solam formam, ita & in illa priori, à qua nequaquam est distincta posterior, si non quod sonat exterius, spectes, sed magis quod intus repræsentatur. Rursus, subiectum & prædicatum propositionis sunt concreta accidentalia ex obiecto quod subiicitur, & prædicatur, & forma intentionali, siue cognitione merito cuius ei conuenit subiici, ac prædicari: sed subiectum & prædicatum aliquando important in recto solam formam, siue cognitionem, cum forma intentionalis, siue cognisio quatenus talis subiectum, & prædicatum iuxtà plerosque dialecticos strictissime dici consueuerit: quod si qui relationem aliquam fictitiam ex nostra cognitione refluam malint esse subiectum aut prædicarum formale, redit idem argumentum, vt expendenti constabit. Probatur eadem assertio quoad tertiam partem: nam hæc propositio, *album est compositum quoddam ex substantia, & accidenti*, est vera; at interius & in mente nostra est eadem cum hac, *albedo & subiectum inuicem vnita sunt compositum quoddam ex substantia, & accidenti*: quidni enim? sicut ergo prior terminus huius posterioris propositionis importat in recto tam formam, quam subiectum, ita similiter & prior terminus illius prioris propositionis, videlicet album. Deinde hæc prdpositio, *album partim est idem cum dulci, partim ab eo distinctum*, verissima est; ergo quia album importat in recto subiectum suum, quod est idem cum subiecto dulcedinis, nec non albedinem, quæ scilicet sola distinguitur à dulci penes eius formam. Iam suadetur postrema assertionis nostræ pars hac propositione modali; *hominem esse album est possibile*, vbi album tam subiectum, quam albedinem in obliquo haud dubie inuehit.

23 Assero secundo, concreta accidentalia, siue intrinseca, siue extrinseca, reduplicatiuè sumpta, modò solam formam, modò subiectum solum in recto includunt, nonnunquam etiam vtrumque in recto, nonnunquam vtrumque In obliquo. Probatur assertio quoad primam & secundam partem; quoniam hæc propositio reduplicatiua, *album in quantum album disgregat visum*, plane vera est: at vera esse non posset, si album, quatenus in ea sumitur, inuolueret in recto subiectum, id enim esset subiectum in quantum tale disgregare visum, siue esse rationem disgregandi visum, quod nequit non esse falsum: album ergo, provt ei reduplicationi subest, non subiectum, adeòque solam formam in recto importat. Rursus hæc propositio, *obiectum in quantum obiectum directè terminat cognitionem*, verissima est: falsa autem esset, si obiectum importaret in recto cognitionem, cum hæc nequeat se ipsam directè terminare, imo ne reflexe iuxta non paucos. Idem clarius cernere est in hac propositione de Deo prolata, *obiectum primarium visionis beatificæ provt tale est simpliciter infinitum*: quæ quidem vera est, cum nihil aliud reipsa adstruat, quam Deum, vt simpliciter & in omni genere infinitum, visioni beatificæ obiici, ab eaque repræsentari: at vera non esset, si visio importaretur in recto, quippe quæ tantum est infinita secundum quid, & in aliquo genere.

Tertia eiusdem assertionis pars suadetur, hunc in 24
modum: hæc propositio, *album in quantum album est compositum quoddam*, vera est; at vera non esset, si album in quantum album esset intrinsecè, & essentialiter, vel sola albedo, vel solum subiectum: ergò est vtrumque intrinsecè, & quidditatiuè: quidni ergo in recto? nam imprimis, si est vtrumque, id est albedo, & subiectum, sane vtrumque in recto de eo prædicatur, ergo & provt est subiectum & huic voci album in quantum respondet etiam poterit vtrumque in recto includere: deinde album specificatiuè sumptum vtramque partem intrinsece, & essentialiter includit, ita etiam in recto: similiter ergo reduplicatiue sumptum, vt priori modo, sic etiam posteriori vtramque complectetur: præterea authores relati cap. præcedenti, ac negantes album v. g. reduplicatiuè sumptum aliud quidpiam importare in recto præter solam albedinem, docent etiam hanc tantum, non verò subiectum esse intrinsecè, & essentialiter album in quantum album, & reduplicationem cadere supra solam formam, & nullo modo supra id in quo recipitur: quapropter, nisi fallor, satis efficaciter impugnati manent argumento proximè facto. Cuius vis amplius ita declaratur, & confirmatur: album in quantum album, si esset sola albedo, concretum in quantum concretum esset abstractum, & compositum in quantum compositum esset quid simplex, quorum tamen alterutrum est plane ridiculum. Denique eiusdem assertionis postrema pars probatur hac propositione modali, *album in quantum album reduplicatiuè sumi necesse est*; vbi vtranque albi partem reduplicationi subiectam in obliquo id est in accusandi casu sumptam, quis non videat?

Superiores assertiones quoad singulas earum partes hactenus probatæ, vnà modò corroborantur, & illustrantur: v. g. albū inuoluit subiectum, & albedinem à parte rei, & neutrum in recto, aut in obliquo: nec enim nisi beneficio intellectus ea alterutro modo importare potest; opus siquidem intellectus est conceptum rei talem esse, vt nominandi casui, aut alij respondeat: at in eo conceptu situm est, aliquid dici in recto, aut in obliquo: tum sic, album igitur modò subiectum, modò formam, modo vtrumque, & modo neutrum in recto poterit importare: probo consequentiam, quia dici in recto tam est de- 25

nominatio extrinseca quam cognosci : sicut ergò intellectus solum subiectum sine forma, aut hanc sine illo, aut neutrum, vel vtrumque potest, ac solet cognoscere, ita similiter alterutrum sine alio, aut ambo simul, aut neutrum in recto inuehit, provt nimirum res tulerit. Ad hoc, intellectus reduplicare potest supra omne id, quod concretum accidentale inuoluit, eo modo quo id inuoluit; atqui omnes, & singulas partes nunc in recto, nunc in obliquo, & in vtroque, aut etiam in neutro importat; quouis ergo modo supra illas intellectus reduplicare potest, sicut ei integrum est, quolibet illas modo cognoscere, ac proinde concretum accidentale reduplicatiuè sumptum &c.

26 Assero tertio : nomina accidentium naturalium concreta, videlicet album, nigrum, dulce, amarum, & similia magis principaliter significant formam, quam subiectum : suadetur assertio, quoniam significare est exprimere, eiusmodi autem nomina magis exprimunt formam quam subiectum, vt per se patet; audita namque hac voce, *album*, in albedinis notitiã illicò deuenimus, ignari prorsus quodnam sit eius subiectum, an scilicet homo, vel equus, vel paries, aliudve quidpiam. Secundò, quoniam ea nomina non significant subiectum, nisi vt affectum accidentali forma, ac provt ei subiacet, illud ergo non secundum se, ac prædicata sibi intrinseca sumptum denotat ex principali, sed duntaxat provt extrinsecus denominatum à forma, siue penes hanc solam. Denique id colligitur ex Arist. lib. 7. metaph. cap. 5. vbi ait, accidentia concreta, de quibus est sermo, definiri, & explicari per additamenta subiectorum; illorum ergo definitiones seu voces manifestatiuæ clarius, & explicitius, adeóque magis principaliter additamenta, siue formas superuenientes, quam, subiecta quibus superueniunt, significant.

27 Assero quarto: nomina concreta accidentium artificialum, cuiusmodi sunt nauis, serra, domus, vestis, statua, annulus, ex æquo significant principaliter subiectum saltem in genere aliquo particulari, & formam : hanc quia eam exprimunt, vt sponte sua liquet: illud eadem scilicet de causa; nam audita hac voce, *nauis*, cuiusnam sit materiei confestim percipimus, quod nimirum lignea, & apta ad mare transmittendum, eiusque superanda pericula: item audita hac voce, *annulus*, quod illius materia sit solida, inflexilis, & ex auro vel argento, aliove simili. Rursus lignea nauis est simpliciter, & propriè talis, quæ verò est alterius materiæ, v.g. papyraceæ, haud est nauis nisi secundum quid, & impropriè, sicut homo pictus, aut fictus excususve tantum metaphoricè rationem hominis obtinet: vtraque ergo nauis, quæ nimirum est ex ligno, & quæ ex papyro, aliaue materia ad nauigandum inepta, non vniuocè sed analogicè conueniunt: at si nauis vocabulum haud exprimeret vnã materiam præ alia, nullamque principaliter significaret, sed solam formam nauticam; profecto quemadmodum omnia alba, albive formam habentia vniuocè consentiunt: quia scilicet eam solam velut principale significatum important: ita pariter naues omnes, & quæcunque formam artificialem omnibus communem haberent, rationem nauis vniuocè participarent: quod tamen ex dictis esse constat absurdum. Tandem Sacramenta nouæ legis, vt certam formam, sic etiam certam, & destinatam materiam sensibilem sibi definiunt: eorum ergo nomina ex æquo vtramque principaliter significant.

28 Assero quintò : concreta accidentalia semper intrinsecè, & identicè important subiectum, formam, & vtriusque vnionem. Probatur primò : quoniam si album v. g. esset intrinsecè, & quidditatiue sola forma albedinis terminata proprio inhærentiæ, siue vnionis modo; non vero tam albedo, quàm subiectũ, & vtriusque vnio : sanè hæc propositio esset vera: albedo est simpliciter alba, siue album quid : sicut hæc est vera : albedo est forma albedinis terminata modo vnionis, siue inhærentiæ : consequens autem est omnino falsum, vt ostendetur in metaph. cum de prædicamento habitus erit sermo : interim satis esto præter Aureolum, Capreolum, & cæteros scholasticos id sentire Dionysium cap. 2. de diuinis nominib. & B. Thomam quæst. 20. de verit. art. 9. ad 3 his verbis: *albedo facit album, quamuis ipsa non sit alba, sed est, quo aliquid est album.* Secundò: quia humanitas; aut, quod iuxta est, humana natura nequit vnquam ita sumi, vt sit intrinsecè, & quidditatiue sola forma substantialis hominis, nimirum anima rationalis terminata proprio vnionis modo; nec materia nisi ad summum connotatiuè, & veluti extrinsecè; vt aduersus Platonicos Peripatetici omnes tradunt: pari ergo ratione album, siue natura albi; vel, vt alij loquuntur, albedeneitas nequit ita sumi, vt sit intrinsece, & quidditatiue sola albedo, eiusque vnio cum subiecto; non verò hoc, nisi tantum extrinsecè, & connotatiuè. Tertiò : totum integrale, siue continuum nunquam ita potest accipi, vt sit intrinsece, & identice tantum altera pars, eiusque vnio continua: quinimò necesse est, vt sit vtraque pars; homo, v g. caput, cor, pedes, & reliqua membra; equus similiter, &c, pari ergo ratione in præsenti totum accidentale, non continuum, sed penetratum, haud erit intrinsecè & identicè altera tantum pars, eiusque vnio penetratiua; sed necessario debet esse vtraque. Quartò, tandem : totum, siue concretum per accidens, album v. g. haud est vnquam intrinsece, & quidditatiue solum subiectum cum modo receptionis, eius scilicet, qua albedinem suscipit : similiter ergo nunquam poterit esse sola albedo terminata modo inhærentiæ.

29 Assero sextò : concretum substantiale, cuiusmodi est homo, aliudve suppositum importat semper in recto solam subsistentiam, nec nisi in obliquo naturam, siue partes substantiales, ex quibus tanquam earum totalitas resultat. Hæc assertio quod attinet ad suppositа purè creata, satis perspicua est in nostris principiis : quum enim in iis simus, vt arbitremur, suppositum omne purè creatum inuoluere intrinsece, & identice solam subsistentiam, siue totalitatem partium, has verò siue naturam, veluti extrinsece, & connotatiue, qui fieri potest, vt vllum eiusmodi suppositum dicat in recto naturam, à qua prorsus distinguitur, & non potius solam subsistentiam, in qua præcisè consistit? Quod verò spectat ad suppositum ratione suppositalitatis increatum, & ratione naturæ creatum, nempe Christum, superior nostra assertio suadetur ex hac propositione : *hic homo, qui est Christus est Deus* : æquiualet enim huic; subsistentia habens naturam humanam Christi est subsistentia terminans in eo naturam etiam diuinam.

30 Assero septimò : concretum substantiale, de quo fuit sermo proximè suprà, interdum significatur magis principaliter quoad naturam, vt cum dicitur homo, equus, Deus: aliquando verò magis principaliter quoad subsistentiam, vt cum dicitur persona, suppositum, hypostasis. Prior pars suadetur, quoniã expressius denotatur per priora vocabula natura, quàm subsistentia; audita enim hac voce, *homo*, vt aliis supersedeam, quænam sit natura ei subiecta, seu per eam significata, statim percipimus, non tamẽ

quæ

quænam ſubſiſtentia, nec magis an ſit diuina, quam humana,aut etiã Angelica. Poſterior pars aſſertionis noſtræ probatur:quoniã eæ voces,perſona,ſuppoſitũ, hypoſthaſis ſaltem in genere exprimunt ſubſiſtentiã: hoc autem ſufficit,vt eius ſint principaliter ſignificatiuæ,cum ſint ipſæ ex primæua impoſitione ſua tantũ genericæ : alioqui etiam hæc vox generalis, ens ſcilicet,non ſignificabit principaliter obiectiuum ens, vtpote quod tantum in genere ſumptum indigitat. Hinc quoque liquet, cur nam hæc vox, album, non ſignificet principaliter ſubiectum abſolutè, ac moraliter loquendo,licet illud in genere exprimat, nimirum quia non eſt notio generica vi ſuæ impoſitionis,ſed potius ſpecifica. Octauò tandem aſſero, concretum ſubſtantiale, ſi ſit ordinis purè creati intrinſece, & identice importat ſolam ſubſiſtentiam, ſiue totalitatem partium, ex quibus coaleſcit : ſin autem ſit ordinis ex parte increati,veluti hic homo,qui eſt Chriſtus;ſanè inuoluit intrinſece,ac per identitatem non ſolum ſubſiſtentiam, ſed etiam naturam, id eſt, corpus, & animam;quorum alterum atque alterum, & à nobis paulò ſuperius inſinuata ſunt , & vberius oſtendentur in phyſica libro 2. tractat.8. cap.7.

CAPVT IV.

Aduerſus doctrinam capitis præcedentis quædam argumenta ſoluta.

31 OBiici in primis poteſt , contrà primam partem noſtræ aſſertionis primæ : album,ſi inuolueret in recto ſubiectum, cui inhæret albedo , & hanc in obliquo , illud dicendum potius fore ſubſtantiam, quàm accidens;cum ſubiectum ſit ſubſtantia,& forma albedinis accidens;at hoc, quod ſequitur, eſt abſurdum , & manifeſtè falſum:hæc enim prædicatio, homo eſt albus , vel quid album , eſt iuxta omnes quinti prædicabilis ſiue accidentis.Reſpondeo ſubiectum ſecundum ſe ſumptum eſſe ſubſtantiam ; at provt albedini ſubeſt & vnum cum ea facit, eſſe accidens:parum autem refert,quod albedinem ex obliquo importet huiuſmodi vnum totumve per accidens : tum quia denominatio ſequitur debiliorem partem , quocunque modo eam includat totum, & eſtò minus principaliter, vt cernere eſt in homine, qui dicitur corporeus à materia , quam non tam principaliter, ac animam ſpiritualem includit : tum etiam , quia album inuoluit albedinem , tametſi in obliquo,at veluti formam:hoc autem ſatis eſt,vt eam principalius complectatur.

32 Obiici deinde poteſt contrà ſecundam eiuſdem aſſertionis noſtræ partem;hanc propoſitionem ſemper eſſe veram,albedo vnita ſubiecto eſt abſtractum quoddam, non concretum : at hanc propoſitionem, album eſt abſtractum non vero concretum,nunquam eſſe veram : nunquam ergo album eſt idem quod albedo vnita ſubiecto : idem autem eſſet , ſi quando albedinem in recto , & ſubiectum in obliquo importaret. Reſpondeo , maiorem argumenti eſſe falſam : eſto enim albedo ſecundum ſe ſumpta, atque vt dialectici loquuntur à ſequenti illa particula, *vnita ſubiecto*, diſtracta, ſit abſtractum quoddam, & non concretum ; at eſt concretum ſeorſim ab ea diſtractione , & provt contrahitur per eiuſmodi particulam : quocirca haud rectè infertur in conſequenti propoſitione , quod album nunquam ſit albedo vnita ſubiecto , eamque in recto nunquam importet.

Opponi etiam poteſt aduerſus tertiam , & quartam eiuſdem aſſertionis noſtræ partem ; aliter formam,aliterque ſubiectum in albo,v.g.includi,vt per ſe,ac ſponte ſua claret:quî ergo fieri poteſt,vt ambas partes ex æquo includat in recto,aut ambas in obliquo?hoc enim eſt,eas non diuerſo, ſed eodem modo inuoluere. Verùm in promptu eſt reſponſio , ſatis ſcilicet eſſe,ſi album alteram partem velut formam, & alteram velut ſubiectum cohibeat, vt eas diuerſo complectatur modo , quantumvis ambas in recto, aut in obliquo inuoluat ; nec vero tantam eſſe diuerſitatem includendæ vtriuſque , vt incluſio vnius in ratione albi,cum alterius incluſione nullatenus conueniat. Denique propoſitiones ſuperius à nobis adductæ,nimirum, album eſt dulce, album immediatè diſgregat viſum, album eſt compoſitum ex ſubſtantia,& accidenti,hominem eſſe album non repugnat; hæ inquam propoſitiones , aliæque ſimiles, in præſenti materia communiter ſolent obiici : At procedunt duntaxat aduerſus eos , qui exiſtimant album ſemper includere in recto ſubiectum, & in obliquo formam, aut è conuerſo ; ſecus verò contrà noſtram aſſertionem , cuius potius ſingulas partes apprimè confirmant,vt eas recolenti conſtabit. 33

Obiicies etiam contra primam, & tertiam ſecundæ aſſertionis noſtræ partem:*reduplicatiuè* & *formaliter* in idem recidunt , ac nihil inuicem diſcrepant; omnis ergo reduplicatio cadit ſupra ſolam formam: non ergo ſupra ſolum ſubiectum, aut ſupra ſubiectũ ſimul , & formam. Sed reſpondeo , antecedens eſſe falſum , vt liquet ex dictis ad capitis primi finem. Obiicies ſecundo aduerſus eaſdem ſecundæ aſſertionis noſtræ partes:cum dicitur , album, v.g. in quantum album , reduplicatio pertinet ad id , quod directè & expreſsè ſignificatur albi vocabulo (cuiuſuis autem alterius concreti reduplicatiuè ſumpti par eſt ratio)at quod eo nomine expreſsè ſignificatur,atque diſtinctè, eſt ſola albedo , ſubiectum verò haud niſi confusè & implicitè, vt per ſe patet , ac ſuperius eſt oſtenſum : eam ergo non verò ſubiectum , aut ex parte , aut ex toto ſumptum ſpectare debet reduplicatio. Reſpondeo , cum intellectum nec lateat ea pars , quam indiſtinctè , & implicitè ſignificat vox concreta,nec ea quam diſtinctè & explicatè,liberum ei eſſe ſupra alterutram reduplicare,aut ſupra vtramque , nec ad vnam potius quam ad aliam reduplicatiuam referri voculam oportere. Contra primam, & vltimam eius aſſertionis partem nullum eſt argumentum,quod ſit ponderis alicuius. 34

Argumentaberis ergo contrà tertiam aſſertionem noſtram : id ſignificat principaliter hæc vox,*album*, de quo verificatur eſſe album , ſiue pro quo ea ſupponit,& accipitur:haud enim credere par eſt vocem vllam accipi , niſi pro ſuo principali ſignificato: atqui album ſupponit , & accipitur pro ſubiecto non pro forma, vt cum dicitur album eſt dulce, aut Petrus eſt albus,ſiue album quidpiam,ergo,&c. Sed nego maiorem,cum Fonſeca & Capreolo locis ſuperius citatis:primum,quia vt tract.ſeq.conſtabit,ſuppoſitio vocis,eiuſque ſignificatio haud ſunt omnino idem quid,ſed aliud,aliudque : cur ergo vox ſignificet principaliter,id pro quo principaliter,& directè ſupponit?ſecundò,quia ſi vox,*omnis*,id præcipuè ſignificaret, pro quo ſupponit,hæ voces, album,dulce, molle, frigidum,ſanum ; idem prorſus ſignificarent, cum pro eadem re poſſint accipi,& in eandem lactis v. g. ſubſtantiam conueniant. Deinde minor argumenti haud eſt vera vniuerſim, cum albũ aliquando etiã pro forma ſupponat,deq; ea dicatur,ac verificetur in recto,vt dicta c.ſuperiore expendenti liquebit. 35

36 Argumentaberis item aduersus quartam assertionem nostram: sicut concretum accidentale artificiosum certam quandam materiam postulat, ita & naturale v. g album: haud enim omnis substantia potest albedini subesse, aut alba denominari; non quæ spiritualis est; non fortassis quæ est cælestis; non etiam quæuis sublunaris v. g. corui, aut alterius rei, cuius sit nigredo proprietas inseparabilis: at concretum accidentale, cuiusmodi est album iuxtà nos, quantumlibet destinatam aliquam materiam instar subiecti postulet, hoc non obstante haud significatur principaliter quoad subiectum: ergo nec artificiale, vtvt subiectum determinatum exigat: alia autem ratio, cur ita significari debeat, præter eam exigentiam, nulla est, aut certe nulla, quæ non ad eam reuocetur.

37 Cæterum respondeo, quod dictum est album hac voce haud significari principaliter quoad subiectum, intelligendum esse de subiecto in particulari, & provt est paries, v. g. homo, aut nix aliudvè simile: nihil enim horum requiritur ad rationem albi; secus vero, si generalius sumatur: nam ita sumptum opus est ad rationem albi, nec hoc sine eo consistit: quare sicut concretum artificiale, quoniam determinatam quandam exigit materiam, sine qua non cohæret, penes eam significatur principaliter, impositumque sibi nomen ad illam etiam directè spectat, ita ob similem exigentiam concretum naturale, scilicet album, aliudve quoduis, significatur primario, quoad materiam generalem: quia verò latissimè patet genus illud materiæ ad rationem albi necessarium, cum tamen eius latitudinis haud sit quod ad nauem, domum, statuam, &c. requiritur, inde est quod concreta accidentalia naturæ soli debita, moraliter loquendo, nullam certam, ac determinatam materiam, aut specie, aut genere sibi determinent, secus vero ea quæ artis sunt effecta, hæc enim destinati saltem generis materiam exposcunt: vnde priora concreta moraliter loquendo haud significantur principaliter, quoad vllam certam etiam generice materiam, secus vero posteriora, atque adeo ab illis ad hæc arguitur perperam.

38 Enimuero hoc animaduertendum est, nomina accidentium concreta, vt album, nigrum, & cætera eiusmodi, alio ex titulo significare principaliter, & expresè solum formam, non vero subiectum etiam latissimè & generaliter sumptum, nempè quia exprimunt formam, & eius quodammodo nomenclaturam, propriamque notam: quæ enim est affinitas, & cognatio albi v. g. cum albedine, nigri cum nigredine, tales termini concreti abstractos formis impositos repræsentant, in eorumque notitiam conferunt, haud secus ac alia quæuis imago etiam imperfecta, rem, cui est naturaliter similis, exprimit: nil autem eiusmodi cernere est in albo, nigro, & aliis id genus vocibus, si cum parietis, ligni, aliorumque subiectorum nominibus propriis comparentur: haud enim his illæ affines sunt, haud ab eis solo casu dissident. Porrò autem quæ aduersus quintam, sextam, septimam, & octauam assertionem nostram argumenta fieri possunt, operosiora sunt, quam vt hic possint, aut debeant expediri: iis opportunius fiet satis citat. libro 2. Physic. tract. 8. per totum.

CAPVT V.

Quatenus concreta multiplicentur?

39 Beatus Thomas 1. part. quæst. 39. art. 3. & 3. part. quæst. 3. art. 7. & alibi sæpe, Capreolus in 1. dist. 4. quæst. 1. art. 1. ad 1. Aureol. Vazquez 1. p. disp. 155. cap. 1. Valentia 1. p. disp. 2. generali q. 13. punct. 3. §. *Nihilominus doctrina illa.* Aureolus in 1. dist. 4. q. 2. art. 4. Auersa quæst. 23. logicæ sect. 3. Arriaga disp. 1. Summular. sect. 9. Canarienſis, Caietanus, & Ferrarienſis inferius citandi, aliique plures communiter, docent concreta accidentalia, vt album, nigrum, iustum, cognitum &c. tum multiplicari, cum eorum suppositа, subiectave multiplicantur, atque alicui subsunt voci numerali: at vero penes formas quantumuis plures ea neutiquam plurificari. Porrò autem huius sententiæ non pauci Authores sermonem habent de concretis accidentalibus, provt talibus ex parte modi loquendi, siue de eis provt adiectiuè significatis: ita enim illa, sicut dictum est, multiplicari putant: cæterum eam regulam non tenere semper, si nomine aliquo substantiuo significentur.

40 Quod attinet ad concreta substantialia naturam complectentia & subsistentiam, eaque diuini ordinis, omnes catholici docent hoc concretum, Deum, ad multiplicationem sui non satis habere plures subsistentias, sed exposcere multiplicem naturam diuinam, & quia hæc repugnat, idcirco repugnare plures Deos: at hoc concretum, personam diuinam, è contrario multiplicari posse, & debere penes subsistentias solas, non penes naturam. Ita inquam Catholici omnes, præter Aliacensem in 2. q. 3. & Marsilium q. 5. qui eis locis aliqua ex parte dissentiunt, & haud satis catholicè docent, de rigore sermonis dici posse personas diuinas esse tres Deos, eumque loquendi modum ob id duntaxat cauendum, ne quis eo delusus tres esse diuinitates sibi, aliisque persuadeat.

41 Iam quod spectat ad concreta substantialia, aut omnino creati ordinis, aut creati simul atque diuini, inprimis Canarienſis 1.p.q. 39. art. 3. Caietanus ibidem & 3. p. q. 3. art. 3. Ferrarienſis 4. contra gentes c. 11. Durandus in 3. dist. 1. q. 3. & Richardus in 3. etiam dist. 1. art. 1. q. 5. tradunt, ea, si sint concreta naturæ, cuiusmodi sunt, homo, equus, leo &c. hoc est, talia vt naturam explicitè importent, requirere multiplicitatem tam hypostasis quam naturæ, quo absolutè ac simpliciter multiplicentur, ac plura dicantur, & in hoc differre à concretis accidentalibus: quod si tres personæ assumerent vnam humanitatem, aut vna persona tres humanitates, aiunt Caietanus, Durandus, & Richardus locis citatis in neutro euentu futurum vnũ hominẽ simpliciter, aut plures etiam, sed vnum secundum quid, in primo quidem ratione naturæ, & in secundo ratione hypostasis. Cæterum Gabriel in 3. dist. 1. q. 2. art. 3. dub. 4. Marsilius in 3. q. 2. art. 3. dub 2. & alij plures nominales concreta substantialia creati ordinis, & ea quæ sunt accidentalia, perinde habent, & non minus illa quam hæc tradunt multiplicari penes sola suppositа subiectavè, non autem penes formas, seu naturas; quare, si assumeret vna persona plures humanitates, nihilominus fore dicendum vnum hominem, sin autem plures personæ eandem humanitatem, fore dicendos plures

tres homines. At verò huiusmodi concreta substantialia ad multiplicationem sui exposcere multiplicem naturam, eaque sola contenta esse, nec pensi habere, an hypostasis sit vna, vel multiplex, docent Scotus in 3. dist. 1. q. 3. & in 1. dist. 11. q. 1. Antisiodorensis lib. 3. tract. 2. c. 2. q. 5. Capreolus in 1. dist. 4. q. 1. art. 1. Vazquez 1. p. disp. 155. c. 4. & alij non pauci: proindè authores hi in ea sententia sunt, vt existiment, tres personas, si assumerent eandem humanitatem, dicendas esse non nisi vnum hominem; & si vna persona assumeret tres humanitates, earum merito illam dicendam esse triplicem hominem, siue tres homines.

42 Quod attinet ad concreta substantialia magis subsistentiam, quam naturam declarantia, cuiusmodi sunt, persona, suppositum, ea etiam in rebus creatis multiplicari præcisè, ob solam multiplicem subsistentiam, aut ob huius vnitatem vna esse, nulla naturæ ratione habita, docent plerique authores hactenus memorati, & alij quos breuitatis causa missos facimus: pauci vero, sed tamen aliqui cum P. Arriaga disp. & sect. sæpè sæpius citatis num. 70. contrarium volunt, adeoque si vna subsistentia creata plures haberet humanitates, non vnam personam, sed plures eam futuram, & si tres subsistentiæ assumerent eandem humanitatem, eas fore non nisi vnam personam.

43 Tandem, quæ hactenus retulimus de cunctis substantialibus concretis, plures ita accipiunt, quasi non sit attendendum, an sint substantialia ex parte obiecti, & rei significatæ, sed potius, an talia sint ex parte modi significandi, ad hoc vt sint multa vel vnum, ea ratione qua manet explicatum: itaque, vbi nomine aliquo substatiuo significentur non adiectiuo, siue reipsa ex solis substantiis coalescant, siue etiam ex accidenti quodam, nihilominus in iis valere regulas concretorum substantialium, hucusque ex authoribus adductas, non quidem omnes, cum sint inuicem oppositæ, sed aliquam illarum, eam scilicet quæ singulorum principiis magis est consentanea: sin autem adiectiuè exprimantur; qualiacunque sint reipsa, tamen ea sequi regulam concretorum accidentalium huius initio capitis propositam. Atque hæc authorum placita.

CAPVT VI.

Quid in superiori controuersia videatur nobis verius?

44 Assero primò: si sermo sit de re ipsa, non de modo loquendi, quo res aliqua dicitur absolutè, ac simpliciter vna, vel multiplex, multiplicitatem & vnitatem cuiuslibet concreti, siue sit accidentale siue substantiale, siue creati siue diuini ordinis, desumendam esse ex omnibus, & singulis eius partibus, hoc est, ex supposito subiectoue, & natura, seu forma, nec ex hac sine illo, aut è conuerso. Probatur, & declaratur exemplis: nam si tam subiectum quam albedo sit multiplex, erunt reuera plura alba: quod si vtraque pars sit vna tantum, vnum tantum erit album: sin autem albedo sit vna, & multiplex eius subiectum, aut hoc vnum, & illa multiplex, haud erit ex parte ipsius rei in alterutro euentu album vnum adæquatè, & secundum omne quod importat, haud etiam in iis multiplex omninò, & penes omnia sua principia intrinseca, vt est per se euidens atque manifestum, quantumuis absolutè ac simpliciter dici debeat in vno euentu reperiri plura alba, & in alio duntaxat vnum, eo quod nobis familiare sit, cum loquimur, quæ partis propria sunt, hæc toti attribuere, & pro veritate partium aliter alitérque de toto fari. Rursus, si tam natura quam subsistentia humana sit vna tantum, re ipsa vnum hominem gignent: si plures ambæ, multiplicem: si prior vna, & posterior multiplex, aut è diuerso, nec vnum nec multiplicem adæquatè, & secundum omnia principia intrinseca, sed ex parte vnum, & ex parte non vnum, sed reapse plures, tametsi in iis euentis, aut vnum hominem absolutè, & simpliciter, aut potius multiplicem iuxtà varias authorum sententias oporteat eum appellari. Præterea Deus de quo cautius est loquendum, ex parte ipsius rei haud est vnus, secundum omne quod importat; subsistentiam enim importat, quam tamen de fide est esse multiplicem: haud etiam est multiplex, secundum omne quod includit; naturam siquidem includit, cuius tamen tradit catholica fides vnitatem: ita inquam se habet reipsa, esto absolutè, ac simpliciter, & nulla facta additione, appellandus necessario sit vnus Deus, non vero multiplex, omnisque alia locutio scripturis, ac Patribus sit contraria. Quocirca nullam arbitror in præsenti controuersiam esse posse de re ipsa, sed solum de modo loquendi, quo nimirum aliquid absolutè dici consueuit vnum aut multiplex, denominatione sumpta, iam ab vno, iam ab eius alio intrinseco prædicato: atque hoc supponunt antiquorum plerique, licet recentiores quidam similitudine vocum delusi, quæ circa eas est lis, hanc ad res ipsas quo iure, quaque iniuria transferant.

Assero secundò: concreta accidentalia multoties 45
dici solent absolutè, ac simpliciter plura aut vnum, propter vnitatem, ac multiplicitatem subiectorum suppositorumvè duntaxat. Suadetur assertio, quoniam esto in vno & eodem pariete sit multiplex albedo, eiusque varij gradus, quorum alteruter se solo ad dealbandum sufficiat, haud propterea sequitur, eum esse plures albos vel substantiuè plura alba, haud nisi vnum tantum: sicut etiam, vt verbis vtar B. Thomæ 3. p. q. 3. art. 7. *Homo, qui est duobus vestimentis indutus, non dicitur duo vestiti, sed vnus vestitus duobus vestimentis, & qui habet duas qualitates dicitur singulariter aliqualis, propter duas qualitates*: hæc ille. E contrario verò, si vna tantum albedo diuinitus locaretur in duobus subiectis, ea plura quidem alba nemo non appellaret. Rursus, homo triplici cognitione humana scilicet, angelica, & diuina cognitus, dici non solet triplex, sed idem obiectum diuersimodè cognitum. At è contrario homo, equus, & angelus eadem simplicissima cognitione à Deo cogniti tria obiecta seu tria cognita dicuntur: Ex quibus omnibus colligitur, concreta accidentalia haud raro dici vna vel plura, provt talia sunt eorum subiecta, nulla formarum ratione habita, & esto illæ contrariam potius conditionem sibi vendicent.

Porrò autem hæc assertio secunda meo vera iu- 46
dicio est, non solum si concreta accidentalia nomine aliquo significentur adiectiuo, in quo omnes fermè conueniunt, sed etiamsi substantiuè accipiantur; tum propter exempla nuper adducta, tres enim parietes eadem albedine affecti dicerentur tria alba, & modo tres homines eadem cognitione cogniti, tria tamen obiecta dici consuescunt: tum etiam, quia artifex, philosophus, creator, Dominus, nomina substantiua sunt, & tamen idem homo pluribus artibus pollens, dici solet vnus artifex, & philosophiæ naturalis, moralis, & rationalis scius non plures philosophi sed vnus; Deus item, plures quamuis

relationes creatoris & Dominij habeat, non nisi vnus Dominus, vnusque creator. E diuerso autem, si vna quædam ars, & vna philosophiæ scientia in multis ponerentur hominibus, haud dubiè dicerentur plures artifices, philosophi: idémque est de relatione dominij, & creatoris si per impossibile foret altervtra qualitas quædam pluribus subiectis inesse non repugnans suaptè natura.

47 Probatio autem prædictæ assertionis haud est alia, nisi communis vsus, qui est optimus dicendi magister, & quo solo nititur B. Thomas 3.p.q.3. art.7. ad probandum, non solum concreti accidentalis in aliquibus euentis, sed cuiuslibet concreti in quolibet euentu pluralitatem, & vnitatem desumi oportere à solis suppositis: *Nominibus*, inquit, *est vtendum, secundum quod sunt ad significandum imposita, quod quidem est ex consideratione eorum quæ apud nos sunt, & ideo oportet circa modum significandi, & consignificandi considerare ea quæ apud nos sunt, in quibus nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum*: Hæc ille; cuius tamen doctrina restringenda est, ne sit falsa, vt ex inferius dicendis constabit. Non me latet aliquos cum Arriaga citata disp. 1. summul. sect. 9. hoc argumento vti: omne quod dicitur multiplex, tale dici nequit, nisi propter id quod importat in recto: at albnm v. g. & quoduis aliud accidentale concretum, infert in recto suppositum, penes hoc ergo solum poterit, ac debebit multiplicari. Sed contra primo, quia Deus importat in recto non semper naturam, sed aliquando personam, vt tam de ipso quam de quouis alio concreto substantiali naturam declarante ostendimus supra cap. 3. assertione 9. vtque perspicuè colligitur ex B. Thoma 1. p. q. 39. art. 4. *quandoque ergo hoc nomen Deus supponit pro essentia* (vtique principaliter, & in recto) *vt cum dicitur Deus creat, quia hoc prædicatum competit subiecto ratione formæ significatæ, quæ est Deitas. Quandoque vero supponit personam, vel vnam tantum, vt cum dicitur, Deus generat; vel duas, vt cum dicitur Deus spirat; vel tres, vt cum dicitur Regi sæculorum, immortali, inuisibili, soli Deo* &c. 1. Timot. 1. Vbi animaduertere est penultimam, & antepenultimam propositionem, ab Angelico præceptore allatas, haud quaquam esse posse veras, nisi in eis persona supponatur, ac subiiciatur in recto, vt intuenti liquebit. At nunquam ita sumi potest Deus vt eum multiplicari seu plures Deos dici fas sit, perperam ergo statuitur tum aliquid multiplex dici posse cum quod importat in recto multiplicitatem non refugit. Vlterius album importat in recto formam haud raro: at nunquam est in vsu, vt quatenus ea voce exprimitur, dicatur multiplex, ob multiplicem albedinem, quam eidem subiecto inesse fert probabilior opinio vel certè quam posse ei inesse est in dubium: ergo ex hoc etiam titulo fallax est & Lesbyæ similis ea regula, quæ præcipit multiplicitatem recti semper attribuendam esse toti concreto.

48 Assero tertio: concreta accidentalia interdum tamen dici solent absolutè & simpliciter plura, ratione formarum duntaxat. Probatur assertio: nam à primo, cum dicitur, *homo est quidditatiuè animal rationale*, huius propositionis subiectum & prædicatum dicuntur absque vlla restrictione duo quædam concreta intentionalia, duoque eius enunciationis extrema pluresque termini: at tota eorum pluralitas ac distinctio se habet ex parte cognitionis, quæ velut forma denominat subiectum & prædicatum, & est multiplex vel realiter, vel certè virtualiter: ipsum autem obiectum seu materiale nullam obtinet distinctionem aut pluralitatem, nisi à forma illa intentionali emendicatam. E contrario vero, homo in ea propositione est vnum subiectum, propter vnitatem formæ subiicientis, cum tamen res ipsa quæ subiicitur, homo scilicet, haud sit vna secundum se sed multiplex, Petrus nimirum, Paulus ac cæteri: idem videre est in subiecto huius enunciationis, *Petrus & Paulus currit*, quod quidem vocatur absolutè vnum subiectum, vnusque terminus complexus, & non multiplex, sicut tota propositio vna similiter & non plures, & tamen vnitas talis subiecti, non à materiali, sed à formali quæ sunt reipsa plura ac diuersa, intentionaliter copulante oritur.

Rursus secundo: genus & species dicuntur duo 49
prædicabilia specie diuersa, adeoque realiter plura; nec enim possunt esse realiter idem quæ sunt specie diuersa: atqui pluralitas, ac distinctio realis eorum intercedit inter solam vtriusque formam, genereitatem videlicet & cognitionem specificam, cum pro materiali haud quaquam realiter secernantur. vt cernere datur in homine comparatione animalis, & in quibusuis aliis obiectis vtrique vniuersalitati substratis. E diuerso autem species dicitur vnum predicabile, tametsi hominem v. g. equum, ac cæteras species complectatur propter vnitatem scilicet formæ; & earum etiam quæuis dicitur vna species, quamuis plura indiuidua comprehendat, nimirum ob vnitatem cognitionis, cui velut formæ subsunt, & merito cuius in eandem speciem coalescunt. Quod autem in genere, & specie argumentum factum est, idipsum potest in aliis concretis intentionalibus fieri.

Præterea tertio: albedo, & dulcedo receptæ in 50
eodem subiecto tribuunt ei diuersas denominationes: quæuis autem denominatio est concretum complectens formam denominantem, & subiectum denominatum: concretum ergo, physicum etiam, iis solet exprimi vocibus, vt possit prout eis subiectum dici multiplex, ob solius formæ multiplicitatem: vel paulo aliter; album quatenus tale distinguitur à dulci, & est diuersum ab eo concretum: hoc ergo, non obstante vnitate subiecti, dicitur aliquando multiplex, atque diuersum. Ex alia etiam parte, si albedo recipiatur simul in materia, & quantitate, & has quoque demus inuicem distingui, vtraque tamen dicetur vnum album: tale item dici, ac censeri solet aggregatum materiæ & formæ, etiamsi, pro eo ac aliqui putant, ambæ albedinem aliaque accidentia ex æquo suscipiant: vnitas ergo solet attribui concreto etiam physico, propter vnitatem formæ solius. Denique, si in eadem materia sint plures formæ artificiosæ, v. g. si ex eodem metallo fiat affabrè vas quo bibatur, & imago fictilis, signum, quo leo. v. g. aut aliud animal repræsentetur, vt sæpe sæpius contingit, profectò dicentur duo quædam artefacta, vas scilicet, & imago siue simulachrum: deinde, si diuersis specie materiis imprimatur eadem forma artificiosa leonis, æri videlicet & pario lapidi, haud erunt plura specie simulachra, seu signa, sed potius vnius, eiusdemque speciei: concretum ergo accidentale dici potest quodammodo vnum, ratione solius formæ.

Notandum hic quoque, præsentem assertionem 51
tertiam (cuius non est alia probatio præter vsum, & modos loquendi superius adductos, sicut de secunda diximus) procedere in concretis accidentalibus, tum nomine aliquo substantiuo significatis, idque

idque ſæpiſſimè, vt liquet exemplis quibus vſi ſumus; tum etiam aliquando in eis adiectiuè ſumptis: nam ſpecies, & differentia. v.g. dicuntur, non duo modò prædicabilia, ſed etiam duæ prædicabiles; aliaque prout prædicabilis cenſetur diſtincta ab alia, & talis vſurpatur; Neque non Petrus. v. g diuerſas cognitiones terminans hoc ipſo dicitur multifariam cognitus, ſcilicet clarè, & obſcurè, intuitiuè, & abſtractiuè, per ſenſum & intellectum: illa autem vocula, *multifariam*, non appellat ſupra Petrum ſecundum ſe, ſed ſupra cognitum adiectiuè ſumptum: huiuſmodi ergo concretum ob ſolius multiplicitatem formæ multiplicatur, ſin minus nominaliter, at certe aduerbialiter. Quod attinet ad concreta ſubſtantialia, tum creati, tum etiam increati, & Diuini ordinis, quo pacto ea multiplicentur re ipſa, declaratum eſt à nobis ſupra ad initium huius capitis. Quod verò ſpectat ad modum loquendi de eorum multiplicitate, ex Theologicis principiis valde dependet ideoque hic à nobis prætermittitur.

TRACTATVS IV.

De proprietatibus veritatis ſimplicis, ſiue termini.

CAPVT I.

Quatenus præcipuam termini proprietatem, videlicet ſuppoſitionem, alij auctores explicent?

1 SVppoſitio ſignificat primò poſitionem vnius rei pro aliâ, qua ratione puerum ſuppoſitum dicimus: ſecundo hypotheſim, ſeu quæſtionem finitam liti ſuppoſitam, vt iubie tam: tertiò propoſitionem aliquam, quam certam, ac ratam volumus eo fine, vt ab eâ ad aliam gradum faciamus; veluti ſi quis arguat ita: ſupponam virtutem eſſe laudandam: tunc ſic; ſed Prudentia eſt virtus, ergo laudanda: quod ſi prima illa propoſitio non admittatur dicitur de ſubiecto non ſupponente, videlicet ea, de cuius ſubiecto falſo prædicatum ſupponitur, aut certò affirmatur, de quo bene Hurtado diſputat. 1. ſumm. ſect. 2. & alij. Quartò, & propius noſtro inſtituto ſignificat ſuppoſitio affectionem quandam termini.

2 Quam definit Villalpandus lib. 1. cap. 1. eſſe *terminum exiſtere in propoſitione, & eſſe rem quam ſignificat tempore importato per copulam.* Impugnatur tamen hæc ſuppoſitionis definitio; quoniam ſuppoſitio eſt proprietas termini, vt cum ipſo reliqui omnes ſupponimus; at eſſe rem quam ſignificat tempore importato per copulam, non eſt proprietas termini: ergo &c. Minor hæc ſuadetur; eſt formaliſſime veritas complexa, ſed veritas huiuſmodi, ſicut & falſitas ei oppoſita eſt affectio propoſitionis, & in ſolo termino minime reperibilis, vt certo certius. Vlterius, in propoſitione falſa termini ſupponunt; at terminis propoſitionis falſæ, quatenus ſupponunt, earumuè ſuppoſitioni adducta definitio non competit; ergo eſt vitioſa. Maior probatur: nam in hac propoſitione, Deus non eſt trinus, Deus ſupponit pro vero Deo, ideo enim propoſitio falſa eſt, aliàs vera exſtitura: nam ſi Deus ita non ſupponat, ſed ſine vlla ſuppoſitione formali ſpectetur, ſanè propoſitio veriſſima erit; ſiquidem vox Deus, trina non eſt, cum nec tribus litteris, nec tribus etiam ſyllabis conſtet. Idem liquet in hac propoſitione falſa, equa non eſt ſimilior homini, quam aquæ; aut in hac homo eſt ſimilior equo quam hamo, aliiſque ſimilibus, quarum ſubiecta, ſi non ſupponant formaliter pro rebus, ſed in ſolis vocibus ſiſtatur, erunt euidenter veræ. Denique quia cum ſuppoſitione termini ſignificationem rei à ſe diſtinctæ coniunctam ab eaque inſeparabilem adſtruit ea definitio, cum tamen termini alterius non ſignificatiui quodam modo ſupponant, videlicet materialiter, vt conſtabit inferius.

Secundò ſuppoſitionem definiuit Sotus 2. part. 3
introduct. cap. lect. & not. 1. acceptionem termini pro aliquo reſpondente illi, ſecundum eandem acceptionem. Diſplicet etiam hæc definitio: tum quia obſcura: tum quia nugax; obſcura quidem, quia neſcias, quid nomine acceptionis accipiat, ſubſtitutionem, an ſignificationem? & alij aliter eum accipiunt: nugax quidè, quia æquiualet huic, ſuppoſitio ſignificat eandem rem, quæ ſignificatur per illam; aut certè huic, eſt ſubſtitutio rei pro re, pro qua ſubſtituitur. Tertiò eam definit Cardin. Tolet. lib. 2. cap 1. vſum termini pro ſe, vel pro ſuo ſignificato. Verum haud magis placet, quoniam ſuppoſitionem in communi per ſpecies, videlicet materialem, quæ eſt vſus termini pro ſe & formalem quæ eſt eius vſus pro alia ſignificato, definit: non ſecus, ac ſi quis animal definiret, viuens, rationale, vel irrationale.

Quartò, nonnulli recentiores in quouis termino 4
diſtingunt duplicem ſignificationem; aliam actu primo talem, qua in alicuius cognitionem ducere poteſt: aliam actu ſecundo eiuſmodi, qua nimirum de facto ducit: & ſuppoſitionem cum hac poſteriori ſignificatione eandem prorſus, à priori verò diſtinctam, exiſtimant. Cæterum tribus argumentis confutari poſſunt: primum eſt, quia termini extra propoſitionem verè ſignificant etiam actu ſecundo; audita enim hæc voce, *homo*, in veri hominis notitiam illico rapimur: at non ſupponunt extra propoſitionem, vt ipſi cum pleriſque in confeſſo habent; ſignificatio igitur actu ſecundo talis, & ſuppoſitio neutiquam ſunt eiuſdem rationis atque naturæ; aliàs termini ex æquo intra, & extra propoſitionem ſupponerent, & ſignificarent. Aliud aduerſus eoſdem authores argumentum ſic habet: hac in propoſitione, *canis currit*, canis pro ſolo terreſtri ſupponit: nam ſi pro maritimo, aut cæleſti ſupponeret, haud eſſet vera ſed falſa propoſitio, cum maritimus, & cœleſtis non currant, ſed alter natet, alter luceat: ſed canis in hac propoſitione ſignificat actu ſecundo, non ſolum canem terreſtrem, verumetiam maritimū, & ſydereum, ſiquidem in eorum etiam notitiam ducimur: cuius ſignum eſt, quod audita propoſitione illa ſtatim eam diſtinguimus, & de cane terreſtri eam fatemur, de ſydere vero ac piſce negamus. Tertium argumentum contra hos neotericos eſt eiuſmodi: quiuis terminus in quauis propoſitione ſignificat actu ſecundo ſeipſum, aliàs nihil à ſe diſtinctum ita ſignificaturus: at non in quauis propoſitione quiuis terminus pro ſe, ſeu materialiter ſupponit: id enim eſſet ſuppoſitionem formalem de medio tollere; haud igitur recurrunt ſuppoſitio, & ſignificatio proxima, atque actualis.

Demum Hurtadus diſp. 2. ſum. ſect. 1. §. 6. ſuppo- 5
ſitionem definit, ſubſtitutionem ſigni ſenſibilis loco

con

conceptus mentalis, ad constituendam propositionem circa significatum termini mentalis. Impugnatur etiam: tum quia definitio definitum ingreditur; cum suppositio, ac substitutio sint voces synonimæ: deinde, quia redundat ea particula, *ad constituendam propositionem*, cum iam dictum sit, *loco conceptus mentalis*, qui suaptè natura ad propositionem instar partis refertur: tertiò, quia particula etiam illa, *circa significatum conceptus mentalis*, eadem ratione superfluit: quartò, quoniam falso supponit terminum supponi pro solo conceptu mentali, & non eius obiecto, vt cap. sequenti constabit: tandem, quia suppositionem actuum mentalium, & insensibilium per vocalem illam complexam *signi sensibilis*, nullo iure eliminat, vt inferius planum faciam.

CAPVT II.

Verior suppositionis definitio.

6 IPse suppositionem verius, nisi fallor, & magis ex illius natura, & inter authores vsu, sic definio: *Est positio vnius significati pro alio vi copulæ enuntiatiuæ termino annexæ. Positio* est genus, quo conuenit cum propositione, præpositione, & postpositione, quibus plura aut simul, aut cum successione quadam & ordine prioris, vel posterioris ponuntur. Quod subsequitur est differentia, cuius prior particula, nempe, *vnius significati pro alio* suppositionem facit à supradictis differre: necnon etiam à prolatione termini extra propositionem: ea enim est positio quædam termini pro suo significato, siue sit vnum siue plura, non tamen positio vnius significati pro alio: prolata siquidem hac voce, *canis*, aliave simili, nec vnum eius significatum potius quam aliud significatur per se loquendo, nec etiam affirmatur, aut negatur vnum potius quam aliud. Per eam particulam, *vi copulæ enuntiatiuæ termino annexæ*, suppositio differt à restrictione: nam cum dicitur, *canis cœlestis*, significatio canis determinatur ad sydus, & hoc præ cæteris significatis sub ea voce ponitur; siquidem per eam non piscis, aut quadrupes cælestis significatur; aliàs compositio illa apprehensiua exterior suo modo esset falsa: nihilominus ibi, *canis*, ratione vocalæ appositæ pro cælesti non supponit, sed potius restringitur ad cœlestem: quoniam videlicet ea appositio, & ex ea resultans positio vnius significati pro alio, neutiquam fit vi alicuius copulæ enuntiatiuæ: porrò restrictionem à suppositione propriè sumpta differre, & non hanc, sed illam resultare ex adducta complexione duorum terminorum, canis scilicet & cælestis, aliave quauis, constans est dialecticorum opinio. Quo autem nostra definitio clarior, & luculentior sit, en eam alijs verbis: suppositio est, qua terminus ita afficitur à copula enunciatiua sibi annexa, vt vnum eius significatum potius quam aliud sit subiectum, vel prædicatum in propositione: aut quod in idem recurrit, est qua terminus vi copulæ determinatur, vt vnum significatum illius præ alio vicem subiecti, aut prædicati subeat.

7 Obiicies tamen primò, aduersus traditam definitionem: terminus duntaxat vnum significans, cuiusmodi est homo, v.g. supponit: & tamen vi illius vnum significatum pro alio poni nequit, cum vno, & alio prorsus careat. Respondeo: omnis terminus, aut significat plura ex instituto, vt canis triplicem illam differentiam canum toties repetitam; aut vnum naturaliter, & aliud ex instituto, vt homo vocem, & rem vocatam, omnes scilicet homines, aut plura naturaliter, vt blitiri seipsum, & conceptum qui ei respondet, aut etiam reliqua blitiri sibi similia, iuxta inferius lib. 6. dicenda. Quam solutionem egregiè confirmat Chrysippus cuius, vt refert Aulus, Gellius lib. 11. noctium atticarum cap. 12. sententia fuit, *omne verbum ambiguum natura esse, quoniam ex eodem duo, vel plura accipi possunt.* Huc etiam faciunt Ascensij verba super eundem Gellij locum: *certum est, omne nomen significans rem, quæ pingi potest, æquiuocum esse ad rem veram, & pictam: præterea de mentali, aut vocali termino posse loquentem intelligere se loqui.* Hæc ille. Neque præter Diodorum cognomento Cronum, cuius meminit Gellius supra, qui contrarium sentiat, vllum comperio. Imò hunc etiam interpretari conatur Ascensius loco citato.

8 Obiicies secundò; suppositio est affectio termini: at iuxta nostram definitionem non tam esset affectio termini, quam significati per terminum, cum non tam terminus ponatur pro suo significato, vi suppositionis, quam vnum significatum pro alio. Respondeo; suppositio termini passiuè sumi non debet, vt obiectio contendit; aliàs terminus non tam supponere; quam supponi diceretur; contra communem summulistarum sensum, quos immerito Fonseca lib. 8. cap. 2. & Hurt disp. 2. sect. 1. barbariæ incusant; sed potius actiuè, ita vt suppositio sit, qua terminus supponit vnum significatum pro alio, aut si mauis, qua se ponit pro vno significato potius, quam pro alio.

9 Obiicies tertiò, suppositionem iuxta nos esse, qua fit, vt vnum significatum, & non aliud ponatur in propositione, & vel subiiciatur, vel prædicetur beneficio copulæ; atqui fieri, vt vnum significatum, & non aliud ita ponatur in propositione velut subiectum, aut prædicatum non est poni vnum significatum pro alio, sed poni vnum, & non aliud, quæ sunt longè diuersa: malè ergo definiuimus, suppositionem esse positionem vnius significati pro alio. Respondeo, hoc argumentum solarum vocum litem nobis intentare, de quibus parum curandum, vbi de rebus constet: Quocirca, si voces quibus sumus vsi, displicent, dici potest, suppositionem esse positionem termini, pro vno significato, & non pro alio vi copulæ, id quod etiam supra monitum. Respondeo secundò, voces à nobis vsurpatas satis congruas esse; ac perinde esse, vnum significatum, & non aliud poni in propositione vi copulæ, ac vnum significatum poni pro alio, vi illius: quo loquendi modo vtitur Martialis libro primo epigram. 1. inquiens.

Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro,
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Id est vnum loquatur, & cætera sileat, ac non loquatur, aut deprædicet.

10 Obiicies quartò: hac in propositione, *Petrus est ens*, vel *est aliquid*; Petrus supponit: & tamen non ponitur vnum eius significatum pro alio: hoc est vnum eius significatum potius quam aliud non subit vicem subiecti; sed omnia sunt subiectum, cum prædicatum eius propositionis omnibus conueniat, quæ est eius vniuersalitas. Respondeo, in illo prædicato vniuersali latere plura particularia respectu quorum vnum significatum eius vocis, *Petrus*, potius quam aliud habet rationem subiecti: hoc autem satis est, vt Petrus supponat: Ex. gratia, cũ dicitur, *Petrus est ens*, vocula, *ens*, continet substantiam, quæ non de voce, sed de re significata dicitur, & etiam accidens, quod de voce, & non de re enunciatur, nec non accidens spirituale, quod de conceptu, & non de re, aut voce affirmatur. Respondeo secundò, in ea propositione

signi

significatum totale poni pro partiali, id est prædicatum dici, & verissimè de voce, re, & conceptu, & non de sola re, aut sola voce, siue conceptu; hoc autem abunde esse, vt vnum significatum eius vocis, *Petrus*, ponatur pro alio, parteſque subiecti sustineat.

11 Objicies quintò: voluntas imponens vocem aliquam ad significandum quidpiam, eamve faciés signum, vt aiunt, ad placitum, reuera ponit vnum significatum pro alio; facit enim, vt vox vnum potiùs quam aliud exprimat, v.g. homo hominem magis quam equum: nihilominus ea voluntas, & institutio non est suppositio terminum velut proprietas consequens: ergo. Distinguo maiorem: voluntas illa ponit vnum significatum pro alio veluti efficienter, concedo maiorem; formaliter siue affirmando aut negando aliquid de vno potius quam de alio, nego maiorem: suppositio autem est non in priori sed in posteriori positione sita, vt ex particula illa, *vi copulæ enuntiatiuæ*, satis eluceſcit.

CAPVT III.

Aliarum aduersus nostram sententiam difficultatum solutio: vbi an voces supponant pro rebus vel conceptibus?

12 OBjicies sextò ex P. Hurtado disp. 1 sum. sect. 1. & P. Arriaga di put. 1. sect. 4. & aliis: voces supponunt pro solis conceptibus, non pro rebus; at positio vnius significati pro alio non magis ad conceptus, quam ad res spectat; perperam ergo ita est à nobis definita suppositio: maior suadetur; quoniam, si possemus agere inuicem per actus intellectus, nullatenus vocibus vteremur, qua ratione angeli vocum vsu carent, propterea quod absque illarum ministerio integrum eis sit conceptus suos inuicem pandere; voces igitur loco conceptuum duntaxat substituuntur: deinde si voces pro rebus supponerent, maximè quia res nobiscum trahere ad colloquium non possumus teste Aristotele 1. elench. at hæc ratio futilis est, cum quisque se secum ferat, & etiam plura à se distincta, videlicet equum, vestem, ac cætera sua secum possit ferre.

13 Enimuerò iure merito definitio nostra supponit, voces non tantum pro conceptibus sed etiam pro rebus proprie supponere: primo, quia terminus vocalis supponere potest pro omni eo quod significat, aliàs cur vox, *homo*, pro conceptu hominis supponit, non pro conceptu leonis, nisi quia illum, non hunc significat? sed terminus vocalis haud minus res quàm conceptus significat. Rursus secundò, quoniam conceptus supponunt pro rebus, vt constabit inferius: igitur & voces, pro iisdem supponunt. Tertio, quia si quis absque apprehensionibus præuiis inter se distinctis affirmet Petrum v. g. & Paulum distingui realiter; sanè voces pro solis rebus quodammodo supponent, videlicet vt quod, vt aiunt, aliàs propositio erit falsa futura, siquidem conceptus Petri non est id quod distinguitur realiter à conceptu Pauli; imo ambo sunt indistincti. Quartò denique, quoniam voces supponere propriè pro rebus etiam, vti docuimus, edocent Aristoteles lib. illo. 1. elench. & cum eo Fonseca lib. 8. instit cap 22. Auersa tract. 2. instit. c. 8. Villalpandus, Sotus, Toletus, locis citatis, & plerique alij Scholastici, tum veteres, tum iuniores.

14 Ad argumentum contrarium respondeo, negando maiorem, propter dicta numero superiori: ad primam eius probationem dicendum est, si res etiam per se ipsas aliis manifestare, & de eis loqui possemus, vocibus nos minimè vsuros, haud secus atque pater æternus loquitur, ac se manifestat filio, sine locutione actiua à se distincta, videlicet quia se per se ipsum realiter manifestare potest: proinde eadem ratione, qua voces dicuntur pro conceptibus subrogari, eadem inquam necesse est, eas pro rebus substitui. Ad secundam eiusdem maioris probationem dici debet, Aristotelem benignius & subtilius interpretandum, non de tractione reali & physica, sed de ea qua res aliis intentionaliter repręsentamus, seu præ entes facimus, ac manifestamus: in quo sensu verissimum docuit, & idipsum quod in responsione primæ probationis iam iam tradidimus.

15 Objicies septimò, conceptus non supponunt pro rebus; at iuxtà nostram definitionem ita supponerent, ea si vera esset; nam positio vnius significati pro alio non magis ad voces respectu conceptuum, ac rerum, quam ad conceptus gratia rerum attinet. Maior probatur ex Hurtado disput. illa. 2. s. 1. §. 8. supponere est facere loco alterius, quod ipsum facere debebat, aut erat facturum: Sed conceptus non faciunt loco obiecti, quod obiectum facere debebat, eratve facturum: conceptus enim cognoscit, obiectum autem non debet cognoscere sed cognosci: quæ ratio non militat in vocibus, quæ pro conceptibus supponunt vel supponere possunt, eo quod faciant vi conceptuum, quod horum proprium est; affirmant enim, & negant, sicut conceptus quibus respondent.

16 Respondeo, conceptus supponunt pro rebus; tum quia suppositio est proprietas termini: at ratio termini strictissime in conceptibus reperitur: tum quia conceptus significant res: ergo pro eis supponere possunt: tum demum, quia voces pro se materialiter supponunt, cum se si non ex instituto, at certe naturaliter repræsentent: ergo etiam conceptus supponere poterunt pro rebus, quas naturaliter exprimunt. Ad probationem oppositam dico; supponere siue supponi, si hac voce vti mauis, non semper est facere loco alterius, quod illud aut facturum erat, aut facere debebat, sed aliquoties est facere, vice alterius, quod illud per se agere nequit: qua ratione species chimæræ eius est vicaria, & pro ea supponitur, cum tamen producat actum seu cognitionem, quam chimæra producere nec potest, nec debet: quando igitur conceptus manifestant nobis obiecta, quæ se nequeunt per se ipsa manifestare, mirum non est si pro obiectis supponant. Porro vocum exemplum retorqueri potest; nam voces supponunt pro conceptibus, vt omnes vltro petimusque damusque vicissim: & tamen non faciunt, quod conceptus erant facturi, aut facere debebant, cum conceptus nostri nobis quidem, non aliis affirment, & negent; voces autem aliis præcipuè negent, & affirment.

17 In calce sectionis animaduertendum est primo, contrà antiquos quosdam summulistas, nomina adiectiua supponere: tum quia termini sunt, ac proinde proprietatem termini in communi debent suo sibi iure vendicare; tum etiam quia in hac propositione, Petrus est albus, nisi vocula, *albus*, supponat pro obiecto à se distincto, seu re sibi subiecta, propositio erit falsa citra dubium. Animaduertendum secundò, contrà recentiores aliquos, non solum subiectum verum etiam prædicatum propositionis supponere, duabus videlicet de causis haud

ita prius insinuatis. Animaduertendum est tertiò, contra alios, vnionem supponere, quia cum duo significet, nimirum hanc vocem, *est*, & identitatem obiectiuam ei respondentem, pro vtrauis poterit supponere. Animaduertendum est quartò, aduersus nuperos quosdam, scripta etiam & nutus supponere, cum sint termini externi, haud secus ac voces. Tandem animaduertendum est contrà Arriagam disput. 1. Summ. sect. 4. voces extra propositionem minime supponere, eo quod ad quoduis suum significatum indifferentes sint, & neutrum pro alio ponant, vi alicuius copulæ enuntiatricis: quod etiam à posteriori suadeo, quoniam hæc vox, *homo*, extrà propositionem non supponit simul materialiter, & formaliter, cum sint oppositæ suppositiones, adeóq; tales quæ vel non possint, vel certè non debeant eidem termino conuenire; nec mere formaliter, nec merè materialiter, cum non sit potior ratio, quapropter vno potius modo, quam alio supponat; nullo igitur modo supponere potest.

CAPVT IV.

Diuiditur suppositio.

18 PRimò in materialem, & formalem: materialis est, qua terminus pro se, & non pro alio significato ponitur; quod tripliciter vsuvenire potest; nimirum, aut ratione subiecti, quod se solum instar obiecti significat, vnde mirum non est, si pro se supponat, quidquid sit an pro alio etiam supponere possit, de quo inferius, veluti blictiri est vox: aut ratione alterius annexi ex parte subiecti, veluti, hęc vox homo est nomen, vbi particula, hæc vox, determinat hominem ad suppositionem materialem, & ab eo formalem excludit: aut ratione prædicati, veluti homo est nomen, vbi prædicatum determinat subiectum propositionis, videlicet hominem, vt materialiter, ac pro se supponat, aliàs eiusmodi propositio esset falsa. Suppositio formalis est positio termini pro significato distincto à semetipso, veluti homo est verum animal, quæ propositio neutiquam esset vera, si subiectum pro alio à se distincto non poneretur. Harum suppositionum meminit Augustin. in dialectica cap. 10. sic inquiens: *Cum definio quid significat nomen possum hoc ipsum exempli gratia supponere, quod dico nomen vtique nomen est, hac enim lege per casus flectitur, dicendo nomen nominis nomini, &c. Item cum definio quid significat dactylus, hoc ipsum potest pro exemplo esse: etenim cum dicimus, dactylus, vnam syllabam longam, & duas deinde breues enunciamus. At verò cum definitur aduerbium quid significet, non potest huius ipsum exemplo dicere: etenim cum aduerbium dicimus, hæc ipsa enunciatio nomen est. Ita secundum aliam notionem aduerbium vtique aduerbium est, & nomen est: secundum aliam verò aduerbium non est aduerbium, quia nomen est. Item pes creticus quando quid significet definitur, non potest hoc ipsum pro exemplo esse: hæc enim ipsa enunciatio quando dicimus criticus prima longa syllaba, deinde duabus breuibus constat, quod autem significat longa syllaba & breuis, & longa est. Ita & hic secundum aliam notionem creticus nihil aliud est, quam creticus & dactylus non est: secundum aliam vero creticus non est creticus, quia dactylus est.* Suppositio materialis alia est intrinseca, qua terminus ponitur pro se secundum prædicata sibi intrinseca, vt homo est vox dissyllaba; alia extrinseca, qua ponitur pro se secundum prædicata sibi extrinseca, & arbitraria, vt homo est nomen. Rursus suppositio formalis, alia est propria, qua terminus supponit pro significato proprio à se distincto, vt leo regit: alia impropria, qua terminus supponit pro significato improprio à se distincto, vt pratum ridet.

Animaduerto Primò, recentiores quosdam perperam in ea esse sententia, vt existiment, voces non significatiuas ex instituto solum materialiter supponere: tum quia pro aliis similibus formaliter supponunt, vt in hac propositione, omne blitiri est vox, de quo fusius lib. 6. tum etiam quia pro conceptibus supponere possunt, & debent; at conceptus ab eis realiter distinguntur; supponunt ergo non tantum pro se, sed etiam pro significato quopiam à se realiter distincto, adeoque formaliter, & non materialiter tantum. Quocirca, sicut in hac propositione, *rationale ex parte modi non est animal*, vocula, *rationale*, supponit formaliter pro conceptu, ita etiam in hac, *blytiri penes id quod est in mente respondet non est vox*, particula, *blytiri*, pro conceptu, & formaliter supponet. Animaduerto secundò contra Fonsecam, in hac propositione, *nomen est vox*, particulam, *nomen*, non supponere duntaxat formaliter; siquidem supponit pro se, propterea quod sit nomen adeoque materialiter: quod autem se ex instituto significet, parum refert; distinctio enim suppositionis formalis, & materialis, non est penes diuersum modum significandi, naturaliter, & ex arbitrio, sed penes diuersum significatum, distinctum videlicet à termino, vel indistinctum, vt ipsis, & cæteris est in confesso. Animaduerto tertio contra alios, in ea propositione proximè adducta, particulam, *nomen*, non supponere solum materialiter: haud enim ponitur duntaxat pro se, sed etiam pro aliis: quod autem se clarè reliqua nomina confusè repræsentet vt instant aduersarij, nihil interest, namque iterminus supponit haud raro pro iis, quæ confusè significat, veluti in hac propositione, homo est animal in qua homo, omnes homines confusè sumptos comprehendit, & pro iis supponit. Itaque in ea propositione, de qua præcipuè lis, vocula, *nomen*, partim formaliter, partim materialiter supponit. 19

Alio quoque sensu vsurpari potest formalis suppositio, provt nimirum distinguitur non à materiali, sed ab identica: ita autem vsurpata, dici solet esse ea qua subiectum, & prædicatum, pro diuersis significatis supponunt, vt rationale est risibile; identica verò ei opposita, qua pro eodem formaliter significato supponunt, vt rationale est rationale. Hinc diuiditur vlterius suppositio, in communem, & singularem, seu discretam: communis est, quæ terminum pro significato communi, singularis verò, quæ eum non pro communi, sed pro singulari substituit: quapropter hæc posterior suppositio nuncupatur ab aliquibus discreta, eo quod vnum singulare ab alio discernat. 20

Nonnulli recentiores multi sunt in restringenda suppositione communi, aiuntque non esse eam quam nos definiuimus, sed quæ respicit significatum commune aliquo signo affectum, ratione cuius nequeat in singularibus reperiri, aut de eorum singulis enuntiari: quamobrem in hac propositione, omnis homo currit, subiectum communiter supponit, secus vero in hac, homo currit. Cæterum magnopere displicent, quoniam suppositio singularis omnem terminum singularem respicit: quidni ergo suppositio communis omnem terminum communem, siue signatum siue nullo distinctum 21

signo?

signo ? Deinde, siue suppositio communis dicatur, *vsus termini pro suis inferioribus*, vt vult Toletus lib. 2. cap. 2. siue, *qua terminus supponit communiter*, vt vult Villalpandus lib. 1. 3. p. c. 1. siue, *vsus termini communis communiter retenti*, vt vult Sotus 2. p. c. 1. lect. 4. not. 1. quouis inquam horum modo; quemcumque terminum communem respicit. Denique, in hac propositione, homo est animal, homo non supponit singulariter; ergò communiter: nam hæ particulæ, *communiter*, & *singulariter*, vel *particulariter*; opponuntur immediatè. At obiiciunt aduersarij, suppositionem communem esse vsum termini communis communiter retenti, in quo inquiunt à Soto discrepat nullus; at ea definitionis particula, *communiter retenti*, indicat signum vniuersale, omnis, aut nullus, aut aliud simile. Sed in primis ea definitio non est vsque adeò ab omnibus recepta: Vlterius, ea admissa, posterior particula illius non tam significat syncategorema, omnis, nullus aliudve simile, quam negationem syncategorematis particularis, hic, iste, aut alterius similis; & ita definitionem Soti explicat Hurtadus disp. 1. s. 4. §. 18. eamque æquiparat huic suæ; *est substitutio pro termino communi*. Proinde miror aduersarios plerorumque dialecticorum authoritate niti, cum potius eis apertè renitantur.

21 Adiicienda etiam est alia diuisio suppositionis in naturalem, & accidentalem: illam definio ac censeo esse eam, qua terminus ponitur pro suo significato, penes ea quæ ei naturaliter, seu essentialiter insunt, veluti homo est animal; accidentalem vero è contrario, positionem termini pro suo significato, penes illa quæ non naturaliter ei conueniunt, veluti homo currit, aut cognoscitur.

CAPVT V.

Vlterior suppositionis diuisio in simplicem & personalem.

22 SVppositio simplex est positio termini pro suo immediato & formali significato; qua ratione in hac propositione, *homo est species*, homo simpliciter supponit, quia pro homine vt sic, non pro Petro & Paulo; alias propositioni falsum subesset, cum eorum neuter sit species. Personalis est positio termini pro mediato significato, vt *homo currit*, vbi homo non ponitur præcisè pro homine vt sic, aut in commune, sed pro Petro aut Paulo: quare descensus ad inferiora huius duplicis suppositionis infallibile discrimen ab omnibus traditur. Sic vtramque fere definiunt Tol. lib. 2. cap. 1. Fons. lib. 8. cap. 24. contra quos cum Hurtado, & Arriaga denso agmine plerique recentiores inuehuntur.

23 Primo; quoniam in his propositionibus, Petrus currit, Petrus est indiuiduum subiicibile, Petrus ex æquo ponitur pro suo immediato & formali significato, cum defectu inferiorum mediatè, & materialiter significare nequeat; at non vtrobique eodem supponit modo, sed in prima personaliter, & in secunda simpliciter, vt omnibus est in confesso; penes ergo mediatum, aut immediatum, formale, aut materiale significatum, haud est vtriusque suppositionis distinctio. Secundo, quia in his propositionibus, homo est animal. homo est species, homo idemmet immediatum, & formale significatum, videlicet hominem vt sic, sortitur; at in prima personaliter, & in secunda simpliciter supponit ergo &c.

Tertio, quoniam in hac propositione, Petrus est hic homo, Petrus supponit personaliter, sed non pro mediato significato, homine videlicet, vt vt hic possit mediate significari per notionem Petri, nam de homine vt sic ne æquiualenter, & mediate hic homo affirmatur, non enim licet inferre, aut concludere, Petrus est hic homo, ergo homo vt sic est hic homo. Quarto, quia nulla est natura communis obiectiuè abstracta ab indiuiduis, ea enim abstractio à Platonicorum idæis, & figmentis parum vel nihil discrepat; suppositio ergo simplex nequit esse ea, qua terminus ponitur pro eiusmodi natura, quippe quæ plane repugnat. 24

Cæterum hæc argumenta non vrgent: ad primum respondeo, Petrum æquiualere huic homini, ac proinde significare immediatè, & formaliter hunc hominem, mediate verò & materialiter hominem: sicut enim ratio superior continet sub se rationes inferiores, ac proinde eas mediatè, & formaliter significat, ita ratio inferior continet in se rationem superiorem, eamque ad se contrahit, vnde eam mediatè & materialiter significabit: quare in hac propositione, Petrus currit, Petrus supponit personaliter, quia non solum de immediato significato, videlicet Petro, cursus affirmatur, verum etiam de mediato videlicet homine, non formaliter, sed æquialenter, eo quod ex hac propositione, Petrus currit, hominem currere recte inferatur: aut in hac, Petrus est indiuiduum subiicibile, supponit pro immediato, & formali significato, non verò pro mediato homine scilicet, cum ex hac propositione, Petrus est indiuiduum subiicibile, hominem vt sic esse indiuiduum subiicibile neutiquam possit inferri. Quid quod facile dici potest, eam diuisionem suppositionis in simplicem, & personalem esse subdiuisionem suppositionis communis; quare in propositionibus allatis Petrus nec per onaliter, nec simpliciter supponet, eo quod communiter non supponat: Sed de hoc paulo latius infra in responsione tertij argumenti: quod anteaquam diluendum aggrediar; 25

Ad secundum respondeo, latam in eo committi æquiuocationem, qua nimirum significatio cum suppositione confunditur: Etenim in duabus propositionibus obiectis pro eo supponit earum subiectum homo, de quo formaliter, aut æquialenter prædicatum affirmatur, non vero pro eo quod significat præcisè, quia illud significat: at in illa propositione, homo, est species, de solo homine in communi immediatè & formaliter significato species prædicatur, non vero de inferioribus quæ species esse ne æquialenter quidem asseruntur: in illa vero, homo est animal, de Petro & Paulo mediatè & materialiter significatis animal prædicatur: mirandum ergo non est, si in altera homo simpliciter, & in altera personaliter supponat, vtvt idem vtrobique significet. 26

Ad tertium respondeo, eam diuisionem suppositionis in simplicem, & personalem esse subdiuisionem suppositionis communis, vt nuper perstrictum: quamuis enim id negent Sotus, & Hurtadus, at affirmant veteres plerique dialectici cum Petro Hispano, & post eos Toletus, & Fonseca locis superius citatis: colligi autem perspicuè potest ex ipso vocum ethymo: nam *simpliciter*, eius particulæ vim si spectes, perinde multoties est, ac *secundum se*, & *præcisè*: meritò igitur dicitur terminus aliquis supponere simpliciter, cum sumitur provt præcisus à suis inferioribus, quæ mediatè ac materialiter importat; ita vero sumi potest duntaxat terminus communis 27

munis seu communiter supponens, secus vero singularis: vbi autem suppositio simplex contrahat,ac diuidat suppositionem communem, eandem nequit non contrahere, ac diuidere personalis; ambæ siquidem iuxtà omnes vnam rationem dissecant, & eiusdem sunt species subiectiuæ. Et quidem propter definitionem personæ à Boëtio traditam, videlicet *est rationalis naturæ indiuidua substantia*, sæpissime persona significat apud non paucos authores sola indiuidua v.g. Petrum, Paulum &c. non verò rationes superiores, provt ab eis abstractas:quare terminus communis, quando pro inferioribus etiam, ac singularibus mediatè & materialiter significatis ponitur, hoc ipso dici solet personaliter supponere: en quatenus vocum ethymon pro doctrina tradita faciat. Quæ cum ita sint,dicendum est, Petrum in ea propositione,Petrus est hic homo, nec personaliter, nec etiam simpliciter supponere, eo nimirum quod sit communi suppositione destitutus.

28 Enimuero quoniam probabile duximus, superius in solutione primi argumenti, terminum etiam singularem supponere posse tum simpliciter, tum personaliter & in hac propositione,Petrus curit,suppositionem Petri esse personalem, & in hac Petrus est indiuiduum subiicibile esse simplicem,adeóque neutram earum esse speciem suppositionis communis; quoniam inquam hæc à nobis supra dicta sunt, & quoad eius fieri potuit explicata, idcirco respondebis secundo, Petrum supponere simpliciter in ea propositione,Petrus est hic homo,non minus quam in illa, Petrus est indiuiduum subiicibile,aut secundo intentionale. Tertiò quoque non nemo diceret, eas suppositiones esse species, ac partes subiectiuas suppositionis formalis, provt hæc ab identica distinguitur: quare cum in illa propositione Petrus est hic homo,Petrus non supponat formaliter sed identicè, eum nec personaliter, nec etiam simpliciter supponere.

29 Ad quartum, & vltimum argumentum respondeo, ad veritatem eius definitionis, qua suppositio simplex est à nobis explicata, satis superque esse, quod natura communis possit abstrahi ex parte modi à suis inferioribus:at ad minimum talis abstractio negari nequit ab aduersariis, nec negatur, si solos Nominales excipias: quocircà immerito existimant quidam neoterici cum Hurtado & Arriaga, sine præcisione obiectiua rationis communis à suis inferioribus nostram, suppositionis simplicis definitionem sustineri non posse.Deinde secundò respondeo, eam præcisionem obiectiuam naturæ communis à particularibus aut è conuerso neutiquam repugnare; & cum Platonicorum idæis aperto marte pugnare,nedum eis affinem aut similem esse: quorum alterum lib. 8. luculenter constabit.

30 Sed instabis Primo: conceptus inferior v.g. Petrus non abstrahitur, nec præscinditur à ratione superiori, quin potius eam formaliter includit: perperam ergo dictum à nobis est,Petrum v.g. aliudvè indiuiduum supponere simpliciter,vel certè etymologia suppositionis simplicis haud est ea, quam tradidimus. Verum in primis, quamuis dixerimus Petrum supponere aliquando simpliciter, at oppositum velut probabile statuimus,hac videlicet de causa, quæ opponitur in præsenti.Item secundò Petrus v.g. ita continet hominem, vt eo ipso includat Petreitatem ab eo præcisam, & virtualiter ac ratione nostra distinctam: Petrus ergo penes aliquid sui sumi potest,simpliciter,adeóque eius formalitatis merito suppositionem simplicem obtinere.

31 Instabis iterum, in hac propositione, Petrus est indiuiduum subiicibile,sumitur Petrus provt subest actui intellectus illum præcisè ac simpliciter consideranti in ordine ad suam speciem ac nihil in eo efficienti, supponit ergo simpliciter, haud secus atque homo,cum dicitur,homo est species: perperam ergo dictum nec simpliciter nec personaliter Petrum supponere in ea propositione. Rursus in hac propositione,Petrus est hic homo, sumitur Petrus secundum id quod eius personæ à parte rei inest, siue pro eius persona pro vt talis est reipsa: sustineri ergo nequit quod diximus, Petrum inibi simpliciter non personaliter supponere.Cæterum quamuis ita explicent aduersarij etymologiam suppositionis simplicis & personalis, & ita vtriusque definitionem ab ipsis traditam & inferius ponendam tueantur, probéntque, quod tamen aliter explicari possit, ac debeat earum etymologia vocum, superius manet explicata abundè. Quapropter nihil vrget præsens replica, nihil habet veri aduersariorum sententia, circa vtramque suppositionem. Et quidem eadem ratione probare possent ij quibus cum disceptamus in hac propositione, homo est species, hominem non supponere simpliciter, quoniam non supponit pro re simplici sed potius composita physicè ex corpore, & anima, & metaphysicè ex gradu animalitatis, & rationalitatis, nec non in hac enunciatione, natura humana corpore, & anima constat, naturam humanam supponere non personaliter,sed simpliciter, contrà quam omnes auctores, & eos inter ipsi aduersarij sentiunt, nimirum quia, non supponit pro persona, sed potius pro natura à personalitate abstracta.

Modo ergo progredior ad impugnandas, vtriusque 32
suppositionis,definitiones ab Hurtado,& Neothericis traditas, quæ sic habent:suppositio simplex est ea,qua terminus ponitur pro re,quatenus subest, secundis intentionibus; personalis vero qua terminus ponitur pro re, sumpta secundum se, & independenter à secundis iutentionibus. Sed contra primò, quoniam in hac propositione, animal est confusè cognitum, animal supponit personaliter, cum tamen significet, rem provt subest secundis intentionibus: probatur assumptum, argumento, me iudice manifesto; signum suppositionis personalis,& eius à simplici discrimen à Toleto, Fonseca, Hurtado, & cæteris, etiam diuersarum partium auctoribus concessum,est descensus qui potis est fieri à termino personaliter supponente ad inferiora sua; secus vero à termino supponente simpliciter: v.g. ex hac propositione, animal est viuens, rectè inferas, ergo homo est viuens, leo est viuens:at ex hac,animal est genus, male inferas, ergo homo est genus, leo est genus: Tunc sic, ab animali, in superiori propositione, nimirum animal est confusè cognitum, descendere est ad inferiora, licetque ex ea inferre, ergo homo, provt animal, & in confuso est cognitus & leo similiter: quod minus negari potest, in sententia aduersariorum negantium præcisionem obiectiuam rationis communis, à quauis inferiori, vniusve cognitionem, etiam immediatam,& expressam sine alia: animal ergo, in ea propositione à nobis obiecta personaliter supponit, quantumuis, secundo intentionaliter accipiatur. Summa nostri argumenti, eiusque breuis declaratio sit hæc: in his duabus propositionibus, *animal est genus*, *animal aliquo modo cognoscitur*, animal ex æquo significatur,provt subiacet secundæ intentioni, atqui in vna supponit simpliciter & in alia personaliter,vt ex dictis perspicuum: eo ergo ex titulo, satis discriminatur suppositio simplex à personali.

Quod

33 Quod ſecundo, talem in modum contrà Neotericos oſtendo: In hac propoſitione, ſpecies eſt prædicabilis, de pluribus ſolo numero differentibus in quid, ſpecies perſonaliter ſupponit; at ſignificat rem, provt ſubeſt ſecundæ intentioni, qua de pluribus prædicari poſſit: ſuſtineri ergo nequit data vtriuſque ſuppoſitionis definitio, earumque diſcrimen. Maior ſuadetur; tùm quia, omnis definitio, prædicatur de ſuo definito perſonaliter ſupponente, aliàs in hac propoſitione, homo eſt animal rationale, hominem perſonaliter ſuppoſitum negarem; ſed in præfata propoſitione, de ſpecie eius definitio prædicatur: tum etiam, quia ea propoſitio deſcenſu ad inferiora gaudet, quandoquidem ex ea queas inferre ſpeciem humanam, leoninam, angelicam, de pluribus numero in quid prædicabilem eſſe, huiuſmodi autem deſcenſus, ſemper eſt cum ſuppoſitione perſonali coniunctus, vt ſupra dictum.

34 Ex his, quæ hactenus diſſeruimus, conſtat primo contra Hurtadum diſputatione ſecunda, ſect. 3. in hac propoſitione falſa, omnis homo eſt ſpecies, ſubiectum ſupponere perſonaliter, nimirum quia ponitur æquialenter, pro ſuo mediato ſignificato æquialet enim, ea propoſitio his, Petrus eſt ſpecies, Paulus eſt ſpecies. Conſtat ſecundo aduerſus Sotum, & alios, in hac propoſitione, homo eſt ſpecies, ſubiectum non habere hunc deſcenſum, ergo hic homo, in quantum cognitus vt homo, eſt ſpecies; ſiquidem non vnicus homo confuſè cognitus, ſed omnes ſpeciei rationem induunt, Conſtat tertio, propoſitionem vniuerſalem, perſonaliter ſupponentem habere deſcen um ad inferiora, ſub eodem pr dicato, ſecus vero ſupponentem ſimpliciter, vt ſupra, ex omnium ſententia, manet explicatum. Conſtat quarto aduerſus aliquos recentiores, propoſitionem particularem, ſimpliciter ſupponentem, interdum habere aſcenſum ad ſuperiora, ſub eodem prædicato, interdum non: ab hac enim Petrus currit, rectè aſcendas in hunc modum, homo, animal, viuens currunt, ſed ab hac, Petrus eſt hic homo, malè per eoſdem gradus aſcendas. Conſtat quinto, propoſitionem ſimpliciter ſupponentem habere deſcenſum ad inferiora, ſub diuerſo prædicato, ſi ſit vniuerſalis, & aſcenſum etiam ad ſuperiora, ſub di uerſo prædicato, ſi ſingularis: etenim ex hac, animal eſt genus, recte inferas, ergo aliquod animal, nempe homo, eſt eius ſpecies; & rurſus ex hac, Petrus eſt indiuiduum, ergo homo eſt ſpecies.

35 Conſtat ſexto, neceſſariam non eſſe, ſuppoſitionem abſolutam, ſeu mixtam ex perſonali, & ſimplici, inuentam à Fonſeca; nam hanc propoſitionem v.g. homo eſt animal, ait eſſe de ſubiecto mixtè, ſiue abſolutè ſupponente, cum tamen ſuppoſitionem hominis, in ea propoſitione, ad perſonalem reduci poſſe liqueat ex dictis.

CAPVT VI.

Diuiſio ſuppoſitionis in diſtributiuam, & copulatam, determinatam, & confuſam.

36 SVppoſitionem diſtributiuam, ſeu copulatiuam definio cum Fonſeca lib. 8. cap. 32. & Hurtado diſp. 2. ſect. 5. eam, quæ reſolubilis eſt per deſcenſum copulatiuum, qui videlicet fit per particulam *&*, aut *nec*, ſimilemve; nectentem propoſitiones hoc modo: omnis homo currit: ergo Petrus currit, & Paulus currit &c. aut nullus homo currit: ergò nec Petrus currit, nec Paulus currit, &c. Suppoſitio copulatiua, ſeu diſtributiua: alia eſt immediata, vel incompleta, qua terminus pro ſolis generibus ſingulorum ponitur, vt omne animal fuit in arca Noë: vbi animal pro indiuiduis non ſupponit: alia propoſitio falſa futura eſſet, ſed pro eorum rationibus generícis, provt genus latè ſumitur, & pro ſpecie: & ita eſt vera propoſitio; omnes enim animalium ſpecies, etſi non ſingularum indiuidua fuerunt reuera in arca Noë: alia mediata, ſeu completa, qua terminus non tantum pro generibus, ſeu ſpeciebus ſingulorum, ſed etiam pro ſingulis generum ponitur: veluti omne animal eſt viuens; vbi animal, tum pro omnibus ſuis ſpeciebus, tum etiam pro omnibus earum indiuiduis ſupponit: & ita ſuppoſitum reddit veram eam propoſitionem, quam conſtituit.

Suppoſitionem copulatam cum Fonſeca ſupra citato, & aliis definio eam, quæ reſolubilis eſt per deſcenſum copulatum, qui nimirum fit per particulam *&*, *vel*, *nec* aliamve ſimilem nectentem non propoſitiones integras, ſed partes vnius extremi, ſiue ſubiecti, vt omnia elementa ſunt quatuor: ergo ignis, & aër, & aqua, ac terra ſunt quatuor; non vero ergo ignis eſt quatuor, & aër eſt quatuor, &c. vel nulla elementa diſtincta efficiunt numerum ſingularem, aut ſunt vnum tantum: ergo neque ignis, & aër efficiunt numerum ſingularem: neque aqua & terra eum efficiunt, ſuntvè vnum duntaxat elementum: non vero, ergo nec ignis efficit numerum ſingularem, nec aër &c. At enim ſuppoſitio diſtributiua, ſeu copulatiua in eo differt à copulata, quod nec ſemper, nec ſolum habeat eum deſcenſum copulatum: non ſemper, nam in hac propoſitione: omnis pars albi illud intrinſecè cauſat, & conſtituit; particula, *omnis pars*, ſupponit diſtributiuè: & tamen ex ea non licet deſcendere copulatè, aut inferre: ergo paries, albedo, & vnio cauſant, conſtituuntque intrinſecè album: ſunt enim idem cum illo, ac nullatenus ab eo diſtinguuntur: quare collectiuè ſumpta non poſſunt illud cauſare: de quo plura in Phyſica lib. 2. tract. 6. cap. 9. non ſolum; tametſi enim ex hac propoſitione: omnis homo eſt animal, rectè deſcendas ita: ergo Petrus, & Paulus, & Ioannes, &c. eſt animal; particula, *&*, vnius ſubiecti partes copulante: at etiam ex ea non minus bene deſcendas ita: ergo Petrus eſt animal, & Paulus eſt animal, & Ioannes eſt animal, &c. particula, *&* integras nectente propoſitiones. 37

Iam verò ſuppoſitionem determinatam conſequenter definio, eam, quæ reſolubilis eſt per deſcenſum diſiunctiuum fieri natum per particulam, *vel*, aut aliam ſimiles propoſitiones nectentem, vt aliquis oculus videt: ergo vel dexter videt, vel ſiniſter videt: ſuppoſitionem vero confuſam, eam, quæ ſibi vendicat ſolummodo deſcenſum diſiunctum fieri natum per particulam *vel*, aut aliam ſimilem non propoſitiones integras, ſed vnius duntaxat terminos nectentem: vt aliquis oculus requiritur ad videdum, ergo vel dexter, vel ſiniſter ad id muneris requiritur. Illud autem animaduertere eſt, non idcirco ſuppoſitionem determinatam à nobis definiri per deſcenſum diſiunctiuum, quod ſit incapax diſiuncti: certo certius enim eſt, eius eſſe capacem, quando ex hac propoſitione determinatè ſupponente, nimirum aliquis oculus videt, non tantum ſicut proximè ſupra deſcendas, ſed etiam ita: ergo vel dexter videt, vel ſiniſter videt: verùm propterea quod non per deſcenſum diſiunctum, ſed potius diſiunctiuum à ſuppoſitione confuſa diſſideat: Qua etiam ratione ſuppo- 38

nendum est, definitam esse à nobis supra suppositionem copulatiuam, siue distributiuam per descensum copulatiuum, non vero copulatum; quod nimirum hic ei sit communis cum suppositione copulata, secus vero ille; quamuis non solum vnius, sed etiam alterius sit interdum capax; vt supra declaratum.

39 Porro autem vtriusque suppositionis determinatæ nimirum & confusæ discrimen ab Hurtado, & quibusdam aliis negatum, probatur, & explicatur: hæc propositio, aliquis oculus videt, non potest permittere simultaneam veritatem harum duarum propositionum: dexter non videt, sinister non videt; sed potius postulat, vt alterutra sit falsa: ast hæc propositio, aliquis oculus requiritur ad videndum, quantumuis vera sit, potest tamen esse coniuncta cum simultanea veritate harum duarum propositionum: dexter non requiritur ad videndum, sinister non requiritur ad videndum: propositiones igitur illæ, quamuis idem subiectum sortiantur, non tamen eandem illius suppositionem: & prior erit de subiecto sic ponente determinatè, posterior vero de subiecto supponente confusè.

40 Trifariam autem euenire potest disiunctio determinata, siue suppositionis determinatæ propria: primo ratione existentiæ, quæ de termino determinatè sumpto, suppositoque virtualiter affirmatur; quo pacto in propositione proposita: aliquis oculus videt; oculo actio videndi, ac proinde existentia ad agendum necessaria attribuitur: cum ergo nihil duntaxat indeterminatum in rebus existere possit, necesse est, oculum aliquem determinatè, & præscindendo ab aliis sumptum, existere, & videre: in quo ea propositio veritatem collocatam habeat. Secundo ratione necessitatis materiæ; quo pacto in hac propositione: aliquis homo est animal, subiectum determinatè disiunctum est: materia enim cum sit necessaria, & homines omnes essentialiter animalia, verum erit Petrum determinatè, & præscindendo à reliquis animal esse, in quo cum ea determinatione sumpto ea propositio veritatem suam tueatur. Tertio ratione prædicati, quod merito suæ perfectionis de subiecto determinatè verificatur, quomodo in hac propositione; aliquis homo à Deo cognoscitur. subiectum determinatè disiungitur, quoniam propositio in aliquo homine determinatè verificatur, quem Deus clarè, & determinatè cognoscat; quo tenus diuina cognitio differt ob suam perfectionem à cognitione creata, quæ imperfecta, & vaga esse potest, soletque. At è regione disiunctio indeterminata triplici illo titulo destituta prorsus est: nec enim terminus indeterminatè disiunctus existentiam eo ipso postulat, vt videre est in his propositionibus: aliquis oculus requiritur ad videndum, aliquis equus ad equitandum, promitto tibi aliquem librum, quæ nullo oculo, equo, aut libro existentibus essent veræ. Rursus nulla hic interuenit necessitas materiæ, cum libro promitti contingens sit, & oculo vniuersaliter sumpto ad videndum, & equo ad equitandum requiri; omnis enim oculus ad videndum, & omnis equus ad equitandum non requiritur necessario. Demum eiusmodi prædicata ratione alicuius eximiæ perfectionis subiectum determinatè non afficiunt.

41 Vidimus, vtramque suppositionem illam, nempe determinatam, & confusam reuera distingui; superest ratio nominum explicanda: nam P. Hurtadus contendit, vtramque indeterminatam, & confusam appellandam; neutram vero determinatam, nimirum quia alterutra est vaga, & coniuncta cum disiunctione quadam vi huius particulæ *aliquis*, alteriusve id genus expressa: disiunctio autem, & indeterminatio, siue confusio in idem recidunt. Hæc tamen difficultas haud magnopere premit, nec ea est, quam propter voces dialecticorum vsu probatas teneamur improbare, & cum aliis commutare: etenim vt bene aduertit Sotus lib. 2. lect. 4. not. 3. initio, quamuis terminus determinatè supponens significet omnia sua inferiora vage, & indeterminatè, & pro eis ita sumptis substituatur: cæterum vt propositio, cuius est subiectum, v. g. hæc; aliquis homo currit, sit vera: requiritur, & sufficit, vt aliquod eius inferius provt ab alio distinctum, ac determinatè vsurpatum currat; aliudve prædicatum, si sit alia propositio id genus (cuiusuis enim par est ratio) participet: tale autem nihil requiritur ad veritatem propositionis de subiecto confusè supponente; & quamuis sit requisitum, haud tamen sufficit ad veritatem propositionis de subiecto distributiuè, aut copulatè supponente, vt intuenti constabit: est ergo quamobrem in hac propositione; aliquis homo currit, aliaque quauis simili suppositio subiecti, esto disiunctionem importantis vocetur determinata præ quauis alia.

Postremo reliquum est, vt obiectiones quasdam 42
repellamus aduersus duarum illarum suppositionum definitiones à nobis traditas. Obiicies igitur primo: suppositio confusa habet vtrumque descensum, disiunctum scilicet, & disiunctiuum: perperam ergo per alterum, & non alterum definitur. Antecedens probatur, quia duo illi descensus recurrunt inuicem, iuntque idem reipsa, & non diuersi, nisi solo nomine imo ne hoc tenus, vt infra constabit: quo fit, vt suppositio confusa non possit alterum eorum, nempe disiunctum sine altero, scilicet disiunctiuo sortiri. Identitas eorum descensuum suadetur, quia vterque cum disiunctione indeterminata procedit; ideo enim in priori nimirum disiuncto, aliquis oculus requiritur ad videndum; ergo vel dexter, vel sinister ad id requiritur; proceditur ita quoniam sola necessitas ad videndum ab omni existentia absoluta in eo affirmatur: at in posteriori, cuiusmodi est hic, aliquis oculus requiritur ad videndum, ergo vel dexter requiritur ad videndum, vel sinister requiritur ad videndum etiam enunciatur ea sola necessitas. Secundò, quia hic descensus, v. g. ignis ad perfectionem vniuersi requiritur, & aqua ad eam requiritur, & aër, & tellus similiter, atque hic descensus, ignis & aqua, &c. ad perfectionem requiritur: hic, inquam descensus, alter copulatus, alter copulatiuus reuera æquipollent, & hanc propositionem, omne elementũ ad perfectionem vniuersi requiritur æque explicant, vt nemo ausit inficiari: similiter ergo descensus vterque disiunctus, scilicet, & disiunctiuus ab aliquo oculo ad videndum requisito, reipsa æquiualebunt, & recurrent: adeoque non poterit alter sine altero suppositionem confusam sequi. Tertiò, quia cum definiatur suppositio determinata per solum descensum disiunctiuum, videtur supponi illum duntaxat non verò disiunctum ei posse conuenire: at hoc est falsum, tum propter dicta hoc numero, tum etiam propter dicta numero antecedenti, nec non superius. Quarto denique, quoniam vterque descensus ille fit per particulam disiunctiuam, *vel*, modo propositiones integras, modo terminos solos interiectam: quidni ergo vocetur vterque disiunctiuus? rursus, in vtroque particula, *vel*, non tantum potest disiungere, sed actu disiungit, aut terminos, aut propositiones totas: cur ergo vnus potius quam alter disiunctus appelletur? quidquid ergo sit; an eiusmodi descensus reipsa discrepent, at certè vocibus per quam ineptis videtur

id

id discriminis explicari. Atque hinc est, suppositionem determinatam nullo iure communiter appellari disiunctiuam potius quam confusam, aut hanc disiunctam potius quam illam. Simili etiam argumento fit, descensum factum per particulam, &, aliamvè id genus propositiones integras nectentem, veluti omnis homo est animal, ergo Petrus est animal; & Paulus est animal, &c. immerito vocari copulatiuum magis quam copulatum; eumque, qui fit per eandem aut similem particulam solos terminos nectentem, veluti omnes Apostoli Dei sunt duodecim; ergo Petrus, & Andreas & Ioannes, & cæteri sunt duodecim, haud verosimilius nuncupari copulatum magis quam copulatiuum: vtrobique enim particula est suapte natura copulatiua, vtrobique actu copulat. Quo etiam fit, nomina suppositionis copulatiuæ, & copulatæ ex eorum descensuum fontibus deriuata, parum opposita esse.

42 Ad primum tamen horum facile respondeo: nego enim suppositionem confusam, vtrumque descensum illum, disiunctum scilicet & disiunctiuum, suo sibi iure vendicare; nego etiam vtrumque descensum esse eundem, & non diuersum reuera: quod autem opponitur ambos procedere, cum disiunctione indeterminata, quippe qui ex æquo solam necessitatem alicuius oculi ad videndum, non verò alterutrius existentiam affirmant, nihil habet verisimilis, nedum veri: nam vt recte docet Fonseca, & propositæ sententiæ cæteri sectatores, quoties ita descenditur, ex hac propositione, aliquis oculus requiritur ad videndum, ita inquam, ergo vel dexter requiritur ad videndum vel sinister requiritur ad videndum, & quoties ita, ergo vel dexter, vel sinister requiritur ad videndum, etiamsi vtrobique sola necessitas ad videndum, non vero existentia potentiæ visiuæ, aut visionis affirmetur: at longe aliter & aliter; siquidem in priori descensu adstruitur, dextrum oculum esse necessarium ad videndum, siue existat, siue non existat sinister, vel sinistrum saltem, ita esse necessarium comparatione dexteri; aut, quod instar est, nos non posse videre per sinistrum solum sine dextro, vel certe per hunc, minimè sine illo: at in posteriori descensu, nihil tale affirmatur, sed duntaxat alterutrum oculum, requiri ad videndum, si alter desit, quod verum est, sicut & illud prius, manifesta ratione falsum; descensus ergo alter ab altero, valde diuersus est, alterque verus, & alter ne verisimilis.

43 Ad secundum argumentum non minus expeditè respondeo, eo tantum conuinci, descensum copulatum, & copulatiuum conuenire interdum eidem suppositioni, videlicet distributiuæ, cuiusmodi est ea, per quam supponit subiectum illius propositionis, omne elementum requiritur ad perfectionem vniuersi, siue, quod iuxta est, omne perficit vniuersum, sicut cuiuslibet defectus in huius damnum, & imperfectionem cederet: Hinc autem fit, nihil aliud quam descensum disiunctiuum & disiunctum eidem multoties suppositioni, nimirum determinatæ, competere, quod fateor vltro; at id fateri, nec possum, nec debeo, vtrumque conuenire termino supponenti confusè, qualis est subiectum huius propositionis, aliquis oculus requiritur ad videndum; qua etiam ratione, nec descensus copulatiuus, & copulatus, conueniunt vmquam termino copulatim supponenti, vt omnibus est in confesso. Ad tertium respondeo, non propterea definiri suppositionem determinatam, per solum descensum disiunctiuum, quod sit omnino incapax disiuncti, sed quod hic, ei cum suppositione confusa sit communis, vt supra inter proponendam sententiam illam nostram, & communem dialecticorum manet explicatum: quamuis autem eorum plerique videantur nostro Hurtado, descensum disiunctiuum solum suppositioni determinatæ sicut, & solum copulatiuum, distributiuæ concedere; at quod aliter exponi possint, debeantque, superius dicta perpendenti constabit.

Ad quartum respondeo, descensum disiunctiuum fieri per particulam tum suapte natura disiunctiuam, tum actu disiungentem, & descensum disiunctum per eandem similiter; quoniam tamen vtraque disiunctio est valde diuersa, & vna determinata, aliaque indeterminata, idcirco eum descensum, qui alteram importat, placuit dialecticis apellari disiunctiuum, illum vero qui alteram, è contrario disiunctum; haud enim alia nomina ad eam diuersitatem exprimendam suppetebant, ac proinde, prioribus illis, eo sensu, iure potuerunt vti, nouamque hanc eis significationem indere. Exinde quoque est, suppositionem determinatam merito appellari disiunctiuam, & confusam etiam disiunctam; nec non vocabula descensus copulatiui & copulati, & suppositionis itidem copulatiuæ, & copulatæ, simili de causa, videlicet propter egestatem nominum, bene habere, vtvt particula, &, in quocunque descensu, tum sit sponte sua copulatiua, tum etiam actu copulet. 44

CAPVT VII.

De aliis duabus proprietatibus termini, ascensu nimirum & descensu.

45 EXplicuimus hactenus primam & potissimam termini proprietatem, nimirum suppositionem; sequuntur in primis aliæ duæ superius quidem obiter perstrictæ; at hic ex professo explicandæ, videlicet ascensus, & descensus; qui tametsi fiant ex vna quadam propositione ad aliam aliasve, quoniam tamen vtrumque multum interest, quonam modo supponant termini propositionis, ex qua ascenditur, aut de cenditur; & pro varietate suppositionis ij quoque variantur, propterea non tantum propositionis, sed etiam termini provt in propositione supponentis dici solent affectiones, seu proprietates, huius mediatè ac remotè, illius vero immediatè & proximè.

46 Ascensus ergo, qui à quibusdam vocari solet inductio, est à singularibus sufficienter enumeratis ad vniuersale progressio, seu consequentia, veluti hic homo est bipes, & iste, & sic singuli, quos vspiam cognoscimus, & experimur; ergo omnis homo est bipes: descensus autem est ab vniuersali ad singularia progressio, seu consequentia, veluti è contrario omnis homo est bipes suaptè natura; ergo Petrus est bipes, & Paulus est bipes, & sic singuli. Quod attinet ad descensum, suprà diximus esse quadruplicem, scilicet copulatiuum, & copulatum, disiunctiuum, & disiunctum, nec non quales hi sint, & cur ita nominati. Huic autem quadruplici descensui respondet ascensus quadruplex, eiusdem nominis & rationis, cum totidem modis, & per eosdem gradus ab inferioribus ad superiora ascendatur, & à superioribus ad inferiora descendatur.

Porrò autem hic duo quæri solent, videlicet an 47

ad ascensum opus sit, consequentiam esse formalem, hoc est ratione formæ legitimam & præscindendo à quauis materia singulari vniuersaliter, & in quacumque irrefragabilem, & infallibilem? item an ad bonitatem ascensus oporteat superaddi constantiam: est autem constantia propositio affirmatiua in qua prædicatur terminus communis, ad quem fit ascensus in plurali numero, cum signo collectiuo de omnibus eius suppositis v.g. si ascendere velis ex paulò supra dictis propositionibus, hic homo est bipes, & iste homo est bipes, & sic singuli, quos vspiam cognoscimus & experimur, ita addideris constantiam, *& isti homines sunt omnes homines.* Huiusmodi porrò dubia locum non habent in descensu, certo certius enim est à propositione distributiua descendi per legitimam, formalem, & infallibilem consequentiam ad omnia sua inferiora copulatiuè sumpta, veluti omnis homo est bipes; ergo Petrus est bipes, & Paulus est bipes & sic cæteri: quæ argumentatio tenet ratione formæ in quacunque materia, & in nulla patitur exceptionem: item à propositione copulata siue de subiecto copulatè supponente similiter descendi ad inferiora sua eodem vsurpata modo, nec non à propositione disiunctiua & disiuncta ad sua. Haud etiam minus certum est, minimè requiri constantiam ad bonitatem eorum descensuum, propterea quod propositiones, vnde fiunt, latissimè pateant, & se solis, atque sine superaddita constantia, eas, ad quas descenditur, comprehendant.

48 Veteres ergo summulistæ communiter affirmant in omni ascensu recto consequentiam oportere esse formalem, seu ratione formæ vbiuis certam, ac nulli vspiam exceptioni obnoxiam: at negant Sotus edit. 2. lib. 2. cap. 12. lect. 1. not. 4. Hurt. disp. 2. sum. sect. 6. §. 25. aliique recentiores, quorum sententia mihi magis probatur: fieri enim potest, vt omnia singularia, quæ sub sensum, & experientiam cadunt, vno modo se habeant, & ratio communis, & distributiua alio, propterea quod sint, plura alia singularia, præter ea, quæ nos experimur; sunt enim ex toto infinita, adeóque, supra tenuitatis nostræ comprehensionem: cum ergo sufficiens enumeratio singularium, omnia prorsus non complectatur, nec possit humanitus, quî ascendi potest ab eis, per legitimam, & certam, formalémque consequentiam ad rationem superiorem? Atque, vt exemplo suprà posito insistam, quid vetat, omnes homines, quos videmus, esse suaptè natura bipedes, siqui sint eis pedes, & non per accidens claudicent, esse tamen in aliis terrarum oris nobis ignotis, & hactenus inaccessis, homines natura sua tripedes, & non bipedes quemadmodum, tametsi apud nos, nusquam reperiantur sciopedes, tales tamen homines creduntur fuisse, non procul à Trogloditis, teste Augustino lib. 16. de ciuit. Plinio, & aliis; & quamuis inter nos homines haud sint nigri, eiusmodi tamen sunt suaptè natura, locique sui genio æthiopes omnes: hæc ergo inductio, hic homo est bipes, & iste, & sic singuli, quos passim experimur, ergo omnis homo est per se loquendo bipes & non tripes, aliove pedum numero; haud certa est; haud infallibilis ratione formæ, esto hic & nunc, vt aiunt, beneficio materiæ singularis in qua fit, vera euadat.

49 Respondent aduersarij inductionem oportere fieri non tantum ab iis inferioribus, quæ passim experimur, sed etiam ab omnibus, quæ vbivis existunt, & insuper addi oportere constantiam; ita autem inductionem factam nusquam falli, sed certam, ac formalem esse: quid enim hac argumentatione v.g. certius esse, Petrus est bipes, & Paulus similiter, & sic singuli & omnes vbicumque existant: insuper autem non sunt alij homines diuersæ rationis, nec in omnipotentia Dei rerum naturalium procreatrice continentur, omnis ergo homo natura sua & per se est bipes. Verum quod affertur de constantia impugnabitur haud ita post: quod autem dicitur particulam illam *& sic singuli*, omnes homines v. g. quotquot existunt vspiam gentium comprehendere, friuolum est ac leue: ita enim si res haberet, inductio esset quoddam argumentandi genus prorsus invtile, & vitiosum ac non mente, sed sola voce tenus argumentatio, contrà quam aduersarij de qualibet censent: probaret siquidem ignotum per æque ignotum, nam cæteros homines, quorum nullam habemus notitiam, esse bipedes, tam ignotum nobis est, ac omnem hominem esse per se loquendo bipedem: hoc ergo per illud probare neutiquam est ex claris procedere ad minus clara, vt par est, atque vt præcipit semper Aristoteles, sed potius ex obscuris & incertis. Quod denique post superius responsum obijcitur ab aduersariis inductionem ab Aristotele sæpissime dici argumentationem omnium manifestissimam, vnde fit eam esse formalem, & infallibilem, cum ibi locum habere nequeat euidentia ac veritas manifesta, vbi est periculum aliquod falsitatis spectata forma; hoc inquam haud admodum premit; dicitur enim inductio ab Aristotele euidens & manifesta argumentatio, aut quasi argumentatio ratione medij, quod sensui obuium est, & per notitiam experimentalem nobis innotescit, non ratione illationis, quæ solú est topica esse probabilis. Intelligi etiam potest Aristoteles, quasi censuerit dixeritque inductione euidenter confici, non quod res vere ita sit, sed quod verisimile sit ita eam esse. Neque non dici potest inductionem ex Aristotelis iudicio esse manifestissimam argumentationem, non quidem semper, sed solum quando per eam ascenditur ad rationem superiorem vagam ex singularibus seu vage, seu copulatiue sumptis: quando namque propositionis disiunctiuæ ad quam fit ascensus, veritas in vno solo inferiori salua consistit, à fortiori quoties experimur plura inferiora ita esse v. g. vel Petrum, vel Paulum, vel certe vtrumque currere, exinde profecto aliquem hominem currere infertur, tam euidenter quam quod maximè. Denique iuxta dicenda inferius lib. 5. tract. 5. cap. 2. interpretari possumus Philosophum de inductione, non quæ ascendit ab inferioribus numero infinitis, de qua hic loquimur, sed potius cuius ascensus est à paucis numero, veluti substantia est vnum, accidens est vnum, omne igitur ens est vnum: ignis est corruptibilis, aër est corruptibilis, & sic duo reliqua elementa, omne igitur elementum est corruptioni obnoxium: Harum ergo inductionum, & similium non verò omnium arbitramur cum Aristotele consequentiam siue sequelam esse formalem ac manifestissimam.

Quod attinet ad constantiam eam constantissime adstruunt antiqui summulistæ: at eadem constantia eam negant Sotus vbi supra, retractans quod statuerat in priori editione, Hurtadus, & alij, quibus subscribo: nam constantia numquam non est tam obscura, & incerta, quam propositio per eam ex parte probanda; cum enim dicitur, omnis homo per se, & ex genio nationis, ac regionis suæ est bipes, quidquid hæc habet incertitudinis, & obscuritatis, id ipsum habet constantia sequentis inductionis, hic homo est bipes, & iste, & sic singuli 50

per

per quam probatur, nimirum *& isti sunt omnes homines*: quis enim scit, an naturaliter sint possibiles alij homines diuersæ rationis, præter eos, quos eiusmodi complectitur inductio? constantia ergo reddit inductionem malam, & inutilem, propterea quod incerta. & obscura per æque talia eius, si constet, vi faciat probari, sicut paulò supra in simili dicebam; tantum abest vt ad eius bonitatem requiratur. Rursus quid opus est constantia, si addatur illa particula, *& sic singuli*, quam tamen præter constantiam exigunt antiqui sophistæ? Dices eam comprehendere solos homines v. g. existentes, eosque omnes vbiuis terrarum & gentium. Verum, cum tot homines experimento, & sensu haud cognoscamus, sed ea obscuritate, qua rationem cõmunem, & vniuersalem; vel ex hoc titulo inductioni ea particula, *& sic singuli*, ita explicata nequit deseruire, quinimò non potest ei non obesse. Deinde quidni comprehendat omnes homines, tum existentes, tum etiam possibiles? nullius ergo superadditæ constantiæ de cætero necessitas erit, haud aliter atque ea neutiquam est necessaria, quando à propositione vniuersali latissime fusa, & inferiora omnia complectente fit ad eorum singula descensus. Aduersarij autem propterea constantiam exposcunt, vt inductio sit consequentia formalis & certa, cæterum nec talis debet esse inductio, nec vt sit, esse si debet, opus habet constantia: hæc ergo nullo iure obtruditur impræsentiarum.

CAPVT VIII.

De cæteris proprietatibus termini.

51 SEquuntur aliæ tres proprietates termini, ei vt recte animaduertit Auersa in instit. tract. 2. c. 9. conuenientes ratione temporis, ad quod refertur, nimirum ampliatio, status, distractio: Ampliatio est extensio termini à minori tempore ad maius, quæ tum euenit, cum terminus absoluitur ab omni particula eum ad tempus verbi limitante, vt Petrus disputat, aut Petrus disputauit, aut si mauis, disputabit; in quarum propositionum singulis ampliatur subiectum, quoniam non contrahitur ad tempus copulæ, sed per omnia tempora longè latéque vagatur. Status vsuenit, cum terminus in tempore importato per copulam sistit, vt Petrus sedens disputat, aut homo, qui est, currit: vtrobique enim subiectum adæquatè sumptum ad idem tempus, ad quod verbum, refertur: Distractio tum reperitur, quando subiectum & copula quam antecedit ad diuersa & opposita tempora distrahuntur, vt cæci vident, claudi ambulant, quæ propositiones euangelicæ reddunt hunc sensum; qui antea cæcutiebant, nunc vident, & qui claudicabaut, ambulant.

52 Notandum imprimis est, aduersus Hurtadum citata disp. 2. sect. 7. Ampliationem ab eo immeritò definiri, eam qua termini propositionis significant res impossibiles pro tẽpore significato per verbum, vt stans sedet, vigilans dormit: etenim in his, & similibus propositionibus potius reperitur distractio, quam ampliatio, quoniam earum subiectum non ampliatur, nec extenditur ad plura tempora, sed potius contrahitur ad vnum quoddam diuersum ab importato per copulam: sensus enim prioris, est qui stabat paulo antea, sedet modò, & qui vigilat nunc, dormiet posteà: quare sicut status non dicitur ampliatio, quoniam subiectum ad vnum tempus, videlicet importatum per copulam, coarctat; ita in prædictis propositionibus, & aliis id genus, quibus subiectum & copula differuntur ad opposita tempora, neutiquam est agnoscenda ampliatio, cum subiectum ad vnum duntaxat tempus solum, videlicet præteritum, solumve futurum, aut præsens, in eis contrahatur. Non me latet Hurtadum aliter etiam explicare statum, vt nimirum sit id quod supra vocauimus ampliationem: at nostra status expositio, quam & Auersa, & Arriaga, aliique communiter tradunt, ipsius vocis ethymologiæ magis congruit, adeoque tanquam verior est amplectenda.

53 Notandum deinde quinque tempora communiter assignari per quæ terminus amplus vagatur, videlicet præsens, præteritum, futurum, possibile, & imaginarium: quocirca in hac propositione, *Christus venturus est iudicare*, ampliatio est ad tria tempora, eo quod Christus ponatur pro eo qui est, fuit, & erit; in hac autem, *homo est animal*, vlterius ad tempus possibile, eo quod homo, non solum pro existentibus in aliqua temporis differentia, verumetiam, pro possibilibus sumatur; & in hac denique *chimera confingitur ab intellectu*, ad tempus etiam imaginarium, eo quod chimera accipiatur, pro aliquo existenti, aut potenti existere in triplici illa differentia temporis; cæterum non verè, sed per fictionem, & imaginationem quandam nostri intellectus; vnde particulæ illæ *possibile*, & *imaginarium* non appellant, suprà tempus secundum se, vt censent aliqui, sed supra id, quod in vera temporis differentia aliqua existit aliquando, aut existere posse fingitur.

54 Aliæ quoque tres proprietates termini communiter circumferuntur, quibus ille non tam refertur ad tempus, quam independenter à tempore limitatur aliunde; nimirum restrictio, alienatio, & diminutio. Restrictio est coarctatio termini à maiori ad minorem significationem propriam: namque fieri potest, & solet adiectione alicuius adiectiui, substãtiui, casus obliqui, aut similis particulæ, vt vir sapiens, homo bellator, filius Petri. Alienatio est à propria ad impropriam significationem translatio, vt homo pictus, leo marmoreus. Diminutio fit, cum terminus non absolutè, sed secundum quid sumitur, & hoc ipsum exprimitur, vt æthiops albus secundum dentes.

55 Vltima proprietas termini est appellatio; ea autem sic definitur; est reflexa applicatio significati vnius termini ad significationem alterius, vt *animal est genus*, vbi significatum hac voce, *genus*, applicatur significato per notionem animalis, quando veritatem eius propositionis, & identitatem prædicati cum subiecto reflexè expendimus: aut etiam, *Alexander magnus est orator*, vbi particula, *magnus*, appellat supra subiectum nempe Alexandrum, non suprà prædicatum, quia non ad hoc, sed ad illud esse magnum referimus, & reflexè applicamus, aut certè possumus; nec enim requiritur ad appellationem reflexio actualis, sed sufficit in potentia. Quamobrem Hurtadus, & Arriaga immeritò appellationem cum propositione confundunt: tum quia propositio significationem prædicati, subiecto directè applicat; appellatio verò reflexè: tum etiam, quia ex parte solius subiecti appellatio reperitur, vt patet in adducta propositione, *Alexander magnus est orator*, vbi particula, *magnus*, suprà Alexandrum appellat, non ergo semper appellatio prædicatum applicat subiecto, sicut hi auctores nituntur.

56 Qui autem terminus supra quem appellet, multis regulis explicari solet ab antiquis Summuliſtis: quas

ego velut inutiles,& implicatas omitto:ac duo tantum animaduerto. Primum, quoties adiectiuum se solo prædicatur de subiecto complexo, ac duos habente terminos partiales, alterum substantiuum, alterum adiectiuum, siue priori adiacentem (haud enim sermo de adiectiuo grammaticaliter tali) vt Petrus Philosophus est magnus, tum inquam prædicatum appellare supra subiectum,quoad eius substantiuum, non quoad adiectiuum, siue vt alij loquuntur, supra eius materiale, non formale:quamobrem in ea propositione nuper proposita,magnitudo appellat supra Petrum secundum se aut eius res gestas, secus verò supra eum, quatenus est philosophus,vel, quod in idem recidit, suprà eius philosophiam. Quoniam autem dubium esse potest, num in præfata propositione philosophus se teneat ex parte subiecti, vel potius ex parte prædicati: vtrumlibet enim,tum in ea,tum in alia quauis id genus seruata proportione accidere potest, & solet: idcirco vtrum præ alio accidat, ex circumstantiis loquentis serio, aut per ironiam, aliisque plurimis coniici potest, necnon ex cuiusque idiomatis peculiari genio. Secundum quod animaduerto est, quoties adiectiuum non se solo prædicatur, sed in consortio substantiui alicuius, illud non suprà subiectum, sed supra comprædicatum, siue substantiuum, cui adhæret, appellare: quapropter in hac propositione Petrus est magnus Philosophus,magnitudo non suprà Petrum, sed supra philosophum appellat. Parum autem interest, an adiectiuum antecedat substantiuum, cum quo vna prædicatur,vel potius illud subsequatur, vt hæc regula sit vera:eadem enim erit appellatio, siue dicas Petrus est magnus Philosophus,siue,Petrus est philosophus magnus; quare iure merito sibilo, & risu nunc excipi solent prisci quidam dialectici, hic nugantes more suo,& discrimen agnoscentes, tum inter proximè positas propositiones; quasi in priori magnitudo appellet supra philosophum,in posteriori verò supra Petrum: tum etiam inter has, Papam vidi; vidi Papam: cognosco venientem,venientem cognosco,& alias similes.

Atque hactenus de proprietatibus termini: quarum cognitio quam sit vtilis, quam necessaria ad assecutionem veri,& eius à falso discretionem, ipso disputandi vsu cuiuis luculenter constabit: quocircà in eis explicandis, non piget operam hucusque posuisse, præsertim cum breuissimè perstrinxerim omnes, dempta suppositione:hanc autem, cuius varietas, & præ cæteris vtilitas plus temporis exegit, haud tamen prolixè, haud longius, quam moris sit authoribus aliis non paucis, iisque probatissimis. Non excuso, nec debeo veteres quosdam Summulistas,eorumque rationem exponendarum proprietatum termini. Ineptiunt enim, & nugantur sine termino:omnia apud ipsos Sophismatis,omnia difficultatibus, & salebris plena. Vbi autem ex doctrina sua regulas eruunt ad veri assecutionem,id est totius dialecticæ finem,quod necesse est iidem sunt, & vel aliud agens ipsos facilè possis agnoscere: tam enim prolixi sunt,tam lubrici & implicati,vt veritati non lucem, quam promittunt, sed potius noctem tenebrasque offundere velle videantur,ac studiosis summam illius assequendæ desperationem: quapropter eorum ego cauillos, & ineptias, haud aliter ac breuia syrtesque conatus sum euitare. 56

LIBER QVARTVS

DE VERITATE COMPOSITA, Siue de propositione.

TRACTATVS I.

De essentia veritatis compositæ, siue propositionis.

CAPVT I.

Quonammodo definienda sit propositio.

1 NOn pauci cum patre Hurtado disput. 4. summul. sect. 1 eam definiunt: actum intellectus iudicatiuum vnius de alio. Verum hæc definitio eo mihi nomine displicet, quod definitum per ipsum definitum, & ignotum per æque ignotum manifestet: nam propositio, & iudicium synonima sunt, sicut ensis,& gladius. Alij eam impugnant, quoniam hæc propositio exterior;possibile est idem simul esse & non esse,est verè,ac propriè propositio; & tamen iudicium non est,cum impossibile sit,iudicium,quo idem affirmetur esse,& simul non esse. Cæterum antecedens falsum est fortassis; siquidem propositionem externam impropriè tantum esse propositionem;valdè probabile est, vt infra lib. 6. constabit. Deinde ea propositio externa sit verè,ac propriè propositio; sanè eo ipso erit iudicium externum, non minori proprietate, & veritate. Ad probationem contrariam respondeo;impossibile quidem est, iudicium internum aliquid simul esse & non esse affirmans,impossibile inquam,si non diuinitus,at certè naturaliter; secus verò externum, quod internum illud impossibile suapte natura,& institutione præsentet. Quemadmodum etiam duæ propositiones contradictoriæ internæ formaliter, & explicitè tales simul repugnant, secus verò externæ, vt cum quis duas propositiones contradictorias simul profert, alterum scripto, alterum voce.

Secundò etiam reiici potest ea sententia ex doctrina Caietani 2. 2. q. 45. art. 1. ad 2. quoniam, 2

quoties

quoties quis aſſentit alicui rei, toties circà eam formet intus propoſitionem quandam, vt videtur certo certius; at non ſemper iudicium: hoc ergo à propoſitione diſtinguitur, & è conuerſo; adeoque perperam definitur altera per alterum. Minor eſt Caietani loco nuper citato diſtinguentis aſſenſum à iudicio; ait enim ibi aſſenſum eſſe, *ſolam determinationem ad alteram partem contradictionis*, iudicium verò eſſe *determinationem rei, vt eſt in eſſe, vel eſſe debet*: Cuius differentię ac doctrinæ ponit exemplum in Conceptione Deiparæ: Etenim qui ignorat, quæ pars contradictionis in ea materia ſit vera, iudicium cohibet, & tamen alterutram partem credit, & ad eam ſe ſe determinat, eique aſſentit. Cæterum P. Suarez tom. 1. de gratia lib. 2. cap. 18. iure merito docet, differentiam illam Caietani inter iudicium, & aſſenſum eſſe euidenter falſam, ſtante vocum vſu, & reliquis omnibus Philoſophis ac Theologis contrariam. Atque in primis ex ea ſequitur, dari præter tres operationes intellectus, apprehenſionem videlicet, iudicium, & diſcurſum, aliam quartam, nempè aſſensum, quod pleriſque ſcholaſticis repugnat, Sequela probatur, nam aſſenſus ille non eſt apprehenſio ſola, vt conſtat, hæc enim ad neutram cõtradictionis partem intellectum determinat, nec etiam diſcurſus; quoniam hic complectitur tres actus, vnum vero ſolum aſſenſus; tum etiam, quia diſcurſus in mediatum iudicium, nempe concluſionem terminatur, aſſensus vero nulla ſui parte eſt iudicium, nec ſemper eſt mediata cognitio: reſtat ergo, vt ſit quarta operatio intellectus; vnde etiam fit quintam, ſextam, ſeptimam, & ſic vlterius infinitas, præter apprehenſionem, iudicium, & diſcurſum, à Caietano confingi poſſe. Secundò impugnatur eius doctrina, quoniam hæretici communiter dicuntur ab omnibus falsò iudicare de rebus fidei noſtræ, & tamen eas ſecus, quam ſunt in ſe credunt fide humana, & moti authoritate extrinſeca præceptorum ſuorum; quamuis ergo in materia Conceptionis Deiparæ ſe determinet quis ad alteram contradictionis partem, credendo tantum, ac motus ſola authoritate extrinſeca, vel plerorumque fidelium, vel quorundam Doctorum, at de re tota provt eſt in ſe, ſeu vt aiunt, per medium intrinſecum, nihil dirimat, nihilominus, vt aſſenſum quemdam præſtare, ſic etiam iudicium aliquod ferre cenſendus eſt. Tertio improbatur ea doctrina, quoniam omnibus eſt in explorato, iudicium intellectus aliud eſſe euidens, aliud ineuidens, aliud certum, aliud incertum, nec non aliud per medium intrinſecum, & aliud per ſolum extrinſecum; quamuis ergo quis ſe determinet in præfata materia ad alteram contradictionis partem, non euidentia ſcientiæ propria, nec certitudine fidei diuinæ, nec per medium aliquod intrinſecum ex ipſius natura myſterij ſumptum, atque eatenus cenſeatur ignorans, an beata Virgo fuerit concepta in peccato, nec ne? cæterum vbi ſe determinet ad alteram contradictionis partem, ei aſſentiendo, tametſi ineuidenter, nec niſi certitudine fidei humanæ, ac per medium aliquod extrinſecum, puta authoritatem hominum; at hoc non obſtante alteram contradictionis partem iudicabit. Quocirca minor ſuperioris argumenti diſtinguens aſſenſum à iudicio eſt manifeſte falſa. Deinde ea ſi vera ſit, maior argumenti aſſenſum à propoſitione nuſquam diſtinguens, vera nequit eſſe: vt enim eſt à iudicio diſtinctus iuxtà Caietanum, quidni etiam & à propoſitione?

3 Tertio alij propoſitionem definiunt, affirmationem vnius de alio: probant definitionem primo ex Ariſtotele 1. prior. cap. 1. vbi propoſitionem ita definit. Secundo quoniam omnis propoſitio eſt affirmatiua vnius de alio; at ſi qua ratione non valeret ea definitio; præſertim, quia omni propoſitioni non conueniret, videlicet ei, quæ eſt negatiua: huic ergo cum conueniat iuxta maiorem propoſitionem propoſitam, erit proculdubio legitima, & bona: eius autem maioris probatio eſt in expedito; ſiquidem hæc propoſitio, *non exiſtit lux*, intus & in mente eſt hæc, *exiſtit carentia lucis*; hæc autem poſterior eſt affirmatiua verè, & proprie: ergo & illa prior, tametſi negatiua vocetur, non certè, quod ex parte modi repræſentandi ſit negatiua, ſed, quod talis ſit ex parte obiecti, & negationem, ſeu carentiam affirmet, ac velut obiectum reſpiciat. Alia etiam eiuſdem maioris afferri ſolet probatio, quæ ſic habet, *nullus homo non eſt animal*, exterius, & voce tenus negatiua eſt, quæ maximè, quando non vna, ſed duplici etiam negatione conſtat, & tamen interius, & in intellectu iuxta omnes eſt affirmatiua, & æquipollet huic, *omnis homo eſt animal*. Tertia eiuſdem maioris probatio eſt huiuſmodi; iſta propoſitio, *nullus homo eſt animal*, exterius tam eſt negatiua, quam hæc, *nullus homo eſt animal*, imo magis, cum non huius more vnam tantum, ſed duas negationes importet, & tamen interius eſt affirmatiua, & ab illa nuper poſita, *nullus homo non eſt animal*, eiuſque exponente, nimirum, *homo eſt animal*, parum, aut nihil diuerſa.

Enimverò omnem propoſitionem non eſſe ſtrictè, & verè affirmationem vnius de alio, conſtat in primis, & perquam luculenter ex ipſa diuiſione propoſitionis, tum in affirmatiuam, tum in negatiuam: quæ, niſi apud principes dialecticos eſſent plane diuerſæ, quorſum ita diuiderent propoſitionem, in membra inuicem indiſtincta, eo ſane vitij genere, quo in arte diuidendi nullum poteſt eſſe maius, & non potius affirmationem ipſam cum propoſitione recurrentem, in eam, quæ poſitiuum aliquod, & eam, quæ carentiam quandam affirmat? Rurſus ſecundo: eſſe & non eſſe phyſicè, & reipſa tenus ſunt omnino diuerſa, & quamuis ens aliquod poſitiuum excludat aliud, & faciat illud non eſſe, nihilominus non dicitur formaliter carentia, aut non eſſe alterius, ſed ad ſummum talis carentiæ principium, & cauſa; ſimiliter ergo eſſe, & non eſſe intentionaliter, & in mente, ſiue affirmando, & negando erunt prorſus diuerſa, ac proinde perperam omnis negatio affirmatio quædam eſſe dicitur. Denique tertio: non omne odium eſt amor; quamuis enim odiſſe aliquem dicatur eſſe velle malum alicui, hoc tamen accipiendum eſt, non in ſenſu formali, ſed in ſenſu cauſali, propterea, quod odium alicuius perſonæ, eiuſque diſpliccntia, & fuga ab omni amore, & proſecutionis affectu formaliter diſtincta, ſit tamen cauſa eius affectus, quo quis amet, & velit ei malum, tanquam cum bono ſuo coniunctum, imò velut bonum ſuum prius apprehenſum. Quod arbitror, vel ipſa experientia teſtatiſſimum & vel ex eo etiam euidenter conſtare, quod triſtitia non ſit vllatenus proſecutio, aut delectatio: de quo enim non certè de abſentia boni, & præſentia mali, hæ namque minimè delectant: non contrà de præſentia boni, & abſentia mali, bonum ſiquidem, vt præſens, & malum vt abſens non cognoſcuntur ab eo, qui triſtatur. Vt igitur non omnis fuga eſt alterius cuiuſdam amor, ſane non tamen negationem oportet eſſe alterius affirmationem. Atque quod ſtatutum à me

4

eſt

est de distinctione odij, seu fugæ à quouis affectu amoris, ac prosecutionis, id tuentur D. Thom. 1. 2. q. 29. art. 1. & 2. Almain. in 3. dist. 15. qu. 1. Valent. tom. 2. disp. 3. q. 3. punct. 1. Vasquez 1. 2. & disp. 23. cap. 2. num. 6. Azor tom. 1. lib. 3. cap. 4. qu. 8. Rainaudus in disciplin. moral dist. 3. q. 2 art. 2. n. 176. Lugo de pœnit. disput. 1. sect. 2. num. 10. Arriaga disput. 7. de anim. sect. 1. & plerique Theologi, ac Philosophi. Non me latet tamen, quosdam contrarium sentire, & fugam, ac nolitionem omnem cum amore, ac volitione obiecti oppositi confundere. Ita Angest. lib. 1. de virtutibus cap. 3. docum. 1. Holcot apud Almainum, & Rainaudum supra. Id ipsum de omni fuga (tristitia duntaxat excepta) docent Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 9. disp. 3. sect. 2. & Suarez in 1. 2. disput. 1. de passion. sect. 7. num 2. Nihil tamen adferunt, quod momenti alicuius difficultatem ingerat.

5 Ad authoritatem Aristotelis ab aduersariis obiectam respondeo, ei sermonem fuisse de affirmatione latè, & impropriè sumpta, eaque ratione omnem propositionem etiam negatiuam quodammodò dici posse affirmatiuam: nam in hac propositione v. g. *Petrus non est lapis*, vt proprie negatur de Petro esse lapidem, sic impropriè affirmatur de eo non esse lapidem. Quamuis autem hac metaphora vsus sit Aristoteles ad describendam, & explicandam quoquo modo propositionem in communi, non ob id ea vertenda est in proprietatem, & rigorem, aut instar iustæ, & quidditatiuæ definitionis habenda, contra, quam ipse Aristoteles voluit, vt constat ex his eius verbis ad finem illius cap. *Quid igitur sit propositio, & quonam differat ratiocinandi, & demonstrandi, disserendique propositio, diligentius quidem, exactiusque posterius explicabitur: nunc vero pro vsu præsenti satis est à nobis determinatum.* Adjice Aristotelem potius eo cap. expresse declarare, & quodammodo definire propositionem, non per affirmationem præcisè, sed per affirmationem, vel negationem: quamuis autem inibi dicat; *à disserendi autem propositione demonstratiua propositio differt, nam hæc quidem demonstratiua partis alterius est acceptio contradictionis: qui namque demonstrat, non interrogat, sed sumit, (veluti scientia est virtus intellectualis) disserendi vero propositio interrogatio est contradictionis (veluti est ne scientia virtus intellectualis:* At aliud est propositionem demonstratiuam esse acceptionem alterius partis contradictionis, eamque sumere, aliud eam esse suapte natura præcisè affirmatiuam, cum possit altera contradictionis pars sumi & accipi negando: quod si animaduertissent aduersarij definitionem minimè Aristotelicam Aristoteli neutiquam affinxissent. Sed eius esto si lubet, &, quod aiunt, per me sint omnia protinus alba: infra certè constabit cap. sequenti inter nostram sententiam proponendam, aliam interpretationem præter superiorem eamque satis verisimilem eum susciperе. Quo circa non est, cur aduersarij eius se patrocinio tueantur.

6 Ad rationem contrariam respondeo, negata maiori: ad primam eius probationem dicendum est, hãc propositionem, *non existit lux*, non esse in mente formaliter istam, *existit carentia lucis*, tametsi quodammodo æquiualeant, & in veritate ac falsitate recurrant, vt, vel ex eo constat, quod vocula, *existit*, in altera solam existentiam impropriam significet, ac de carentia affirmet; in altera verò existentiam propriam, eamque luci non conuenire adstruat: quamobrem cum ex hoc titulo, & aliis multis ambæ interius sint formaliter diuersæ, poterit altera esse negatiua tantùm, & non affirmatiua more alterius. Ad secundam probationem dicendum est, illam propositionem, *nullus homo est animal* esse simpliciter, & proprie negatiuam, non, quod duplici negatione constet; inde enim potius fieret, eam esse reuera affirmatiuam, negatio siquidem negationis est verè, ac reipsa affirmatio, sicut carentia carentiæ v. g. tenebrarum est positio, & existentia lucis; sed potius quod vna tantum negatione supra copulam appellante gaudeat: at id nulla ratione verum est, eam esse in mente formaliter affirmatiuam: aliud enim est, eam æquiualere huic affirmatiuæ, *omnis homo est animal*, aliud esse hanc formaliter: quemadmodum hæ propositiones, nullus homo est lapis, nullus lapis est homo, quodammodo æquiualent, & alterutra alterius veritatem continet, & arguit: at quis dicat, eas formaliter non differre? Ad tertiam probationem dicendum est, eam propositionem, *nullus homo est non animal*, nec exterius, nec interius esse formaliter negatiuam, cum nulla constet negatione supra copulam appellante, vtvt æquiualeat quodammodo huic negatiuæ, *nullus homo non est animal*: parum autem interest, quod duplici gaudeat negatione suprà subiectum, & prædicatum appellante; aliàs hæc propositio, *tenebræ sunt carentia lucis*, esset negatiua, contrà, quam omnes sentiunt. Proindè quamuis hæc propositio, *nullus homo est non animal*, non obstante negatione multiplici, sit formaliter affirmatiua, haud quaquam sequitur, omnes alias propositiones negatiuas formaliter affirmare: nam, vt visum est, cæteræ vi vnius negationis copulam afficientis euadunt propria ratione negatiuæ: quæ vero objicitur, ne, merito duarum negationum extrema copulæ afficientium, dici potest, aut solet proprie negatiua.

CAPVT II.

Aliæ insuper sententiæ confutatæ.

7 TErtiò alij propositionem definiunt, cum Petro Hispano lib. 1. cap. 6. orationem veram, aut falsam. Cæterum hæc definitio non est propria, & quidditatiua, sed solum descriptiua, quippè quæ rem per proprietates explicat, vt infra tract. 3. constabit, adeóque ea perindè est, ac, si homo definiatur animal risibile. Ad hoc, ea, esto descriptio non sit, saltem in diuisionem transit, siquidem propositionem per species inferiores, nimirum veram, & falsam, in quas propositio, vt sic, diuiditur, explicat; tantidem ergo ea est, ac, si definiatur animal, viuens, rationale, vel irrationale. Non me præterit, Aristotelem 1. periherm. c. 4. ea disiunctione propositionem explicuisse: at quod non ita eam definire voluerit, sed potius pingui Minerua quandam eius notitiam tradere, exploratum habeo. Quartò alij cum Fonceca instit. lib. 3. & Conimb. tom. 2. log. q. 3. art. 2. atque Auersa tract. 3. instit. cap. 1. propositionem definiunt affirmationem, aut negotiationem vnius de alio. Verum hæc definitio potius est diuisio, quam definitio, & hoc vitium cum priore nuper posita commune habet. Quintò alij propositionem definiunt, eam quæ componit, aut diuidit. Cæterum cum componere, & diuidere sit iuxtà eos affirmare, aut negare vnum de alio, hæc definitio recidit in proximè positam, & improbatam. Sextò alij propositionem definiunt, enunciationem vnius de alio. At hæc definitio mera synonimia

nonimia est, quemadmodum si definiatur ensis per gladium, aut è conuerso vt notatum est in prima propositionis definitione initio capitis præcedentis posita: ecquid enim est propositionem, iudiciumve de re aliqua ferre, quam aliquid de ea enunciare, aut quid habet nouæ claritatis hic conceptus præ illo? Quod, si enunciatio paulo strictius sumatur, vt perinde sit, atque affirmatio, iam definitio hæc nullo, aut certe paruo momento differt ab ea, quæ tertio loco relata est, atque reiecta.

8 Septimò non pauci Thomistæ cum Ferrariensi 1. cont.gent. c.59. docent eo tenus propositionem dissidere à simplici apprehensione, quod sit actus reflexus conceptionem simplicem, ac directam rei conceptæ comparans, eamque tali rei conformem, aut difformem esse iudicans. Sed in primis malè propositio per iudicium definitur: vt cap. superiori visum. Deinde multi, qui non reflectunt suprà suos actus simplices, eosque pro simplicitate, ac rusticitate sua ignorant, iudicant tamen, & propositiones conficiunt. Tertiò, sicut intellectus comparat actum simplicem directum cum suo obiecto, cur vnum obiectum cum alio comparare, eaque immediatè, & sine vlla reflexione componere, aut diuidere, seu affirmare, & negare nequeat, sicuti ad propositionem oportet? Quarto denique, quemadmodum intellectus per apprehensionem præuiam, & directam concipit, Petrum v.g. tanquam hominem, quin hoc per eam diiudicet, cur etiam intellectus non possit apprehendere reflexe talem apprehensionem directam, & præuiam, velut conformem, aut difformem obiecto suo, quin de ea confirmitate, aut difformitate, aut vtriusvis termino iudicium ferat, aut quidpiam affirmet, negetve? comparatio ergo reflexa actus cum obiecto, aut, quod iuxtà est, reflexio comparatiua qualiscunque, haud est iudicium, seu propositio, ac proinde hæc per illam non est definienda. Quamuis autem eam Ferraræ, aliorumque quorundam sententiam videatur tradere B. Thomas 1. parte q. 16. art. 2. at eum ibi optime explicat Caietanus, non quasi velit iudicium, seu propositionem suapte natura comparare conceptionem simplicem præuiam cum suo obiecto, & vtriusque conformitatem, aut difformitatem enunciare in actu signato, sed tantum in actu exercito: hæc enim propositio, *Petrus est homo* v.g. cum nihil aliud signate, & formaliter comparet, nisi Petrum cum homine, vt constat ex ipsa vocum significatione, & vsu, atque experientia manifesta (præter quod argumentum non erat opus aliud aduersus Ferraram, & sequaces) eo ipso comparat exercitè, & virtualiter conceptionem præuiam, & simplicem Petri hominis, seu velut hominis, cum hoc obiecto suo, & vtriusque conformitatem, videlicet Petrum esse hominem, sicut apprehenditur; & eius apprehensionem illum repræsentare, sicuti est in se, quodammodo dijudicat.

9 Octauò alij propositionem definiunt, eam, quæ extrema apprehensa, per verbum, *est*, aut *non est*, immediate comparat: in qua definitione, cautè quidem additur vocula, *immediatè*, cum hi actus Petrus est doctus, Paulus est indoctus, Petrum cum Paulo comparent; quia tamen non per verbum, est, quod vtrumque immediate inter iaceat, idcirco tales actus propositio non sunt, sed potius propositiones. Mala etiam definitio: quippè, quæ propositioni internæ non conuenit: ea enim verbo substantiuo *est*, ac *non est*, omnique alio caret. Quod si nomine verbi conceptum huic voci *est*, aut *non est* respondentem aduersarij subaudiant, adhuc non placent, quia definiunt propositionem internam in ordine ad externam, & eius partes, cum potius propositio externa definiri debeat per respectum ad internam, quæ sola propriè, aut certè magis proprie est propositio; ad modum, quo homo pictus in ordine ad verum, non è conuerso, definitur. Confirmatur, definitio tradita per proprietates definitio non est, sed descriptio; idem ergo de definitione tradita per signum, cuiusmodi est verbum *est*, aut respectu illius, censendum. Nonò alij docent, propositionem suaptè natura esse eam, quæ efficax odium aut amorem obiecti potest excitare. Verum immeritò: tum, quia, si daretur in rebus creatura cognoscitiua non volitiua, pro eo, ac aliqui putant esse possibile ea iudicaret, ac propositiones formaret: at eius cognitio nullius esset amoris, nullius principium odij, ne dum efficacis: tum etiam, quia apprehensio simplex, quamuis sit infra perfectionem iudicij, seu propositionis, nihilominus potest affectum efficacem amoris, & odij in nobis accendere, vt P. Vazquez, & alij citandi loco sentiunt; potest, inquam, primò, quia apprehensio belluina actus efficaces causat, ergo à fortiori nostra: secundo, quoniam iudicium, seu propositio volitionem simplicem, & inefficacem infert, facitque, experientia teste, ac doctorum suffragante consensu; quidni ergo è contrario simplex apprehensio vulitionem efficacem, atque perfectam? En quatenus propositio in communi haud ita sit definitu facilis?

CAPVT III.

Nostra sententia proponitur.

PRopositionem ipse ita definio: est actus intellectus incompossibilitatis in eodem intellectu, seu oppositionis physicæ cum alio circa idem obiectum ex diuerso tendendi modo capax. Hæc definitio in primis conuenit omni propositioni, cum nulla sit, quæ cum alia opponi circa idem obiectum, & in eodem intellectu incompossibilis esse nequeat: nam si dicas, Petrus est homo v.g. fieri non potest, vt simul asseras, Petrus non est homo, aut è conuerso: par autem est ratio quarumuis aliarum propositionum. Rursus ea definitio à diuisione differt, quippe quæ abstrahit ab omni propositionis specie: haud enim in eo, quod aliqua propositio sit incompossibilis cum alia, & oppositionis capax, exprimitur, an sit affirmatiua, vel negatiua, vera, vel falsa? Præterea eiusmodi definitio in argumentationem non conuenit, eo, quod collectio actuum non actus sit: nec in apprehensionem simplicem, & minimè iudicatiuam, vtpote quæ cum alia apprehensione, aut iudicio in eodem intellectu circa idem obiectum incompossibilis non est: optimè namque fieri potest, & solet ex natura rei, vt apprehendas aliquid ita esse, & simul apprehendas, aut etiam iudices, illud non esse, atque, vel diuersis apprehensionibus solliciteris, vel earum cum iudicio quoque luctam patiaris. Declaratur quodam simili; quemadmodum se habet affectus intrinsecè, & ex se efficax respectu inefficacis, & imperfecti, ita iudicium, seu propositio contemplatione simplicis apprehensionis, & quod est ille in voluntate, hoc est propositio in intellectu: at affectus intrinsecè, & suaptè natura efficax à P. Ripalda t. 1. de ente supernat. lib. 1. disp. 14. sect. 3 & aliis communiter definiri solet, qui est incompossibilis cum affectu contrario eiusdem obiecti,

cti ; pari ergo modo actus intrinsecè, & ex se iudicatiuus,& apprehensione perfectior,definiri poterit ac postulabit per incompossibilitatem cum alio intellectus actu contrario circa idem obiectum. Declaratur etiam,& confirmatur vlterius; quia hac ratione optimè explicari, ac defendi potest in rigoroso, & proprio sensu, quod Aristoteles 1. prior.c.1. putatur à quibusdam asserere, essentiam propositionis vt sic in eo sitam esse, quod illa sit affirmatio vnius de alio : nam hoc vero verius, dummodo sumatur affirmatio, non provt condistincta à negatione, sed provt est actus, quo quis firmiter adhæret obiecto, siue id negando, siue adstruendo, ita, vt non possit simul obiecto contrario assentiri. Sic autem explicatam Aristotelis definitionem quis non videt conuenire posse,tum propositioni affirmatiuæ, tum etiam negatiuæ.

11 Quo clarior, & explicatior sit superior propositionis definitio à nobis tradita, obiicies aduersus eam primo, propositioni externæ non conuenire; quippe quæ non est actus intellectus; nequit autem ea definitio non esse mala, quæ non congruit omni definito. Respondeo, propositionem externam fortasse non esse propriè, & verè propositionem vt lib. 6. constabit; quare non magis debuit ea definitione comprehendi, quam homo pictus definitione veri. Respondeo secundo; propositio externa verè, & propriè propositio si sit, vt loco nuper citato ostendam etiam esse non improbabile, definitionem nostram ei conuenire posse, si, vt est in facili, refingatur, & loco eius particulæ, *actus intellectus*, substituatur oratio, provt abstrahit ab interna, & externa,hunc in modum : propositio est oratio incompossibilis, siue oppositionis physicæ cum alio, &c. At enim dices, orationem externam affirmantem, Petrum v. g. currere, neutiquam esse incompossibilem cum ea, quæ exterius statuit, Petrum non currere, aliave id genus, quando altera potest scripto, altera simul voce proferri. Sed in promptu est responsio, ambas nimirum materialiter sumptas componi, ac simul esse posse, secus vero formaliter sumptas, & provt vere significant, ac respiciunt propositiones internas, & mentales : id enim esset has, etiamsi circa oppositа obiecta, neutiquam tamen oppositas in eodem intellectu, aut incompossibiles esse.

12 Objicies secundo, apprehensionem euidentem alicuius rei suapte natura, & repræsentandi modo esse incompossibilem cum iudicio rem euidenter propositam negante, eique dissentiente; & tamen ea non est iudicium, seu propositio, qua de loquimur;hæc ergò perperam est à nobis per eiusmodi incompossibilitatem definita. Prior antecedentis pars, nam posterior est explorata, suadetur : fieri nequit, vt apprehensio rem aliquam euidenter proponens sit necessario coniuncta cum illius assensu, eumque rapiat, & non sit incompossibilis cum oppositо dissensu : at habet eam necessariam coniunctionem cum assensu, & ad illum præbendum reuera intellectum cogit, vt pulchre docet Cicero lib. 1. academ. quæst. *etenim necesse est, vt lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere: nam quomodo non potest animal vllum non appetere id, quod accommodatum ad naturam appareat, (Græci id οἰκεῖον appellant) sic non potest obiectam rem perspicuam non approbare.* Huc etiam faciunt egregia illa sancti Patris nostri Ignatij verba in Epistola de obedientiæ virtute; *quæ vis animi,*(nimirum intellectus) *tametsi non ea, qua voluntas pollet, libertate prædita est, atque ipsa natura fertur eius assensus in id, quod sibi veri speciem præbet, tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis euidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc potius, quam in illam partem inclinari.* Respondeo, apprehensionem euidentem rei opponi in eodem intellectu cum eius dissensu, at non immediate, sed mediante assensu, quem infert : nobis autem sermonem esse de oppositione non remota, & impropria, sed immediata, & propria in definitione tradita. Respondeo secundò, apprehensionem euidentem huius principij v.g, quodlibet est,vel non est,etiamsi sit incompossibilis cũ eius dissensu,immediatèquidem, & seorsim ab assensu illato, eoque, saltim diuinitus, impedito,nihilominus eam non esse incompossibilem cum alia apprehensione ineuidenti,concipiente, non quodlibet esse, vel non esse, veluti, si quis simul has voces audiat,& earum significationẽ apprehendat : quocirca apprehensio quantumlibet euidens haud est incompossibilis cum alio actu sui generis, & imperfectæ, ac simplicis repræsentationis; propositio vero cum aliquo alio actu sui generis non cohæret, in eodem intellectu : ita ergo si explicetur oppositio, & incompossibilitas, definitio à nobis per eam tradita in apprehensionem euidentem non conueniet.

Objicies tertio : reuelet Deus Petro,per iudicium 13
aliquod ei inspiratum, & essentialiter verum, nullam ei apprehensionem simplicem inesse: quæ enim in hac reuelatione contradictio? tum sic; nulla apprehensio simplex etiam diuinitus componi potest cum hoc iudicio,alias illud falsum redditura, adeóque omnis est cum eo prorsus incompossibilis, & tamen nulla est iudicium, seu propositio : huius ergo definitio per incompossibilitatem tradita aliis à definito competit, ac proinde est vitiosa. Verum superioris argumenti secunda solutio huc accommodari potest: quamuis enim apprehensio quæuis sit incompossibilis cum præfato iudicio, non tamen cum alio actu simplici, ac sui generis. Deinde si reuelatio illa est qualitas absoluta, & potis esse in alio supposito v.g. Paulo, sane in eo posita, eique de eodem obiecto facta, componi posset cum quacunque apprehensione simplici, absque vllo veritatis suæ dispendio, aut etiam periculo, vt intuenti constabit. Tertio, incompossibilitas illa cuiusuis apprehensionis cum prædicto iudicio, non tam ex modo tendendi illius, quam ex huius speciali natura, & essentiali veritate nascitur; alioqui profectò quæuis apprehensio non cum eo iudicio tantum, sed cum omni incompossibilis esset, quo nihil falsius: Atque hoc satis, superque est, ne conueniat in simplicem apprehensionem nostra propositionis definitio, vt illam eius particulam penultimam, *ex diuerso modo tendendi*, paulo attentius expendens comperies.

Obiicies quartò, actum alium, cum quo opponi- 14
tur in eodem intellectu propositio, haud esse posse, nisi propositionem aliam, haud apprehensionem simplicem,& meram : vbi ergo definitur propositio per eiusmodi oppositionem, nulla fit eius ab inferiorum multiplicitate abstractio, sed potius velut multiplex,& alia,atque alia exprimitur : hoc autem non videtur admodum verisimile, sicut enim definitur ratio communis hominis, v g. & alia quæuis provt vna, & ab inferioribus suis abstracta, quidni etiam ratio communis propositionis ? Respondeo, imprimis, licet oppositio per quam est definita propositio, non sit, nisi eius cum alia propositione : at hoc in illius definitione à nobis tradita non exprimi adeoque, nec multiplicitatem inferiorum cum abstractione, & vnitate propositionis in commune repugnantem.

pugnantem. Sic definita causa hunc in modum, *est principium per se influens esse in aliud*, nulla eo ipso causarum multiplicitas distinguitur, quia tametsi aliud, respectu cuius causa definitur, eiusque correlatiuum reuera sit etiam vlterius causa alicuius alterius (est enim necessario ens, quod autem ens, id necessario causatiuum alicuius, si non efficienter, at certè finaliter, formaliter, aut materialiter) cæterum hoc non exprimitur in definitione causæ, sed tantum, quod eiusmodi aliud sit effectus, & causæ terminus: quanquam ergo actus alius, cum quo definitur, incompossibilis propositio in communi debeat reuera esse etiam propositio, hoc tamen in ea definitione exprimi non est necesse: non expressum autem vnitati, & abstractioni rationis definitæ nullum præiudicium importabit. Respondeo secundò, actum alium, cum quo definitur incompossibilis propositio, non tantum esse reipsa, & ante opus intellectus propositionem aliam, verumetiam apprehensionem simplicem interdum: quid enim vetat, iudicium aliquod eius esse perfectionis, vt non dissensum modo, sed quamuis etiam apprehensionem contrariam fuget, & expellat? licet è diuerso quælibet apprehensio, vel quoad eius est cum illomet iudicio vel absolutè cum alio non tanta perfectione prædito componi queat. Ex hoc ergo titulo, vt omittam alios, neutiquam exprimitur in definitione causæ, causarum multiplicitas, & distinctio: quo pacto quia filius, etsi vt plurimùm pater alterius esse possit, non tamen semper, vt cernere datur in secunda triados persona, quæ filius est non tamen pater, ideo pater in communi respiciens filium velut à se distinctum, & relationis suæ terminum, nihilominus ab omni patrum multiplicitate abstrahit, estque ratio prorsus vna, haud secus, atque homo, & quæuis alia.

Denique obiicies, in Deo esse propositiones, & iudicia, & tamen in eo nullã esse oppositionẽ vnius actus cũ alio, haud enim alio, atq; alio actu, sed vnico, & indiuisibili cuncta intelligit: perperã ergo per talem oppositionem definita est à nobis propositio in communi. Respondeo, oppositionem, per quam est à nobis explicata propositionis natura, esse illius cum alio actu re, aut ratione distincto; pluralitatem autem actuum ratione distinctorum in Deo etiam locum habere: Deinde secundò; transeat, oppositionem, de qua loquimur, ita intelligendam esse, vt sit vnius actus cum alio realiter distincto; quid inde? non ex eo profecto in propositionem diuinæ mentis conuenire nequibit: nam, si in illa non est alius, aliusque actus realiter loquendo, quæuis ergo illius propositio est incompossibilis cum actu quocunque realiter distincto, ne videlicet ea pluralitas realis actuum, Deo compositionem, & imperfectionem affingat.

TRACTATVS II.

De variis speciebus veritatis compositæ, siue propositionis.

CAPVT I.

Propositio multifariam diuiditur.

1 PRimò in eam, quæ est differendi, siue dialecticam; atque in demonstratiuam. Propositio dialectica in quærente est mera interrogatio contradictionis; ac proinde omnis veritatis, & falsitatis expers: at in ratiocinante est sumptio eius partis, quæ apparet verisimilis, ac probabilis; & velut talis est concessa ab eo, cum quo instituitur disputatio: demonstratiua est acceptio alterius partis contradictionis in materia necessaria ac per se nota: de quibus vide Aristotelem lib. 1. prior. cap. 1. Rursus propositio, alia est strictissima, videlicet sola maior syllogismi: alia stricta quidem, & propria, sed non tantumdem, scilicet quæuis alia, siue sit minor syllogistica, siue conclusio, siue sit prorsus extra syllogismũ omnem: vtroque enim modo sumi propositionem testes sunt vt alios omittam, nostri Conimbricenses super textum eius libri primi, capitisque primi priorum.

Vlterius propositio dissecari consueuit in affirmatiuam, & negatiuam, quæ à Cassiodoro in dialectica, & Isidoro lib. 2. orig. cap. 26. & aliis dissident dedicatiua, & abdicatiua. Hanc autem diuisionem esse non vniuocam, sed analogam docent Alexander Aphrodis. Burana lib. 1. prior. cap. 1. quoniam, inquiunt, affirmatio, est prior negatione: vbi autem reperitur prius, & posterius, ibi visitur analogia; vt patet in substantia, & accidenti, Deo, & creaturis, contemplatione entis: ergo, &c. Minorem supponunt adducto exemplo probatam. Maiorem probant hunc in modum: obiectum affirmationis, videlicet rem esse obiectumque negationis; scilicet rem non esse, ita instituta sunt, vt illud genere suo sit prius, quàm hoc: quanquam enim in rebus creatis prius sit eas non esse, quam esse; at esse latissimè fusum, & provt se extendit ad creatorem, eumque comprehendit, prius est, quam non esse; nam quidquid non est in rerum natura, caret existentia, censeturque non esse, dependenter vtique à Deo nolente, illud ex nihilo, seu non esse ad esse transferri. Cæterum verius est, prædictam diuisionem esse vniuocam. Ita B. Thomas opusc. de enunciat. cap. 6. Ammonius 1. de interpret. c. 4. Porphyr. & Philopon. lib. 1. prior. c. 1. & Simplicius atque Recẽtiores communiter. Probatur autem primo, quia affirmatio est verè, & propriè propositio, necnon etiam negatio: conueniunt ergo vniuocè in ratione propositionis: haud secus ac Petrus v. g. & Paulus in ratione hominis, propter id quod vterque est verè, & propriè homo. Secundo: eadem propositio potest esse affirmatiua, & negatiua respectu diuersorum, veluti hæc: Petrus currit, & Paulus currit: sicut ergo affirmatio, & negatio conueniunt per identitatem, & indistinctionem realem, ita etiã per similitudinem, & vniuocationem, si cuius vspiam est momenti argumentatio à maiori ad minus. Tertio & obiter fit satis argumento contrario: tametsi affirmatio sit prior negatione, & hæc illa posterior: atq; hoc diuersæ opinionis auctoribus concedatur ex abundanti, inde tamen nihil concludi potest aduersus vtriusque vniuocationem; cum probabilius sit, substantiam & accidens, creatorem, & creaturas vniuoce conuenire in ratione entis, quam tamen nisi prius, & posterius, & cum inæqualitate quadam non participant: de quo in metaphysica. Tandem: licet esse sit prius, quam non esse, & hoc posterius illo, hinc neutiquam fit, eandem prioritatem, & posterioritatem admittendam esse inter affirmationem, & negationem: tum quia non sunt harum obiecta, videlicet singula singularum, vt in prioris sententiæ fundamento assumitur satis ex vano: nam affirmatio multoties respicit non esse, siue carentiam: vt si dicas, *nunc datur carentia Antichristi*: & negatio etiam multoties esse rei, siue eius existentiam: veluti

ſi dicas, *nunc Antichriſtus non exiſtit propriè, & poſitiuè*: Tum etiã, quia licet affirmationis, & negationis obiecta ſint eſſe, & non eſſe; quid inde? namque ſubſtantia eſt prior accidentibus, & creator creaturis: & tamen horum obiectorum actus ſimili ſunt ordine deſtituti, & potius contrarium amant: ſiquidem cognitio ſubſtantiæ, ac Dei non eſt prior, ſed poſterior cognitione accidentium, & creaturarum: & ſubſtantiam per ſpecies accidentium, ac Deum per imagines creaturarum cognoſcimus; ſimiliter ergo in præſenti, licet eſſe, & non eſſe ſint obiecta affirmationis, & negationis, haud propterea in has, quem inter ſe ordinem ſeruant, refundent, adeoque neutiquam erunt impedimento, quominus earum conuenientia in ratione propoſitionis in communi ſit vniuoca: vtvt gratis concedatur, prioritatem, ac poſterioritatem vbiuis vniuocationi obeſſe, & analogiam inuehere.

3 Diuidi quoque ſolet propoſitio in vniuerſalem, vt omnis homo eſt animal; particularem, vt aliquis homo eſt animal; ſingularem, vt hic homo eſt animal; & indefinitam, vt homo eſt animal: de quibus latius infra. Diuiditur etiam propoſitio communiter in ſimplicem, & complexam: hæc duplici copula, illa vnica conſtat: paradigma prioris ſit, Petrus eſt homo: paradigma poſterioris: Petrus eſt iuſtus, & Paulus eſt diues. Atque ita vtramque explicant Albertus in tract. de enunciat. cap. 2. & apud eum Moazel, Auicenna, & Boëtius: necnon Ammonius, & alij communiter. Porro ambæ nuncupantur aliter à Petro Hiſpano lib. 1. cap. 15. & aliis Summuliſtis: nimirum cathegorica, quæ à nobis eſt vocata ſimplex, & hypothetica, quæ complexa. Cæterum immeritò, & contra nominum ethymologiam, vt rectè animaduertit Hurtadus noſter diſp. 4. ſummular. ſect. 3. nam Græca illa vox *cathegoria* latine prædicatio eſt: quare propoſitio cathegorica erit ea, in qua aliquid abſolutè prædicatur, ſiue ea prædicatio ſit ſimplex, ſiue compoſita: vt dies eſt: vel, dies eſt & ſol conſequenter eſt: hypotheſis vero ſuppoſitionem, ſeu conditionem ſignificat: quare hypothetica propoſitio erit ea; in qua aliquid ſub conditione, aut ſuppoſitione prædicatur; non vero ea, in qua duæ copulæ abſolutæ reperiuntur: vt ſi ſol eſt, dies eſt: aut quia ſol eſt, dies eſt.

4 Itaque duplex eſt, atque omnino diuerſa propoſitionis diuiſio, hinc in ſimplicem, & complexam, & illinc in cathegoricam, & hypotheticam. Propoſitio ſimplex, quæ prioris diuiſionis prius membrum eſt, alia eſt modalis, vt Petrum eſſe hominem neceſſe eſt, alia non modalis, vt Petrus eſt homo: quam partitionem ſatis nodoſam inferius enodabimus. Propoſitio autem complexa, alia eſt modalis: vt Petrum currere eſt contingens, & Paulum currere eſt contingens: alia non modalis, vt Petrus currit, Paulus currit. Item alia eſt exponibilis, in qua altera copula exprimitur, altera latet: vt tantum homo currit: alia exponens, in qua exprimitur vtraque copula: vt homo currit & præter hominem nihil aliud currit: de qua diuiſione, ſicut & de priori latius tract. vltimo huius libri. Propoſitio complexa iterum alia eſt copulatiua: vt Petrus currit, & Paulus ſedet: alia eſt diſiunctiua: vt Petrus currit, vel Paulus ſedet: alia demum neutra, ſeu diſparata vt Petrus currit, Paulus ſedet. Hanc vltimam, ſunt, qui putant, non eſſe in mente vnam, ſed plures realiter diſtinctas, ac ſeparabiles more ipſarum vocum. Sed contrarium verius eſt, vt conſtabit lib. poſtremo huius operis: impræſentiarum ſatis eſto parilitas apprehenſionis; quæ enim reſpondet huic voci, *homo*, Petrum v. g. Paulumque, ac cæteros homines indefinite, & ſine particula *&*, aut, *vel*, aliavè ſimili formaliter repræſentat; idque etiamſi ſit indiuiſibilis, & vna: quidni ergo præfata propoſitio interius vna, & indiuiſibilis manens, curſum Petri, Paulique omnino diſparatè, & ſine vllo nexu per voculam *&*, aut *vel* expreſſo, formaliter affirmet?

Propoſitio cathegorica diſſecari iterum poteſt in ſimplicem, & complexam: modalem, & non modalem; exponibilem, & exponentem hactenus explicatas. Rurſus propoſitio hypothetica: alia eſt conditionalis, alia cauſalis: conditionalis vel eſt neceſſaria: vt ſi ſol oritur, dies eſt: vel libera: vt ſi Petrus à Deo vocetur, conuertetur: vel eſt diſparata: vt ſi Turca ſaltat, Perſa dormit: vel eſt impoſſibilis: vt ſi ſol illuminat, tenebræ ſunt. Cauſalis etiam quadrupliciter pro quadruplici connexione cauſæ cum effectu ſubdiuidi poteſt: ita tamen vt dependenter ab aliqua cauſa aliquid affirmet, aut neget; ac proinde particulam *quia* includat: vt quia ſol exiſtit, dies eſt: cum tamen conditionalis ſub conditione tantum aliquid affirmet, aut neget; atque adeo particulam *ſi* inuoluat. Potrò autem non ſolum hæc vocatur hypothetica, ſed etiam pari iure prior illa: nimirum cauſalis, propterea quod cauſa ſit hypotheſis, & conditio quædam ad exiſtentiam effectus. Alia quoque eſt diuiſio vtriuſque propoſitionis, eaque quadruplex; aut enim propoſitio cauſalis, ſeu conditionalis eſt omnino negatiua, aut omnino affirmatiua, aut affirmatiua ex parte conditionis, ſiue cauſæ; & negatiua ex parte conditionati effectusvè; aut denique negatiua ex parte conditionis, ſiue cauſæ; & affirmatiua ex parte conditionati, vel effectus. Quarum exempla nobis præbet Fabius lib. 5. cap. 8. his verbis: *adhuc omnium probationum quadruplex ratio eſt: vt vel, quia aliquid eſt, aliud non ſit: vt quia dies eſt, nox non eſt: vel quia eſt aliquid, & aliud ſit: vt quia ſol eſt ſuper terram, dies eſt: vel quia aliquid non eſt, aliud ſit: vt quia nox non eſt, dies eſt: vel quia aliquid non eſt, nec aliud ſit: vt quia non eſt rationale, nec homo eſt.* Hactenus ille. Eandem diuiſionem tradit D. Thomas opuſcul. 48 cap. 16. 5

Vlterius diuidi conuenit propoſitio in eſſentialem, & accidentalem. Propoſitio eſſentialis eſt ea, in qua prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti: accidentalis eſt, in qua prædicatum accidit ſubiecto. Porro autem prædicatio poteſt eſſentialis, aut accidentalis, vel phyſicè; ſeu, vt loquuntur alij, metaphyſicè, vel etiam logicè: hæc propoſitio, *homo eſt animal*, eſt eſſentialis logicè: hæc, *homo eſt albus*, eſt accidentalis phyſicè: hæc, *homo eſt riſibilis* eſt logicè accidentalis, cum riſibilitas ſit extra eſſentiam logicam hominis, & phyſicè eſſentialis; cum non ſit extra eius eſſentiam phyſicam; aut, ſi mauis, metaphyſicam propter realem cum eo identitatem. Scio Bartholomæum Manzolum in tract. formalitatum, & alios in ea eſſe ſententia, vt exiſtiment, propoſitionem illam, *homo eſt animal* neque eſſe accidentalem, neque eſſentialem: non accidentalem, cum eſſe animal nequeat homini accidere: non eſſentialem, quia ſi talis abſolutè eſſet, ſanè & ab æterno talis eſſet: atqui nequit eſſe ab æterno eſſentialis, cum nulla extiterit ab æterno eſſentia præter diuinam. Hæc tamen ſententia falſa eſt, & quo confirmatur diſcurſus leuis: etenim propoſitio eſſentialis, cum ſecundum omnes ſit æternæ veritatis, haud poſtulat ad ſui rationem exiſtentiam obiecti ſui, ſed tantum vt prædicatum ſuum ſit de eſſentia ſubiecti; 6

ſiue

ſiue ambo reuera exiſtant, ſiue ſecus: ea ergo propoſitio, *homo eſt animal*, poterit eſſe eſſentialis ab æterno, ſiue in mente Dei, ſiue in alia, ſi qua eſſet alia, quantumuis nulla exiſtat ab æterno eſſentia. Hæc licet ita ſint, haud tamen negauerim, multas eſſe propoſitiones, quæ nec ſunt eſſentiales, nec accidentales, eas nimirum, quæ ſunt in materia impoſſibili.

CAPVT II.

Propoſitionis diuiſio in formalem, & identicam, directam, & indirectam.

7 PRopoſitio formalis eſt illa, in qua ſubiectum, & prædicatum, ratione diſtinguuntur, tametſi alterum reipſa includatur in altero, vt, homo eſt animal, animal eſt rationale. Propoſitio identica, eſt ea, in qua ſubiectum, & prædicatum, nec ratione noſtra diſtinguuntur, vt Petrus eſt Petrus, homo eſt homo. Porrò autem cum dicitur, ſubiectum, & prædicatum in propoſitione formali diſtingui ratione noſtra, ſiu minus adæquatè, at certè inadæquatè, & in identica, neutiquam eſſe diſtincta, aut eſt ſermo de ſubiecto, & prædicato reduplicatiuè ſumptis, & provt talibus; ita enim non dubium, quin in cuiuſcunque modi propoſitione, ſemper ſint diſtincta, ratione ſaltem, vt latè probatum manet ſupra lib. 3. tract. 2. cap. 1. ſed de iis ſpecificatiue ſumptis, ſiue rebus iis quæ ſubiiciuntur, ac prædicantur, ſeorſim tamen ab vtralibet denominatione, & ſecundum ſe potius. Atque hoc pacto homo, & homo v. g. idem eſt non vero aliud, & aliud ratione noſtra, etiamſi diſtinctionem habeat, à reſpectu, ad diuerſos iudicij actus ſeu formalitates, quibus ſubiicitur ſibi, ac de ſeſe prædicatur, cum tamen homo, & animal v. g. etiam extra iudicium, & provt ſoli ſubiacent apprehenſioni, nihilominus diſtinctionem rationis ſubeant.

8 Nonnulli recentiores omnem propoſitionem identicam in mente negant, quare huic propoſitioni vocali, homo eſt homo, aiunt interius reſpondere iſtam, homo eſt ſignificatum huius vocis homo, quæ ſanè identica non eſt, quippe in qua ſubiectum, & prædicatum diſtinguuntur ratione noſtra. Mouentur primò, quoniam omnis propoſitio facit aliquid innoteſcere; ſed hæc propoſitio mentalis, homo eſt homo, nihil innoteſcere magis facit, quam apprehenſio ſimplex hominis; repugnat ergo talis propoſitio mentalis, qualem eam voces præſeferunt. Secundò, quia ſubiectum, & prædicatum ratione noſtra diſtingui debent in omni propoſitione, cum nulla non ſit affirmatio, vel negatio vnius de alio, iuxtà Ariſtotelem 1. Prior. cap. 1. ac reliquos dielecticos: at ea diſtingui, nec poſſunt, nec debent in identica; hæc ergo neutiquam eſt admittenda.

9 Contraria ſententia quantum eſt cõmunior, tantumdem verior, atque probabilior: nam in primis, homo veram habet identitatem ſecum ipſo, qua nimirum eſt homo, hæc ergo identitas, non vocibus tantum exprimi, ſed mente etiam affirmari poteſt, per huiuſmodi propoſitionem, homo eſt homo. Deinde prædicatum illius propoſitionis mentalis, homo eſt homo, eſt, quod huic prædicato vocali, homo, reſpondet; alioqui propoſitio mentalis huic vocali, homo eſt animal, reſpondens, haberet loco prædicati non magis animal, quod voces exprimunt, quam leonem, quem non exprimunt. Sed in hac propoſitione vocali, homo eſt homo, prædicato vocali non ſignificatum huius vocis, homo, quatenus tale reſpondet, cum vox ſeipſam ex inſtituto non ſignificet, ſed homo ſecundum ſe; ergo homo ſecundum ſe eſt prædicatum propoſitionis identicæ mentalis vocali reſpondentis, ac proindè ſicut hæc, ita etiam illa eſt admittenda. Tandem Deus opt. max. idem de ipſo eodem modo conceptum affirmat, ſiquidem totum obiectum eodem ſimpliciſſimo intuetur actu, nec clarius quod affirmat, quam de quo affirmat, concipit: ſimiliter ergo nos noſtro modulo poterimus idem eadem ratione conceptum per propoſitionem identicam affirmare de ſemetipſo. Ad primum argumentum contrarium reſpondeo; propoſitio illa mentis identica, homo eſt homo, facit aliquid innoteſcere: & multo magis, quam apprehenſio ſimplex hominis: tum quia explicite, & diſtincte attingit identitatem hominis ſecum ipſo, quatenus nimirum copulæ verbali, & exteriori, *eſt*, reſpondet; quam tamen apprehenſio huic voci, *homo*, ſubiecta tantum implicite, & confuſe tangit, ſeu iuxtà aliorum phraſim non ex parte modi, & formaliter, ſed ex parte obiecti, & materialiter tantum: tum etiam, quia propoſitio, qua de loquimur, affirmat eam identitatem, cum tamen apprehenſio mera hominis illam ad ſummum ſimpliciter repræſentet, ac de ea nihil conſtituat: magis autem cognoſcimus, quod affirmamus, quam, quod ſimpliciter apprehenſum in medio relinquimus. Ad ſecundum argumentum reſpondeo, ſubiectum, & prædicatum in omni propoſitione debere quidem ratione diſtingui; at quo pacto hæc diſtinctio rationis cum eorum identitate quadam rationis aliquando poſſit eſſe coniuncta, ſicut ad propoſitionem identicam oportet, paulo ſuperius, huius nimirum initio capitis, ſatis, ſuperque oſtenſum eſſe.

Propoſitio directa & illa, in qua prædicatur, vel 10
ſuperius de inferiori, vel æquale de æquali; vt homo eſt animal, rationale eſt riſibile, homo eſt albus, &c. indirecta vero in qua prædicatur inferius de ſuperiori, vt animal eſt homo, ſenſibile eſt animal, &c. Ita, communiter noſtri authores. Enimuero Sotus q. 5. prædicab. parum ab initio, Caietanus, & alij Thomiſtæ dicunt, propoſitionem directam eſſe eam, in qua prædicatum eſt forma ſubiecti, indirectam vero, in qua prædicatur aliquid de alio, quod non eſt ipſius forma. Sed malè quantum arbitror: primo, quia in omni propoſitione prædicatum eſt forma ſubiecti, ac totius propoſitionis, ſicut è contrario ſubiectum vtriuſque materia, vt tractatu ſequenti conſtabit. Secundo, quoniam hæc propoſitio homo eſt animal, eſt directa: at in aduerſariorum principiis animal nequit vllatenus eſſe forma hominis: non enim talis eſt, quod eum phyſicè, & realiter informet; haud etiam eſt illius forma metaphyſica, ſiue differentia, ſed potius genus: nec etiam eius eſt forma, propterea, quod prædicetur de eo, aliàs iuxtà illos, quibuſcum agimus, omnis propoſitionis prædicatum eſſet eius, ſubiectique forma, adeóque nulla non eſſet directa. Quæres, an hæc prædicatio, animal eſt rationale, ſit directa? Caietanus affirmat, quoniam rationale eſt forma ſaltem inadæquata animalis: at Sotus vbi ſuprà negat, & eam potius ait eſſe indirectam: & quidem iure merito, cum in ea prædicetur inferius de ſuperiori. Rurſus quod attinet ad hanc, album eſt dulce, eam docet Sotus eſſe directam, & benè, namque in ea prædicatur æquale de æquali;

haud enim album eſt gradus inferior reſpectu dulcis : at Caietanus docet illam eſſe indirectam, quoniam albi provt albi non eſt forma dulcor , ſed potius albedo : quam parum tamen momentoſa ſit hæc ratio , qua Caietanus probat , tum hanc poſteriorem propoſitionem eſſe indirectam, tum illam priorem eſſe directam , ex eo conſtat , quod eiuſmodi ſpecies propoſitionis neutiquam ſint explicandæ, per hoc , quod prædicatum ſit , vel non ſit forma ſubiecti. Quod tamen magis conſequenter procedat, ſibique , ac ſuis principiis magis conſtet, quam Sotus, haud auſim inficiari. Denique quod ſpectat ad hanc, *numerus eſt par* , B. Thom. 2. contra gent. cap. 58. & Conimbricenſ. 1. poſt. c. 4. qu. 1. art. 3. §. *percontaberis* , docent eam eſſe directam : Cæterum longè verius eſt , quod tuentur Ægidius , & alij , illam eſſe indirectam , quippe in qua inferius de ſuperiori prædicatur : Quæ autem illius propoſitionis ratio , eadem eſt harum, *animal eſt bipes , corpus eſt quadratum*, & ſimilium.

11 Maior difficultas eſt, an reperiatur in mente propoſitio indirecta , vel potius quæ voce tenus eſt indirecta , & hæc v. g. *animal eſt homo* , interius ſit ſemper directa , & iſtius modi v. g. *homo eſt animal*? Arriſit nobis aliquando pars negans , eique fauere videtur Sotus q. illa 5. prædicab. circa medium, his verbis : *Sola prædicatio directa eſt ſimpliciter, & abſolute prædicatio : alia verò ſunt ſecundum quid prædicationes , nam idem reſpectu ſui , ſicut non eſt forma, ita nec prædicatum* ; & pauculis interciſis , *nec prædicatio indirecta , vt animal eſt homo, eſt ſimpliciter prædicatio , ſed indirecta prædicatio :* Vbi expende primò, iuxtà hunc authorẽ idem reſpectu ſui id eſt genericæ, alteriuſve rationis eſſentialis in ſe incluſę neutiquam eſſe prædicatũ, non voce quidem, (contrarium enim eſt experientia certum, exploratumque) ſed interius , & in mente ; eſſet autem, ſi qua eſſet propoſitio mentalis indirecta. Rurſus expende , propoſitionem indirectam eſſe iuxtà eum ſecundum quid tantum propoſitionem , ſiue prædicationem , non verò ſimpliciter : quorſum autem hoc, niſi , quia eiuſmodi propoſitio duntaxat eſt propoſitio voce tenus , non autem reuera , & in mente, haud aliter , atque homo pictus eſt homo tantum ſecundum quid , non vero ſimpliciter , quoniam homo dicitur , ac vocatur ; quin eiuſmodi ſit reuera.

12 Porrò ſuaderi poteſt hæc ſententia ex Ioan. Damaſceno, cuius hæc ſunt verba cap. 7. dial. *Semper prædicatum latius patet , quam ſubiectum , aut nunquam eſt anguſtius* : & paulo infra ; *genera prædicantur de ſpeciebus , vt vniuerſaliora , ſpecies autem non prædicantur de generibus , ſpecies enim particulariores ſunt generibus* : & paulo etiam inferius ; *ſpecies prædicatur de ſub ipſa contentis indiuiduis , id eſt hypoſtaſibus , vt vniuerſalior , indiuiduum autem , id eſt hypoſtaſis , non prædicatur de ſpecie , particularior enim eſt ſpecie hypoſtaſis.* At non ſemper prædicatum latius patebit , quam ſubiectum , ſed erit eo anguſtius aliquando , nec non ſpecies poterunt interdum prædicari de generibus, & indiuidua de ſpeciebus , contrà , quam Damaſcenus cenſuit , vbi ſemel admittatur propoſitio indirecta mentalis , & propria. Item ſuaderi poteſt eadem ſententia ex Porphyrio cap. 2. de ſpecie , cuius ibi hæc ſunt verba , *nam , aut paria de paribus , vt hinnibile de equo, aut maiora de maioribus , vt animal de homine , prædicentur , oportet ; minora vero de maioribus non oportet , non enim animal eſſe hominem dixeris.* Quod ſi daretur propoſitio mentalis indirecta, oporteret aliquando prædicari minora de maioribus , ſiue inferiora de ſuperioribus ; eſſetque dicere , *animal eſt homo*, non exterius , & verbo tenus (quod nemini dubium) ſed interius, & mentis ſenſu. Tertiò iuxta Ariſtotelem 2. phyſicorum text. 28. & 5. metaph. text. 2. ſuperius eſt forma inferioris : at prædicatum ſuapte natura eſt forma ſubiecti, ac totius propoſitionis , vt conſtabit tract. ſequenti ; ſolum ergo ſuperius poteſt eſſe reuera in mente prædicatum inferioris , & non è conuerſo : hoc autem ſuſtineri nequit , ſi qua ſit admittenda propoſitio mentalis indirecta. Denique ſi reperiatur in mente hæc propoſitio, *animal eſt homo* v. g. qualem voces præſeferunt, & non potius aliter, ac provt directa, & vocibus diuerſimodè collocatis reſpondens , ſanè ea ſemper erit falſa: at eum qui aſſerit intus, animal eſſe hominem, ſemper falli, falſum eſt vt quod maxime, alioqui ſcientiæ omnes innumeris ſcatebunt propoſitionibus non veris , habent enim perplures ſuperiori ſimiles ergo &c. ſequela autem probatur : ſiquidem ea propoſitio mentalis , *animal eſt homo* , ſemel admiſſa , cum ſit in materia neceſſaria , æquialebit neceſſario huic , *omne animal eſt homo* , propter regulam illam inter dialecticos celebrem ; propoſitio indefinita in materia neceſſaria æquipollet vniuerſali : quo pacto hæc prædicatio , *animal eſt viuens*, habet inſtar huius, *omne animal eſt viuens* : ſed propoſitio iſta, *omne animal eſt homo*, eſt manifeſte falſa : ergo & illa prior, *animal eſt homo*, & quæuis alia mentalis indirecta.

13 Hæc opinio quamuis ob argumenta facta veriſimilis ſit, verior tamen eſt oppoſita ; eamque probo hunc in modum : propoſitionis illius mentalis his expreſſæ vocibus , *animal eſt homo* , ſubiectum eſt animal, non homo : ea ergo eſt indirecta, quippe in qua prædicatur inferius de ſuperiori, idque interius & in mente , ac non exterius tantum. Antecedens probatur ; tum , quia voces propoſitionem mentalem eius generis indigitant ; talis igitur, & non alterius ea eſt eſſe credenda quæ correſpondet prædictis vocibus , & quæuis alia ſimilis : alioqui ſi fas eſt recedere à conſuetis vocum ſignificationibus, & eis mutatis alias ignotas, & peregrinas comminiſci, quid eſt , quapropter ſubiectum harum propoſitionum v. g. animal currit ; animal eſt viuens, animal eſt ſubſtantia, aut eſt ens, ſit animal, & non potius quod in eis apparet exterius prædicari , aut aliud quidpiam ? ſecundò ; identitas eſt relatio reciproca, & mutua, ad inſtar ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, æqualitatis , & inæqualitatis , & aliarum id genus; fierique adeo non poteſt , vt animal ſit idem cum homine, & non è conuerſo cum animali homo ſicut ergo beneficio identitatis animal interius , & in mente prædicatur de homine , ita & merito poſterioris homo prædicari poterit de animali per propoſitionem mentalem indirectam. Tertiò ; ſi contra vocum vſum, & ſignificationem nulla ſit in mente propoſitio indirecta , ſed quæuis ſit directa , eadem licentia poterũt de medio tolli propoſitiones omnes mentales conuertentes, nec non æquipollentes, neque admitti vllæ, niſi ſolis verbis diuerſæ à conuerſis , aut eis, quibus æquipollent : quare hæc propoſitio , *aliqua ſubſtantia eſt lapis* , interius erit hæc per eam conuerſa, *omnis lapis eſt ſubſtantia* ; & hæc negatiua , *nullus homo non currit* , erit formaliter in mente affirmatiua iſta , *omnis homo currit*, cui æquipollet. Hæc autem quam ſint abſurda, quam aduerſus Ariſtotelis doctrinam, ac manifeſtam rationem, qui manifeſte non videat, arbitror eſſe neminem.

14 Ad authoritatem Damaſceni primo loco obiectam dicendum

dicendum eſt, eum loqui de ſola propoſitione directa, vbi docet prædicatum ſemper latius patere, quam ſubiectum, aut nunquam eſſe angustius; cumque ait non prædicari ſpeciem de genere, aut indiuiduum de ſpecie, vel eodem modo eum interpretandum eſſe; vel ſecundo, id, quod ait, non abſolutè ſumendum eſſe, ſed cum additamento, & conditione quadam, nimirum, ſi ſumatur ex parte ſubiecti genus copulatiuè, & in tota ſua latitudine, & ſpecies ſimiliter, quoties indiuiduo ſubiicitur; qua ratione certum eſt, nec ſpeciem de genere, aut indiuiduum de ſpecie, id eſt, nec hominem de animali, nec Petrum de homine prædicari poſſe ex vero: quod autem hæc ſit Damaſceni mens, colligi poteſt liquidiſſima ratione ex ſequentibus eius verbis, quibus exemplum præbet eorum, quæ dixerat, *Prædicatur igitur ſubſtantia de animali, & animal de homine, etenim animal ſubſtantia eſt, & homo animal eſt: non conuertitur autem; omnis enim homo animal eſt, non omne autem animal homo; Et equus enim, & canis animalia: ſane ſimiliter, & omne animal ſubſtantia eſt, non omnis autem ſubſtantia animal eſt, lapis enim, & lignum ſubſtantia eſt, quæ non ſunt animalia.* Et paulò infrà; *Petrus igitur homo eſt, & Paulus homo eſt, non omnis autem homo Petrus, vel Paulus eſt: ſunt enim, & aliæ hypoſtaſes ſub ſpecie hominis.*

15 Ad Porphyrium ſimiliter dicendum eſt, eum loqui de ſola propoſitione directa, vbi negat minora de maioribus, aut hominem de animali prædicari, eiuſque ſenſum eſſe, non, quod tale genus prædicationis locum non habeat in mente, ſed, quod nullibi directè, & congruè: hoc autem non obſtat ei priori: quot enim propoſitiones falſæ ſunt in intellectu, & tamen nulla earum eſt recta, & congrua, ſed potius rectitudine veritatis deſtituta. Secundò exponi poteſt locus Porphyrij, quemadmodum & prior Damaſceni; quaſi ſicut hic, ita etiam ille tantum doceat, hominem de animali, aut minus vllum de maiori non poſſe prædicari, ſi animal, aliáve ratio maior, ſiue ſuperior locum obtinens ſubiecti ſumatur in tota ſua amplitudine, ac per particulam, *omne*, diſtribuatur. Vtramque interpretationem compendio tradunt noſtri Conimbricenſes, ac ſuper eum Porphyrij textum nobis obiectum ſic aiunt, littera M. *intellige prædicatione directa; & de toto ſubiecto; aliàs ſpecies indirectè affirmatur de genere, & grammaticum de homine; ſed non de toto.* Eundem fermè in modum, aliumvè certè, fortaſſis exponi poſſet Sotus: quid tamen ſenſerit, parum nobis eſt laborandum.

16 Ad tertium argumentum dicendum eſt, ſuperius eſſe quodammodo formam inferioris in eſſendo, pro eo, ac cenſuit Ariſtoteles: nam ſicut ſubiectum phyſicum, & proprium habet formam, ita quod inferius eſt, habet rationem ſuperiorem, videlicet homo animal, Petrus hominem: cæterum in prædicando poſſe aliquando ordinem inuerti, ac mutari, nimirum ſi ratio ſuperior ſubiiciatur inferiori, & affirmetur, eam habere ſecum identificatam: neque verò mirum eſſe, ſi ratio ſuperior modo ſit forma inferioris, & modo hæc illius è conuerſo forma: tum, quia forma, quæ de alterutra reſpectu alterius dicitur, non eſt propriè talis; ita enim duas res eſſe ſibi mutuo formas nunquam non repugnat, ſed impropriè, & ſecundum quid; tum etiam, quia, vt iamiam viſum, ne ea ipſa ratio formæ conuenit vtrique niſi aliter, & aliter nimirum gradui ſuperiori, provt habetur, & includitur, circumſcripta quauis prædicatione, ab inferiori; huic verò, provt enuntiatur de ſuperiori.

Ad vltimum argumentum reſpondeo, propoſitionem illam mentalem, & indirectam, *animal eſt homo*, neutiquam æquiualere huic, *omne animal eſt homo*, ſed potius huic, *aliquod animal eſt homo*, adeóque veram eſſe poſſe. Regula autem qua probatur prior illa æquiualentia à nobis negata, videlicet, propoſitio indefinita in materia neceſſaria æquialet vniuerſali, tantum habet locum in propoſitionibus directis: quod ſi ſermo ſit de indirectis, eis potius conuenit ea regula dialecticis haud minus vſitata, ſubiecta talia ſunt, qualia permittuntur à prædicatis: ita enim cum ſe res habeat, quid mirum, ſi animal ſubiectum homini in prædicatione mentali indirecta non ſit æquiualenter, ac virtualiter omne animal, ſed aliquod, pro eo, ac hominis natura, & minor, quam animalis amplitudo permittit? Quo poſterior eius propoſitionis controuerſæ æquiualentia à nobis tradita manet ſatis, cumulatéque probata. 17

CAPVT III.

Propoſitionis diuiſio in neceſſariam, contingentem, & impoſsibilem.

18 PRopoſitio neceſſaria ea eſt, cuius ſubiectum neceſſario connectitur cum prædicato, eo quidem nexu, qui nunquam permittat propoſitionem eſſe falſam. Atque hinc conſtat, prædicationem iſtam, Petrus currit, etiamſi fortè ſit eſſentialiter vera, propterea, quod omnis veritas, vt putant aliqui, ſit eſſentialis actui vero, aut propterea, quod ſit ſupernaturalis, & à Deo inſpirata, nihilominus haud dici neceſſariam, quoniam, non nexus ſubiecti cum prædicato, ſed modus peculiaris repræſentandi, ac ſpecialis eius perfectio obſtat, ne poſſit vnquam eſſe falſa: Vnde circa idem ſubiectum & prædicatum, ſi Petrus videlicet non curreret, eſſe poſſet alia propoſitio falſitati obnoxia. Cæterum hæc prædicatio, homo eſt animal, eſt neceſſaria, quoniam ſubiectum eius, & prædicatum ea ſe neceſſitate reſpiciunt, & vniuntur inuicem, vt, nec illam, nec aliam circa ſe vllam permittant eſſe falſam. Propoſitio contingens eſt, cuius ſubiectum contingenter connectitur cum illius prædicato, eoque certè vinculo, quod vel eam ipſam propoſitionem, ſi veritas genere ſuo non eſt eſſentialis actui vero, patiatur eſſe falſam, vel certè aliam circa idem obiectum: exemplum eius iamiam traditum eſt in prædicatione curſum affirmante Petri. Propoſitio impoſſibilis, quæ à Soto quæſt. 5. prædicab. & alij multis vocatur diſparata eſt, cuius ſubiectum non habet connexionem vllam neceſſariam, ſeu contingentem cum prædicato, ſed potius repugnantiam vinci prorſus neſciam: exemplum eius eſto, Petrus eſt lapis.

19 Quamuis autem aliqui confundant hanc trimembrem diuiſionem, quoad duas priores eius partes cum diuiſione bimembri cap. ſuperioris tradita, ac nihil intereſſe putent inter propoſitionem eſſentialem, & neceſſariam, atque accidentalem, & contingentem: cæterum eos admodum falli reor: hæc enim propoſitio, *homo eſt riſibilis*, nullatenus dicitur contingens, ſed abſolutè neceſſaria: riſibilitas ſiquidem eſt proprietas quarto modo, adeóque nequit prædicari niſi in quale neceſſariò: & tamen eiuſmodi propoſitio non eſt omnino eſſentialis, ſed logicè ſaltem accidentalis: haud ergo in idem recidunt, propoſitionem aliquam eſſe accidentalem, & contingentem

Vlterius hæc propositio, *essentia Petri est à Deo cognita*, est necessaria, vt vero verius, & tamen non est essentialis, cum cognitio Dei nullatenus sit essentialis Petro: non igitur perinde est, aliquam propositionem esse necessariam, & essentialem.

20 Porrò grauis est difficultas circa hanc diuisionem an nimirum propositiones de subiecto complexo, seu coniuncto; cuiusmodi sunt hæ, homo albus est rationalis, homo currens mouetur, aliæque similes, sint necessariæ: Affirmant B. Thomas 3. part. quæst. 2. art 3. & in 3. dist. 7. quæst. 1. art. 1. & 4. contra gentes cap. 37. & 49. Ferrariensis, Caietanus, & plerique alij Thomistæ. Item Marsilius, Alensis, Richardus, Bonauentura, Carthusianus, Albertus, Conimbricenses, Rubius, Baltasar Tellez, 1. parte sum. disp. 12. sect. 2. num. 14. Negant verò Scotus in 3. dist. 3. quæst. 1. & dist. 22. quæst. 1. Bassolis, Lichetus, & communiter cæteri Scotistæ. Præterea Ochamus, Maior aliique non pauci Nominales: Quin etiam aliqui è schola diui Thomæ, veluti Capreolus in 3. distinct. 3. quæst. vnica art. 3. Soncinas 9. metaph. quæst. 5.

21 Prior sententia eorum, qui affirmant, nobis magis arridet, & probari potest hunc in modum: partes cuiuscunque rei, præsertim si sint ab ea realiter indistinctæ, sunt de illius essentia; at humanitas, & albedo sunt partes hominis albi constitutiuæ, ab eoque neutiquam realiter distinctæ; potissimum, cum homo albus non sit totum substantiale, aut per se, de cuius solius distinctione reali à partibus suis esse potest aliqua dubitatio, sed tantum per accidens, alterutra ergo est de essentia hominis albi: siue ergo vna de illo prædicetur, talem in modum, homo albus est albus, siue alia, hoc pacto, homo albus est homo, vtralibet prædicatio quantumuis de subiecto coniuncto erit essentialis, adeoque necessaria: omnis enim propositio essentialis, eo ipso est necessaria, licet non econuerso, vt paulò superius visum: quod si eiusmodi propositiones sint necessariæ, & non contingentes, de cæteris nullus potest esse dubitandi locus: aut enim aliæ sunt de subiecto complectente duos terminos essentialiter connexos, & inuicem inclusos, veluti animal rationale est animal, animal rugibile est leo: & has esse necessarias, nullus negat, aut potest nec de eis est præsens quæstio: aut aliæ sunt de subiecto cohibente duos terminos inuicem separabiles, & essentiali connexione destitutos; & harum, cuiuscunque modi sint, par est ratio, atque earum, quas iam probauimus esse necessarias.

22 Secundo probatur eadem opinio: homo albus, nec esse nec concipi potest absque eo, quod sit homo, aut sine eo, quod sit albus: respicit igitur essentialiter tam hominem, quam album: non autem velut terminos extrinsecos, sicut pater v.g. filium, & hic patrem, vt est luce clarius: ergo velut quædam intrinseca, & essentialia constitutiua sui: seu igitur dicas, homo albus est homo, seu, homo albus est albus, alterutra propositio erit essentialis, adeóque necessaria, & non contingens. Par autem est conditio vt iam vidimus, aliarum omnium, quæ habent complexionem aliquam contingentem ex parte subiecti, & quæ solæ sunt in controuersia positæ. Tertiò; quando totum aliquod prædicatur essentialiter, & necessariò singulas eius partes eadem necessitate, & ratione prædicari oportet, vt præter alios disputat B. Thomas in 3. dist. 10. quæst. 1. art. 2. & sponte sua liquet: nam si qua pars totius prædicetur contingenter, etiamsi altera dicatur necessario, tota prædicatio erit eo ipso contingens, & non necessaria, propter id, quod, vt est in veteri paræmia, denominatio sequitur debiliorem partem. Sed de homine albo prædicatur essentialiter, & necessario homo itidem albus, huius ergo totius alterutra pars, *homo*, nimirum, &, *albus*, prædicabitur de eo essentialiter, ac necessario, hunc in modum, homo albus est homo, & in hunc, homo albus est albus, ac proinde, harum propositionum ritu, quæuis aliæ similes erunt suapte natura necessariæ, & contingentes. Maior huius argumentationis vna proposita est, atque probata; quare minor illius probatur hoc pacto: omnis propositio identica, in qua videlicet idem de eodem, eodem etiam modo conceptum enunciatur, est essentialis iuxta omnes: sed hæc propositio, homo albus est homo albus, est identica: ergò essentialis & necessaria, atque adeo totum illud, *homo albus*, est prædicatum essentiale, ac necessarium respectu hominis albi, id est sui: Deinde; nequit non prædicari essentialiter, & necessario de homine albo, quod sit affectus qualitate disgregatiua visus: hæc enim est illius definitio: omnis autem definitio est essentialis, & necessaria definitio, at in idem prorsus recidunt, esse hominem album, & esse hominem affectum qualitate disgregatiua visus: sicut ergo posterius hoc, ita etiam prius illud totum, siue complexum, de quo est sermo prædicatur essentialiter, & necessario de homine albo, sicut ad singularum eius partium hominis videlicet seorsim, & albi prædicationem essentialem, ac necessariam oportet.

23 Alij probant nostram sententiam ita: hæc propositio, *Christus est, siue existit*, est perpetuæ veritatis, ac necessariæ vt patet ex Paulo ad Hebræos 13. *Iesus Christus heri & hodie ipse & in sæcula*, & Ioan. 8. cap. vbi Christus ita Iudæos alloquitur *Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum*: & tamen eius propositionis subiectum inuoluit complexionem quandam contingentem ex natura humana, & diuina: quantumuis ergò huius propositionis, homo albus est homo, subiectum sit terminus contingenter complexus, nihilominus ea erit necessaria, & essentialis. Parum tamen præsidij esse arbitror in hac ratione; tum, quia, si cuius esset momenti, probaret eodem modo hanc propositionem, homo albus est, siue existit, esse necessariam, & essentialem, quod nemo admittet: tum etiam, quia propositio illa prior ex scripturis eruta idcirco est vera, quia supponit pro solo supposito diuino, de cuius essentia est existere: Cæterum, si vt fieri potest, pro toto subiecto suo supponat, haud est necessaria, & sempiternæ veritatis: quin potius ita sumpta procul dubio falsa fuit, ante natiuitatem Christi Domini: peperam ergò ab ea arguitur ad veritatem essentialem, & necessariam propositionis de subiecto contingenter complexo, pro eoque toto supponentis.

24 Cæterum pro posteriori sententia negante necessitatem de subiecto per accidens, & non per se coniuncto, earumque potius contingentiam afferente, nec pauca, nec leuia sunt argumenta. Primum est huiusmodi: vt aliqua propositio sit falsa, satis est, vt aliqua eius copula falsa sit: quare hæc est omnino falsa, & nullatenus vera, Petrus currit, & Paulus currit, hoc solo non currente, & illo currente, propter vnius tantum copulæ, scilicet secundæ falsitatem: vt ergò propositio aliqua sit contingens, & sin minus falsa, at certè falsitatis periculo exposita, satis erit, si altera eius copula sit contingens: huius autem propositionis, homo albus est homo, tametsi copula vna, nimirum ea, quæ per verbum, *est*, exprimitur, haud sit contingens: cæterum altera latet ex parte subiecti, & est contingens; siquidem subiectum illud, homo albus perindè est, ac homo, cui inest

albedo

albedo, ſiue qui eſt affectus albedine, vt ex ipſis terminis abſque alia probatione liquet, adeóque copulam habet latentem, & non expreſſam, eamque contingentem, cum albedo homini non neceſſariò, ſed per accidens inſit; iam ex eo propoſitio illa, homo albus eſt homo, & quæuis alia eiuſdem genij, erit omnino contingens, & non neceſſaria.

25 Caietanus apud noſtros Conimbricenſes in cap. 4. de orat. quæſt. 4. art. 6. vt huic argumento reſpondeat, aliquantulum deſciſcit, à ſententia Beati Thomæ; & vera: eius enim eſt opinio propoſitionem illam, homo albus eſt albus, aliamvè quamuis ſimilem bifariam ſumi poſſe: primò, vt præter copulam expreſſam, & eſſentialem, aliam tacitam, & contingentem ex parte ſubiecti inuoluat, vi cuius de homine v.g. prius affirmet, quod ſit albus, quam de homine albo, quod ſit homo; atque ita eam eſſe omnino contingentem, & minimè neceſſariam: Secundò, vt nullam eiuſmodi copulam contingentem, & occultam concernat ex parte ſubiecti, & ſic eam nullatenus eſſe contingentem, ſed omnino eſſentialem, ac neceſſariam. Cæterum duplicem hanc acceptionem hominis albi meritò reiiciunt noſtri Conimbricenſes vbi ſupra: in primis, quia communi vſui, & acceptioni vocum eſt contraria: Deindè, quia cum dicitur, homo albus eſt homo albus, aut cum, homo albus eſt homo affectus qualitate diſgregatiua viſus, ſubiectum eſt homo albus, quin propterea ex parte illius vlla ſit copula contingens, vt ſuperius viſum, & vel ipſis aduerſariis eſt in confeſſo, ſimiliter ergo in præſenti, &c. Tertiò, hæc propoſitio, homo albus eſt homo, eſt propoſitio ſimplex, & non complexa, vt per ſe patet: alioqui omnis ferme propoſitio dicenda erit complexa: vix enim eſt aliqua, cuius ſubiectum terminos non comprehendat etiam ſeparabiles, & contingenter vnitos inuicem: proinde, ſi hoc ſufficit ad copulam quandam latentem adſtruendam ex parte ſubiecti, ea tantum non vbique debet adſtrui, ſicut ad tollendas de medio propoſitiones omnes complexas oportet. Quid ſimplicius hac propoſitione, *album eſt dulce*? at iuxtà aduerſarios erit hæc, *ſubiectum eſt album, & idem eſt dulce*, adeóque complexa. Quid hac, *homo exiſtit*; at ſecundum eoſdem erit hæc, *corpus eſt vnitum, ſeu coniunctum animæ rationali, & totum hoc compoſitum, ſiue, quod perinde eſt, homo exiſtit*; atque adeo complexa etiam.

26 Satius ergo eſt negare copulam illam contingentẽ ex parte ſubiecti, cũ dicitur v.g. homo, albus eſt homo aut quidpiam ſimile. Quod autẽ opponitur parum, aut potius nihil eſſe inter has duas prædicationes, nimirum, *homo albus eſt homo*, ac, *homo cui ineſt albedo ſiue qui eſt affectus albedine eſt homo*, adeoque vt in ſecunda, ſic etiam in prima, præter copulam eſſentialem, aliam reperiri contingentem, nullius eſt momenti. Nam poſterior illa prædicatio, vel habet hunc ſenſum, *homo, ſi ei ineſt albedo, aut ſi eſt albedine affectus, nihilominus eſt homo*; & ita tranſeat ei æquiualere primam illam propoſitionem, de qua præſens lis: at propterea nullam copulam contingentem inuoluet, ratione cuius dici poſſit abſolutè non neceſſaria, nam particula illa conditionalis, *ſi ei ineſt albedo*, aut, *ſi eſt affectus albedine*, quam vltro damus æquiualenter, ac tacite ei ſubeſſe, non exprimit copulam enunciatiuam, ſed tantum apprehenſiuam, adeoque veritatis, & falſitatis ſaltem perfectæ expertem, & ad neutram vlla contingentia, aut indifferentia præditam: vel habet ea propoſitio hunc potius ſenſum, *homo eſt affectus albedine, & eſt homo*, atque ita copulam habet contingentem; cæterum ei ſic ſumptæ haud æquiualet ea, quæ vertitur in quæſtionem. Secundò negari poteſt omnino æquialentia duarum illarum propoſitionum, ac reſponderi, priorem earum æquipollere potius huic, homo affectus albedine eſt homo, quin affici albedine affirmetur vllatenus de homine, aut velut conditio quædam, ſiue hypotheſis ſupponatur ante copulam principalem.

Secundum argumentum aduerſoriorum ſic habet, hæc propoſitio, *homo irrationalis eſt homo*, falſa pror us eſt: at non, quod hominem de ſubiecto prædicet; cum enim ſubiectum includat intimè, & eſſentialiter hominem, in huius de illo prædicatione, quæ poteſt eſſe falſitas? ergo quod alteram ſubiecti partem de altera, videlicet irrationalitatem de homine enunciet: quemadmodum igitur copula aliqua impoſſibilis latet in prædicta propoſitione ſubiecto tenus, eam totam reddens falſam, ſimiliter latebit quædam copula contingens in hac, *homo albus eſt homo*, ex parte ſolius ſubiecti, & nihilominus totam propoſitionem periculo falſitatis exponens. 27

Nonnulli reſpondent, eam propoſitionem, *homo irrationalis eſt homo*, eſſe veram, & non falſam: haud enim eſſe poſſe falſam, quod de homine irrationali hominem prædicet, ob rationem in argumento factam: haud etiam ob coniunctionem irrationalis cum homine ex parte ſubiecti, cum ſit non enunciatiua, ſed apprehenſiua, omnis autem apprehenſio ſit falſitatis expers, & ei neutiquam obnoxia. Contrà tamen, quia ſimili ratione oportebit has propoſitiones, alius Deus eſt Deus, Deus non trinus, & vnus eſt Deus, quarta perſona diuina eſt perſona diuina, & alias id genus eſſe veras: quas tamen hæreſes eſſe conſtat. Rurſus eius propoſitionis, *homo irrationalis eſt homo* eadem eſt ratio, quæ huius, *ſi daretur homo irrationalis, eſſet homo*, quemadmodum hæ, Gabriel Angelus eſt Angelus, ſi daretur Gabriel Angelus, eſſet Angelus, paris ſunt conditionis, & eandem veritatis, ac falſitatis aleam ſubeunt: aſt conditionalem illam ſi daretur *homo irrationalis, eſſet homo*, oſtendemus falſam eſſe lib. 10. contra iuniores hos: idem ergò cenſendum de abſoluta, quæ obiicitur in argumento. 28

Reſpondent ſecundò Conimbricenſes q. illa 4. art 5. & 6. eam propoſitionem, *homo irrationalis eſt homo*, habere duplicem copulam: alteram impoſſibilem, & occultam ex parte ſubiecti, merito cuius dicitur homo irrationalis; alteram haud magis veram, prædicato principali propiorem, qua homo irrationalis eſſe affirmatur homo: cuius, inquiunt, ratio eſt, quoniam duo illi termini ſe tenentes ex parte ſubiecti nempe homo, & irrationalis nullatenus poſſunt efficere vnum per ſe, vel per accidens: quî ergo fieri poteſt, vt ſine copula aliqua intentionali omnino diſtincta ab ea, quæ eſt præcipua in idem ſubiectum coaleſcant? Quæ ratio non procedit in hac propoſitione, *homo albus eſt homo*, eius enim ſubiectum eſt vnum per accidens, quippe quod duos terminos phyſica, & accidentali vnione copulatos, hominem ſcilicet, & albedinem, comprehendit, adeóque non eſt, quapropter copulam vllam contingentem principali, & per verbum, *eſt*, expreſſæ præuiam includat. Contra tamen, quoniam harum propoſitionum, Petrus, & Paulus curtit, Petrus vel carentia Petri exiſtit, ita ſunt inſtituta ſubiecta, vt eorum alterutrum inuoluat terminos, ex quibus nequit reſultare vnum per ſe, vel per accidens: & tamen neutrum implicat copulam vllam, merito cuius de Petro Paulus, aut de eodem eius affirmetur negatio, ſeu carentia: ſimiliter ergò in 29

præſenti &c. Deinde hæc prædicatio, *homo irrationalis eſt ens rationis, & quippiam commentitium*, nullam inuoluit copulam impoſſibilem, & falſam ex parte ſubiecti; aliàs tota ea eſſet abſolutè falſa, cum tamen vero verius ſit, eam omnis falſitatis expertem eſſe, atque in Deo falli neſcio locum habere: eſſet autem eiuſmodi prædicatio de ſubiecto copulam impoſſibilem implicante; adeoque tota falſa, ſi cuius eſſet momenti ratio aduerſariorum, vt intuenti conſtabit. Tum etiam; hæc propoſitio: *ens rationis eſt, quod habet eſſe obiectiuè tantum in intellectu*, eſt omnino vera, more cæterarum definitionum, nec minus, quam hæc, *ens reale eſt, quod habet aptitudinem, vt vere ſit in rebus*, aut alia quæuis vt eſt, & omnibus in confeſſo, & per ſe compertum: atqui eſt de ſubiecto, complectente terminos in vnum aliquod per ſe, aut per accidens iungi impotes, ac potius inuicem repugnantes; habet enim inſtar ſubiecti, ens rationis; de cuius ratione, & eſſentia eſt eiuſmodi terminos complecti; quanquam igitur eos cohibeat, ſubiectum eius propoſitionis, *homo irrationalis eſt homo*, non ob id erit illa falſa, aut copula illa impoſſibili latenter prædita, ſed magis omnino vera.

30 Tertio quidam reſpondent, ens rationis quodlibet conſtitui eſſentialiter actu falſo, & præter eum, & quæ extrema realia, ac vera; non vere, ſed falſo copulat, nihil aliud includere: ſubiectum autem eius propoſitionis, *homo irrationalis eſt homo*, eſſe ens rationis, adeoque inuoluere copulam aliquam impoſſibilem, ac falſam, quæ totum compoſitum intentionale, cuius eſt pars falſitate afficiat. At hanc rationem non procedere in ſubiecto eius propoſitionis in præſenti controuerſia, nimirum, *homo albus eſt homo*, vt potè, quod eſt ens reale, & non rationis. Verum quidquid ſit, an ens rationis conſtituatur actu falſo, vel potius eum extrinſecè, & inſtar ſolius obiecti connotet, ac reſpectet; de quo in Metaphyſica; illud in primis diſplicet, in hac ſolutione, quod iuxtà eam harum propoſitionum (vt omitam nuper poſitas, & eandem, vel certe non minorem, hic difficultatem parituras, atque aduerſus præcedentem ſolutionem) harum, inquam, *homo irrationalis eſt ens rationis confictum ex homine, & irrationali*, *homo irrationalis eſt homo irrationalis*, ſubiecta debeant etiam inuoluere copulam aliquam impoſſibilem, & eſſentialiter falſam: ſunt enim entia rationis; proinde neceſſum erit, ambas propoſitiones eſſe falſas omninò. At eas eſſe prorſus veras, eſt perſpicuum: tum, quia vtraque reperitur in Deo, in quo nullum actum deſideres ſummè verum: tum, quia altera eſt definitionis de definito, altera verò identica: quæ autem ſunt huiuſmodi, nuſquam & nunquam non ſunt veræ.

31 Inſuper; homo irrationalis, dum in præfata propoſitione ſubiicitur, haud oportet, vt ſit aliquid actu fictum, ſuovè modo exiſtens, ſed ſatis, ſuperque eſt, vt fingi poſſit, & ſuo modo exiſtere: ſic enim de eo poſtea affirmatur verè, vel certè falſo, quod ſit homo: haud aliter, atque cum dicitur, *homo rationalis eſt homo*, ſubiectum talis propoſitionis eo ipſo non exiſtit reuera, ſed ſatis habet exiſtere poſſe, quod cuiuis propoſitioni ſempiternæ veritatis eſt commune: ergo ſubiectum illius propoſitionis prioris in controuerſia poſitæ neutiquam eo ipſo implicat copulam aliquam impoſſibilem, & actualem principali præuiam, aliàs illud non poſſet non exiſtere quodammodo, & actu fingi; ſed tantum in potentia, & non repugnantem, quæ ſit obiectum apprehenſionis veræ reſpondentis eis vocibus, *homo irrationalis*, ſicut ipſi obiiciuntur extrema realia, quæ ſimul cum tali copula fictitia ens rationis in potentia conſtituunt. Quamuis ergo demus vltrò, hominem irrationalem actu falſo eſſentialiter conſtitui, haud propterea ſequitur enunciationem, cuius eſt ſubiectum, aliquam copulam actualem falſam includere, ſed ad ſummum aliquam in potentia velut obiectum extrinſecè tueri, ſine vllo maiori veritatis ſuæ præiudicio, quam, cum Deus eandem cognoſcit.

Planius ergo, & expeditius reſpondeo, propoſitionem illam, *homo irrationalis eſt homo*, nullam copulam impoſſibilem actu implicare ex parte ſubiecti ſui formalis, etiamſi eam fortaſſe reſpiciat velut ſubiecti ſui obiectiui conſtitutiuam, modo ſuperius explicato: falſitatem autem propoſitionis, exinde oriri, quod prædicetur in ea homo ſimpliciter, ac vere talis, (qui ſubintelligitur ſemper, vbi profertur vox, *homo*, abſolutè, & ſine additamento) de homine irrationali, & chimærico: qua ratione hæc prædicatio, homo pictus eſt homo, & ſimiles ſunt omnino falſæ. Enimvero parum, aut nihil intereſt, in propoſitione ab aduerſariis obiecta prædicatum includi intimè, & quidditatiuè in ſubiecto, voce tenus: nam reipſa ab eo diſtat, vt quod maximè: veritatis autem norma, ac regula certa eſt rerum mutuus ordo non vocum ſimilitudo, quæ potius ſæpe deludit. 32

Tertium argumentum aduerſariorum: ſi hæc propoſitio, *homo albus eſt homo*, foret neceſſaria, certè nullo homine albo exiſtente, nihilominus eſſet vera: nam ſi penderet eius veritas ab hoc euentu, aliovè vllo, non poſſet non eſſe contingens, & falſitatis periculo expoſita: tum autem non eſſet vera: conuertitur enim ſuaptè natura per hanc, *aliquis homo eſt homo albus*, ſicut iſta, *omnis homo eſt animal* per hanc, *ergo aliquod animal eſt homo*, & quælibet vniuerſalis affirmatiua per particularem affirmatiuam, iuxtà regulam dialecticorum Eua per Acci: at eius conuertens in tali euentu eſſet falſa, & non vera; ipſa ergo tum veritatis eſſet expers, ſiquidem propoſitio conuertens, & conuerſa in veritate recurrunt. 33

Reſpondeo, propoſitiones de ſubiecto per accidens coniuncto debere refingi, & exponi, mutatis quidem vocibus, ſed eodem manente ſenſu, vt in eis locum habeant regulæ conuerſionum à Philoſopho traditæ; alioqui verò eas conuerti non poſſe: quare propoſitio illa, *homo albus eſt homo*, nequit conuerti per hanc, *aliquis homo eſt homo albus*, nec mirum, quando homo in conuerſa ſupponit pro poſſibilibus, & exiſtentibus, nullo eorum facto diſcrimine, conuertens vero pro ſolis exiſtentibus, mutata autem ſuppoſitione alicuius termini, haud eſt locus conuerſioni: hæc enim eſt argumentatio quædam, ac diſcurſus ab vna propoſitione ad aliam; mutata verò ſuppoſitione alicuius termini in antecedenti, & conſequenti, nihil poterit ritè concludi, veluti ſi dicas, mus eſt ſyllaba: ergò aliquod animal eſt ſyllaba. Cæterum propoſitio illa ſic recuſa, & explicata per aliam ſibi æquiualentem, videlicet hanc, *omnis homo albus eſt conſtitutus eſſentialiter homine*, vel potius in eam quodammodo mutata, poteſt, ac debet ita conuerti per accidens, *ergo aliquid eſſentialiter conſtitutum homine eſt homo albus*. Secundo reſpondeo, eam propoſitionem, *omnis homo albus eſt homo*, probabiliter conuerti poſſe per hanc, *ergo aliquis homo eſt homo albus*: hanc autem poſteriorem non minus, quam illam priorem eſſe veram, nullo homine exiſtente albo: quamuis enim 34

ſeorſim,

ſeorſim, ac ſolitarie ſumpta ſignificet ea propoſitio, hominem aliquem exiſtere hominem album, & & ſubiecto tenus ſupponat pro ſolis hominibus, qui actu ſunt, & albedini ſubſunt: cæterum ex reſpectu ad eam priorem eſſentialem, & provt eius conuertens, ex eaque legitime illata, vendicat ſibi aliam ſignificationem, qua tantum denotet, aliquem hominem eſſentialiter conſtitutiuum hominis albi, ſiue, quod iuxtà eſt, aliquod conſtitutum eſſentialiter homine, eſſe hominem album: hoc verum eſt, tametſi nullus homo albus exiſtat. Neque nouum eſt, voces, quam ſe ſolis ſignificationem non habent, eam aliquandò ex circumſtantiis, & adiunctis mutuari.

35 Quartum argumentum aduerſariorum eſt tale: huiuſmodi propoſitiones, *homo albus eſt homo, homo albus eſt albus*, ſi ſunt neceſſariæ non poterit hæc, *aliquis homo eſt albus*, eſſe contingens: at iſta eſt ſemper contingens, & falſitati obuia, ergò illæ nequeunt eſſe neceſſariæ. Maior ſuadetur: nam etſi ex altera præmiſſa contingenti, & altera neceſſaria deduci poſſit concluſio contingens, ſecus tamen ex duabus neceſſariis; alioqui cur concluſio demonſtratiua non ſit contingens, & calumniæ expoſita, non obſtante quauis præmiſſarum neceſſitate? Sed ea propoſitio de ſubiecto ſimplici, *aliquis homo eſt albus*, eſt concluſio facta ex præfatis propoſitionibus de ſubiecto coniuncto, videlicet in modo Darapti ſic, omnis homo albus eſt homo, omnis homo albus eſt albus: ergo aliquis homo eſt albus: vbi ergo huius ſyllogiſmi præmiſſæ ſint neceſſariæ, nequit propoſitio concluſa eſſe contingens.

36 Reſpondeo primo, propoſitiones de ſubiecto coniuncto haud eſſe aptas ad eiuſmodi modum ſyllogiſticum, niſi verſas in alias, quæ eundem quidem ſenſum, ſed aliter, ac provt eſt eſſentialis, vi ſua exprimant; ita autem in eo concludere v.g. hoc pacto omnis homo albus eſt conſtitutus eſſentialiter homine, omnis homo eſt albus eſt conſtitutus eſſentialiter albo, ſiue albedine: ergo aliquid conſtitutum homine eſt conſtitutum albedine, ſiue ergo aliquid, quod eſt homo, eſt album. Reſpondeo ſecundò, propoſitionem illam, *aliquis homo eſt albus*, ſi ſignificet aliquem hominem actu exiſtere, & albedini ſubeſſe, contingentem eſſe; cæterum ita non inferri ex præmiſſis ſuperioribus in Darapti: Ex eo enim, quod homo albus includat eſſentialiter, tum hominem, tum etiam album, quis colligat propterea horum vnum neceſſario includere alterum? At verò ſi ſignificet ea propoſitio, hominem eſſe conſtitutiuum eiuſdem, quod conſtituit albus, ſiue, eſſe aliquid, quod eſt album, ita quidem erit neceſſaria: quamuis autem ſolitariè ſumpta habeat ſemper priorem ſignificationem, cæterum poſteriorem admittit, provt deriuata ex præmiſſis illis in Darapti, & cum eis coniuncta: ſicut enim fontem ſuum vicina imitatur vnda, eiuſque naturam, & qualitatem trahit, haud prius poſitura, quam longo diſtet interuallo, & multa terrarum ſpatia ſit itineribus emenſa perpetuis; ita quæ concluſio eſt ex aliquibus deducta principiis, eorum ſenſum eſſentialem, aut contingentem ſapit, nec, niſi ab eis ſeiuncta dediſcit.

37 Quintum argumentum: propoſitiones de prædicato coniuncto per accidens, & ſubiecto ſimplici, veluti Petrus eſt homo albus, homo eſt animal curtens ſunt contingentes, vt nemo noſtrum non fatetur, cum B. Thoma in 3. diſt. 10. q. 1. art. 2. cur non ergò tales ſint viceuerſa propoſitiones de ſubiecto per accidens coniuncto, & prædicato ſimplici? Reſpondeo, ſicut non dicitur aliqua ſubſtantia corruptibilis, aut incorruptibilis, neceſſaria, aut contingens ratione materiæ, aliàs nulla non eſſet immortalis, & neceſſaria, cum nullius in materia non ſit immortalitate prædita, ſed ratione formæ, aut ſecundum ſe, vel provt vnitur, & munus formæ exercet: qua de cauſa omnis ſubſtantia corporea ſublunaris eſt corruptioni obnoxia; cuiuſuis enim forma, aut certe vnio ei ſubditur, ita ſimiliter contingentia propoſitionis, aut neceſſitas haud eſt metienda ex ſubiecto, ſiue materia, ſed ex prædicato, quod ſolum formæ pondus, & inſtar habet; proinde nil mirum, ſi nulla ſubiecti ratione habita, quando prædicatum eſt coniunctum per accidens, & continet terminos tum ſibi inuicem, tum etiam, quod conſequens eſt, ſubiecto contingentes, eo ipſo tota prædicatio contingentiam ſubeat, ſecus vero, ſi prædicatum ſit neceſſarium, & à ſubiecto deſtinatè petatur. Non nego, ſubiectum propoſitionis, ſi ſecundum ſe foret contingens, reiecturum contingentiam eiuſmodi in totam propoſitionem, haud aliter, ac, ſi materia prima poſſet naturaliter deſtrui, aut corrumpi, totum proculdubio compoſitum corruptibile denominaret. Cæterum quemadmodum materia prima nequit eſſe contingens, ita ſubiectum quantumuis complexum per accidens nequit eſſe cõtingens, provt eſt præcisè ſubiectum, ſed ſolum quatenus contingenter reſpicit prædicatum: quamobrem, vt dictum, ſicut materiæ, ſic etiam ſubiecti intentionalis nulla eſt habenda ratio, quando de propoſitionis contingentia, aut neceſſitate, inſtituitur quæſtio.

Sextum argumentum; hæ præpoſitiones, Æthiops albus currit, coruus albus crocitat, cygnus niger concinit, ſemper ſunt falſæ, vt eſt luce clarius: at non propterea, quod prædicatum reipſa non conueniat ſubiecto, conuenit enim multoties, cum ſæpe ſæpius contingat Æthiopem currere, coruum crocitare, & cygnum concinere; ergò propter id, quod vna pars ſubiecti triplicis non conueniat alteri, & quod, nec Æthiops, nec coruus ſit albus, nec cygnus niger: latet ergò in qualibet earum trium propoſitionum aliqua copula contingens ex parte ſolius ſubiecti, per quam vna huius pars enunciatur de altera: ſimilis ergo copula contingens reperitur ex parte ſubiecti in hac, omnis homo albus eſt homo, adeoque totam iſtam propoſitionem reddit contingentiæ obnoxiam. 38

Reſpondeo, eas propoſitiones eſſe falſas, non, quod in illis vna pars ſubiecti de altera, cui non conuenit, affirmetur, ſed potius defectu conuenientiæ inter ſubiectum adæquatum, & eius prædicatum principale: nam ſubiectum primæ eſt Æthiops albus, huic autem non conuenit currere, vt enim currat, opus eſt, vt exiſtat, nullus autem Æthiops ſimpliciter albus exiſtit. Idem dicendum eſt de aliis duabus propoſitionibus, ſi in eis ſermo ſit de albedine, & nigredine ſupernaturali quoad modũ vnionis ſaltem, per quas ita ſumptas coruus albus, & cygnus niger eſſe poſſunt, eſto actu non ſint tales: ſin autem ſenſus earum propoſitionum eſt hic, coruus naturaliter albus crocitat, cygnus naturaliter niger concinit, alterutra illarum prædicat de ſubiecto chymærico ens reale aliquod, ac proinde ſunt falſæ, eodem iure quo hæc, homo irrationalis eſt homo, de qua paulo ſuprà. At quid dicendum de hac, coruus ſupernaturaliter albus eſt animal? Haud enim eſt falſa, quod prædicatum exiſtentiam importet, quodve, vt coruus eiuſmodi ſit animal, opus ſit ei exiſtere: haud etiã propterea quod ſubiectum 39

ſit

ſit ens rationis, cum tamen prædicatum ſit ens reale: Reſpondeo, eam propoſitionem eſſe veram: ſenſus enim eius eſt conditionatus, ſaltem æquiualenter, aut certè poſſibilis; & perinde eſt ea tota; atque hæc, coruus, ſi eſt ſupernaturaliter albus, eſt animal; aut perinde, atque iſta, coruus potens ſupernaturaliter eſſe albus eſt animal. Nec mirum, quando etiam prædicatum principale eodem modo dicitur de ſubiecto, &, non tam adſtruitur, quod coruus ille abſolute exiſtat animal, quam, quod ſub conditione, etſi vllatenus exiſtit in rem natura, vel certè, quod poſſit eſſe animal

40 Septimum argumentum: idcirco propoſitiones in ſuperiori obiectæ argumento ſunt falſæ, quia ſunt de ſubiecto non ſupponente, ſed etiam talis eſt hæc, homo albus eſt homo, ſi forte non exiſtat, vt fieri poteſt, vllus homo albus in rerum natura, ergo, &c. Nego minorem: haud enim ſupponitur in hac propoſitione vi copulę principalis, atque reſpectus ad prædicatum potiſſimum, quod exiſtat homo albus: ſupponitur autem vi præcipuæ copulæ in propoſitionibus ſuperioris argumenti, quod Æthiops albus, coruus itidem albus, cygnus niger abſolute exiſtant: hæ igitur erunt de ſubiecto non ſupponente, id eſt non ſe habente quemadmodum ſupponitur vi copulæ principalis, ſecus vero ea, de qua eſt præſens controuerſia. Quocirca non placet, quod innuit Rubius libr. 1. periherm. cap. 2. quæſt. 5. perinde eſſe propoſitionem aliquam eſſe de ſubiecto non ſupponente, atque eam eſſe de ſubiecto non exiſtente in rerum natura: hoc enim haud verum eſt, niſi quando copula præcipua talem exiſtentiam exigit, ac ſupponit in ſubiecto, ad hoc vt tota propoſitio ſit vera. Nec fortè aliud vult hic author, & alij plures, qui eodem loquuntur modo.

41 Poſtremum argumentum aduerſariorum: concretum per accidens, quale eſt homo albus, haud poteſt definiri, haud habet eſſentiam proprie: nequit igitur de illo homo, aut albus eſſentialiter prædicari: quì ergo hæc prædicatio *homo albus eſt homo*, aut hæc, *homo albus eſt homo*, dicitur à nobis eſſentialis, ſeu neceſſaria? Reſpondeo lib. 9. tract. 2. c. 3. latè oſtenſum iri aduerſus quoſdam Thomiſtas, & non paucos Scotiſtas, concretum per accidens eſſentia prædituм eſſe, & definitionis non incapax. Deinde contrarium diſputandi gratia largior; quid inde? ſanè partes totius per accidens, cum ſint entia per ſe, definitionis erunt capaces, & eſſentia prædităe: earum ergo beneficio totum habebit, ſi non vnam duntaxat eſſentiam, ac definitionem, at certè plures: hoc autem ſufficiet, vt aliquid de eo per prædicationem eſſentialem dicatur. Rurſus prædicatio, de qua eſt quæſtio, non ſit eſſentialis defectu ſubiecti definibilis, & eſſentiæ capacis; at cur non ſit neceſſaria, propter inſeparabilitatem ſubiecti à prædicato, & neceſſitatem veluti fatalem, qua illud reſpicit, & includit?

CAPVT IV.

Diuiſio propoſitionis in finitam, & infinitam, atque priuatiuam.

42 DE quibus Ariſtoteles lib. 2. de interp. cap. 1. & Boetius, Albertus, B. Thom. Alexand. Niphus, & alij interpretes: Eorum ego doctrinam, quæ fuerint magis ſenticoſa, prætermiſſis, in claritatem, ac breuitatem redigam, Propoſitio finita eſt, quæ termino aliquo finito conſtat: infinita, quæ infinito: priuatiua, quæ priuatiuo. Terminus autem finitus eſt, qui abſoluitur à particula negatiua, *non*, aliaue ſimili, vt homo, aut ſapiens: Infinitus eſt, qui eiuſmodi particula negatiua ſibi propoſita gaudet, veluti non homo, aut non ſapiens. Ratio vtriuſque vocabuli eſt, quia cum homo, v.g ſeorſim ſumptus deſtinatam ac finitam ſignificationem habeat, adiectione illa fertur latiſſimè extra ſuam ſpeciem, & dempto ipſo homine cæteris omnibus conuenit, ac de iis prædicatur: ecquid enim præter hominem eſt, quod non ſit non homo. Ariſtoteles autem priorem terminum nomen, & poſteriorem nomen nominatum appellandum cenſet. Terminus priuatiuus eſt, vbi particula inficialis haud ſeparatur ab eo, quod afficit, ſed potius in idem cum eo nomen coaleſcit, veluti inſipiens, aut humanus.

Huiuſmodi autem terminus poſtremo loco explicatus differt ab infinito, quod hic habeat infinitam amplitudinem, & extenſionem ad omne aliud, præter id, cui adiacet particula infinitans: nam omne quod non eſt ſimpliciter ens, v.g. eſt ſimpliciter non ens: & omne quod non eſt homo, eſt non homo. Cæterum hæc infinita amplitudo, & extenſio non congruit termino priuatiuo, haud enim omne, quod non eſt humanitate prædituм, eſt inhumanum, & crudele, cum lapis v.g. non ſit ſapiens, nec tamen inſipiens; idemque, nec ſit humanus, nec tamen propterea inhumanus: cuius ratio eſt, quoniam inſipientia, & inhumanitas important carentiam ſapientiæ, & humanitatis in ſubiecto capaci: at hæc capacitas lapidi deeſt. Diſſidet etiam terminus priuatiuus à finito ſtrictiſſimè ſumpto, quod hic ſumatur pro ſola re poſitiua, ſecus verò ille: cæterum, ſi vſurpetur terminus finitus propriè quidem, etſi non quantum iamiam, videlicet provt eſt è regione nominis infiniti; & ab hoc diſtinctus, ita ſanè terminus priuatiuus erit ſpecies quædam illius, cum ne hic ſit infinitus. Proinde diuiſio propoſitionis in infinitam, finitam & priuatiuam bene habet, ſi propoſitio finita ſumatur ſtrictiſſimè, ad inſtar termini finiti, à quo denominatur: cæterum, ſi ſtrictè quidem, ſed paulo minus, quam ſuprà, ſumatur; ea diuiſio eſt accipienda velut pingui minerua à dialecticis tradita, atque, vt exacta ſit, ita refingenda: propoſitio alia eſt finita alia infinita: Rurſus finita, alia eſt poſitiua, alia priuatiua. 43

His conſtitutis id ſupereſt explicandum, quonam modo prædictæ propoſitiones ſe mutuo inferant. In primis ergo propoſitio affirmans infinita, & affirmans priuatiua inferunt negantem finitam, veluti, *homo eſt non ſapiens, ergo homo non eſt ſapiens*: item, *homo eſt inſipiens, ergo non eſt ſapiens*. E contrario etiam finita negans recte infert affirmantem infinitam, veluti, *homo non eſt ſapiens, ergo homo non eſt ſapiens*; ſecus tamen affirmantem priuatiuam: haud enim valet ratione formæ; *homo non eſt ſapiens, ergo eſt inſipiens*, cum lapis non ſit ſapiens, non tamen ſit inſipiens. Propterea, affirmans finita rectè infert negantem, tum infinitam, tum priuatiuam: valet enim, *homo eſt ſapiens, ergo homo non eſt non ſapiens*, & *ergo homo nõ eſt inſipiens*: E diuerſo etiã infinita negãs optimè infert affirmantem finitam, *vt homo non eſt non ſapiens, ergo ſapiens*; quam tamen neutiquam infert priuatiua negans; haud enim ſequitur ratione formæ, *homo non eſt inſipiens, ergo ſapiens*, cum lapis non ſit inſipiens, nec propterea ſapiens. Non ſolum autem priuatiuæ & infinitæ comparari poſſunt cum finitis, ſed etiam inter ſe: quamobrem à priuatiua affirmante ad infinitam itidem affirmantem bona 44

eſt

eſt conſequentia, vt, *homo eſt inſipiens, ergo eſt non ſapiens*; non tamen retrorſum, *homo eſt non ſapiens, ergo inſipiens*: non, inquam, ratione formæ, vt cernere datur in lapide, qui eſt non ſapiens, haud tamen inſipiens. Deinde à priuatiua negante ad infinitam negantem non bene arguitur: nam ratione ſolius materiæ ſequitur, *homo non eſt inſipiens, ergo non eſt non ſapiens*, ſecus verò ratione formæ, vt conſtat exẽplo ſuperiori lapidis, qui non eſt inſipiens, quin verum ſit, quod non ſit non ſapiens, ſiue poſitiue ſapiens: hæc enim duo recurrunt. At è conuerſo ab infinita negante bona eſt illatio ad priuatiuam negantem; idque vbiuis, & attenta forma; veluti homo non eſt non ſapiens: ergo homo non eſt inſipiens: nuſquam enim ſimile antecedens verum reperias, quin, & conſequens,

45 Duo autem hic animaduerto: prius eſt, regulas prædictas, de Ariſtotelis ſententia valere, non ſolum quando propoſitiones ſint de ſubiecto indefinito, ſed etiam, quando de ſubiecto quod ſit affectum, ac definitum ſigno quodam vniuerſali, aut particulari: dummodo tamen propoſitiones affirmatiuas afficiat ſignum vniuerſale, & negatiuas particulare; non autem è conuerſo: valet enim, *omnis homo eſt non ſapiens, ergo aliquis homo non eſt ſapiens*: cæterum non valet, *aliquis homo eſt non ſapiens: ergo nullus homo eſt ſapiens*: Rurſus valet, *omnis homo eſt ſapiens, ergo aliquis homo non eſt ſapiens*: non autem valet; *aliquis homo eſt ſapiens, ergo nullus homo eſt non ſapiens*: Per cęteras propoſitiones eunti conſtabit idem. Poſterius animaduerſione dignum eſt, regulas ſuperiores traditas eſſe pro enunciationibus infinitis ratione ſolius prædicati, quæ potior earum pars eſt, atque ſubiecto dignitate anteſtat.

46 Quòd ſi ſermo ſit de propoſitionibus de ſubiecto infinito, ab eoque ſolo infinitatem ſuam mutuantibus, eæ nullam habent conſecutionis legem, ad propoſitiones de ſubiecto finito, & prædicato, ſeu finito, ſeu infinito: haud enim valet, *non homo eſt ſapiens, ergo homo eſt ſapiens*, aut, *ergo homo eſt non ſapiens*: haud etiam, *homo eſt ſapiens*, aut, *homo eſt non ſapiens, ergo non homo eſt ſapiens*, cum fieri poſſit, vt prius antecedens ſit verum in Angelo ſapientia prædito, & vnum, vel alterum conſequens falſum in nobis, aut ſapientia prædictis, aut ea deſtitutis; & è conuerſo alterum antecedens è duobus verum in nobis, & falſum in Angelo de potentia Dei vel ordinaria, vel abſoluta, & extraordinaria: Ratio huius eſt, quoniam ſubiectum debet eſſe idem in propoſitionibus inferentibus ſe ſe, niſi illatio fiat per conuerſionem: at eſt aliud, & aliud in propoſitionibus illis, quas dictum eſt non habere inuicem vllam conſequutionis legem: nihilominus eas non inficior eſſe poſſe ſimul veras: id tamen omnino per accidens; nec ſemper euenit.

47 Porro autem hæc doctrina vera eſt, ſiue ſubiectum infinitum afficiatur ſigno vniuerſali, aut particulari, ſiue non. Ne autem hinc vlla exiſtat hallucinandi occaſio, neve aliquando putetur ſubiectum eſſe infinitum, quin tale vera ſit, nota ex Ariſtotele, cum ſubiectum eſt vniuerſale, aut particulare, non verò indefinitum ſiue indifferens, oportere, vt infinitetur, negationem præmitti ad terminum ipſum, qui ſubiicitur, non vero ad ſignum, ſiue ſyncategorema. Nam ſi dicas, *non omnis homo eſt ſapiens*, nullam infinitatem ſubit, *homo*, ſed propoſitio æquialet huic, *aliquis homo eſt ſapiens*, adeóque eſt de ſubiecto finito, debet ergo ſic infinitari, *omnis non homo eſt ſapiens*. Pari ratione, *aliquis homo*, ſic infinitatur, *aliquis non homo eſt ſapiens*, ſecus vero talem in modum, *non aliquis homo eſt ſapiens*, cum propoſitio iſta æquialeat huic, *nullus homo eſt ſapiens*, adeoque ſit de ſubiecto finito.

Conſequentiæ omnes hucuſque explicatæ faciles 48
ſunt, atque perſpicuæ, duabus exceptis, altera illarum eſt ea, quam ſtatuimus optimam eſſe à propoſitione negatiua de prædicato finito, ad affirmatiuam de prædicato infinito. Negant enim, eam eſſe formalem, & vbiuis irrefragabilem B. Thomas lib. 2. de interpret. lect. 2. his verbis, *ſicut ſimplex negatiua ſequitur ad infinitam affirmatiuam quæ eſt in minus, & non conuertitur, ita etiam negatiua ſimplex ſequitur ad priuatiuam affirmatiuam, quæ eſt in minus, & non conuertitur*. Idem ſentit Rubius eodem lib. 2. de interpr. cap. 1. in expoſitione textus in hæc verba. *Quod verò affirmans infinita inferat negantem ſimplicem, à qua non infertur, patet; nam tenet conſecutio, eſt non iuſtus homo: ergo non eſt iuſtus homo: non tamen ordine inuerſo, non eſt iuſtus homo; ergo eſt non iuſtus homo, cum latius patens ſignificatum negantis de multis dicatur, videlicet de his, qui non ſunt homines, de quibus non dicitur affirmans infinita*. Conſentit etiam Hurtado diſp. 2. ſum. ſect. 5. §. 24. his verbis, *non ens, quamuis non ſit homo, non tamen eſt non homo, quia eſſe non hominem dicit eſſe aliquid, quod non ſit homo, at vero non ens non eſt aliquid ſumendo eſt, & aliquid propriè*. Accedunt Albertus, Porphyrius, Boëtius, Sotus, & alij. In primis quia Petro v. g. non exiſtente, hæc propoſitio eſt vera, Petrus non eſt albus, & tamen hæc non eſt tum vera, Petrus eſt non albus, nec infertur bene ex priori; ſiquidem in ea affirmatur prædicatum contingens de ſubiecto, ad cuius veritatem opus, vt ſubiectum exiſtat; aliàs hæc poterit eſſe vera, Petrus eſt albus, quantumuis non exiſtente Petro. Secundò, quoniam hæc propoſitio eſt vera, homo neceſſario non eſt currens; & tamen hæc eſt falſa, homo neceſſario eſt non currens, propterea, quod homo ſit indifferens ad vtrumlibet, nimirum ad currendum, & non currendum. Tertiò, quia non valet hæc conſecutio, aliquis homo non eſt ſapiens, ergo omnis homo eſt non ſapiens: ergo, &c. Quartò, ex Ariſtotele 1 prior. cap. poſtremo: hæc illatio eſt nulla, Socrates non eſt lignum album: ergo eſt lignum non album, cum tamen ſit à propoſitione negatiua de prædicato finito, ad affirmatiuam de prædicato infinito.

Probabilius tamen eſt, quod aſſeruimus cum 49
Collegio Conimbr. l. 2. de interpret. cap. 1. de enunt. infinita quæſt vnica art. 2. ac pleriſque aliis dialecticis. Ratio autem eius eſt, quoniam inter terminos contradictorios haud eſt reperire medium, ſed oportet, altero negato, alterum affirmari: vbi ergo de homine, v. g. aut Petro negetur eſſe album, ſequitur, de illo verè prædicari poſſe, quod ſit non albus, adeoque conſecutio à nobis ſtatuta eſt legitima. Ad primum dicendum eſt, de Petro quantumlibet non exiſtente verè prædicari, quod ſit non albus, ſolum enim prædicatum contingens, quando eſt poſitiuum, expoſcit exiſtentiam ſubiecti, ſecus vero, cum negatiuum, ac tale, quod nullam exiſtentiam veram ſecum importat: idque exemplum obiectum dumtaxat conuincit: ita cenſent cum Caietano 1. part. quæſt. 14 art. 13. & Conimbricenſibus loco nuper memorato, communiter cæteri Doctores. Et quidem per ſe patet, nam hæ ſunt veræ, Hircoceruus eſt non exiſtens, chimæra eſt non ens rationis, ſeu non ens eſt non ens: ens rationis, ſiue non ens eſt non homo; vt pleriſque etiam aduerſariis & in confeſſo: præſertim vero id fatetur Rubius lib. illo 1. de interpret. cap. 2. & B. Thomas ibidem lect. 5. refertque Boëtium, & Ammonium;

ecce

ecce eius verba ; *non homo potest dici indifferenter, & de eo, quod non est in rerum natura, vt si dicamus chimæra est non homo. & de eo, quod est in rerum natura, sicut dicitur equus est non homo: si autem imponeretur à priuatione* (scilicet non homo) *requireret subiectum ad minus existens ; sed quia imponitur à negatione, potest dici de ente, & de non ente, vt Boetius, & Ammonius dicunt.* Qui autem aduersariorum cum Hurtado superius citato id negant, facilè possunt refelli : nam hæc prædicatio non ens est non ens, est identica ergo vera ; vnde etiam sit cæteras à nobis obiectas esse veras, præcipuè verò eam, non ens est non homo ; sicut enim de quocunque dicitur quod non sit ens, affirmatur eo ipso ; quod non sit homo, ita & de quocunque dicitur verè, quod sit non ens affirmari poterit non minus verè, quod sit non homo, vt est luce clarius. Ad secundum respondeo, consecutionem illam veram semper esse inter propositiones absolutas ab omni modo copulam, aut extrema afficiente ; translatam verò ad alias, pro quibus non est à philosopho statuta, neutiquam esse formalem, aut legitimam. Qua ratione non solum non valet illatio in argumento obiecta, sed ne hæc etiam, homo provt homo non est albus : ergo homo provt homo est non albus, neque etiam hæc ; voluntas pro priori naturæ non amat : ergo voluntas pro priori naturæ est non amans : non prior, quia homo albedinem essentialiter non includit, nec tamen reiicit velut essentiæ suæ repugnantem : non posterior, quia voluntas pro priori signo libertatis suæ in actu primo, nec est amans, nec est non amans, sed indifferens ad vtrumlibet, ac veluti in æquilibrio. Ad tertium dicendum, eo tantum concludi, quod sit seruanda ratio quantitatis, superius à nobis præscripta in secunda animaduersione ; ea autem seruata, regulam nostram esse veram. Ad quartum dicendum est, vt consecutio illa à nobis tradita nusquam sit falsa, debere totum prædicatum infinitari : quæ verò ab Aristotele est improbata, eam esse, in qua pars vna prædicati, non verò totum illud, videlicet album non lignum infinitatem à particula, *non*, sibi præstituta attingit. Qua de causa hæc illatio est nulla, Petrus non est videns equum, ergo est videns non equum, fieri namque potest, vt nihil videat, adeóque antecedens sit verum, & consequens falsum.

51 Altera illatio ab omnibus admissa difficultatem tamen facessens aliquam, ea est, quam diximus, valere, à propositione affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuam de prædicato finito. Obiicies enim ; ea consecutio, si forte est legitima, & formalis, fieri poterit, vt duæ contradictoriæ, sint simul veræ : hæc namque est vera, Petrus est iustus, & similiter hæc, Petrus est non iustus, si nimirum ambæ referantur ad mensuram æternitatis quæ cohibet omnes differentias temporis, adeóque illam, in qua Petrus est iustus, & illam, in qua est non iustus : earum ergo posterior si infert hanc, Petrus non est iustus, erit ista proculdubio vera simul cum affirmatiua finita sibi contradictoriè, & ex diametro opposita. Obiicies secundò, non sequitur ; in fluuio sunt non pisces, videlicet lapides, ergo in fluuio non sunt pisces, cum tamen argumentum sit à propositione affirmatiua de prædicato infinito ad negatiuam definito. Obiicies tertiò ; non valet hæc illatio ; aliquis homo est non sapiens, ergo omnis homo non est sapiens, siue nullus est sapiens. Denique quartò obiicies ; non valet huiusmodi illatio ; Petrus potest non saluari, ergo Petrus non potest saluari ; prius enim est verum, & posterius falsum.

52 Cæterum non est minus euidens huius, quam superioris illationis nuper probatæ vis : siquidem termini contradictorij nequeunt simul affirmari, de subiecto eodem : vbi ergo de Petro v.g. quod sit non iustus affirmetur, haud poterit simul de eo dici, quod sit iustus : necessum ergo est, vt eo ipso possit de illo negari iustitia, hunc in modum, Petrus non est iustus : quod enim nequit affirmari de aliquo, id de eo potest, ac debet negari. Ad primum respondeo, mensuram æternitatis diuersa tempora successiua complectentem haud esse aptam ad propositiones contradictorias, & has potius respectu eiusdem temporis successiui, & non diuersorum esse debere : quis enim dicat istas sibi inuicem contradicere, Petrus hodie est iustus, Petrus cras non erit iustus ? Quocirca negari debet, propositiones illas, Petrus est iustus, Petrus non est iustus respectu æternitatis, ac diuersorum temporum in eius ambitu, & complexu veluti latentium esse contradictorias, aut non posse esse simul veras : quod ergo iuxtà nostram sententiam, &, quam defendimus illationem, ritè sequantur ex his, Petrus est iustus, Petrus est non iustus, æqui, bonique consulendum est. Ad secundum respondeo, fortasse in propositionibus ibi obiectis, nec pisces esse prædicatum, nec etiam non pisces, earumque potius sensum in mente esse hunc, non pisces sunt in fluuio, pisces sunt in fluuio : quod, si ita est, altera non affirmabit prædicatum infinitum, nec altera negabit idemmet sublata tamen infinitate, & retenta potius opposita finitate, sed vtraque erit de prædicato finito, atque adeò de præsens institutum inutilis. Rursus, si prioris prædicatum sit, *non pisces*, eiusque totius sensus hic, aliquid existens in fluuio sunt non pisces, id est lapides, sane negatiua de prædicato finito ei respondens neutiquam erit ista, in fluuio non sunt pisces, siue, quod instar est, pisces non existunt in fluuio, sed, aliquid existens in fluuio non sunt pisces, hæc autem posterior est vera, ac proinde consequutio, quam tuemur, vbicunque fiat iuxtà normam à nobis, ac cæteris dialecticis præscriptam. Ad tertium respondeo, sicut paulò suprà ad aliud tertio quoque loco positum contra priorem illationem, videlicet quantitatis vbique rationem habendam esse, & nusquam argui benè à particulari affirmatiua ad vniuersalem negatiuam, vti nec à particulari negatiua ad vniuersalem affirmatiuam, sed potius è conuerso argumentandum esse : regulam autem nostram, hac subintellecta conditione, verissimam esse. Ad quartum respondeo, sicut ad aliud etiam quartum aduersus superiorem illationem, propterea scilicet non sequi, Petrus potest non saluari, Petrus non potest saluari, quoniam in priori non totum prædicatum infinitatur, cum tamen in posteriori negetur totum : infinitas autem, & negatio, vt sese inferant, pares esse debent.

Hactenus de consecutionibus aliarum propositionum ad alias, earum scilicet, quæ sunt in titulo capitis præfixæ. Quod autem attinet ad oppositionem illarum, & quænam possint, aut non possint esse simul veræ : hoc habeo compertum, exploratumque, cum oppositio nequeat esse, nisi eodem prædicato de eodem subiecto affirmato, ac simul negato, nullam idcirco inter propositiones finitas, & infinitas, aut etiam priuatiuas dari strictam oppositionem. Datur tamen inter eas aliqua virtualiter, & arguitiuè talis, si quando nimirum ex eis infertur vera, & stricta : qua sola ratione hæ sunt contrariæ, omnis homo est sapiens, omnis homo est non sapiens, quia inferunt has contrarias formales, ac rigorosas, omnis homo est sapiens, omnis homo non est sapiens, siue, quod in idem recidit, nullus

53

est

est sapiens: & quia rursus hæ, non omnis homo est sapiens, non omnis homo est non sapiens, sunt subcontrariæ, propter id, quod inferunt has subcontrarias strictas, aliquis homo est sapiens, aliquis homo non est sapiens: sed de his satis infra tract. 4.

TRACTATVS III.

De materia, forma, quantitate, & qualitate veritatis compositæ, siue propositionis.

CAPVT I.

Materia, & forma propositionis.

1 MATERIAM propositionis quidam antiqui Summulistæ solum prædicatum, & subiectum nuncupant, ea ratione ducti, quod sicut materia physica est indifferens ad hanc, & illam formam, ita subiectum, & prædicatum ad vnionem diuisiuam, seu compositiuam sint indifferentia v.g. *Petrus* & *albus*, vt asseras, Petrus est albus, vel potius, Petrus non est albus: quare cum intellectus subiectum cum prædicato vnit affirmando, aut negando, tum ea quasi informare censetur. Hurtadus d. 4. sum. s. 2. §. 4. existimat, prædicatum, & subiectum, atque vnionem esse materiam propositionis, eò, quod tria illa sint obiectum, seu materia, circa quam iudicij. Arriaga d. 2. sum. s. 2. n. 9. censet solam connexionem, siue vnionem obiectiuam subiecti cum prædicato esse materiam propositionis fortè, quia à varietate huius connexionis materia propositionis varia esse dicitur, &, vel contingens, vel necessaria, aut impossibilis, vt nuncnunc patebit.

2 Ipse solum subiectum materiam propositionis existimo. Namque, sicut corpus dicitur quantum, videlicet paruum, aut magnum à quantitate solius materiæ, non verò formæ: hæc enim, etsi paruæ molis sit, imò nullius, sed potius indiuisibilis tota, non prohibet hominem v.g. dici, & esse portentosæ magnitudinis, & gigantis instar; contra vero, quis vocet apeculas magnas, propter ea quod

3 *Ingentes animos angusto in pectore versant.*

vt ait Virgilius lib. 4. Georgic. ita propositio dici debet quanta à quantitate solius materiæ: At dicitur quanta à quantitate solius subiecti, id est vniuersalis, aut particularis, indefinita, aut singularis, provt aliquam denominationem istarum quatuor habuerit eius subiectum, vti cap. sequenti constabit: subiectum igitur est materia propositionis. Deinde solum subiectum physicum est materia physica, seu corporea: ergo solum subiectum intentionale est materia intentionalis, siue enunciatiua.

4 Ad priscos summulistas dicendum est, formam etiam, & materiam physicam esse indifferentes, vt vniantur, vel non vniantur, cum possit hæc materia esse sine hac forma, cum alia videlicet, & è diuerso hæc forma sine hac materia, cum alia scilicet, vel etiam sine vlla, si sermo sit de anima rationali: Nihilominus non vtraque, sed altera tantum, quippe materia est subiectum physicum: quantumuis ergo subiectum, & prædicatum indifferentia sint, vt vniantur hoc, vel illo modo, imo, quod plus est, vt vnionem omnem cum eius carentia commutent, tamen non alterutrum, sed solum subiectum, dicendum erit è conuerso materia propositionis. Ad Hurtadum dici debet, eius argumento hoc tantum concludi, subiectum, prædicatum, atque vnionem vtique obiectiua, & realia esse materiam extrinsecam propositionis. Nobis autem sermo est de sola materia intrinseca illius, quæ nimirum sit eius essentialiter constitutiua.

Ad Arriagam dicendum est, in primis pro varietate vnionis subiectum physicum variari: est enim corpus subiectum inhæsionis respectu animæ belluinæ, propter inhæsiuam cum ea vnionem, & causalitatem eius materialem; rursus erit subiectum solius informationis respectu eiusdem, si more animi rationalis creetur diuinitus, ac tantum informatiuè vniatur corpori, sine vlla ab eo dependentia causæ materialis propria, sicut non repugnare existimat, tum Arriaga, tum etiam cum eo plures alij: exindè autem quis inferat, vnionem physicam subiecti rationem sortiri? Item secundò, subiectum dicitur physicum, aut logicum, vel iuxta aliorum phrasim, eamque non minus receptam, metaphysicum, provt vnio fuerit physica, aut metaphysica, aut logica, siue solius rationis: quo pacto animal v. g. est subiectum physicum candoris, & metaphysicum rationalitatis, esto in se idem sit, & sola vnio, ac forma diuersæ: quare sicut eadem materia diuersam rationem subiecti subit pro sola diuersitate vnionis physicæ, aut metaphysicæ, quarum neutra subiectum est, nisi ad summum in obliquo, & connotatiue; ita eadem materia propositionis dicitur contingens, si vnio, seu connexio prædicati cum subiecto contingens sit, vt in hac, homo currit, & necessaria, si ea connexio necessaria sit; vt homo est animal, & remota, seu impossibilis, si vnio, aut connexio impossibilis sit, & non tam connexio extremorum, quam eorum remotio; vt homo est lapis. Proinde materia propositionis eam triplicem denominationem, non absolutè, sed respectiuè, & in ordine ad prædicatum suscipit. 5

Formam propositionis Hurtadus supra laudatus consequentem totum iudicium appellat, eo, quod obiectum, seu materiam, circa quam extrinsecè denominet, & quasi informet; Cæterum non magis propriè, quam à Platone anima, seu forma humana totus homo appellatur. Arriaga significans vnionem obiectiuam esse materiam propositionis deberet cõsequenter assignare, pro eius forma, extrema, videlicet subiectum, & prædicatum; quæ tamen ambo simul sumpta adeo procul arbitror esse à ratione formæ, vt nulla egeat probatione eorum à forma propositionis distinctio: tam est me iudice certa, ac manifesta: Quare tam ipse, quam fermè cæteri Dialectici, præsertim verò Conimbricenses in c. 4. de orat. quæst. 4 art 5. § *multò aliter*: ac Baltasar Tellez part. 1. sum philosoph. disp. 12. sect. 2. n. 2. vnionem formalem, seu copulam per verbum, *est*, expressam propositionis formam censent: sed immerito, quia vnio humana ex. g eius forma non est; ergo similiter vnio enunciatiua non est enunciationis forma. Quapropter solum prædicatum est forma enunciationis, eo, quod, instar formæ physicæ cum subiecto comparatæ physico, subiectum enunciationis afficiat, ac denominet. Porro vtraque nostræ doctrinæ pars, videlicet quod subiectum sit materia propositionis, &, quod forma illius prædicatum, est perspicuè sententia Soti qu 5. prædicab. vt breuitatis causa prætermittam alios non paucos. 6

CAPVT II.

Quantitas, & qualitas propositionis.

7 QVantitas propositionis est, quæ eam ad plura porrigit obiecta, vel ad pauca restringit; sicut quantitas molis est, qua corpus ad plura, vel pauciora loci spatia extenditur. Quodruplex est: vniuersalis, quando subiectum signo vniuersali afficitur vt omnis homo currit; aut particulari, cũ signo particulari, vt aliquis homo currit; vel indefinita, cũ terminus cõmunis manet omnis expers signi; vt homo currit; vel singularis, cum subiectum singulare est, vt Petrus currit. Quantitas propositionis pendet à subiecto, atque ab eo est desumenda, sicut quantitas molis à materia, quippè à cuius magnitudine, aut paruitate corpus substantiale completum dicitur magnum, aut paruum, siue forma magna, siue parua, imo partium omnium expers, sit, vt cernere est in homine valdè procero, vel etiam in elephante, si fortè animalium perfectorum animæ sunt indiuisibiles, ac planè nullius molis, vt arbitrantur communiter Thomistæ, & præter eos alij nonnulli. Quapropter hæc propositio, omnis persona diuina est Deus, est vniuersalis absolutè loquendo ratione subiecti, non singularis ratione prædicati. Rursus hæc, Petrus est homo, est singularis absolutè fando, munere subiecti singularis, non vniuersalis beneficio prædicati vniuersalis.

8 Porrò autem doctrina tradita est intelligenda de solis casibus rectis: obliqui namque, quamuis se teneant ex parte subiecti, haud propterea denominant propositionem quantam: Vnde hæc propositio Pauli 1. ad Timotheum 3. *omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*, est vniuersalis, merito recti, non singularis, causa obliqui, nimirum Dei: & è contrario hæc eiusdem Pauli 2. ad Corinthios 1. *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra*, est singularis recti ergò dicenda, non autem vniuersalis, propter vniuersalitatem obliqui. Idem de terminis connotatiuis dici potest, ac debet: quare propositio ista, hic homo musicus est Philosophus, proculdubio singularis est, quamuis nota singularitatis non afficiat immediatè terminum connotatiuum, neque hanc musicen potius, quam illam indigitet; aliis exemplis supersedeo, quia res facilis.

9 Quantitas indefinita in materia contingenti æquiualet particulari; at in materia necessaria æquipollet vniuersali, iuxtà dialecticos omnes: quamobrem hæc propositio, homo currit, recidit in hanc, aliquis homo currit, & hæc, homo est animal: in istam, omnis homo est animal: quantumuis enim priores inuicem comparatæ sint formaliter diuersæ, necnon etiam posteriores, vt vel diuersitas quantitatis indicat; cæterum quantum ad veritatem vtrarumvis vnius, tantundem requiritur ad veritatem alterius, & è conuerso, ac proinde merito statuitur earum distinctio cum æquiualentia, & virtuali identitate coniuncta. Quod si materia sit impossibilis, & in ea quantitas indefinita, veluti homo est lapis, cuinam æquialeat, vniuersali nimirum, aut particulari, quantum arbitror est ex circunstantiis coniiciendum. Quantitas propositionis est ab ea realiter indistincta, eique physicè essentialis; habet enim originem à syncathegoremate, *omnis* v. g. *aliquis*, aut *hic*, vel certè à subiecto secundum se, & ab omni eiusmodi particula absolutè sumpto; at syncategorema cuiuscunq; modi est pars subiecti, adeoq; totius propositionis, siue internæ, siue externæ: idèque à fortiori dicendũ est de termino, qui subiicitur seorsim ab illo, & per se solum: proinde quantitas propositionis erit etiam pars illius constitutiua, eique essentialis reipsa. Sed enim, quia concipitur, & explicatur à nobis per analogiam, & proportionem cum quantitate in actu secundo, & extensione locali à corpore, quod extendit multum, parumvè, proculdubio distincta, ac separabili; ea certe causa est, cur censeatur ratione nostra distingui ab essentia propositionis, eaque posterior.

Quod attinet ad qualitatem propositionis, Conimbricenses in cap. 4. de oratione q. 3. art. 2. §. *iametsi propositio*, Auersa tract. 3. institut. cap. 3. & alij, docent veritatem & falsitatem esse qualitatem accidentalem propositionis, affirmationem verò, & negationem, qualitatem essentialem. Cæterum hic loquendi modus mihi displicet, quippè qui terminos repugnantes coniungit, & perinde est, ac, si dicas, *spiritus corporeus*: haud enim minus pugnant qualitas, & essentia, quam spiritus, & corpus. Instabis: differentia in quale quid prædicatur omnium consensu: ergo non est absurdum, aliquid esse qualitatem quidditatiuam, siue essentialem; quidditas namque, & essentia, ac proinde earum concreta, siue adiectiua in idem recidunt. Respondeo: prædicari in quale quid est essentiam per modum accidentis prædicari, quod non magis est absurdum, quam spiritum instar corporis, & per eius species, & imagines concipi: at esse quale quid siue qualitatem quidditatiuam est esse simul qualitatem, & essentiam, quod est eiusdem repugnantiæ, cuius est spiritum, & corpus per identitatem cohærere, & vnum esse. 10

Neoterici quidam nulla distinctione facta censent, affirmationem, & negationem esse qualitatem propositionis, hoc potissimum argumento permoti: propositio in communi præscindit ab affirmatiua, & negatiua, & ad vtramlibet est indifferens: prior igitur est propositio ratione nostra, quam affirmatio, & nègatio, & hæc ratione posterior; igitur hæc in conceptu secundario, & qualitate adeò consistit. Contrà tamen primò; quoniam animal est indifferens ad rationale, & irrationale, atque vtrolibet in subsistendi consequentia prius; valet enim, est rationale, ergo animal, est irrationale, ergo animal; neutrum tamen valet retrorsum, aut è conuerso: nihilominus, nec rationale, nec irrationale est qualitas animalis, sed differentia essentialis: quemadmodum enim anima est forma substantialis materiæ, quam afficit, & non solius compositi, quod substantialiter constituit, vt fatentur omnes, ita forma logica, qualis est differentia, est differentia essentialis animalis v. g. quæ materia logica, seu metaphysica est, non solius hominis, quem essentialiter constituit. Rursus secundò, quoniam affirmatio, aut negatio cuiusuis propositionis in particulari differentia essentialis erit: prima namque diuisio propositionis est in affirmatiuam, & negatiuam: quæ autem subsequuntur eius species, earum, per quas primò diuiditur, alterutram includit: ast hoc sufficit, vt affirmatio, & negatio dicatur absolutè propositionis differentia essentialis, sicut rationale, & irrationale dici consueuit quidditatiua differentia animalis, quoniam hoc, etsi abstrahatur ab vtroque, & neutrum intimè includat, hoc inquam, in communi, cæterum in particulari sumptum, & pro vt homo, vel equus, aut aliud quoduis, sem per alter- 11

utrum

utrum inuoluit. Denique tertiò, quia ſequitur nullas eſſe differentias eſſentiales propoſitionis, vtpotè quæ ex æquo abſtracta eſt, atque præciſa, non tantum ab affirmatione, & negatione, ſed etiam à veritate, & falſitate, & quibuſuis aliis. Concedunt aduerſariorum aliqui ſequelam: ſed immeritò; nam omnis qualitas, ac differentia accidentalis conſequitur aliquam differentiam eſſentialem, cui ſit determinatè, ſeu wagè debita, quemadmodum omne accidens phyſicum aliqua forma, ſiue actu phyſico eſt poſterius. Alij negant eam ſequelam, & aiunt, veritatem, & falſitatem eſſe differentias eſſentiales propoſitionis; quos tamen admodum falli, iamiam conſtabit, inter declarandum noſtram ſententiam.

12 Quæ quidem duas continet partes: altera eſt veritatem, & falſitatem eſſe qualitatem propoſitionis; altera affirmationem, & negationem talem haud eſſe, ſed vtramque potius differentiam eſſentialem. Prior earum eſt, non noſtra modò, ſed plerorumque Doctorum; præſertim verò tuentur illam Hurtadus in log. diſp. 8. ſect. 3. Arriaga diſp. 2. ſum. ſect. 2. Balthaſard Tellez diſp. 12. log. ſect. 2. num. 3. Rubius in log. lib. 1. perihermenias cap. 4. q. 3. & apud eum Alexander, Ammonius, & Niphus. Ea etiam eſt Platonis cuius hæc ſunt in Sophiſta verba: *diximus qualem quandam eſſe orationem quamlibet oportere: vnam veram, alteram falſam: vera oratio ea quæ ſunt, vt ſunt, de ſe prædicat, falſa autem alia, quam, quæ ſunt.* Suadetur autem hunc in modum: veritas, & falſitas eſt proprietas, ac differentia accidentalis propoſitionis, at aliter ei nequit accidere, quam velut qualitas; eius ergo eſt qualitas: Minor eſt omnium authorum, quos viderim, eſtque ſponte ſua euidens: haud enim veritas, ac falſitas accidunt propoſitioni, velut eius quantitas, huius namque munus eſt porrigere illam ad plura, vel pauciora obiecta, earum vero, poſtquam eſt vi repræſentationis ſuæ pro priori naturæ commenſa pluribus, vel paucioribus obiectis, illam eis conformem, vel difformem reddere.

13 Nec etiam veritas, & falſitas accidunt propoſitioni, velut relatio mera; tum, quia in Deo eſt prima, & perfectiſſima veritas, quatenus ipſe ſe cognoſcit, ac de eſſentia ſua iudicat aliquid, eius autem cognitio ad illum non refertur prædicamentaliter, defectu nimirum diſtinctionis realis à ſeipſo, quæ tamen extrema huius prædicamenti nunquam non ſeparat, nunquam non facit vero quodam interſtitio differre: tum, quia iuxtà non paucos relatio prædicamentalis poſtulat exiſtentiam, non ſolius fundamenti, ſed etiam termini, veritas autem, etſi exiſtentiam actus expoſcat, haud tamen obiecti; nam res nullatenus exiſtens vere poteſt, ac ſolet cognoſci: tum quia, ſi veritas, & falſitas pertinent ad aliquod genus relationis prædicamentalis, maximè ſimilitudinis, aut diſſimilitudinis, æqualitatis, aut inæqualitatis: ſed reduci nequeunt ad has; quamuis enim ſint conformitas, & difformitas actus cum obiecto, quæ fuit multis hallucinandi occaſio, non propterea ſunt, niſi analogicè tantum, & impropriè ſimilitudo, ac diſſimilitudo, aut æqualitas, & inæqualitas: quocirca cognitio Dei in perfectiſſimis creaturis eſt perfectiſſimè conformis, quibus tamen, niſi imperfectè, & parum ſimilis non eſt, abſolutè & propriè loquendo; contra verò cognitio creata falſa circa aliam ei eſt omnino difformis, cum tamen ei ſit maximè diſſimilis: par autem ratio æqualitatis, & inæqualitatis, eis ſi comparentur relationes conformitatis, & difformitatis, per quas ſolet explicari veritas, & falſitas: tum, quia, eſto veritas, & falſitas ad relationem prædicamentalem ſpectent, quod ſuo loco probabilius eſſe oſtendam, tametſi alio ex titulo, & longè diuerſo ab eo, qui aliis communiter placet, eſtque iam obiter impugnatus: Cæterum alterutra earum erit relatio, provt præciſsè refert actum ad obiectum, eique illum facit, aut conſentaneum aut diſſentaneum eſſe, non vero provt eſt bonitas quædam, aut malitia actus, ſaltem moraliter loquendo; ita enim erit potius qualitas propoſitionis, quando qualitas, eſt Ariſtotele teſte, merito cuius res bene, vel male ſe habet, vtique poſtquam eſt primario, & quidditatiuè conſtituta, alioqui rationalitas, & irrationalitas, erunt, qualitas, & neutra, differentia eſſentialis, altera namque facit animal melius, & altera deterius altera hominem, altera belluam. Denique non poſſunt veritas, & falſitas accidere propoſitioni, velut eius actio, paſſio, duratio, vbitas, ſitus, aut habitus, quod eſt adeò certum, & exploratum, vt nulla prorſus egeat probatione: ex nouem ergo generibus accidentium, ſola reſtat qualitas, ad quam reduci poſſint, vbi ſemel accidant propoſitioni, vt aſſumptum eſt in minori.

Quod autem ei accidant, & alterutra ſit eius 14
proprietas quædam, non differentia eſſentialis, quæ erat maior argumenti noſtri, ſuadetur hoc pacto. Veritas eſt extrinſeca propoſitioni, ac ſita tum in ipſa repræſentante obiectum, tum in hoc ſe, quemadmodum repræſentatur, habente, vt lib. 10. oſtendam: quod autem eſt extrinſecum rei, hoc ei nequit eſſentiale eſſe, haud ergo poteſt veritas, eſſe differentia eſſentialis propoſitionis, haud non accidentalis, adeoque qualitas. Par ratio eſt falſitatis, quippè, quæ etiam eſt extrinſeca actui. Rurſus, loco nuper citato conſtabit, quæ propoſitio eſt vera, eamdem mutato obiecto potuiſſe eſſe falſam, & non veram, & quæ falſa, è contrario veram, & nunquam falſam: accidens autem eſt, iuxtà Porphyrium, & cæteros, quod ſubiecto ſuo poteſt adeſſe, & abeſſe: neceſſum ergo eſt, vt tam veritas, quam falſitas propoſitioni accidant, & eius ſint extra eſſentiam.

Dicet fortaſſe non nemo, veritatem, & falſitatem haud eſſe extrinſecas, haud contingentes omni propoſitioni, ſed tantum aliquibus; hinc autem perperam inferri, eas eſſe proprietates, & accidentia propoſitionis abſolutè ſumptæ, & nulla adhibita reſtrictione. Largior veritatem, quibuſdam actibus intrinſecam omninò, & inſeparabilem eſſe, nec ab obiecto emendicatam, & ſuſpenſam, videlicet cognitioni diuinæ, & fortaſſis etiam noſtræ, vbi ſit, vel euidens vel fidei ſupernaturalis, paremque eſſe falſitatis conditionem, reſpectu quorumdam actuum: at nego illationem à nobis factam malam eſſe, quin potius, eam arbitror certam, ac manifeſtam: etenim, quod eſt extrinſecum, & accidentarium alicui rationi particulari, id nequit eſſe eſſentiale rationi communi, aliàs riſibilitas v.g. quantumus proprietas hominis, poterit nihilominus eſſe differentia eſſentialis, animalis, eiuſque non minus primariò, contractiua, quam rationalitas. Optimè ergo intulimus, ex eo, quod veritas, & falſitas contingenter, & extrinſecè conueniant aliquibus propoſitionibus in particulari, neutiquam eas eſſe poſſe differentias eſſentiales, & primarias enuntiationis in communi, & vniuerſaliter, ac latiſſime ſuſæ. Rurſus, non eſt nobis ſermo de ſola qualitate phyſica, & realiter diſtincta à ſubiecto, cui conuenit, ſed etiam de qualitate logica, quæ nimirum ab eſſentia logica, ſeu conceptu primario

distinguitur, & in conceptu secundario sita est, siue is conceptus secundarius physice, ac realiter essentialis sit, siue non: at veritas, & falsitas est conceptus secundarius propositionis omnis, & cuiusuis; esto enim aliqua sit intrinsecè, ac necessario vera, vel falsa, tamen prius ratione concipitur eam destinatè proponere aliquid, & affirmando, seu negando illud repræsentare, quam veram, aut falsam esse: ideo namque est vera, & conformis obiecto, aut ei difformis, & falsa, quia est eius propositio, seu repræsentatio quædam, aliquid de eo affirmans, aut negans, & non è conuerso: sicut ideò Petrus v. g. est conformis, & similis Paulo, quia Petrus est homo quidam, non minus, quam Paulus, & ideo dissimilis equo, quia itidem homo, cum tamen eiusmodi non sit equus, at è contrario haud ideo à priori est homo, quia similis Paulo, aut dissimilis equo.

16 Altera nostræ sententiæ pars erat, affirmationem, & negationem neutiquam esse qualitates, aut proprietates accidentarias propositionis: eam autem partim insinuant, partim exprimunt omnes authores, quos suprà laudauimus pro priori, ac iam probata nostræ opinionis parte. Ex dictis autem potest haud ægre suaderi: nam affirmatio, ac negatio, si non sunt differentiæ essentiales propositionis, sed potius alterutra earum qualitas, aut ideò est, quod propositione in communi sint posteriores in subsistendi consequentia, eamque sinant à se abstrahi: atque hoc iam manet satis impugnatum superius; aut, quia alicui propositioni, vel omni extrinsecus, ac separabiliter conueniunt: atque hoc falsum est, vt quod maximè: siquidem repræsentatio est essentialis, ac necessaria omnibus saltem propositionibus, quas nouimus, & experimur: vndè nil mirum, si eis intrinsecè, & inseparabiliter conuenit affirmare ac negare; vterque enim tendendi modus est repræsentatio quædam: quod, si repræsentatio est quadantenus extrinseca, & contingens nonnullis actibus, in alia saltem serie rerum (de qua sententia suo loco) ita quidem actus eius genij, quem nunc disputandi gratia permitto, provt est physicum accidens intellectui inhærens, haud essentialiter ac necessariò repræsentabit, haud alterutro modo affirmabit, aut negabit: cæterum quatenus est propositio, & species quædam accidentis intentionalis, necessario, & essentialiter habebit repræsentare, & aliquid, vel asserere, vel inficias ire: quî ergò fieri potest, vt affirmatio, & negatio propositioni accidant, eamve proprie qualem denominent?

17 Enalteram, & alteram nostræ sententiæ partem singulatim probatas: possunt autem ambæ vna, eademque opera confirmari hunc in modum: propositio vera, eo ipso moraliter saltem loquendo melior est, quam falsa, & falsa eo ipso deterior est, quam vera; proindè hæc sola reperiri potest in Deo, non illa: cæterum affirmatio negatione, aut è conuerso neutiquam est melior ex genere suo, neutiquam deterior: quare alterutra ex æquo locum habet in Deo: quando ergò qualitas Aristotele teste est, vi cuius res benè, vel malè se habet, modo superius proposito, & explicato; certè specialis quædam est ratio, quapropter affirmatio, & negatio nequeant esse qualitates propositionis, tales autem esse queant, ac debeant veritas, & falsitas. Rursus, interroganti, quæ sit propositio, responderi proprie debet, ac solet, affirmatiuam esse, aut negatiuam: qualis autem interroganti, potius esse veram, aut falsam, vt rectè animaduertit Hurtadus disp. 4. summ. sect. 2. §. 6. affirmatio ergo, & negatio sunt differentiæ essentiales, & quidditatiuæ propositionis; veritas autem, & falsitas, eius solæ qualitates.

Quæ, quamuis ita sint, si sumatur propositio 18
simpliciter, & absolutè, provt hactenus nostræ fuit subiecta disputationi, cæterum si vsurpetur paulo latius, ac provt est interpres quædam, vel menti ipsi interius, vel certè alteri exterius rem aliquam enuncians, atque quatenus habet analogiam, & proportionem quandam cum eo, qui alterius sensa, pandit, & interpretatur, ita quidem dici potest, è conuerso, veritatem, ac falsitatem eius esse differentias essentiales, & affirmationem, ac negationem meras qualitates accidentarias: interpretis enim potissimum munus est, illius, quem interpretatur, verum sensum reddere: an autem aliquis affirmet quidpiam, vel neget, hoc, vt sit bonus interpres, est omnino per accidens. Ita Conimbricenses, ac Tellez locis superius citatis.

TRACTATVS IV.

De oppositione, æquipollentia, & conuersione veritatis compositæ, siue propositionis.

CAPVT I.

Quatenus alij oppositionem, tum in communi, tum in particulari definiant.

OPpositio in communi definitur à quibusdam 1
neotericis, quorum meminit Colleg. Conimb. in cap. 7. de oppos. q. 1. art. 1. repugnantia duarum enunciationum vtroque termino participantium, aut in quantitate tantum, aut tantum in qualitate, aut in vtraque simul. Cæterum displicet hæc definitio, quia oppositionem explicat per eius species inferiores, eamque adeo non definit propriè, sed diuidit, eo certe vitio, quo laborat hæc animalis definitio; animal est viuens, rationale, vel irrationale, humanum, aut belluinum: ecquid enim est repugnantia duarum propositionum in sola quantitate, quam earum oppositio subalterna, qualis est inter has v. g. omnis homo currit, aliquis homo currit, quæ tantum in eo differunt, quod vna sit vniuersalis, altera particularis, cum tamen ambæ possint esse simul veræ, nec non simul falsæ, adeoque in qualitate omnino consentiant. Ecquid etiam est repugnantia duarum enunciationum, iuxtà hos authores, in qualitate sola, quam earum oppositio, vel contraria, cuiusmodi est hæc omnis homo currit, vel subcontraria, cuiusmodi est hæc; aliquis homo currit, aliquis homo non currit: alterutræ namque propositiones cum sint eiusdem quantitatis, & aliæ vniuersales ambæ, aliæ ex æquo particulares, in eo tamen differunt priores, quod nequeant esse simul veræ, nec simul falsæ, & posteriores in eo, quod simul falsæ saltem esse neutiquam sustineant: proinde, tam hæ, quam illæ in qualitate plus, minus dissident. Ecquid denique est, iuxta eosdem, repugnantia duarum propositionum in quantitate, & qualitate simul, quam earum oppositio contradictoria, qualis est hæc, omnis homo currit, aliquis

homo

homo non currit ; quæ ſunt diuerſæ quantitatis, quoniam altera vniuerſalis, altera particularis, nec non diuerſæ qualitatis, quia altera debet eſſe vera, altera falſa, fierique non poteſt, vt ſint ambæ ſimul veræ, aut ſimul falſæ.

Parum diſſidet à priori oppoſitionis definitione hæc P. Hurtadi diſp. 4. ſum. ſ. 6. eſt repugnantia duarum propoſitionum, in veritate, aut falſitate ; id eſt, vt ſtatim addit, qua duæ nequeunt eſſe ſimul veræ, aut, qua nequeunt ſaltem eſſe ſimul falſæ: Cæterum non placet, tum eadem de cauſa, qua diſplicuit ſuperior, videlicet, quod à ratione communi ad eius inferiora deſcendat : tum quia ſupponit falsò, vt conſtabit inferius, oppoſitionem ſubalternam haud eſſe propriè oppoſitionem; propoſitiones enim ſubalternæ, cuiuſmodi ſunt, omnis homo currit, aliquis homo currit, poſſunt eſſe ſimul veræ, atque etiam ſimul falſæ. Tertia oppoſitionis definitio eſt Alberti tract. de oppoſit. c. 1. Conimb. loco nuper citato, & Arriagæ diſp. 2. ſum. ſ. 4. & ſic habet, duarum enunciationum eodem ſubiecto, prædicatoque conſtantium repugnantia ſecundum affirmationem, & negationem. Sed reiicitur, quoniam excludit oppoſitionem ſubalternam, quæ inter duas affirmatiuas, aut duas negatiuas interuenit.

2 Oppoſitio contradictoria, quæ eſt prima, ac potiſſima ſpecies oppoſitionis in communi, definitur, ab Ariſtotele, repugnantia duarum propoſitionum, quarum alia eſt affirmatiua, alia negatiua, alia vniuerſalis, alia non vniuerſalis: cuius exemplum poſitum eſt paulo ſupra. Sed hæc definitio conuenit aliis à definito : nam hæ propoſitiones, v. g. omnis homo currit : Petrus non currit, provt inuicem opponuntur, eam totam participant, vt optimè diſputat Hurtadus diſp. illa 4. ſect. 6. altera enim quodammodo repugnat alteri, altera eſt affirmatiua, altera negatiua, altera vniuerſalis, altera non vniuerſalis : attamen non ſunt contradictoriæ : hæ namque nequeunt vnquam eſſe ſimul veræ, aut ſimul falſæ; vt omnibus eſt in confeſſo : illæ autem duæ poſſunt eſſe ſimul falſæ, Paulo nimirum non currente, & Petro currente, vt intuenti conſtabit.

3 Conimbricenſes noſtri quæſt. illa prima nuper citata art. 2. § *tuenda nihilominus*, ita definiunt contradictionem; eſt oppoſitio duarum enunciationum, quarum altera eſt vniuerſalis, altera particularis. Verum tota hæc definitio competit his, nulli Scholaſtici ſtudent, aliqui ſcholaſtici ſtudent : at contradictoriæ non ſunt, cum ſimul falſæ eſſe queant, videlicet, ſi vnus duntaxat ſtudeat : quemadmodum enim hæc propoſitio, omnes ſcholaſtici ſtudent, eſt falſa vno ſolo non ſtudente, ita illa, nulli ſcholaſtici ſtudent, erit etiam falſa, ſtudente vno ſolo. Ratio autem vtriuſque eſt, quia ſicut à ſubiecto prioris propoſitionis deſcenditur, non ſolum in plurali numero, ita, & hi ſcholaſtici ſtudent, & illi ſtudent, & cæteri ; ſed etiam in ſingulari numero ita, & hic ſcholaſticus ſtudet, & ille ſtudet, & qui cumque alius ; ſic etiam à ſubiecto poſterioris vtroque modo fit deſcenſus, nimirum ita, nec hi ſcholaſtici ſtudent, nec illi ſtudent, nec alij; atque etiam ita, nec hic ſcholaſticus ſtudet, nec ille ſtudet, nec alius : præſertim cum negatio ſit malignantis naturæ, adeóque nullitas ſe tenens ex parte ſubiecti videatur iuxta communem loquendi vſum negare, non ſolum quorumvis, ſed etiam cuiuſvis ſtudium. At dices, cur ſicut hæc propoſitio, omnes ſcholaſtici ſtudent, eſt falſa vno ſolo ſtudente, hæc etiam, aliqui ſtudent, non ſit vera vno ſolo ſtudente, contra quam ſupponimus in argumento. Verum reſponſio eſt in promptu ; minus enim requiritur ad falſitatem, & plus ad veritatem : bonum enim ex integra cauſa, & malum ex quocumque defectu.

Præterea ſecundò, eadem definitio conuenit his, 4
omnes ſcholaſtici ſtudent, aliqui non ſtudent : & tamen non ſunt contradictoriæ : poſſunt enim eſſe falſæ ambæ, vno videlicet non ſtudente, & cæteris incumbentibus ſtudio : quod enim prior tum ſit falſa, conſtat ex nuper dictis ; ſufficit enim ad eius falſitatem quod, vel vnus non ſtudeat : quod etiam poſterior ſit falſa, haud eſt minus exploratum, quæ eſt enim negationis, quam inuoluit malignitas, adſtruit, non modo, vel hunc non ſtudere, vel illum non ſtudere, &c. ſed, vel totam hanc collectionem ſcholaſticorum non ſtudere, vel illam non ſtudere &c. hoc autem ſecundum eſt manifeſtè falſum, cum duntaxat vnus ſolus, nulla vero collectio ſcholaſticorum tota à ſtudio ceſſet.

Reſpondent Conimbricenſes cap. illo 7 q. 1. art. 5
3. ad 3. propoſitionem de ſubiecto in plurali haud eſſe vnam, ſed plures, quippè quæ ſemper eſt reſolubilis in plures, per particulam copulatiuam *&*, aut diſiunctiuam *vel* aut per alias id genus inuicem nexas : proinde nihil mirum, inquiunt, eis neutiquam conuenire definitionem oppoſitionis contradictoriæ, aut alterius : genus enim cuiuſvis importat in recto repugnantiam vnius propoſitionis cum alia : at repugnantia harum propoſitionum non eſt vnius cum alia, ſed plurium cum pluribus. Contra tamen ; hæc propoſitio, omnis homo currit, ex. g. eſt reſolubilis in plures per particulam, *&* iunctas inuicem id eſt in has, & hic homo currit, & ille currit, &c. & non tantum in hanc, & hic, & ille, & quiuis alius currit : oppoſitum enim quamuis ſupponatur ab aduerſariis velut exploratum, tamen falſitatis, eſt à nobis euictum, cum de ſuppoſitione ſuperius eſſet ſermo : at hoc non obſtante, eiuſmodi propoſitio eſt capax oppoſitionis : ergo, & illa de ſubiecto plurali. Contra ſecundo ; quòd propoſitio aliqua, earum, quæ ſunt à nobis in argumento obiectæ, aut alia de ſubiecto in plurali numero, ſit reſolubilis in plures, quodammodo cohærentes inuicem, hoc tantum arguit, eam eſſe virtualiter, & æquiualenter multiplicem : permittit ergo, eam eſſe formaliter vnam, adeóque capacem oppoſitionis, quantum ad huius genus, id eſt vnius propoſitionis cum alia repugnantiam attinet. Contrà tertio ; propoſitio formaliter complexa, ex multis particulam *&*, aut, *vel* aliámve ſimilem interiectis, nihilominus eſt capax oppoſitionis contradictoriæ, & cuiuſvis alterius, vt conſtabit infra ad finem huius tractatus ; quod ergo propoſitio aliquid ſubiiciens in plurali numero ſit eius inſtar, eique æquipolleat, impedire non poterit, quominus oppoſitionem cum alia ſubeat.

Tertio alij ex Petro Hiſpano lib. 1. cap. 11. con- 6
tradictionem definiunt : eſt oppoſitio duarum propoſitionum, ſecundum quantitatem, & qualitatem, quarum altera eſt vniuerſalis, altera particularis. Verum in primis, quamuis hanc definitionem, putent Ariſtotelicam eiut auctores, neutiquam tamen eſt eiuſmodi, vt rectè animaduertit Hurtadus diſp. 4. ſum. ſect. 6. §. 18. Deinde omnibus eſt obnoxia difficultatibus, quæ ſuperius ſunt obiectæ, contra duas priores contradictionis definitiones. Præterea tertio, redundant in ea particulæ illæ, *vniuerſalis, & particularis*, poſt eam, *ſecundum quantitatem*. Denique impugnatur, quoniam hæ propoſitiones exempli gratia, Petrus non currit, ſunt contradictoriæ, cum nequeant eſſe ſimul veræ, aut ſimul falſæ : at eis non conuenit, quandò, nec vna eſt vniuerſalis, nec alia

particularis, sed singulares ambæ. Quo etiam argumento conuincitur esse diminuta, & falsa, non tantum hæc definitio contradictionis, sed etiam duæ anteriores.

7 Respondent Conimbricenses art. illo 3. §. *vltimo loco*, propositiones singulares, quarum altera affirmat, quod negat altera, contradictorias esse de lege; videlicet, quia solas contradictoriarum leges seruant, &, quin reuera contradicant inuicem, tamen contradicentes imitantur quoad repugnãtiam in veritate, & falsitate. Contrà tamen, quia Aristoteles lib. 1. de interpret. absolutè appellat propositiones singulares nihilominus contradictorias, idque haud rarò, vt ipsi, quibuscum lis est, habent in confesso; haud ergo sunt tantum imitamina quædam contradictionis, siue contradictoriæ de lege, & secundum quid. Contrà secundò, quoniam eadem ratione dicam, eas, quarum vna vniuersaliter affirmat, quod particulariter negat altera, v. g. omnis homo currit, aliquis homo non currit, esse contradictorias de lege tantum, singulares verò à nobis superius obiectas, & quasuis alias similes, rigorosè, & propriè contradictorias, ac tales, quæ contradictionis legem cæteris præscribant. Contrà tertiò, quia eiusmodi propositionum singularium aliqua datur oppositio vera, & propria, vt certo certius est, & perspicuè constat ex definitione oppositionis in communi, qualis eacumque sit, &, siue communis aliorum authorum, siue propria eorum, qui nobis aduersantur in præsenti, ne quid dicam de nostra inferius tradenda: at eiusmodi oppositio non est contraria, subcontraria, aut subalterna, vt est non minus certum, & exploratum, ergo contradictoria.

8 Propterea iidem Conimbricenses loco nuper citato definiunt aliter oppositionem contradictoriam, nimirum ita: *est affirmatio, & negatio maxime opposita*. Verum, vt permittam contradictoriam oppositionem esse maiorem contraria, & quacunque alia, quod tamen alij cum Arriaga negant, eo tamen nomine mihi displicet prædicta definitio, quod non explicet, in quo sita sit ea maior oppositio contradictionis propria: quapropter est obscura, eoque laborat vitio, quo hæc hominis v. g. *homo est animal omnium perfectissimum*: tale namque quamuis reuera sit homo, quia tamen non explicatur merito cuius, & quod propter rationalitatem, idcirco eiusmodi hominis definitio à nullo admittitur, aut iure potest.

9 Arriaga disp. 2. sum. sect. 4. n. 20. Contradictionem definit ita; est oppositio, vel duarum propositionum omninò singularium, vel duarum, quarum altera sit, pure particularis, altera vniuersalis, sed in primis conuenit his, omnes scholastici student, aliqui non student; nec non his, nulli scholastici student, aliqui student: neutræ tamen contradicunt inuicem. Deinde oppositionem hanc per disiunctionem inferiorum definit, adeoque potius diuidit, quam definit: sequela est in aperto; non repugnantia duarum singularium est vna species contradictionis, & repugnantia vnius propositionis vniuersalis, cum altera pure particulari est alia contradictionis species, à priori longe diuersa. Rursus propterea non definit hic auctor contradictionem, per veritatem, ac falsitatem, nec etiam in definitione oppositionis in communi vllam earum mentionem fieri permirtit, quoniam sunt proprietates, & quædam accidentariæ qualitates propositionis: ita siquidem disputat sect. illa 4. num. 19. ast hæc ratio nullius est momenti; tum, quia quantitas propositionis, eius nimirum singularitas, vniuersalitas, ac pura particularitas, haud sunt de illius essentia logica, sed potius logica eius accidentia, sicut quantitas molis materiæ primæ iuxtà non paucos, physicè, ac realiter accidit: at per singularitatem ambarum propositionum, & vniuersalitatem vnius, & particularitatem alterius definit oppositionem contradictoriam: quidni ergò possit ea definiri per veritatem, ac falsitatem, quantumuis sint extra essentiam logicam propositionis: tum etiam, quia ellò veritas, ac falsitas sint proprietates propositionis: optimè tamen possunt esse essentia oppositionis, siue contradictoriæ, siue alterius, alia quidem, atque alia ratione: haud enim oppositio est formalissimè idem, quod propositio ipsa, sed potius est relatio incompossibilitatis eam subsecuta; quamuis ergo propositio nequeat definiri, & quidditatiuè explicari per veritatem, ac falsitatem, propter rationem aduersariam; cur non tamen oppositio contradictoria?

Quod ad oppositionem contrariam, subcontrariam, & subalternam attinet, missis variis earum definitionibus, quæ colligi solent ex iis, per quas est contradictio plurifariam explicata superius, & ex earum etiam impugnationibus, possunt affatim confutari; communior contrarietatis definitio est huiusmodi; repugnantia duarum propositionum, quarum vna est affirmatiua, & alia negatiua eiusdem de eodem, vtraque tamen vniuersalis, vt omnis homo currit, nullus homo currit. Verum impugnatur primò, quoniam hæ sunt contrariæ, omnis homo currit, Petrus non currit; nec non hæ, omnes scholastici student, aliqui non student; atque etiam hæ, nulli scholastici student, aliqui student: Nam, vt superius probatum, quæuis harum possunt esse simul falsæ; contra vero nequeunt esse simul veræ, vt est luce clarius: Contrarietatis autem omnis, & solius est repugnantia in veritate, & non falsitate, vt omnibus est in confesso: atqui superior definitio neutiquam conuenit prædictis propositionibus, ita enim sunt institutæ, vt nec primæ, nec secundæ, nec tertiæ sint vniuersales ambæ. Secundò impugnatur eadem definitio, quoniam propositiones complexæ, etiamsi sint singulares, ambæ nihilominus sunt contrarietatis capaces, vt tractatus huius decursu constabit: ea ergò hoc etiam ex titulo est diminuta. Quod autem responderi consueuit, propositiones, tum in hoc posteriori argumento, tum etiam in priori obiectas, esse contrarias tantum de lege, & ex imitatione, non autem propriè, & strictè, id iam manet superius impugnatum in simili. 10

Communior oppositionis subcontrariæ definitio sic habet, est repugnantia duarum propositionum, quarum altera est affirmatiua, & altera negatiua eiusdem de eodem, sed particularis vtraque, veluti aliquis homo currit, aliquis non currit. Quæ tamen non probatur, propterea, quod propositiones singulares ambæ, dummodo sint complexæ, subcontrarietatis sint capaces, vt liquebit in tempore. Denique propositio subalterna definiri solet, repugnantia duarum propositionum eodem termino participantium, id est eodem subiecto, & prædicato constantium, quarum vna est vniuersalis, & altera particularis, sed vtraque affirmans, aut certè vtraquè negans, ex æquo, veluti omnis homo currit, aliquis homo currit, aut nullus homo currit, aliquis homo non currit. Verum enimuerò hæc definitio non conuenit his, omnis homo currit, Petrus, siue hic homo non currit, cum tamen strictam habeant oppositionem subalternam. Deinde neque his, Petrus, & Paulus currit: Petrus, vel Paulus currit: & tamen opponuntur subalternè, veritas enim vnius 11

infert,

infert, & continet veritatem alterius, & non è conuerso, haud secus, atque hæc propositio, omnis homo currit, hanc aliquis homo currit, continet, & producit, quæ est lex oppositionis subalternæ. Quod, si quis instet, eas non esse subalternas, nec vllatenus oppositas, quia diuerso subiecto constant, in contrarium est, diuersitatem subiecti non esse particula copulatiua, & disjunctiua tenus: hoc autem non tollit earum oppositionem, aliàs etiam hæ, omnis homo currit, aliquis homo currit, neutiquam opponentur subalterne: nam subiectum vnius disiungitur, & alterius copulatur potius.

CAPVT II.

Verior oppositionis, tum in communi, tum in particulari explicatio.

12 QVò ab oppositione in communi ordiar, eiusque naturam, quantum sentio nondum satis explicatam, clarius, ac luculentius definiam; noto primò, oppositionem physicam, ac rigorosam esse formarum quarundam luctam, & incompossibilitatem in eodem subiecto; qua ratione, calor, & frigus, v.g. opponuntur inuicem, respectu aquæ, ignis, & cuiusuis alterius corporis. Noto secundò, oppositionem, de qua in præsenti sermo, haud esse physicam, & strictam vnius propositionis cum alia: hæc enim semper est contraria formaliter loquendo, vt ex Aristotelis doctrina scitè animaduertunt nostri Conimb. cap. 7. de oppos. quæst. 1. art. 2. §. *aduertendum præterea*: quæ autem est nostræ subiecta disputationi, modò est contradictoria, modò contraria, aliquando subcontraria, interdum subalterna: rursus physica oppositio vnius propositionis cum alia est in essendo, præsens vero in significando.

13 Noto tertio, oppositionem, de qua nobis quæstio, esse potius accidentium propositionis inter se inuicem, veritatis nimirum, aut falsitatis, vniuersalitatis, ac particularitatis; siuè, vno verbo, qualitatis & quantitatis: ad has enim reducuntur accidentia omnia propositionis in cõmuni, logica certè: nã physica, cuiusmodi sunt eius actio aliqua, aut passio, vbitas, aut duratio, aliaue id genus sunt abs re, qua de loquimur modò. Noto quartò, subiectum proprium, & immediatum huius oppositionis haud esse vnam propositionem solam: quamuis enim ab vna solitariè sumpta veritas falsitatem, & è conuerso, & quantitas vniuersalis particularem, aut hæc illam excludat; ecquis tamen in vna propositione, præscindendo à quauis alia, contradictionem, contrarietatem, subcontrarietatem, aut subalternationem agnoscat? at de oppositione, quatenus has species comprehendit, agimus.

14 Noto quintò, subiectum proprium, & immediatum, ac veluti campum huius oppositionis, & luctæ esse duas propositiones eisdem omnino constantes extremis vt sic coalescant in vnum quodammodo subiectum, seu materiam, circa quam sit oppositio, sicut ad huius veritatem, & naturam oportet. Verbi gratia; bina hæc propositio, omnis homo currit, aliquis homo non currit, ita est instituta, vt ab ea instar vnius considerata, propter vnitatem extremorum, quæ sunt maior, ac potior illius pars, veritas aliqua semper excludat omnimodam falsitatem, nec sinat illam ex toto, & prorsus falsam, esse; & falsitas etiam ex parte in ea locum habens eius plenam veritatem tollat, neque permittat vnquam, illam esse omninò, & adæquatè veram. Quod aliis terminis communiter dici solet, ambas nimirum eius complexionis partes, nec posse esse simul veras, nec simul falsas. Deinde duplex hæc propositio, omnis homo currit, nullus homo currit, ita est comparata, vt falsitas, ei aliquatenus conueniens & ratione vnius saltem partis, excludat ab ea perfectam veritatem, & prohibeat, ne sit ratione vtriusque, & omninò vera: at è contrario veritas illius haud ita vincit eius falsitatem, nec prohibet, quo minus ex toto, & quoad vnam, alteramque propositionem simplicem, sit falsa. Quod aliis terminis dici consueuit, vtramque scilicet non posse esse simul veram at posse esse simul falsam. Pari modo ab hac propositione, duplici quidem, sed ritu vnius cogitata, aliquis homo currit, aliquis homo non currit, veritas excludit falsitatem, nec sinit ambas esse simul falsas; at non è diuerso falsitas veritatem, cum possint ambæ simul esse veræ. Similiter par hoc enunciationum, omnis homo currit, aliquis homo currit, tale est, à quo vniuersalitas perfectam, & meram particularitatem, & particularitas perfectam, & puram vniuersalitatem ejiciat.

Noto sextò, hanc oppositionem esse logicam 15
tum ratione subiecti, circa quod exercetur, haud enim est vnum reuera, & physicè, sed logicè, & beneficio intellectus, qui nulla vnionum diuersarum ratione habita solam extremorum vnitatem pensi habet, eamque attribuit duplici propositioni, quas instar vnius subiecti, circà quod diuersa pugnent accidentia, considerat: tum etiam ratione horum; nam veritas, & falsitas, vniuersalitas ac particularitas penes quas est eiusmodi oppositio, logicæ subjiciuntur facultati, nec non à propositione circà quam sinè fœdere bellant, haud semper distinguuntur physicè, & realiter, imò nunquam iuxtà non paucos, vt superius visum. Noto septimò, quamuis oppositio ista sit accidentium propositionis immediatè, & propriè, at quodammodò attribui vim propositioni respectu alterius, eiúsque adeò esse mediatè, ac denominatiuè. Ratio huius est, quoniam sicut ignis, & aqua v.g. dicuntur opponi inuicem, in calore, & frigore, non, quod duo illa suppositа subiecti communis, in quo possunt recipi, aut circà quod pugnent, alicuius oppositionis strictæ, & immediatæ sint capacia suapte natura, sed, quod oppositio vera earum primarum qualitatum prædictis attribuatur elementis; ita similiter in præsenti, quæ est inter accidentia propositionis, scilicet veritatem, & falsitatem, vniuersalitatem, ac particularitatem, oppositio, ea actibus ipsis iure merito potest, ac solet assignari.

Hinc oppositionem in communi ita definio: est 16
incompossibilitas logica, & per se accidentium propositionis: Hæc definitio conuenit omni oppositioni, vt constat ex dictis, sic tamen, vt ad eius species in particulari non descendat: accidentia enim propositionis abstrahunt, ab eo, quod sint, quantitas eius, aut qualitas, aut consequenter hæc qualitas præ illa, vel etiam quantitas hæc, magis, quam illa. Particula ea, *Logica*, facit hanc oppositionem differre à physica vnius propositionis cum alia in eodem intellectu, ei simili, per quam calor v. g. ab aqua frigus, & hoc illum expellit; necnon ab oppositione veritatis, & falsitatis, aut vniuersalitatis, ac particularitatis, circa vnam, eandemque realiter propositionem: hæc enim, etsi sit quodammodo logica ratione formarum, quas opponit, haud tamen omnino, & ex parte subiecti, vt pote quod non logicè,

ſed phyſicè & realiter vnum eſt, non ſecus, atque quoduis aliud. Particula illa, *per ſe*, cur ſit addita, ſtatim conſtabit.

17 Quæ cum ita ſint, hæc definitio, niſi fallor, difficultates omnes aduerſus alios à nobis obiectas exhaurit, & multa ab aliis inexplicata declarat; id autem præſertim, curnam propoſitiones oppoſitæ debeant eo ipſo participare vtroque termino, ſiue conſtare eodem ſubiecto, & prædicato? Hæ namque, Deus eſt iniuſtus, Deus eſt ignorans, haud poſſunt eſſe ſimul veræ; cedo ergo, quamobrem non opponuntur, tamen diuerſo prædicato conſtent? qui proprium, & immediatum ſubiectum oppoſitionis aiūt eſſe vnam tantum propoſitionem, huius rei nullam rationem redere poſſunt, quæ ex toto ſatisfaciat: at, ſi ſubiectum proximum, & rigoroſum oppoſitionis ſit vtraque propoſitio inſtar vnius conſiderata cum fundamento eorundem extremorum, ſic, vt non, niſi ex hoc ſubiecto in alterutram propoſitionem oppoſitio deriuetur quodammodo, ſi, inquam, ita ſe res habeat, perſpicuum erit, cur nam tales propoſitiones ſint oppoſitionis, qua de loquimur, expertes.

18 Quod, ſi quis dicat, ſeorſim à ratione à nobis tradita, reſponderi poſſe, eas ideo non opponi, quia licet non poſſint eſſe ſimul veræ, id magis eſt beneficio materiæ peculiaris, circa quam ſunt, quam formæ, aut modi, quo eam reſpiciunt: aliæ namque propoſitiones eiuſdem formæ poſſunt eſſe ſimul veræ, videlicet hæ, Petrus eſt iniuſtus, Petrus eſt ignorans; is, inquam, facilè poterit impugnari hoc modo: ſi repugnaret quæuis materia propoſitionum extra Deum, & præter eum cuncta eſſent impoſſibilia, nihilominus prædictæ enunciationes haud eſſent veræ, ſed potius altera earum falſa foret per ſe loquendo, & in omni materia, nulla namque daretur, niſi ea, circa quam verſantur ambæ: ſed tum non eſſent contrariæ, aut oppoſitæ. Rurſus quid dicent aduerſarij ad has propoſitiones, Petrus non eſt idem ſecum, Paulus non eſt idem ſecum, nam in nulla materia poſſunt eſſe ſimul veræ, cum de nullo obiecto poſſit affirmari diſtinctio à ſeipſo, ſiue, quod non ſit idem ſecum? an ergo erunt oppoſitæ? an contradicent inuicem? Denique quod propoſitiones, ne in ſimili, ſiue, quod perinde eſt, in alia materia ſeruata eadem forma poſſint eſſe ſimul veræ, aut ſimul falſæ, prouenit ex eo, quod vtroque termino participent, eodemque ſubiecto, & prædicato cohæreant; illud ergo ſi confert ad oppoſitionem, non poterit non conferre, & hoc ſecundum, atque adeo, quod diuerſæ propoſitiones ob identitatem extremorum in idem veluti ſubiectum coaleſcant: aliunde verò his terminis res luculentius explicatur, eiuſque ratio à priori ſatis probabilis affertur, quod à poſteriori certum eſt, & ab omnibus admiſſum. Quoniam autem oppoſitio accidentium propoſitionis, eorum nimirum, quæ logica ſunt ac præſentis inſtituti, refundirur in ipſas propoſitiones, & vna illarum dicitur oppoſita alteri, vt ſuperius viſum, idcirco poteſt huic loquendi modo noſtra definitio accommodari, & ita refingi; eſt repugnantia logica duarum propoſitionum in accidentibus ſuis, eaque per ſe, & formalis. Quæ definitio ex priori, à qua parum diſſidet, ſatis eſt perſpicua, & vlteriori explicatione non indiget.

19 Quando autem poſterior magis conſonat modo, quo de oppoſitione communiter loqui ſolemus, eius normam ſequar in definien[illegible]is ſpeciebus oppoſitionis. Primam, ac potiſſim[illegible] videlicet contradictionem ita definio; eſt re[illegible]nantia logica duarum propoſitionum in veritate, & falſitate, eaque per ſe, & formalis. *Repugnantia logica duarum propoſitionum*, eſt genus, quo conuenit cum contrarietate, ſubcontrarietate, & ſubalternatione; particula, *in veritate & falſitate*, non ſignificat, quod veritas vnius pugnet cum falſitate alterius, aut è conuerſo, quod vnius falſitas cum alterius veritate, quando potius alterutrius veritas cum alterius ſit falſitate coniuncta, & è contrario, ambæque mutuo ſe inferant, ac poſtulent: haud etiam ſignificat ea particula, quod veritas cuiuſuis pugnet cum veritate alterius, & falſitas cum falſitate; quamuis enim ita ſe res habeat, tamen hæc non eſt oppoſitio logica, ſiquidem vti calor, v.g. non opponitur phyſicè calori, ſed frigori, ita veritas non opponitur logice alteri veritati, aut falſitas falſitati, ſed altera alteri quodammodo: quocirca eius ſenſus eſt, pugnare veritatem & falſitatem mutuo circa complexum vtriuſque propoſitionis, & neceſſario veritatem aliquam in eo reperiri, quæ tollit, quo minus habeat plenam, & omnimodam falſitatem, & ſimiliter inadæquatam in eo falſitatem inueniri, merito cuius haud poſſit habere integram, ac perfectam veritatem, iuxta ſuperius dicta. Particula, *per ſe & formalis*, addita eſt propter has, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal, quæ quamuis repugnent in veritate, & falſitate, nec poſſint eſſe ſimul veræ, nec ſimul falſæ, id tamen eſt per accidens, & ratione peculiaris materiæ, circa quam ſunt ambæ, non tamen per ſe, & ratione formæ, iuxta quam ſtruuntur: ſtrui namque poſſunt aliæ eiuſdem formæ in alia materia, quibus liceat eſſe falſis, vt omnis homo currit, nullus homo currit.

Paulò etiam aliter eadem vltima particula definitionis noſtræ poteſt exponi, nimirum vt ſignificet, ita non poſſe propoſitiones, quæ contradicunt eſſe ſimul veras, vt veritas vnius inferat aliam non eſſe verā, & ita non poſſe ſimul falſas eſſe; vt falſitas ſimiliter vnius aliā haud eſſe falſam concludat: ex quo vlterius fit, ſemper in eis oportere reperiri veritatem, quæ non permittat eſſe ex toto falſas, & falſitatem, quæ non ſinat eſſe ex toto veras; vbi potiſſimum natura contradictionis elucet. Quamuis autem eæ propoſitiones, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal, nequeant eſſe ſimul falſæ, haud tamen ex falſitate vnius infertur legitimè aliam non eſſe falſam, ſed, quod talis ſit, potius habet à ſe ipſa ſola, & materia circa quam immediatè verſatur: alioqui etiam ex huius falſitate, omnis homo currit e.g. fieret lehitimè hanc non eſſe, ſimul falſam, nullus homo currit. 20

Porrò quod altera propoſitio ſit affirmatio, & altera negatio eiuſdem de eodem, data opera omiſſum à nobis eſt in definitione contradictionis: nam repugnantia mutua in qualitate, nimirum veritate, ac falſitate, oritur ex peculiari quadam repugnantia ſecundum affirmationem, & negationem, altera ergo expreſſa, ſubintelligitur altera, nec neceſſe eſt eam amplius exprimi: imo amplius expreſſa redundat, vtvt concedatur ad eſſentiam oppoſitionis attinere. Rurſus par enuntiationum, peculiari modo affirmans, & negans idem de eodem eſt veluti ſubiectum oppoſitionis contradictoriæ, circa quam exercetur: ſubiectum autem non eſt de eſſentia oppoſitionis formarum, ſed ab ea connotatur extrinſecè. Quod autem eſt à nobis omiſſum inter definiendam contradictionem, id ipſum iiſdem de cauſis omittetur poſtea in definitione contrarietatis, & ſubcontrarietatis. Quocirca perperam aliqui definiunt triplicem illam oppoſitionem nuper memoratam, per affirmationem, & negationem eiuſdem de eodem, & ſimul per repugnantiam in veritate ſola, aut falſitate ſola, aut vtraque ſimul. 21

Atque

22 Atque hinc colligo, affirmationem, & negationem alio ex titulo præter eum, quem tract. præc. c. 2 exhibui dici quodammodo poſſe, qualitatem, ac proprietatem accidentariam propoſitionis, & veritatem, ac falſitatem eius eſſentiam nimirum, ſi ſumatur propoſitio, non ſecundum ſe præcisè, ſed prout oppoſitionem cum alia gerens: id enim, quod immediatè, & magis propriè opponitur, eo modo, quo ſumitur oppoſitio in præſenti, eſt veritas, ac falſitas, propoſitio ſiquidem ipſa, niſi mediatè, denominatiuéque non opponitur alteri; quantitas autem vna quamuis opponatur alteri immediatè, & (logicè loquendo) rigorosè, & propriè, vt haud ita pòſt conſtabit, at ſubalternè tantum, cum interim cæteræ oppoſitiones, quarum quæuis eſt ſubalterna maior, in concreto ſumptæ importent principaliter, & in recto, adeóque eſſentialiter veritatem, & falſitatem, propoſitionem verò affirmantem, ac negantem, non niſi in obliquo, & connotatiuè, adeóque non eſſentialiter, ſed potius accidentariò.

23 Oppoſitionem contrariam ita definio: eſt repugnantia logica duarum propoſitionum, in veritate tantum, eaquè per ſe, & formalis. Omnes particulæ ex dictis ſunt perſpicuæ; altera enim ſubit rationem generis; altera verò addita eſt propter has, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal; quæ formaliter, & per ſe tantum differunt in veritate, eſto materialiter, & per accidens in falſitate etiam repugnent: media, nimirum *in veritate tantum*, haud ſignificat, quod veritas earum cum falſitate non repugnet; ſicut enim calor v. g. phyſicè non opponitur, niſi cum alia qualitate, videlicet frigore, ſumptus autem ſolitarie eſt incapax oppoſitionis, ita ſimiliter, ac ſeruata eadem propoſitione, vſuvenit in præſenti: denotat ergò oppoſitionem veritatis, non eſſe mutuam, ſed falſitatem alicuius propoſitionis contrariæ, neceſſarium omnino eſſe, & ſemper expellere perfectam veritatem, ac prohibere, ne ſint ambæ propoſitiones veræ, cum tamen è conuerſo earum veritas haud ſemper plenam, ac numeris omnibus abſolutam falſitatem ab iis excludat.

24 Oppoſitionem ſubcontrariam hunc in modum definio: eſt repugnantia logica duarum propoſitionum, in falſitate tantum, eaque per ſe, & formalis. Prima particula eſt genus; vltima adhibetur propter has, aliquis homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal, quæ tantum nequeunt eſſe ſimul falſæ per ſe, & formaliter, quamuis materialiter, & per accidens nè poſſint etiam eſſe ſimul veræ: particula, *in falſitate tantum*, iuxta dicta denotat perfectam falſitatem duarum neceſſario excludi debere à veritate alterutrius.

25 Aliqui in trium oppoſitionum nuper explicatarum definitione expungendam cenſent, eam particulam, *per ſe, & formalis*, eiuſque loco ſubſtituendam hanc, *in materia contingenti*; quaſi oppoſitio contradictoria ſit, qua duæ propoſitiones nequeunt eſſe ſimul veræ, aut falſæ in materia contingenti; contraria, qua nequeunt eſſe ſimul veræ in materia etiam contingenti, benè tamen falſæ, ſubcontraria, qua nequeunt in eadem materia eſſe ſimul falſæ, at poſſunt eſſe ſimul veræ. Sed, vt rectè animaduerſum eſt à Conimb. noſtris impræſentiarum articulo 3. immeritò reſtringunt authores hi, repugnantiam prædictarum oppoſitionum in qualitate ad ſolam materiam contingentem, cum etiam ea aliquando in materia neceſſaria locum habeat. De contradictoriis haud eſt vlli dubium, ſiquidem in nulla poſſunt eſſe ſimul veræ, aut ſimul falſæ: quocircà ob id adiiciunt aduerſarij eam particulam in earum definitione, quod tantum reſpectu illius cenſeant eas differre à contrariis & ſubcontrariis, quippè quæ in materia neceſſaria, & non contingenti, nec poſſunt eſſe ſimul veræ, nec ſimul, falſæ, vt patet in his, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal, aliquis homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal. Cæterum hæc doctrina non eſt vniuerſim vera: namque etiam in materia neceſſaria aliquando contrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ, vt cernere eſt in his, omne animal eſt homo, nullum animal eſt homo, interdum etiam in ea ſubcontrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ, vt cernere datur in his, aliquod animal eſt homo, aliquod animal non eſt homo.

Alio quoque modo definiri poſſunt tres prædictæ 26
oppoſitiones: nam contradictio dici poteſt, ea, merito cuius vna propoſitio affirmat, aut negat id, quod præcisè ſufficit, & requiritur ad falſificandam alteram, contraria verò per quam affirmat, aut negat vna propoſitio pluſquam ſufficiat ad falſificandam aliam: ſubcontraria verò, beneficio cuius affirmat propoſitio quædam aliquid ab alia negatum, aut negat aliquid affirmatum ab alia, nihil tamen, quod ſufficiat ad alteram falſificandam. Quamobrem hæ propoſitiones erunt contradictoriæ, omnis homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal, quia poſterior negat aliquem hominem eſſe animal, hoc autem præcisè ſufficit, & requiritur ad falſitatem prioris, nec non hæ, nullus homo eſt animal, aliquis homo eſt animal, quia ſecunda tantum affirmat aliquem eſſe animal, hoc autem eſt præcisè ſufficiens, & requiritur ad falſitatem primæ: cæterum hæ, omnis homo eſt animal, Petrus non eſt animal, haud ſunt contradictoriæ, quoniam, vt recte animaduertit Arriaga diſp. 2. ſum. ſect. 4. ſubſec. 1. num. 20. poſterior negat quidem, quod præcisè ſufficit ad falſitatem prioris, non tamen, quod requiritur ad eam, vt enim hæc propoſitio, omnis homo eſt animal, ſit falſa, neutiquam opus eſt, vt Petrus non ſit animal, ſed ſatis eſt, vt Ioannes, aut quiuis alius. Rurſus hæ, omnis homo eſt animal, nullus homo eſt animal, ſunt contrariæ, quia poſterior negat plus, quam ſufficit ad falſitatem prioris, & è diuerſo prior affirmat pluſquam ſufficit ad falſificandam poſteriorem, quandoquidem, vt altera ſit falſa, ſatis eſt, vt vel vnus homo non ſit animal, &, vt altera haud ſit magis vera, vt, vel vnus tantum ſit animal. At hæc, aliquis homo eſt animal, nihil affirmat, quod ſufficiat ad falſificandam hanc aliquis homo non eſt animal: quamuis enim poſterior iſta ſit falſa, eius tamen falſitas non infertur ſufficienter ex eo, quod aliquis homo ſit animal, ſed ex eo, quod omnis ſit animal, & è contrario etiam hæ, aliquis homo non eſt animal, non negat, quod ſufficit ad falſificandam hanc, aliquis homo eſt animal; tum, quia iſta non eſt falſa; tum, quia eſto, eſſet, profectò eius falſitas haud poſſet colligi, ex eo, quod aliquis homo non ſit animal, ſed ex eo, quod nullus ſit animal, alioqui hæc etiam eſſet falſa, aliquis homo currit, propterea, quod aliquis alius non currat: quapropter ambæ propoſitiones illæ, quarum altera aliquem hominem currere affirmat, altera negat, & quæcunque aliæ id genus, ſunt ſubcontrariæ.


Porrò autem definitiones hæ poſteriori loco tra- 27
ditæ id habent commodi, quod in eis non ſit opus reſtrictione illa *per ſe, & formalis*; nec non quod in eis nullius fiat exceptio materiæ, ſed in qualibet omnes ex æquo procedant. Cæterum vt valeant, etſi voce tenus importent in recto, & principaliter affirmationem, & negationem, at reipſa, & in mente

rerum

rerum provt ſunt fida interprete, debent eas importare in obliquo, ac tantum connotatiuè: proinde reducendæ ſunt ad has, aliaſvè ſimiles: contradictio eſt mera ſufficientia vnius propoſitionis ad falſificandam alteram; contrarietas plus, quam ſufficientia; ſubcontrarietas, defectus ſufficientiæ.

28 Oppoſitio ſubalterna, quæ ſola reſtat, eſt oppoſitio logica duarum propoſitionum, quoad ſolam quantitatem, eaque *per ſe, & formalis*, prima particula rationem habet generis, ſecunda rationem differentiæ; haud enim ſubcontrariæ opponuntur quantitate; haud contrariæ. & contradictoriæ quantitate ſolum, ſed etiam qualitate, quæ in illis ſicut & in ſubcontrariis debet eſſe diuerſa; tertia additur propter has, omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal, nullus homo eſt lapis, aliquis homo non eſt lapis, quarum neutræ poſſunt eſſe ſimul falſæ, adeóque alterutræ repugnant inuicem in qualitate aliqua; id tamen eſt per accidens, & ratione peculiaris materiæ non per ſe, ac beneficio formæ, aliæ ſiquidem eiuſdem formæ, modique poſſunt eſſe ſimul falſæ, ſicut & ſimul veræ, nimirum hæ, omnis homo currit, aliquis homo currit, nullus homo currit, aliquis homo non currit, videlicet, ſi, aut omnis currat, aut nemo currat: quod autem altera poſſit eſſe vera, & altera falſa, altera, inquam, & altera vtrarumvis, ſolo nimirum Petro currente, negari etiam nequit, ſed non obſtat definitioni noſtræ: quæ, vt hoc etiam animaduertam, comprehendit, tum prædicatas ſubalternas, tum etiam has, Petrus, & Paulus currit, Petrus, vel Paulus currit, aliaſque id genus: quamuis enim vtraque ſit ſingularis, tamen ſingularitas ſubdiuidi poteſt in alias duas quantitates diuerſæ rationis, quarum vna poteſt dici ſingularitas vaga, altera copulata: Quam ſubdiuiſionem, ac diuerſitatem tametſi authores non exprimant, haud tamen eam negant, aut poſſunt: etenim eius extrema tam differunt, quam, omnis homo, & aliquis homo, cum omnis homo comprehendat non ſine copulatione quadam totam collectionem hominum, & aliquis homo eandem nullo dempto ſed vagè, & cum diſiunctione quadam: par autem eſt ratio Petri, & Pauli, & Petri, vel Pauli, nam alteruter cohibet eandem collectionem, ſed non eodem modo, ſed diuerſo; vnus nimirum copulatè, aut, ſi mauis copulatiue, & alius vage: vtriuſque ergo diſſimilis eſt quantitas, aut certè erit ſimilis, & eadem omnis, & alicuius hominis.

Aliter etiam iuxtà dicta definiri poteſt vltima 29
hæc oppoſitio, vt ſit, per quam duæ propoſitiones idem affirmant, aut, per quam duæ idem negant, ſed altera plus, altera minus, cum tamen propoſitiones quocunque alio modo oppoſitæ ita ſint inſtitutæ, vt earum altera affirmet, & altera deneget. Nuncupatur hæc oppoſitio ſubalterna, quoniam vna propoſitio oppoſita eſt ſubalternans, & continens aliam inſtar totius, alia vero priori ſubalternata, & ab ea contenta ritu partis, vt intuenti conſtabit.



CAPVT III.

Oppoſitionum leges.

30 LEges quatuor oppoſitionum à nobis hactenus ſuppoſitæ, & ab Ariſtotele traditæ, atque à nullo non admiſſæ ſunt huiuſmodi: propoſitiones contradictoriæ nequeunt eſſe ſimul veræ, aut ſimul falſæ: contrariæ nequeunt vnquam eſſe ſimul veræ: ſubcontrariæ nunquam poſſunt eſſe ſimul falſæ: ſubalternæ in aliqua materia poſſunt eſſe ſimul veræ, nec non ſimul falſæ. Probatur autem de contradictoriis, fieri non poſſe, vt ſint ſimul veræ, aut ſimul falſæ: Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe; item neceſſario quodlibet eſt, vel non eſt, quibus principiis, qui diſſentiat, is candidos Phœbi radios negabit, adeo ſunt euidentia, ac manifeſta: at ſi hæ propoſitiones ex. g. omnis homo currit, aliquis homo non currit, eſſent ſimul veræ: idem ſimul eſſet, & non eſſet: homo enim eſſet currens, propter veritatem vnius propoſitionis contradictoriæ, & idemmet non eſſet currens, propter veritatem alterius idemmet, inquam, quia aliquis includitur in omni: quod ſi eiuſmodi contradictoriæ eſſent ſimul falſæ, quoddam nec eſſet nec non eſſet, nam homo non eſſet currens, propter falſitatem prioris, & idem ſimul non eſſet non currens, propter falſitatem poſterioris; eam nimirum eſſe falſam, eſt hominem, quem adſtruit non currere, aliter ſe habere adeoque non ſortiri, quod ſit non currens. Vel paulo aliter; ſi verum eſt, aliquem hominem non currere, ergo aliquis non currit, ſit ergo Petrus, par enim cuiuſlibet ratio, Petrus ergo non currit: Deinde ſi omnis homo currit, Petrus, qui continetur in omni currit, adeoque Petrus ſimul currit, & non currit, nec impoſſibile erit idem ſimul eſſe, & non eſſe quod,

quod, ſi falſum eſt, aliquem hominem non currere, demum eſſe Petrum, in quo id eſt falſum, & qui deſinit non currere, Petrus ergo deſinit non currere: rurſus ſi falſum eſt omnem hominem currere, ergo omnis homo, & qui in eo clauditur Petrus, non currit, ac proinde is ſimul non currit, & deſinit non currere, ſiue, quod inſtar eſt, nec currit; necnon currit, & ſic haud opus erit, quodlibet eſſe vel non eſſe.

31 Hinc ſecundo probatur duas contrarias haud poſſe eſſe ſimul veras nam, ſi hæ contrariæ, v. g. omnis homo currit, nullus homo currit eſſent ſimul veræ, etiam hæ contradictoriæ, omnis homo currit, aliquis homo non currit, eſſent ſimul veræ, contrà quam probatum paulò ſuprà; prior quidem, propterea, quod ſit communis, tum contrariis, tum contradictoriis, poſterior verò, nimirum aliquis homo non currit, quia continetur in hac nullus homo currit, quæ ſupponitur vera: Aut paulò aliter ex dictis; ſi eſt verum omnem hominem currere, ergo & Petrum: deinde ſi verum, nullum currere, ergo & Petrum non currere: nam ex veritate vniuerſalis, recte colligitur, veritas particularis ſub ea contentæ: vbi ergo duæ contrariæ ſint ſimul veræ, duæ quoque contradictoriæ ſingulares, nimirum Petrus currit, Petrus non currit, erunt ſimul veræ: at nullæ contradictoriæ poſſunt eſſe ſimul veræ; atque inter omnes nullæ tam euidenter, ac manifeſtè ſimultaneam veritatem reſpuunt, quam quæ ſunt ambæ ſingulares, vt optimè animaduertit Hurtadus in præſenti.

32 Iam quod duæ ſubcontrariæ nequeant eſſe ſimul falſæ, ſuadetur: nam, vt ex præcedenti tabula conſtat, contradictoriæ ſubcontrariarum ſunt inuicem contrariæ, harum videlicet, aliquis homo currit, aliquis homo non currit, hæ omnis homo currit, nullus homo currit: ergo ſi ſubcontrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ, earum contradictoriæ poterunt eſſe ſimul veræ adeóque duæ propoſitiones inuicem contrariæ ſimultaneam veritatem admittent, quod ſi contrariæ, ergo & inuicem contradictoriæ: alterum enim ex altero ſequitur: vtrumque autem repugnare, iam probatum. Seu paulò aliter, vbi duæ ſubcontrariæ poſſint eſſe ſimul falſæ, fieri non poteſt, qnin etiam duæ contradictoriæ ſint ſimul falſæ: etenim ex falſitate particularis optimè infertur falſitas vniuerſalis, ſub qua continetur; alioqui profecto erit, vt particularis, & ſubalternata ſit falſa, & vniuerſalis, ac ſubalternans vera, vnde ab hac ad illam, v. g. ab eo, quod omnis homo currat ad curſum alicuius hominis haud poterit argui: tum ſic; ergo ſi hæc eſt falſa, aliquis homo currit, ſimul cum ſua ſubcontraria, etiam erit falſa hæc, omnis homo currit, ſimul cum eadem ſubcontraria prioris, videlicet hac, aliquis homo non currit, adeoque ſimul cum ſua contradictoria. In ſumma, nequit falſum ſubeſſe alteri ſubcontrariarum, huic nimirum negatiuæ aliquis homo non currit, quin tota hominum collectio currat: nam, ſi vel vnus quieſcat, non falſa, ſed vera erit ea propoſitio; quippe vaga, ac proinde vno ſolo indiuiduo contenta: at hoc ipſo, quod tota hominum collectio in curſum conſpiret, altera ſubcontraria affirmans, ſcilicet, aliquis homo currit, falſa eſſe nequit; data ergo falſitate vnius conſtare non poteſt falſitas alterius, & ſic ambæ ſimul eſſe falſæ non ſuſtinent.

33 Denique ſubalternas poſſe eſſe ſimul veras, ac ſimul falſas, & eam, quæ eſt vniuerſalis, vbi ſemel ſit vera, concludere veritatem particularis, & hanc, vbi ſit falſa, deducere falſitatem illius, ſuadetur à priori: quandocunque datur totũ, nequit non dari eius pars, ſed obiectum vniuerſalis eſt totum continens veluti partem obiectum particularis: illo ergo dato ſicut repræſentatur per actum, nequit hoc non dari ſimiliter, adeoque veritas prioris actus eſt coniuncta cum veritate alterius: rurſus non data parte, repugnat inueniri totum: vbi ergo non detur obiectum, ſubalternatæ propoſitionis, adeoque falſa ſit hæc, aliquis homo currit, haud poterit reperiri obiectum vniuerſalis, & ſubalternantis, ac proinde hæc, omnis homo currit, nequibit non eſſe falſa. Inſuper à poſteriori poteſt idipſum ita probari, fac enim hanc eſſe veram omnis homo currit, certè eo ipſo hæc erit etiam vera, aliquis homo currit, alioqui ſi falſa ſit, eius contradictoria erit vera, nimirum iſta, nullus homo currit, adeóque duæ cõtrariæ ſimul erũt veræ, &, quod inde ſequitur, duæ cõtradictoriæ: deinde fac hanc, aliquis homo currit, eſſe falſam, ſanè eo ipſo erit etiam falſa hæc, omnis homo currit; alioqui ſi ſit vera, eius contraria erit falſa, videlicet iſta, nullus homo currit, &, cum hæc ſit contradictoria prioris, quæ affirmat aliquem hominem currere, fiet, duas contradictorias eſſe ſimul falſas. Pari modo differi poteſt de ſubalternis negatiuis, cuiuſmodi ſunt, nullus homo currit, aliquis homo non currit.

Ad oppoſitas opus eſt, vt earum prædicatum, & 34
ſubiectum ſit idem in ſe, & quoad ſuppoſitionem, ampliationem, reſtrictionem, alienationem, appellationem, & circumſtantiis temporis, & loci, aliaſque omnes. Identitas in ſe debet eſſe penes ſolam rem, nec requiritur etiam voce tenus, quidquid Sotus repugnet: nam hæ, omnis enſis exiſtit, nullus gladius exiſtit, vera ratione opponuntur: quod expreſſe docet Ariſtoteles 1. elenchorum, cap. 4. *contradictio*, inquiens, *eſt oppoſitio eiuſdem non nominis, ſed rei*; vbi identitatem rei, non verò nominis poſtulat: quod autem mox ſubiungit, *non nominis ſynonimi, ſed rei*, non ita interpretandum eſt, quaſi eius merito nominum diuerſitatem, & ſynonimiam ab oppoſitione reiiciat: ſic enim ſibi contradiceret: ſed ibi oppoſitionem primario inter res, earumque conceptus, non verò inter nomina reperiri ſignificat, eo, quod eadem nomina aliter ſignificare, ac proinde non opponi poſſent, ſi hominibus libuiſſet.

Identitas quoad ſuppoſitionem haud eſt eo rigore 35
exigenda, vt, ſicubi varietur ſuppoſitio, nulla ibi poſſit eſſe oppoſitio: nam, vt ſcite animaduertunt Conimbricenſes, Tartaretus, & alij plures, variari poteſt alicubi ſuppoſitio terminorum, quin propoſitiones eis conſtitutæ propterea deſinant opponi: inprimis enim ſubiecta harum, omnis homo currit, aliquis homo non currit, ſupponunt longè aliter; nimirum prius copulatiuè, & poſterius diſiunctiuè: & tamen ambæ propoſitiones ſunt contradictoriæ. Par ratio harum, nullus homo currit, aliquis homo currit. Deinde hæ, omnis homo currit, Petrus non currit, ſunt contrariæ, quantumuis ſubiectum vnius ſupponat vniuerſaliter, & alterius ſingulariter. Vlterius hæ, cuiuſlibet hominis omnis equus eſt albus, cuiuſlibet hominis aliquis equus non eſt albus, ſunt contrariæ, vt docet præter alios Arriaga diſp. 2. ſum. ſect. 4. ſubſ. 4. num. 35. poſſunt enim eſſe ſimul falſæ, ſi nimirum Petrus nullum habeat equum album, ſed omnes nigros, & Paulus è diuerſo omnes albos, & nullum nigrum: præterquam, quod prior earum affirmat pluſquam requiritur ad falſificandam poſteriorem; hæc enim erit falſa, etiamſi non cuiuſuis, ſed tantum alicuius hominis aliquis equus non ſit albus: nihilominus alterius ſubiectum ſupponit partim copulatiuè, partim diſiunctiuè, priori modo videlicet obliquo tenus, poſteriori verò recto tenus alterius autem ſubiectum omnino copulatiuè, ſeu diſtributiuè.

Quo

36 Quocircà quadrifariam intelligendum eſt, ſuppoſitionem terminorũ debere eſſe in præſenti eandem, & non poſſe eſſe diuerſam, quin oppoſitionem deſtruat, ac de medio eximat. Primo namque, ſi ſuppoſitio termini in vna propoſitione ſit pro vna re, & in alia pro alia omnino diſtincta à priori, nulla duarum propoſitionum erit oppoſitio, quãuis prima fronte polliceantur eam voces. Atq; hinc eſt, enunciationes iſtas, mater diligit filiũ, mater non diligit filiũ, mus eſt ſyllaba, mus non eſt ſyllaba, ſed potius animal, canis latrat, canis nõ latrat, ſed potius lucet, omne animal fuit in arca Noë, aliquod animal non fuit in arca Noë, omnis homo vigilat, aliquis homo non vigilat, iſtas, inquam, eſſe ſimul veras, & neutiquam opponi, dummodò, quod frequenter accidit, in primis mater modò ſupponat pro Anaſtaſia, modo pro Catharina, & in ſecundis, mus, nunc pro animali, nunc pro voce tantum, & in tertiis canis, iam pro terreſtri, iam pro ſolo ſydereo, & in quartis animal prius pro generibus ſingulorum, deinde pro ſingulis generum, & in poſtremis homo pro ſolis exiſtentibus ex vna parte, & ex alia pro poſſibilibus etiam, luciſque vſura deſtitutis. Quod ſi termini prædictarum propoſitionum pro eadem re ſupponant, ac diuerſitatem in ſupponendo nuper memoratam exuant, ita quidem ex eis multiplex oppoſitio reſultabit, & ſingularum, quas conſtituunt, altera erit vera, & altera falſa, vt perpenti liquebit.

37 Præterea ſecundò, ſi ſuppoſitio termini in vna propoſitione ſit confuſa, & in alia copulatiua, nulla duarum erit oppoſitio; quare hæ non ſunt oppoſitæ, ſed ambæ potius veræ, aliquis oculus requiritur ad videndum, nullus oculus requiritur ad videndum, ſi, quod multoties vſuvenit, aliquis oculus in priori ſupponat confuſè, & habeat hunc deſcenſum, vel hic oculus, vel ille requiritur ad videndum, & in poſteriori nullus oculus ſupponat copulatiuè, & ſortiatur hunc deſcenſum, nec hic oculus requiritur ad videndum, nec ille oculus requiritur ad videndum: prius enim, & poſterius ecquid aliud eſt, quam neutrum oculorum requiri determinatè ad videndum, alterutrum tamen indeterminatè requiri? horum autem vtrumque veriſſimum eſt, adeóque propoſitiones, quæ id adſtruunt, omnis prorſus falſitatis ſunt expertes. Deinde tertiò, ſuppoſitio copulata termini in vna enunciatione, & copulatiua, vel etiam diſiunctiua illius in alia, haud permittit ambas opponi: quamobrem hæ non ſunt oppoſitæ, omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim, omnes Apoſtoli Dei non ſunt duodecim, ſiue nulli ſunt duodecim, ſed potius ambæ ſimul veræ, ſi omnes Apoſtoli ſupponant copulatè, &, quam conſtituunt, propoſitioni hunc ſenſum tribuant, tota hæc collectio ſingularis Apoſtolorum eſt duodenaria; & nulli Apoſtoli ſupponant copulatiuè, ſeu diſtributiuè, & propoſitionem, quam inchoant, huius ſenſus efficiant, nec hi Apoſtoli eam collectionem ſingularem conſtituentes ſunt duodecim, nec illi ſunt duodecim, &c. Par ratio eſt harum: omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim, aliqui Apoſtoli Dei non ſunt duodecim. Denique quarto, ſuppoſitio ſimplex termini in vna propoſitione, & perſonalis: illius in alia, tollit earum oppoſitionem; qua de cauſa, hæ non ſunt oppoſitæ, ſed ſimul veræ, homo eſt ſpecies, aliquis homo non eſt ſpecies.

38 Quapropter, vt propoſitiones illæ, aliquis oculus requiritur ad videndum, nullus oculus requiritur ad videndum, ſint oppoſitæ, & nequeant eſſe ſimul veræ, in priori debet ſupponere aliquis oculus determinatè, & hunc ſenſum reddere, vel hic requiritur ad videndum, vel ille ad id requiritur, & in poſteriori copulatiuè, ſeu diſtributiuè, eo modo, ac ſenſu, qui numero ſuperiori manet explicatus, & ita prior erit falſa, & poſterior vera propter rationem nuper traditam, videlicet, quia nullus oculus requiritur ad videndum determinatè, eſto aliquis indeterminatè. Vel debet aliquis oculus ſupponere confuſè in vna, hoc pacto, vel hic vel ille requiritur ad videndum, & in altera nullus oculus copulatè hunc in modum, nec hic, nec ille oculus requiritur, ſed potius tota collectio nihil includit vllatenus neceſſarium ad videndum, aut quo determinatè opus ſit ad id functionis; atque ita affirmatiua erit vera, & negatiua falſa. Rurſus vt propoſitiones illæ, omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim nulli ſunt duodecim, opponantur inuicem, debet ſubiectum prioris non minus, quam poſterioris ſupponere diſtributiuè, vt eius ſenſus ſit, quibuſcunque conuenit eſſe Apoſtolos, eis etiam conuenit eſſe duodecim, ſiue hi Apoſtoli ſunt duodecim, & illi ſunt duodecim &c. & ita affirmatiua erit falſa, & negatiua vera. Vel certè ad earum oppoſitionem opus eſt, vt ſubiectum in vtraque ſupponat copulatè, vt ſenſus prioris ſit, tota collectio Apoſtolorum eſt duodenaria numero, & poſterioris, nec hi, nec illi, nec omnes collectiuè ſumpti ſunt duodecim, ſiue, quod iuxta eſt, tota eorum collectio non eſt duodenaria: atque ita propoſitio affirmatiua erit vera, & negatiua falſa. Tandem quæ negant, & affirmant hominem eſſe ſpeciem, reddi poſſunt oppoſitæ, & in veritate, ac falſitate repugnantes, hoc modo ſi procedant, omnis homo eſt ſpecies, aliquis homo non eſt ſpecies, ſicut enim poſterior ſupponit perſonaliter, & habet hunc deſcenſum; ergo, vel hic homo non eſt, vel ille non eſt ſpecies &c. adeóque eſt neceſſariò vera, ita etiam prior ſupponit perſonaliter, & gaudet hoc deſcenſu; ergo hic homo eſt ſpecies, & ille homo eſt ſpecies &c. ac proinde eſt neceſſariò falſa.

Atque hæc de ſuppoſitione, quatenus prodeſt, aut 39
obeſt oppoſitioni. Quod attinet ad cæteras cõditiones terminorum paulo ſuprà propoſitas; in primis hæ cæci vident, cæci non vident, iuſtus peccat, iuſtus non peccat, non ſunt oppoſitæ, ſi in primis diſtrahatur ſubiectum ad tempus præteritum, ac diuerſum ab eo, quod importat copula, aut, ſi iuxtà aliorum phraſim, eamque non minus communem amplietur in primis, ſecus vero in ſecundis. Rurſus hæ non ſunt oppoſitæ, ſed ſimul veræ, Petrus ſtat, Petrus ſedens non ſtat, propter reſtrictionem ſubiecti in poſteriori, quin prioris ſubiectum reſtringatur. Item hæ, omnis homo eſt animal, aliquis homo pictus non eſt animal, haud opponuntur inuicem, eo, quod ſubiectum ſecundæ ſolius alienetur. Inſuper hæ, omnis ſunt oppoſitionis expertes, Innocentius Decimus eſt Papa, Innocentius, decimus non eſt Papa, ſi particula, *decimus*, modo ſuprà Innocentium, modo ſupra Papam appellet: eadem rationem hæ, Philippus regit, non Philippus regit, haud ſunt contradictoriæ, aut oppoſitæ, quoniam negatiuncula illa, *non*, appellat ſuprà ſubiectum, non verò ſupra copulam, ſiue, quod perindè eſt, quia non negat, ſed infinitat: quocircà merito eius appellationis non eſt idem vtriuſque propoſitionis ſubiectum, ſicut ad oppoſitionem opus, ſed aliud, & aliud; denique neutiquam opponuntur hæ, Petrus ſedet, Petrus hic non ſedet, Petrus ambulat aliquando, Petrus nunc non ambulat, videlicet propter diuerſas circunſtantias temporis, & loci.

Ex

40 Ex huius doctrina capitis pleraque aduersus leges oppositionis argumenta possunt facili negotio dissolui: namque tantum obiiciunt, propositiones superius positas, vel certè alias, eis non absimiles inuicem opponi, & tamen esse posse simul veras, aut simul falsas. At quo pacto non opponantur, quæ possunt esse simul veræ, aut simul falsæ, etiamsi speciem oppositionis exhibeant; & quo modo repugnent in veritate, aut falsitate, quæ oppositioni sunt obnoxiæ, satis, superque manet explicatum. Quædam alia sunt argumenta, quibus probari solet, vnam, eamdemque propositionem esse simul veram, & falsam, ac proinde eius contradictoriam esse simul veram & falsam, veram propter prioris falsitatem, & falsam propter eius veritatem; quocirca tantum abesse à repugnantia contradicentium in veritate, ac falsitate, vt potius aliqua in veritate, ac simul falsitate consentiant. Sed has difficultates in librum decimum percello, vbi eis poterit latius, & opportunius satisfieri.

CAPVT IV.

Oppositionum proprietas, inæqualitas, conuenientia, & distinctio.

41 QVod attinet ad earum proprietatem imprimis statuo oppositionem contradictoriam & contrariam, ratione quarum duo actus nequeunt esse simul veri, propriam, & strictam oppositionem eorum esse logicè loquendo. Ita omnes authores; estque adeo per se notum, ac euidens, vt vix, aut ne vix quidem possit amplius probari: fac enim præmissas, quibus id probatur ab aliquo concedi, & nihilominus consequentiam negari, quæso qua ratione eum tunc vrgeas, nisi ostendendo, duas ab illo contrarias, aut contradictorias eo ipso admitti: quod si eiusmodi propositiones non sunt verè, ac propriè oppositæ, haud eum deduxeris, vt sibi repugnet, aut oppositum eius, quod asseruit adstruat: quare cum ipse neget, eas esse simpliciter oppositas, sanè nullam de eo palmam eo argumenti genere tuleris. Dixi, *Logicè*, nam si physicam oppositionem spectes, cuiusmodi est caloris, & frigoris v.g. ita quidem omnis oppositio logica, &, vel contradictoria, atque contraria à rigore, & proprietate oppositionis non nihil deficit, vt cap. 2. supra visum.

42 Statuo secundò; oppositionem etiam subcontrariam esse strictè oppositionem logicam. Ita P. Hurtadus disp. 4. summ. sect. 6. §. 20. & apud eum Petrus Hispanus, ac plerique dialectici. Suadetur autem, nam falsitas non minus est qualitas propositionis, quam veritas: at oppositio in veritate sola, cuiusmodi est contraria, est vera oppositio iuxtà omnes; quidni ergò & oppositio in falsitate sola, qualis est subcontraria? quo autem pacto particula illa, *sola*, supra veritatem, ac falsitatem appellans intelligenda sit, iterum, iterumque manet superius explicatum. Deinde oppositio contradictoria, & contraria verè, & propriè differunt: at non essent verè, & cum rigore diuersæ oppositiones, si sola oppositio in veritate esset vera, ac rigorosa oppositio; siquidem hæc ambæ conueniunt, oppositio ergo in falsitate, cuiusmodi est subcontraria, propriam, ac veram rationem oppositionis etiam participat. Tertiò, non pauci eorum, qui nobis in præsenti dissentiunt, volunt oppositionem logicam esse sitam in repugnantia duarum propositionum quoad affirmationem, & negationem, siue in eò, quod earum altera affirmet aliquid, & altera idem neget: at subcontrariarum vna est affirmatiua, & alia negatiua eiusdem de eodem, non minus propriè, ac strictè quam quæ sunt contrariæ affirmant, & negant idem de eodem: hæ namque, si enunciant omnem hominem v. g. currere, & omnem non currere, profectò illæ similiter adstruunt aliquem hominem currere, & aliquem non currere: haud ergò contrarietas est magis proprie oppositio, quam subcontrarietas, vbi semel oppositio quatenus talis sita sit in repugnantia quoad affirmationem, & negationem.

43 Cæterum Fonseca, Conimbricenses, Arriaga, & quidam alij negant propositiones subcontrarias strictè, aut propriè opponi. Primò, quoniam possunt esse simul veræ: at veritas cum veritate non opponitur, iuxtà communem illam paræmiam, *verum vero consonat*. Confirmatur, & declaratur: quia virtus nunquam cum virtute pugnat, etsi vitium non tantum alteri vitio, sed etiam alteri opponatur virtuti, vt cernere est in auaritia, quæ opponitur, tum prodigalitati, tum liberalitati; veritas autem propositionis est instar virtutis, & falsitas instar vitij: haud ergo opponuntur inuicem duæ subcontrariæ simul veræ: id enim est veritatem veritati opponi non aliter, ac, si virtus virtuti lingatur opponi: at duæ contrariæ vel simul falsæ, vel altera vera, & altera falsa poterunt nihilominus opponi: hoc enim quid aliud, quam falsitatem opponi falsitati, aut falsitatem veritati, haud secus, atque vitium alteri sæpe vitio, nec non virtuti repugnat? Præterea secundò: propositiones subcontrariæ non affirmant, & negant idem de eodem, sicut ad veram oppositionem oportet: etenim licet harum ex. g. aliquis homo currit, aliquis homo non currit, subiectum ex æquo sit aliquis homo, tamen in vna pro Petro, & in alia pro Paulo supponit: quapropter vtriusque subiectum reipsa, & in actu exercito est diuersum, quamuis voce tenus, & in actu signato sit idem. Atq; ex his videntur labefactari rationes omnes, quibus aduersus hanc sententiam paulò suprà sumus vsi.

44 Ad primum tamen respondeo: quamuis subcontrariæ sint strictè oppositæ, haud propterea veritatem veritati opponi, sed potius falsitati: vt enim supra cap. 2. doctum, veritas alicuius, aut alterutrius propositionis subcontrariæ tollit, quo minus ambæ sint simul falsæ, adeoque plenam, & integram earum falsitatem destruit: atque hac ratione, & non alia opponuntur inuicem: quidni ergo proprie & rigorosè? Quod autem dicitur verum vero consonare, id est vnum permittere aliud, ac nullum ei præiudicium importare, nequaquam obest nobis, qui oppositionem duarum propositionum subcontrariam haud in eo collocamus, quod vnius veritas destruat veritatem alterius, sed in eo potius, quod vnius veritas destruat falsitatē simultaneā ambarum: quo enim pacto possunt ambæ esse simul falsæ, si sit alterea vera? Hinc ad confirmationē liquet; ea namque supponit, vnam propositionem esse, quæ immediate, & proprie opponitur alteri in suo genere, & logice loquendo, & exinde colligit, cū duæ contrariæ sint simul falsæ, aut altera vera, altera falsa, posse eas inuicem opponi: id enim est falsum falso, aut etiam vero opponi, quemadmodum vitium, & alteri vitio, & etiam virtuti opponitur; cumque duæ subcontrariæ sint simul veræ, haud posse alteram alteri stricte opponi, sicut virtus nullum cum alia virtute bellum gerit. At longe aliter se res habet: nam vna propositio propriè, & strictè non opponi-

tur alteri vllo genere oppoſitionis logicæ, ſed improprie, & denominatiue ab accidentibus ſuis: ſiue autem oppoſitio ſit contraria, ſiue ſubcontraria, vnum accidens propoſitionis opponitur alteri, nimirum veritas, & falſitas, hoc tamen ſeruato diſcrimine, quod in contrariis falſitas aliqua integram, & adæquatam veritatem ſuperat pellitque, in ſubcontrariis verò è diuerſo veritas falſitatem,

45 Ad ſecundum reſpondeo ſubiectum vtriuſque propoſitionis ſubcontrariæ eſſe omnino idem: nam cum aſſeritur ex. g. aliquem hominem currere, & aliquem non currere, *aliquis homo* eſt ſubiectum vtriuſque aſſertionis: at aliquis homo eſt indiuiduum vagum, ac proindè vnum idemq; potiori iure quam cum homo vniuerſaliter ſumptus duarum contrariarum v. g. harum, omnis homo currit, omnis homo non currit, dici ſolet vnum ſubiectum, ſicut ad veram oppoſitionem oportet. Quod autem obijcitur, aliquem hominem in ſubcontrariis modò ſupponere pro Petro, & modò pro Paulo, adeoquè voce magis quam ſenſu & re eſſe idem vtriu que ſubiectum, haud vrget: etenim aliquis homo ſupponit vtrobiuis pro Petro, & Paulo etiam, omnique homine indeterminatè ſumpto: quocirca ab alterutra propoſitionis ſubcontraria licet deſcēdere ad quemlibet inferiorum hominis, nimirum ita, vel Petrus currit, vel Paulus currit, vel Ioannes currit, &c. quod ſigno, eique ſatis manifeſto eſſe poteſt, vtriuſque ſubcontrariæ idem ſubiectum eſſe & eandem ſuppoſitionem alicuius hominis v. g. cæterum aliquis homo dicitur latè, & impropriè ſupponere in vna propoſitione pro Petro, & in alia pro Paulo, ſi contingat hunc currere, & illum non currere, quoniam vtriuſque conſcius, & aſſertor, interrogatus, cur nam adſtruat aliquem hominem currere, & aliquem non currere, reſpondebit illicò, propter id, quod Paulus currit, & Petrus non currit, cum tamen alteruter ſit aliquis homo: propoſitiones igitur illæ inuicem ſubcontrariæ virtualiter, & arguitiue ſunt hæ, Paulus currit, Petrus non currit, earumque inſtar habent: quare ſicut in his, ſubiectum vnius eſt Petrus, & pro hoc ſolo ſupponit & ſubiectum, ſuppoſitumque alterius eſt Paulus, ita, & in illis quodammodo: Atque ex his perſpicuum eſt, noſtris argumentis ſuam vim conſtare.

46 Oppoſitionem ſubalternam Fonſeca, Conimb. Arriaga, & Hurtadus atque cum eis plerique Neoterici à ratione veræ, & ſtrictæ oppoſitionis relegant: neſcio tamen, an ſatis conſequenter; nam ex iis non pauci ad veritatem propoſitionis ſubalternatæ huius v. g. aliquis homo currit, exigunt, vt non ſolum aliquis currat, ſed etiam aliquis non currat, propterea quod, *aliquis*, excluſionem alterius alicuius ſignificet: at eo ipſo, quod ad eius veritatem oporteat, vt aliquis non currat, nequit cum ea eſſe ſimul vera eius ſubalternans, videlicet omnis homo currit: propoſitio igitur ſubalternata, & ea, quæ eſt ſubalternans in veritate, atque adeo ſtrictè opponentur, ſi ſtandum eſt principiis aduerſariorum. Hæc ratio eſt ad homines, me iudice, manifeſta: alioqui vero præcisè cenſeo ſyncategorema illud, *aliquis*, nullam excluſionem, aut negationem importare, ac proinde ſubalternas poſſe, & debere eſſe ſimul veras, vt libro decimo ſum latius probaturus. Alio ergò argumento confutari poteſt ſuperior ſententia, & oppoſitionis ſubalternæ proprietas ſuaderi: nam oppoſitio nihil aliud eſt, quam repugnantia; at verè, & ſtrictè repugnat ſubalternantem, & ſubalternatam eſſe ſimul vniuerſales, aut ſimul particulares: quamobrem earum particularitas ſecundum quid, & quadantenus, ab eis pellit perfectam, & integram vniuerſalitatem, & vniuerſalitas aliqua particularitatem plenam, & adæquatam: opponuntur ergo verè, & ſtrictè ſecundùm quātitatem. Eodem modo probari poteſt, quaſuis alias ſubalternas, quamuis ſingulares ambas, tamen opponi mutuò, videlicet propter diuerſitatem quantitatis, quæ à nobis eſt ſuperius explicata, & probata. Qui negant, ſubcontrarias propriè opponi, propter earum ſimultaneam veritatem hic opponunt etiam ſubalternas haud poſſe eſſe ſimul veras: qui autem cum Hurtado malunt ſubcontrarietatem eſſe veram oppoſitionem, quia propoſitiones ei obnoxiæ nequeunt ſaltem eſſe ſimul falſæ, opponunt in præſenti, ſubalternas, nec repugnare in veritate, nec etiam in falſitate, ſed in ſola quantitate, & extenſione ad plura, vel pauciora obiecta. Verum vtriſque huius diſcurſu capitis factum eſt ſatis.

Quod ſi inſtes ita; quantitas phyſica molis; ſeu 47
tumoris, neutiquam opponitur phyſicè, alteri quantitati, eiuſdem ordinis, ergo nec quantitas intentionalis, & logica propoſitionis opponetur logicæ, alteri eiuſdem generis: Reſpondeo, quantitatem phyſicam in actu primo, munere cuius redditur vnum corpus inponetrabile cum alio, indiſtinctam à materia prima, ſiue ab ea diſtinctam inſtar cuiuſdam accidentis abſoluti, haud quaquam opponi phyſicè alteri quantitati ſimili, propterea, quod aliam nullam ab eodem expellat ſubiecto: cæterum vna quantitas logica, proinde aliam eiicit ab eodem ſubiecto, ac vna qualitas logica aliam, vt ſuperius declaratum eſt: vnde ex æquo habet oppoſitio logica locum in qualitate, & quantitate propoſitionis; quod, ſi ſermo ſit, de quantitate phyſica, ſeu molis, in actu ſecundo ſumpta, ea eſt vbitas circunſcriptiua, qua partes corporis ponuntur aliæ extra alias, & partibus locis commenſurantur: hanc autem, quis neget opponi phyſicè alteri? cum certo certius ſit, vnam vbitatem expellere aliam ab eodem ſubiecto, quandocumque res aliqua locum mutat: proinde hinc neutiquam improbatur oppoſitio logica duarum propoſitionum in quantitate, ſed potius probatur ſatis efficaciter. Nec ſolum parilitas quantitatis localis, & circumſcriptiuæ, noſtram ſententiam confirmat: aliæ ſeſe offerunt haud pœnitendæ; ſiquidem vna forma ſubſtantialis phyſicè opponitur alteri, & vna etiam duratio alteri, & paſſio paſſioni ſecum incompoſſibili, & actio actioni: phyſica igitur oppoſitio, non eſt propriè ſolius qualitatis phyſicæ: cur ergo oppoſitio logica, ſit in ſola qualitate logica, aut in ſubalternas non conueniat, propterea, quod ambæ in qualitate conueniant, & neutiquam repugnent.

Quod attinet ad inæqualitatem oppoſitionum, 48
arbitror contradictoriam eſſe maiorem contraria, & quacumque alia, ac magis participare naturam oppoſitionis. Ita Ariſtoteles lib. 1. de interpret. cap. 6. Beatus Thom. Ægid. Conimb. & communiter alij. Suadetur autem primò, quoniam cōtradictio, eſt oppoſitio in veritate, & falſitate, cum tamen contraria ſit in ſola veritate, & ſubcontraria in ſola falſitate, & ſubalterna in neutra: prior igitur illa cæteris eſt maior. Secundò, & recidit in idem, oppoſitio contradictoria eſt mutua hoc ſenſu, quod veritas aliqua tollat à propoſitionibus ita oppoſitis totalem, & plenam falſitatem, & falſitas aliqua è conuerſo veritatem adæquatam, & numeris omnibus abſolutam, cum tamen oppoſitio contraria neque, ſubcontraria reciprocentur eo modo, ſed potius in altera

expellat

expellat veritas aliqua totalem falſitatem, & non falſitas vlla totalem veritatem, atque in altera ſe res habeat è diuerſo : Subalterna autem oppoſitio nulla eſt quoad veritatem, & falſitatem, ne dum mutua,& reciproca. Tertio,per oppoſitionem contradictoriam probantur reliquæ omnes, vt ſuperius explicatum,ea ergo eſt manifeſtior cæteris, ac proinde quoad nos maior. Quarto,phyſica contradictio eſt longè maior oppoſitio, quam contrarietas eiuſdem ordinis, qua ratione ens, & non ens omnium confeſſione magis opponuntur, ac diſtant inuicem, quam vnum ens,& aliud incompoſſibile cum eo v. g. magis calor, & carentia caloris, quam calor, & frigus; vtraque enim qualitas componi poteſt diuinitus in eodem ſubiecto, neutra tamen cum priuatione, & carentia ſui:ſimiliter ergo contradictio logica ſuperat contrarietatem logicam,in ratione oppoſitionis. Quintò, quo minus requirunt duæ propoſitiones, vt opponantur,eò maior, & ſimplicior eſt earum oppoſitio ; ſicut, quo minus requiritur, vt duo homines inter ſe diſſideant, eo magis opponuntur, & alieni ſunt ambo ; ſed ad oppoſitionem contradictoriam huius propoſitionis ex. g. *omnis homo currit*, cum alia minus requiritur, quam ad contrariam; ſiquidem ad opoſitionem contradictoriam eius propoſitionis cum alia tantum opus eſt, vt alia vnum duntaxat non currere enunciet, hunc in modum, *aliquis homo non currit*, cum tamen ad oppoſitionem contrariam nullum currere, neceſſe ſit enunciari. Quod ſi duabus de cauſis proximè poſitis contradictio ſuperat contrarietatem, maiorem, vt mox videbitur,oppoſitione ſubcontraria, & ſubalterna ; fieri non poteſt, quin has eo ipſo vincat, eiſque ſit maior, non minus, imo plus, quam contraria.

49 Dices cum Arriaga, qui oppoſitionem contrariam cum aliis quibuſdam præfert contradictoriæ: quo plus negat vna propoſitio,quam alia, eo magis opponitur propoſitioni affirmatiuæ illius,quod per alteruttam negatur;nam, ſi negatio eſt oppoſita affirmationi, maior negatio eo ipſo debet eſſe magis oppoſita affirmationi : at hæc propoſitio contraria ex. g. *nullus homo currit*,plures currere negat,quam hæc contradictoria, *aliquis homo non currit*; igitur illa magis,quam hæc propoſitioni affirmatiuæ, *omnis homo currit*, opponetur. Reſpondeo ; hæc ratio probat quidem,oppoſitionem contrariam aliquo ex titulo maiorem eſſe contradictoria; cæterum oppoſitio contradictoria aliis nominibus paulo ſuprà recenſitis hunc exceſſum, non tantum compenſat, ſed etiam longo ſuperat interuallo.

50 Quod autem oppoſitio contraria ſit maior ſubcontraria, præterquam, quod eſt omnium conſtans ſententia, ſuadetur hunc in modum : ea eſt maior oppoſitio logica cæteris paribus, quæ eſt radix maioris oppoſitionis phyſicæ : at oppoſitio contraria maiorem oppoſitionem phyſicam infert,quam ſubcontraria ; cum duæ contrariæ explicitè cognitæ vt tales nequeant eſſe ſimul in eodem intellectu, ſecus vero duæ ſubcontrariæ:maior igitur oppoſitio logica eſt contraria,quam ſubcontraria.Confirmatur,& explicatur : ſi quantitatem ſpectes, vtraque oppoſitio eſt æqualis,cum vtrique ex æquo commune ſit, non eſſe quoad illam, ſed potius permittere, quod ſit eadem : ſi qualitatem ; ſimiliter ; alterutra enim oppoſitio in eo conuenit,quod ſit in vna ſola:ſi principium, vnde vtraque dimanat ; eandem æqualitatem ſeruant;principium enim alterius eſt,quod ambæ propoſitiones particulares ei obnoxiæ affirmẽt, & negent idem de eodem : at etiam altera oritur ex eo,quod duæ propoſitiones vniuerſales affirment,& negent idem de eodem,& inſuper hoc peculiare ſibi vendicat, quod ſit radix incompoſſibilitatis phyſicæ earum propoſitionum, quas inter ſe committit hæc ergo poſterior, nimirum contraria eſt maior oppoſitio,quam illa prior, ſubcontraria vocari ſolita. Quæ ratio, ſicut & eius confirmatio apprimè probat, contrariam etiam eſſe maiorem ſubalterna, quippè quæ nullius oppoſitionis phyſicæ principium eſt:præterid, quod vbi contrarietas ſit maior oppoſitione ſubcontraria, nequit eo ipſo non eſſe maior ſubalterna.

Hæc enim,vt materiam iſtam abſoluam, eſt mi- 51
nor,quam ſubcontraria,& quod conſequens eſt, ſubcontraria maior, quam illa. Quod hunc in modum ſuadeo ; oppoſitio logica propoſitionum eo eſt maior,quo eſſentiæ, ex quibus oritur ſunt magis diuerſæ ; quemadmodum phyſica oppoſitio qualitatum ignis,& ligni eſt multo maior, quam quæ eſt inter qualitates duorum ignium, quia illorum eſſentiæ ſunt magis oppoſitæ, ac diuerſæ ; quam horum: at ſubcontrarietas oritur ex eſſentiis magis diuerſis & oppoſitis, quam ſubalternatio : affirmatio namque, & negatio ſunt differentiæ eſſentiales propoſitionis; oppoſitio autem ſubcontraria originem habet à duabus propoſitionibus, quarum vna eſt affirmatiua, & altera negatiua, contrà verò ſubalterna à duabus ex æquo affirmatiuis, vel à duabus ex æquo negatiuis. Confirmatur, & declaratur : ſicut ſubcontrariæ opponuntur in qualitate ſola, & non quantitate,ita ſubalternæ è conuerſo in quantitate, & non qualitate ; at id habent inſuper illa præ his, quod earum oppoſitio eſſentias magis diuerſas, & repugnantes præſupponat.

Quod ſpectat ad conuenientiam oppoſitionum 52
inter ſe,Conimb.cap. 7. ſæpe citato, & plures alij cẽſent,eam eſſe analogicam,ſiue comparetur oppoſitio contradictoria cum contraria, ſiue harum alterutra cum cæteris. Ratio huius ſententiæ quoad priorem eius partem eſt, naturam oppoſitionis in communi inæqualiter participari à contradictoria, & contraria, & multo magis ab vna, quam ab alia: quoad poſteriorem vero partem eius ſententiæ ratio illius eſt, tum eadem quæ prioris, tum etiam, quod,nec ſubcontraria oppoſitio, nec ſubalterna ſit propriè oppoſitio, cum tamen eiuſmodi ſit contraria,& contradictoria. Cæterum verius eſt,eam conuenientiam quatuor oppoſitionum nulla prorſus exempta eſſe vniuocam : primò, quia quælibet earum eſt proprie oppoſitio,vt prolatum manet ſuperius:quoties autem inferiora aliqua proprie participant rationem quandam communem hæc reſpectu illorum, aut eſt æquiuoca, vt canis contemplatione ſyderei, terreſtris, & maritimi, aut certè vniuoca, vt animal,hominis, & equi gratia : ergo,cum oppoſitio in communi non ſit æquiuoca comparatione quatuor ſpecierum ſuarum, vt omnibus eſt in confeſſo,& ſponte ſua manifeſtum,neceſſe quidem eſt,vt reſpectu illarum ſit ratio vniuoca, nullumque faciat analogiæ locum. Secundò,quoniam ſubſtantia,& accidens Deus, & creatura, conueniunt vniuocè in ratione entis,vt conſtabit in tempore,& tamen inæqualiter eam participant, ergo ſimiliter in præſenti,&c. Tertiò, quoniam inæqualitas oppoſitionum earum vniuocationi oppoſita, & contraria, aut eſt in eo ſita, quod vna ſit maior ac perfectior oppoſitio, quam alia : atque ita, cum homo ſit perfectius animal, quam equus,neuter cum alio conueniet vniuocè in conceptu animalis,quo nihil abſurdius: aut eſt in eo ſita, quod vna ſit prior alia,

contradictoria nimirum, contraria, & cæteris, ſiue, quod perinde eſt, in eo, quod cæteræ omnes ab illa dependeant: atque hoc eſt omnino falſum, inueniri quippe poteſt oppoſitio contraria quarundam propoſitionum, quin tum dentur in eodem intellectu propoſitiones vllæ contradictoriæ, ex quibus exiſtentium contrarietas velut à fonte ſuo dimanet. Quamuis autem quoad nos à contradictoria reliquæ tres, & à contraria quæ ſequuntur duæ dependeant, ob id, quod probentur, & cognoſcantur per contradictoriam cæteræ omnes, & per contrarium aliquæ; tamen hoc neutiquam obeſt vniuocationi, cum ſubſtantiæ creatæ conueniant omnes vniuocè in ratione ſubſtantiæ finitæ, atque accidentia cuncta in ratione accidentis, eſto cognoſcatur vna ſubſtantia creata per aliam, & vnum accidens per aliud multoties. Atque ex his patet ad argumenta contraria.

53 Tandem, quod ſpectat ad diſtinctionem oppoſitionum, P. Hurt. citata diſp. 4. ſect. 7. §. 24. docet diſertis verbis omnem oppoſitionem propoſitionum eſſe re ipſa contradictoriam, quantumuis explicari ſoleat triplici illa diſtinctione contradictoria, contraria, & ſubcontraria, magis propter quantitatum quam oppoſitionum ipſarum diuerſitatem: ſubalternam autem omittit, & hac doctrina non comprehendit, quoniam eam haud putat eſſe veram oppoſitionem. Contra tamen primo, quoniam aliquæ propoſitiones ſunt contradictoriæ, & non contrariæ; & contrariæ, ac non ſubcontrariæ: & è conuerſo, ac retroacto ordine: ſeparabilitas autem eſt ſignum diſtinctionis realis: contradictio igitur, contrarietas, ſubcontrarietas ſunt inuicem realiter diſtinctæ. Secundò earum vna eſt in veritate ſola, alia in falſitate ſola, quædam in vtraque ſimul, & aliqua in neutra: hoc ergo ex titulo nequeunt etiam non realiter diſtingui. Tertiò, tametſi quæuis oppoſitio inferat contradictionem, & hæc ſequatur quodammodo ex qualibet (quæ fuit huic auctori offenſionis occaſio) inde tamen arguitur potius earum diſtinctio, quam identitas: nam, ſi ſumitur contradictio ex quauis alia ſiue, ſi illam inferunt cæteræ, ab eis ergo diſtinguitur; niſi fortè aliquid infert, aut cauſat ſemetipſum. Denique quartò, verius eſt, cæteras oppoſitiones haud inferre, aut continere, contradictoriam, ſed potius ex earum carentia ſequi carentiam contradictionis, adeoque per hanc eas probari: etenim, ſi duæ contrariæ eſſent ſimul veræ, aut ſi duæ ſubcontrariæ ſimul falſæ, eo ipſo fieret, vt duæ cõtradictoriæ eſſent ſimul veræ, aut etiam ſimul falſæ, ac proinde vt contradictio tolleretur de medio. Cæterum quod ex carentia aliarum oppoſitionum ſequatur carentia contradictionis, & per hanc probentur illæ, neutiquam arguit earum identitatem vllam? ſiquidem ex carentia formæ ſequitur carentia proprietatum, & per has probatur illa à poſteriori: quis tamen propterea dicat, formam à proprietatibus ſuis non diſtingui.

CAPVT V.

De æquipollentia propoſitionis.

54 DE qua inter alios optimè Hurt. diſp. 2. ſum. ſect. 4. Arriaga diſput. etiam 2. ſum. & ſect. 4. Auerſa, tract. 3. inſtit. capite 6. quorum breuitatem ſequi animus eſt. Æquipollentia eſt duarum propoſitionum æquiualentia, vt ipſa vox ſonat. Verſiculus ſequens indicat, quatenus propoſitiones alias oppoſitæ reduci poſſint ad æquipollentiam.

Præ contradic: Poſt contra: Præp; poſtque ſubalter.

Id eſt negatio præpoſita ſigno vniuerſali, vel particulari reddit propoſitionem æquiualentem ſuæ contradictoriæ: poſtpoſita verò reddit propoſitionem æquiualentem ſuæ contrariæ: Poſtpoſita verò & præpoſita æquiualentem ſuæ ſubalternæ, v.g.

Non omnis, quidam non: Omnis non, quaſi nullus,
Non nullus, quidam: Sed nullus non valet omnis:
Non aliquis, nullus: Non quidam non, valet omnis;
Non alter, neuter: Neuter non, præſtat vtrumque.

Nimirum, non omnis homo eſt animal, æquiualet huic propoſitioni, quidam homo non eſt animal: Omnis homo non eſt animal, huic, nullus homo eſt animal. Nonnullus homo eſt animal huic, quidam homo eſt animal. Nullus homo non eſt animal, huic, omnis homo eſt animal. Non aliquis homo eſt animal, huic, nullus homo eſt animal. Non quidam homo, non eſt animal, huic, omnis homo eſt animal. Non alter homo eſt animal, huic, neuter homo eſt animal. Neuter homo non eſt animal, huic, vterque homo eſt animal.

Sciſcitabitur fortaſſe aliquis, curnam dialectici regulas tradiderint ad hoc, vt contradictoriæ, contrariæ, & ſubalternæ æquipolleant, non verò ad hoc, vt ſubcontrariæ ad æquipollentiam reducantur. Reſpondeo, propterea eos omiſiſſe ſubcontrarias, quoniam hæ ſunt incapaces æquipollentiæ: Etenim cum profertur, aliquis homo currit, aliquis homo non currit, aut negatio poſtponitur in ſubcontraria affirmatiua, hunc in modum, aliquis homo non currit, & ita non redditur æquipollens negatiuæ ſubcontrariæ, ſiue cum ea æquiualenter eadem, ſed potius, omnino & formaliter eadem: aut negatio præponitur in illa, hunc in modum, non aliquis homo currit, & ita redditur ſubcontrariæ negatiuæ, non æquipollens, ſed oppoſita ſubalternæ: ſiquidem non aliquis valet nullus, & nullus, atque aliquis non reuera ſubalternantur inuicem: aut denique negatio præponitur, & poſtponitur; & ita non facit æquipollentiam, ſed potius contradictionem; namque non aliquis non, valet omnis; *omnis* autem, & *aliquis non*, mutuo contradicunt.

CAPVT VI.

De conuerſione propoſitionis.

55 CONuerſio propoſitionis eſt vnius ad aliam neceſſaria conſequentia ex tranſmutatione terminorum. Triplex eſt, nimirum ſimplex, per accidens, & per contrapoſitionem. Conuerſio ſimplex eſt, quæ fit ſola tranſmutatione ſubiecti, & prædicati non mutata quantitate, aut qualitate (nomine autem qualitatis in præſenti intelligo affirmationẽ, & negationem, cum ita fas ſit illo vti, vel eo ſenſu, qui ſupra manet explicatus tract. 3. cap. 2. ad eius finem, vel qui hoc tract. cap. 2. paulo poſt medium) ex. g. nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo: aliquis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo. Conuerſio per accidens eſt, quæ fit tranſmutatione quidem ſubiecti, & prædicati, ac mutata quantitate ſola, non qualitate, vt omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt homo, nullus homo eſt lapis, ergo aliquis lapis non eſt homo. Conuerſio per contrapoſitionem eſt, in qua ſeruata eadem quantitate, & qualitate ita tranſmutantur termini, vt finiti vertantur in infinitos, aut infiniti

infiniti infinitos, vt omnis homo est animal, ergo omne non animal, est non homo, aut omne non animal est non homo, ergo omnis homo est animal; vel aliquis homo non est lapis, ergo aliquod non lapis non est non homo, vel è contrario, aliquid non lapis non est non homo, ergo aliquis homo non est lapis. Tota conuersio clauditur his versiculis.

Simpliciter Feci, conuertitur, Eua per acci,
Asto per contra, sic fit conuersio tota.

Quos, vt intelligas, ecce sequentes.

Asserit A, negat E, tamen vniuersaliter amba,
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

Id est A, denotat propositionem vniuersalem affirmatiuam: O, vniuersalem negatiuam, I, particularem affirmatiuam, O, particularem negatiuam. Quibus constitutis propositio vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, petunt conuerti simpliciter: id indigitat, *simpliciter feci conuertitur*. Vniuersalis negatiua, & vniuersalis affirmatiua postulant conuerti per accidens; id significat, *Eua per acci*. Tandem propositio vniuersalis affirmatiua, & particularis negatiua, possunt conuerti per contrapositionem: id indicat, *Asto per contra*.

CAPVT VII.

Conuersionum regulæ probantur.

56 QVod tria illa propositionum paria superius posita conuerti possint, ac debeant, sicut triplici dictione præscriptum est, haud est difficile probatu. Namque in primis negatio afficiens copulam cogit prædicatum subsequens, supponere pro omnibus inferioribus suis, copulatiuè: quocirca cum dicitur, nullus homo est lapis, siue, quod perinde est, omnis homo non est lapis, sensus est, nec est hic lapis, nec ille lapis, & sic de quocunque alio, quam doctrinam ex Aristotele lib. 1. de interpret. cap. 6. colligunt Conimbr. lib. 1. Prior. c. 2. quæst. 1. art. 3. §. *theorema particularis negatiuæ*, eamque confirmat apprimè, quod est in veteri paræmia, negatio est malignantis naturæ, id est, vt explicat præter alios Rubius lib. 1. de interpret cap. 2. quæst. 5. num. 45. Quidquid post se inuenit destruit, totumque negat, & non partem aliquam, eius, quod afficit. Hoc autem ipso, quod vniuersalis negatiua neget identitatem subiecti cum prædicato, copulatiuè sumpto: v. g. hominis cum lapide distributo pro omnibus, hunc in modum, nullus homo est lapis, nihil mirum est, si lapidis, eadem distributione sumpti, identitas cum homine possit è conuerso negari, hoc pacto, nullus lapis est homo: siquidem negatio identitatis, siue distinctio, est relatio mutua, ac reciproca. Rursus cum dicitur aliquis homo est animal, animal supponit disiunctiuè, hoc sensu, aliquis homo est aliquod animal, &, vel hoc, vel illud: &c. At ex ea propositione, ita intellecta optimè sequitur hæc, aliquod animal est homo; nam, vt hæc sit vera, satis est, quod vnum specie animal sit homo: id enim habet, omnis propositio disiunctiua, vt eius veritas salua maneat, in vno solo obiecto suo: vbi autem omnis homo sit animal, euidenter sequitur, eam saltem speciem animalis, quæ de eo prædicatur; esse hominem: ergo, & aliquod animal esse hominem. En vt conuersiones præscriptæ per dictionem *simpliciter feci*, legitimæ sint, & formales.

57 Iam quod vniuersalis negatiua possit, ac debeat conuerti per accidens; suadetur: nam hæc propositio ex. g. nullus homo est lapis, conuertitur simpliciter, & infert hanc, nullus lapis est homo, vt probatum manet: ergo conuertitur per accidens, & inferet, aliquis lapis non est homo, siquidem continetur in priori conuertente: quæ autem præmissa infert continentem, & vniuersalem, ea est illatiua particularis, & contentæ, vt est luce clarius. Deinde sensus huius propositionis, omnis homo est animal, est hic, si non formaliter; at certè æquiualenter, omnis homo est aliquod animal, siue in aliqua specie animalis: quocirca iuxta paulo supradicta non poterit non deducere hanc per conuersionem per accidens: aliquod animal est homo. Ecce quateous conuersiones in dictione *Per acci* haud minus valeant.

Tandem, quod propositio vniuersalis affirmatiua, conuertatur per contrapositionem incipiendo à terminis finitis: Probatur hunc in modum: si hæc propositio, omnis homo est animal, non conuertitur per hanc, omne non animal est non homo, nec quod perinde est, eam infert: ergo supposita veritate prioris, potest posterior esse falsa, adeóque illius contradictoria vera, videlicet ista, aliquod non animal non est non homo: at hæc deducit sequentem, aliquod non animal est homo, iuxta doctrinam Aristotelis, lib. 2. interpret. cap. 2. necnon ea, quæ à nobis sunt statuta superius tract. 4. cap. 6. illa autem proximè deducta infert vlterius hanc, aliquis homo est non animal, per conuersionem simplicem, & hæc istam aliquis homo non est animal, vera si sunt, quæ ex Aristotele disseruimus cap. illo 6. tract. 4. vltima autem hæc est contradictoria illius primæ, omnis homo est animal: nisi ergo valeat conuersio per contrapositionem propositionis vniuersalis affirmatiuæ incipiendo à terminis finitis, erit, vt duę contradictoriæ sint simul veræ. Quod etiam incipiendo à terminis infinitis, eiusmodi propositio possit etiam conuerti per contrapositionem, suaderi potest eodem pacto: nisi enim ita se res habeat; supposita ergo veritate huius, omne non animal est non homo, poterit ista esse falsa, omnis homo est animal: ergo & eius contradictoria vera, nimirum hæc aliquis homo non est animal: ergo & vi huius erit vera etiam ista, aliquis homo est non animal, & huius merito proxima, aliquod non animal est homo; & consequentur huius beneficio ista erit vera, aliquod non animal non est non homo: hæc autem est contradictoria primæ, quæ supponitur vera: nisi ergo incipiendo à terminis infinitis possibilis sit conuersio contrapositæ, vniuersalis affirmatiuæ, proculdubio duæ contradictoriæ simul erunt veræ. Particularem etiam negatiuam, à quibuscunque terminis incipias, conuerti posse, & debere, per contrapositionem, eadem via, ac methodo potest probari: nam, si concedas hanc propositionem aliquod animal non est homo, & neges hanc, aliquid non homo, non est non animal: tum sic arguo, ergo omne non homo est non animal, quæ est propositio contradictoria, prioris negatæ: item vlterius, ergo omne animal est homo, iuxta paulò superius disputata, hæc autem vltima contradicit primæ. Insuper, si concessa hac propositione, aliquod non homo non est non animal, neges hanc aliquod animal non est homo, sic argumentabor, ergo omne animal est homo, ergo omne non homo est non animal, quæ propositio, est contradictoria prioris, quæ supponitur vera. En conuersionis contrapositæ in dictione *Asto per contra* contentæ probationem communem, ac me iudice manifestam.

58

Porrò autem, vt triplici regula conuersionis tria propositionum paria sunt ab Aristotele, & reliquis merito comprehensa; ita etiam alia tria sunt ab eis

59

optimo iure prætermiſſa, ac triplici illa regula neutiquam contenta. Quod non minus, quam illud prius eſt facile probatu, imo facilius multò, ſiquidem non valet, omnis homo eſt animal, ergo omne animal eſt homo: nec etiam valet, aliquod animal non eſt homo: ergo aliquis homo non eſt animal: vniuerſalis ergo affirmatiua, & particularis negatiua iure merito ſunt à conuerſione ſimplici reiectæ.

60 Objicies tamen primò, recte ſequi ex hac, aliquod animal non eſt homo, iſtam, aliquis homo non eſt animal, ſi ſuppoſitio termini, qui mutatur de ſubiecto in prædicatum maneat eadem, vt par eſt, & conuertens pro eo, ac poteſt hunc reddat ſenſum, ergo aliquis homo non eſt animal aliquod nimirum irrationale. Cæterum reſponſio eſt in promptu, ſiquidem negatio prædicatum ſubſequens diſtribuit, & non diſiungit, vt paulo ſupra animaduerſum eſt, ac proinde ſi ea propoſitio, aliquis homo non eſt animal, niſi in prædicto ſenſu, nunquam erit vera, cum nunquam poſſit ea reddere talem ſenſum, aut animal quod prædicat diſiungere tantum ac non diſtribuere pro omnibus ſuis inferioribus: haud ergo poterit particularem illam negatiuam ab Ariſtotele, & cæteris dialecticis obiectam, videlicet, aliquod animal non eſt homo, cõuertere ſimpliciter: conuertens enim debet eſſe vera, ſuppoſita veritate cõuerſæ.

61 Objicies ſecundò, quoties vniuerſales negatiuæ conuertuntur ſimpliciter, non poſſunt non conuerti ſimpliciter particulares negatiuæ in eis contentæ: illæ namque haud poſſunt eſſe ſimul veræ, quin hæ ſint etiam ſimul veræ: at illæ ſemper conuertuntur ſimpliciter, à quacunque earum incipias, vt ſupra ſtatuimus: ergo & hæ vndecunque incipias. Reſponderi tamen facilè poteſt hunc in modum; ex veritate ſimultanea vniuerſalium, & ſubalternantium benè quidem arguitur veritas ſimultanea particulariũ, & ſubalternatarum, non tamen ex conuerſione ſimplici illarum ſimplex harum conuerſio: nam hoc poſterius eſt veritatem vnius particularis negatiuæ habere connexionem cum veritate alterius, eamque inferre, quod inſtantia ex Ariſtotele adducta, & à reliquis approbata falſum eſſe conuincit: cæterum illud prius eſt, duas particulares negatiuas eſſe ſimul veras, non propter connexionem earum inuicem, ſed potius cum vniuerſalibus, quibus ſunt ſubalternatæ, quod neutiquam eſſe abſurdum, ſed potius rationi valdè conſentaneum liquidò conſtat. Quocircà maior argumenti eſt falſa, eiuſq; probatio ſubiuncta nulla. Inſuper negari poteſt, ac debet minor, ſi, quod multi putant, conuerſio & omnis argumentatio tum ſolum eſt abſolutè, ac verè talis dicenda, quando eius præmiſſa quæuis eſt vera: ſecus verò quando falſa aliqua: nam propoſitiones vniuerſales negatiuæ non ſemper ſunt veræ, ſed multoties falſæ, quid mirum ergo, ſi haud ſemper poſſint conuerti?

62 Veterius haud valet, aliquis homo eſt animal, ergo omne animal eſt homo: haud etiam, aliquod animal non eſt homo, ergo nullus homo eſt animal, Ratio vtriuſque eſt, quoniam à particulari affirmatiua ad vniuerſalem affirmatiuam, aut particulari negatiua ad vniuerſalem negatiuam, ne invariatis quidẽ terminis bene arguitur: quanto minus, ſi varietatẽ ſubeant, ac tranſmutẽtur: iure igitur ab oppoſitione per accidẽs vtraq; illa particulariseſt excluſa.

Prætereà, quod ordiendo à terminis finitis propoſitio vniuerſalis negatiua nequeat conuerti
63 per contrapoſitionem, patet: ſiquidem non valet, nullus homo eſt lapis, ergo nullus non lapis eſt non homo, nam Angelus eſt non lapis, & tamen non homo. Par ratio eſt particularis affirmatiuæ: haud enim valet, aliquis homo cognoſcitur à Deo, ergo aliquod non cognitum à Deo eſt non homo; aliàs valeret etiam hęc, ergo aliquod non homo eſt non cognitum à Deo, vtique per conuerſionem ſimplicem; & hæc proinde, aliquid non homo non cognoſcitur à Deo, videlicet per regulam infinitarum: conſequens autem eſt falſum, quidquid enim eſt non homo, à Deo cognoſcitur: neutiquam ergo conuertitur per accidens propoſitio particularis affirmatiua; aliàs ex antecedenti vero effici poſſet aliquãdò conſequens falſitati obnoxium; valeretque etiam argumentum ratione formæ à propoſitione de ſubiecto finito ad eam, quæ eſt de eodem ſubiecto, ſed infinitatem ſubeunte, ac priſtinam finitatem amittente: cuius tamen oppoſitum oſtenſum eſt ex profeſſo tract. 2. cap. 6.

E contrario ordiendo à terminis infinitis haud eſt 64
admittenda conuerſio contrapoſita propoſitionis vniuerſalis negatiuæ; vel particularis affirmatiuæ: non huius, quoniã non ſequitur, aliquid non homo (videlicet leo) eſt non equus, ergo aliquis equus eſt homo; non illius quia nunquã fieri poteſt, vt ſit vera ſicut animaduertunt Conimbric. lib. 2. de interpret. cap. 2. quæſt. 2. art. 1 ſed apparens ad ſummum: quæ autem nõ eſt vera, nõ eſt fortaſſe apta ad conuerſionem, aut argumentationem vllam propriè talem, quemadmodum homo pictus, falſuſvè, ſiue apparens non eſt propriè, ac ſimpliciter homo. Secundò, quia tametſi propoſitio falſa conuerti poſſit aliquandò, & ab ea ad aliam dari conſequentia formalis, id tamen eſt propter connexionem antecedentis cum conſequenti: at nullam habet connexionem propoſitio vniuerſalis negatiua vtroque termino infinito conſtans cum propoſitione vniuerſali negatiua, & finita quoad vtrumq; terminum tranſmutatos inuicem: hæc enim propoſitio, nullus non homo eſt non equus, tametſi gratis admittatur tanquam vera, omniſque non homo reipſa non ſit non equus, ſiue, quod iuxtà eſt, ſit equus, inde tamen per neceſſariam connexionem minimè ſequitur, nullum equũ eſſe hominem; quamuis enim per impoſſibile aliquis equus eſſet homo, ſiue, quod perinde eſt, aliquis homo eſſet equus, poſſet nihilominus omne non homo eſſe equus, ſicut quamuis aliquis homo cognoſcatur à Deo, tamen omne non homo cognoſcitur etiam à Deo.

CAPVT VIII.

Quædam argumenta aduerſus regulas conuerſionum.

ARgues primò ex terminis diuinis: neutiquam 65
ſequitur, nulla eſſentia diuina generat, ergo nullum generans eſt eſſentia diuina: non etiam, aliquod generans eſt eſſentia diuina, ergo aliqua eſſentia diuina generat: haud etiam, nulla eſſentia diuina generat, ergo aliquod generans eſt eſſentia diuina: haud denique, omne generans eſt eſſentia diuina, ergo aliqua eſſentia diuina generat. Ratio eſt, quoniam in eſſentiam diuinam non conuenit generare perſonam aliquam diuinam, ſiue eam realiter producere, quæ eſt eius ab omni perſona indiſtinctio realis: cuiuis autem perſonæ generanti, ſeu non generanti conuenit eſſe eſſentiam diuinam, quæ eſt etiam è converſo cuiuſuis earum ab eſſentia realis indiſtinctio. Ex quibus duobus fit, vt antecedens

cedens in quacunque earum quatuor illationum sit verum, & consequens falsum, adeoquè regula bimembris simplicis conuersionis, nec non & illa, quæ tradita est pro conuersione per accidens, sit omnino falsa. Par argumentum fieri potest in eo termino, *genitum*, & in eo, *productum*, qui de essentia nequeunt vere prædicari, cum tamen ita valeant prædicari, alter de verbo: alter de ipso, nec non de Spiritu sancto.

66 Respondeo in primis, sicut hoc principium, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, haud tenet in diuinis eo modo, quo in rebus creatis, saltem quas nouimus, & experimur, & quas ordo naturæ finibus suis cohibet, vt omnibus est in confesso, ita non defuturos qui sentiant nil incommodi esse, si regulæ conuersionum non valeant in mysterio triados, cuius erat omnino inscius Aristoteles earum author. Respondeo secundò, ad conuersionem opus esse, vt suppositio terminorum maneat eadem, atque inuariata, qua de causa, vt superius dictum est, non valet hæc conuersio, omnis homo est animal, ergo omne animal est homo, quoniam videlicet animal in vna propositione supponit disiunctiuè, & in alia copulatiuè: quare cum dicitur; nulla essentia diuina generat, negatio generationis; siue particula, *non generat*, haud supponit pro distinctione inter essentiam, & id, quod generat, sed pro non exercitio generandi; vt sit idem, *non generat*, ac non exercet generationem, quantumuis ab eo, quod illam exercet nequaquam vere, ac realiter distinguatur: at cum infertur, nullum generans est essentia diuina, negatio generationis, siue particula, *non generat*, supponit pro distinctione reali inter essentiam diuinam, & id, quod generat, secus vero pro non exercitio generandi; quid mirum ergo, si in ea acceptione haud sequatur posterior propositio ex priori. Cæterùm si maneat eadem suppositio vtrobique, & sensus posterioris propositionis, videlicet istius, nullum generans est essentia diuina, sit hic, nullatenus generare conuenit essentiæ diuinæ, ita quidem erit vera, & per conuersionem simplicem sequetur ex priori: quamuis autem non habeat eiusmodi sensum solitariè sumpta, potest tamen eum sortiri ex respectu ad priorem tali sensu præditum, & quatenus illi coniuncta. Eodem modo responderi potest ad cæteras propositiones: omnium enim æqua est conditio quod ad præsens attinet.

67 Argues secundò ex terminis complexis: non valet hæc consequentia, nullus homo est homo albus, ergo nullus homo albus est homo: nam si nullus homo existat, qui sit albedine affectus, antecedens erit verum, & consequens falsum, cum neget de homine albo id, quod in eo essentialiter includitur, nempe hominem. Rursus non valet hæc consequentia aliquis homo albus est homo, ergo aliquis homo, est homo albus, eandem ob causam. Tertiò hæc consequentia est nulla, nullus homo est homo albus, ergo aliquis homo albus non est homo. Quartò, hæc etiam consequentia nulla est omnino, omnis homo albus est homo, ergo aliquis homo est homo albus. Quintò denique ista haud est magis vera cæteris, omnis homo albus est homo, ergo omne non homo est non homo non albus, cum equus sit non homo, nequaquam tamen non albus, sed potius albus. At omnes huiusmodi consequentiæ valerent si cuius essent valoris regulæ aliquæ trium conuersionum: omnes ergo, nulla dempta, sunt falsæ, ac Lesbiæ similes.

68 Respondeo à primo, in his propositionibus, quæ constant termino aliquo complexo, siuè coniuncto per accidens fortassis haud valere regulam vllam conuertendi, nisi prius exponantur per alias; expositas autem posse conuerti, sicut est prescriptum, v.g. prima propositio obiecta, nimirum hæc, nullus homo est homo albus, ita exposita, nullus homo est pars constitutiua hominis albi, poterit ita conuerti; ergo nulla pars constitutiua hominis albi est homo: si enim illa esset vera, esset quoque indissociabili consequentia, & hæc, idcirco autem huic subest falsum, quoniam & illi, vtvt nullus homo existat in rerum natura, qui sit albedine affectus. Item hæc, aliquis homo albus est homo, ita exposita, aliquis homo albus est constitutus essentialiter homine, sustinet ita conuerti, ergo aliquid constitutum essentialiter homine est homo albus. Par autem ratio cæterarum propositionum, quæ obiiciuntur.

Deinde respondeo, fortasse propositiones illas 69
nobis obiectas, etiamsi maneant intactæ, & non exponantur prius per alias, posse tamen conuerti modis omnibus ab Aristotele præscriptis, si nimirum quæ videntur præ se ferre sensum contingentem, reddant essentialem, & inuariabilem, aut certè quæ sensum essentialem è contrario contingentem, propter coniunctionem aliarum cum aliis, & respectum, quo se intuentur inuicem; alioqui suum quæque sensum seruaturæ. Vtraque solutio latius est à nobis explicata supra tract. 2. c. 5. Quoniam autem ibi haud fuit sermo, nisi de terminis finitis, idcirco hic adiicio pro refutatione vltimæ instantiæ, consequens illud in ea obiectum, dummodo vnica negatione infinitetur totum eius prædicatum, hoc modo, omne non homo est non homo albus, optime sequi ex eo antecedenti, omnis homo albus est homo, ac nunquam esse falsum: equus enim, qui est nō homo, est hoc ipso quidem non homo albus. Quamuis autem vnica negatio terminum complexum haud infinitet perfectè, si sit in eius medio sita, quo pacto dictum est tract. 2. cap. 6. hanc propositionem, homo est lignum non album, non esse de prædicato omnino infinito, nec sequi ex hac negatiua, homo non est lignum album, cæterum negatio præposita toti termino complexo, seu subiecti, seu prædicati locum obtinenti potest, ac solet illud infinitare, vt communiter authores edocent.

Argues tertiò ex terminis simplicibus, qui sint 70
proprij primo, vel tertio modo respectu subiecti, eique conueniant soli, sed non omni, vel soli, & omni, sed non semper, ac proinde ab eo non poscantur, quamuis illud destinatè, & præ quouis alio exposcant, cuiusmodi sunt grammaticus, lector, poëta, & ridens contemplatione hominis: fac enim nullum hominem existere qui rideat, tum erit verum hoc antecedens, omne ridens est homo, & tamen falsum hoc consequens, aliquis homo est ridens: item idem antecedens est verum, & hoc consequens falsum, omne non ridens est non homo: deinde hoc verum, aliquod ridens est homo, & falsum hoc consequens, aliquis homo est ridens. Rursus tum erit verum hoc antecedens, nullus homo est ridens, & falsum hoc consequens, nullum ridens est homo: nec non istud met antecedens: nullus homo est ridens huiusmodi consequens aliquod ridens non est homo neutiquam inferet aut veritate sua verum esse conuincet.

Quod illationum affirmatiuarum consequentia 71
sint falsa, est ipsa hypothesis atque adeo nullius probationis indiga: quod autem earum antecedentia sint vera in tali hypothesi, suadetur hoc pacto: ridens definitur homo risum edens: totum ergo hoc prædicatum necessariò, & essentialiter

affirmatur de ridente, ſeu copulatiuè, ſeu diſiunctiuè ſumpto, ad inſtar cuiuſuis alterius definitionis reſpectu ſui definiti; ergo & quæuis pars eius prædicati, adeoque homo, talem in modum, omne ridens eſt homo, aliquod ridens eſt homo, ſicut etiam de homine non ſolum tota eius definitio videlicet, quod ſit animal rationale, ſed etiam, quod ſit animal, vel, quod ſit rationale, neceſſariò. & eſſentialiter dicitur; ambæ ergo propoſitiones in argumento obiecto, tum in eius euentu, tum etiam in quouis alio ſunt veræ; aliàs haud forent neceſſariæ, ſed contingentes. Aliter etiam ſuaderi poteſt earum neceſſitas, & conſequenter veritas in hypotheſi data: ſiquidem vt propoſitio quævis ſit neceſſaria, & in omni euentu vera, ſatis eſt, vt ſubiectum habeat neceſſariam connexionem cum prædicato, tametſi non è contrario: tum, quia connexio ſubiecti cum prædicato eſt, quæ affirmatur: tum etiam, quia hæc eſt neceſſaria, animal eſt viuens, ob neceſſariam connexionem animalis cum viuenti, eſto viuens è diuerſo non ſit ita connexum animali, ſed ſine eo in quibuſdam animalibus, videlicet plantis reperiatur; atqui omne ridens, & aliquod ridens habent neceſſariam connexionem cum homine, tametſi non è conuerſo, ergo &c. Vide alias huius met rei confirmationes ſupra tract. 2 cap. 8. Quod etiam illationum negatiuarum conſequentia ſint falſa in euentu argumenti (nam quod earum antecedentia tum ſint vera haud eſt dubium) probatur hoc pacto: prius illorum, nempe, nullum ridens eſt homo, eſt contrarium huius pronunciati, omne ridens eſt homo, & poſterius, ſcilicet, aliquod ridens non eſt homo, eſt eiuſdem pronuntiati contradictorium: cum ergò verum ſit neceſſariò, & in omni hypotheſi quod omne ridens ſit homo, vt probatum manet, haud poterit, non eſſe falſum, quod nullum ridens ſit homo, & quod aliquod ridens minime ſit homo. Hoc autem ipſo, quod in quauis illatione, & conuerſione earum, per quas hactenus itum eſt, antecedens ſit verum, & conſequens falſum, pleriſque conuerſionum regulis ſupra traditis, falſum, ſuberit.

72 Reſpondent Scotiſtæ, & quidam alij, earum illationum antecedentia à nobis admiſſa tanquam vera, eiuſmodi neutiquam eſſe, & conſequentia tanquam falſa conceſſa, nequaquam talia eſſe, ſed potius illa veritatis, & hæc falſitatis expertia prorſus. Cuius rationem putant eſſe, quod omnis propoſitio de termino ſimplici ſubiectum poſtulante, tametſi non poſtulatur ab eo, omnis, inquam propoſitio eiuſmodi, ſit contingens, & non neceſſaria, ſiue neget ſiue affirmet v.g. hæc, omne ridens eſt homo, reddit hunc ſenſum, omnis homo, cui accidit riſus eſt homo, vbi particula illa, *cui accidit*, toti propoſitioni contingentiam importat. Par ratio eſt huius, nullum ridens eſt homo; par cuiuſuis alterutri ſimilis. Verum hæc doctrina, & paulo ſuprà eſt impugnata in ſe, necnon etiam in ſimili tract. 2. c. 5. ſæpius citato, vbi contingentiam propoſitionum de ſubiecto per accidens coniuncto aduerſus Scotum, & alios refutauimus ex profeſſo.

73 Reſpondent ſecundo Conimbr. propoſitionem illam, omne ridens eſt homo, & quamuis aliam id genus, ſiue negatiuam, ſiue affirmatiuam eſſe contingentem, ſicut in ſuperiori ſolutione ſtatutum eſt: at propterea, quod concretum illud ridens ſupponat principaliter pro forma, eamque importet in recto, vt ſenſus eius propoſitionis ſit, riſus omni homini conuenit. Fateor rationes, tum paulo ſupra, tum cap. 5. tractatus ſecundi adductas hanc doctrinam labefactare non poſſe: quocirca ita eam impugno; ridens id commune habet cum quouis alio concreto accidentali, quod non ſemper importat formam in recto, ſed multoties ſubiectum, vt abundè probatum manet lib. 3. tract. 3. cap. 3. quid ergo dicendum, ſi poſteriori modo, & non priori ſupponant, atque in eis ita ſupponentibus noſtrum conficiatur argumentum? Ad hoc, quanquam riſus dicatur in recto, ſenſus eius propoſitionis omne ridens eſt homo, haud eſt; riſus ineſt omni homini ſicut ad contingentiam oportet, ſed potius omnis riſus ineſt ſoli homini, ſiue riſus quiuis, ſi cui conuenit, homini citra dubium conuenit: ita autem ea propoſitio eſt neceſſaria, & non contingens. Melius ergo reſponderi poteſt, eas propoſitiones, aut non conuerti, niſi expoſitas, & in alias prius commutatas, aut certè, niſi alio ſenſu præditæ ſint, ſuper eum, quem præ ſe ferunt, & quem ſolitariè ſumptæ fortaſſis eſſent habituræ, vti ſupra de propoſitionibus ſubiecto non ſimplici, ſed complexo conſtructis diſſeruimus.

Argues quartò: hæc propoſitio eſt vera; nullus 74
oculus eſt neceſſarius ad videndum, cum ſine quolibet poſſimus videre munere alterius; & tamen non ſequitur inde, ergo nullus neceſſarius ad videndum eſt oculus, id enim eſſe nobis ad videndum oculis neutiquam opus eſſe: haud igitur propoſitio vniuerſalis negatiua ſimpliciter conuerti ſemper poteſt, aut poſtulat. Hoc autem habet præſens argumentum commune cum duobus, quæ ſequuntur, quod quamuis ponatur in vna conuerſione, indè tamen argui poſſit contra pleraſque alias: quocircà in vna expedio, quid dici poſſit ad alias, ac reſpondeo, nec prioris propoſitionis modò obiectæ, nec poſterioris ſenſum, ſemper eum eſſe, quem ſupponit argumentum: illa namque poteſt ſupponere copulatiuè, ſeu diſtributiuè, & facere hunc ſenſum, nec hic oculus eſt neceſſarius ad videndum, nec ille eſt neceſſarius ad videndum, atque ita eſt vera, ac ſolam neceſſitatem determinatam excludit: vel poteſt ſupponere copulatim, & reddere hunc ſenſum, nec hic oculus, nec ille eſt neceſſarius ad videndũ, atque ita eſt falſa, ac neceſſitatem etiam vagam, & indeterminatam cuiuſvis oculi ad videndum excludit. Poſterior etiam duplicem ſenſum, ac ſuppoſitionem habere poteſt, &, vel ſignificare, quod nihil neceſſarium, etiam indeterminatè ad videndum, ſit aliquis oculus, vel tantum, quod nihil neceſſarium determinatè; ac proinde altero modo eſſe falſa, & altero vera. Quibus poſitis in ſenſu diſtributiuo, ac determinatam neceſſitatem excludente, prior propoſitio eſt vera, & eodem ſenſu, etiam eſt vera poſterior, & conuertit priorem. Cæterum in ſenſu non diſtributiuo, ſed potius copulato, ac neceſſitatem etiam vagam abigente, vtraque eſt falſa: quid mirum ergo, ſi in eis, conuerſio locum non habeat? Quod, ſi prior reddat ſenſum diſtributiuum, ſiue copulatiuum, & poſterior copulatum, erit vera illa, & hæc falſa: indè tamen nihil contra regulas conuerſionis, quippe quæ, vt cuiuſvis alterius argumentationis ſupponunt terminorum ſuppoſitionem manere eandem in antecedenti, & conſequenti: alioqui committent, vt multis calumniis ſit locus.

Argues quintò, hæc propoſitio eſt vera, nullum 75
cœlum eſt in ſtella, & tamen hæc falſa, nulla ſtella eſt in cœlo: Item, hæc eſt vera, nullus mortuus ſit naturaliter viuus, & nihilominus hæc falſa, nullus viuus ſit naturaliter mortuus: propoſitio ergo vniuerſalis negatiua, haud ſemper poteſt conuerti ſimpliciter. Reſpondeo totum prædicatum conuerſæ debere

debere mutari in subiectum conuertentis ; huius autem conditionis defectu duas consequentias nuper obiectas haudquaquam valere : cæterum ea, si adsit conditio, posse vtramlibet propositionem vniuersalem negatiuam conuerti simpliciter , aliasque duas consetcuiones legitimas , ac formales sortiri, videlicet hunc in modum, nullum cœlum est in stella, ergo nullum existens in stella est cœlum, nullus mortuus sit naturaliter viuus , ergo nullus fiens naturaliter viuus est mortuus.

76 Argues sextò , hæc oppositio est vera, nullus puer fuit senex , & tamen hæc falsa , ergo nullus senex fuit puer: item hæc vera, nullus senex erit puer, quod enim dici solet, bis pueri senes, est metaphorica, ac figurata locutio , & tamen hæc falsa , ergo nullus puer erit senex. Respondeo , in primis , vtramque præmissam esse falsam, quia vt animaduertunt nostri Conimbricenses ex Aristotele lib. 1. Elench. cap. 3. sensus prioris est, nullus, qui est, aut, qui fuit puer, fuit senex; claret autem Nestora, qui fuit puer, fuisse senem: sensus autem posterioris est, nullus, qui est, aut qui erit senex, erit puer; exploratum autem est, multos eorum, qui nascentur, fore senes, ac fore etiam pueros : Quando igitur merito huius ampliationis, subiectum ampliatur quodammodo à tempore præsenti, & refertur insuper, ad præteritum, si verbum sit de præterito , & ad futurum , si de futuro vtraque præmissa , vt dictum est, erit falsa, adeoque non mirum, si quæ deducuntur ex eis propositiones sint falsæ , ac neutiquam possint sequi. Respondeo secundò, cum iisdem Conimbricensibus, & apud eos Ægidio , propositiones de præterito, & futuro, haud posse conuerti , nisi prius expositas, per alias , quæ constent verbo est de præsenti , & participio aliquo præteriti, aut futuri temporis ; ita autem eas optimè conuerti , iuxta regulas ab Aristotele ac dialecticis traditas, v.g. optimè sequitur: nullus puer est passus senectutem, ergo nullus passus senectutem est puer: Nec minus bene, nullus senex est passurus pueritiam, ergo nullus pueritiam passurus est senex. Atque ex huius , & præcedentis argumenti solutione constat, quid responderi debeat , ad alia similia argumenta, quæ fieri possunt, non solum aduersus conuersionem simplicem, sed etiam contra alias.

CAPVT IX.

Aliæ duæ conuersiones tribus vulgaribus superadditæ.

77 TAndem animaduerto , tribus conuersionibus hactenus explicatis alias duas adiici posse. Prior est mixta ex conuersione simplici , & contraposita , & cum hac commune habet , quod , si non ambo termini in ea infinitentur, at certè alter eorum & cum illa, vt , sin minus quantitas , certè qualitas in ea mutetur : habet autem hæc oppositio locum in omni propositione , & sola, in qua contraposita. Vt v. g. omnis homo est animal , ergo omne non animal non est homo , aliquis homo non est equus, ergo aliquod non equus est homo. Quod vtraque illatio teneat , perspicuum est, nam ambæ præmissæ inferunt per conuersionem contrapositam has conclusiones , ergo omne non animal est non homo, ergo aliquod non equus non est non homo ; at hæ conclusiones inferunt eas , quas posuimus velut exempla huius conuersionis mixtæ, vt constat ex regulis infinitarum tract. 2. cap. 4. traditis : fieri ergo nequit, vt istiusmodi conuersionis mixtæ antecedens vnquam sit verum, & non consequens , vbi propositio, quæ antecedit sit vniuersalis affirmatiua , aut particularis negatiua , adeoque in his ea est formalis , & legitima , non minus , quam contraposita, Quod autem in propositione vniuersali negatiua, & particulari affirmatiua , quarum alterutra est incapax conuersionis contrapositæ , nec ista, qua de loquimur , reperiatur , eodem potest argumento suaderi : alioqui namque fieret , per regulas infinitarum, vt etiam in vtraque locum esset habitura conuersio per contrapositionem : meritò ergo dictum est, cum hac recurrere mixtam ex ipsa, & simplici.

Posterior conuersio hic superaddi visa , est mixta 78
ex contraposita, & per accidens: & huius more ambo termini in ea infinitantur, illius autē ritu, non qualitatis, sed quantitatis mutationem subit. Visitur autē in propositione vniuersali negatiua in qua locū non habet contraposita. v.g. valet hæc consecutio , nullus homo est equus , ergo aliquod non equus non est non homo , alioqui certè omne non equus erit non homo , adeóque per conuersionem contrapositam omnis homo erit equus, quæ propositio est contraria priori veræ: nec ergo sequitur, duas contrarias esse simul veras, admittenda est hæc conuersio mixta in propositione vniuersali negatiua. Quod etiam in vniuersali affirmatiua , sicut contraposita locum habeat , ita probari potest : siquidem hæc propositio , omnis homo est animal v. g. per conuersionem contrapositam infert hanc ; ergo omne non animal est non homo : igitur etiam inferet huius subalternam ; nempe ergo aliquod non animal est non homo , vi scilicet huiusmodi conuersionis mixtæ ex contraposita , & per accidens : quæcunque enim præmissa infert propositionem superiorem, ea infert subalternam, & inferiorem.

Cæterum, nisi in iis duabus propositionibus istiusmodi posterior conuersio mixta non cernitur : nec 79
enim in particulari negatiua ; tum, quia ab hac ad vniuersalem negatiuam non fit conuersio , etiamsi non infinitentur termini in conuertente , vt supra dictum est , cum de conuersione per accidens esset sermo, non enim valet , aliquod animal non est homo , ergo nullus homo est animal, idem ergo à fortiori dicendum est , quando termini infinitantur in conuertente , adeoque maiorem mutationem subeunt: tum etiam, quia ab vniuersali negatiua finitis constante terminis non fit conuersio , aut consecutio ad aliam vniuersalem negatiuam constantem terminis infinitis , vt liquet ex iis , quæ supra cap. 7. dicta sunt de conuersione per contrapositionem : ergo etiam à fortiori nulla erit conuersio, nulla consecutionis lex , à particulari negatiua , eaque finita, ad vniuersalem negatiuam vtrinque infinitam. Rursus, nec ista conuersio mixta reperitur in particulari affirmatiua, magis, quam contraposita: ab hac enim ad vniuersalem affirmatiuam , quî fieri potest conuersio vlla, aut argumentatio , siue termini eius , ad quam arguas fiant infiniti , siue , quod plus est , pristinam finitudinem suam retineant?

Quod si quis obiiciat , has duas conuersiones in 80
præsenti superadditas reuocari posse ad conuersionem contrapositam , si eius significatio paulò latius extendatur , & comprehendat omnem , in qua datur aliqua infinitas , siue ea duos terminos , siue vnum duntaxat afficiat, & siue quantitas, vel qualitas in ea varietur, siue vtraque maneat inuariata, ac proinde ambas superfluere : responderi facile potest , etiam conuersionem contrapositam , propter inuariatam in ea quantitatem, & qualitatem propositionis,


sitionis,cum conuertit, reduci posse ad simplicem paulò fusius viurpatam: & tamen ea communiter, & merito distingui solet, ac velut non superflua admitti: ergo similiter in præsenti,&c. Rursus conuersio per accidens propositionis vniuersalis negatiuæ reduci potest ad eiusdem conuersionem simplicem, & ex ea necessariò sequitur: nam esse non potest, vt hæc propositio exempli g. nullus homo est equus, inferat simpliciter hanc, ergo nullus equus est homo, quin etiam per accidens deducat istam,quæ est prioris conuertentis subalterna, ergo aliquis equus non est homo: quis tamen ob id ausit, conuersionem simplicem, & per accidens confundere,aut alteram, supposita altera,velut superuacaneam damnare. Par autem ratio est in præsenti. Atque ad has duas conuersiones mixtas præter alias fortasse respexit Auersa tract. 3.instit.cap.6. ad eius finem inquiens, tribus conuersionum generibus communiter circumferri solitis adiici posse alia non pauca.

CAPVT X.

Oppositio, æquipollentia, & conuersio propositionum singularium.

81 HActenus actum est,vt plurimum,de oppositione, æquipollentia, & conuersione propositionum vniuersalium absolutarum, atque simplicium, à quibus non potuimus abstinere sine claritatis dispendio, quamuis propositum nobis fuerit doctrinam generalem tradere:reliquum est,vt propositionibus singularibus,hypotheticis,& complexis eandem applicemus doctrinam. Ordior autem à singularibus,quas authores plerique, aut parcè delibant, aut omninò prætermittunt, fortassis, quia in scientiis haud sunt adeo frequentes, ac sic statuo: hæc propositio ex. g. Petrus currit, & hæc,Petrus non currit,contradicunt, siquidem, nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt. Deinde hæ, Petrus currit, Petrus non potest currere, contrariantur, eo, quod simul veræ esse nequeant; quo enim pacto currat, qui non potest currere, cum tamen simul falsæ esse queant,videlicet,si Petrus ad currendum expeditus non currat,& magis nolit, quam nequeat currere: tum etiam, quia secunda plus negat, quam ad primam falsificandam oportet. Rursus hæ, Petrus non currit,Petrus potest currere subcontrariæ sunt: possunt enim esse simul veræ, non tamen simul falsæ, quando ad falsitatem primæ opus est,vt Petrus currat,eo autem ipso,quod Petrus currat,nequit falsum esse, eum posse currere, quod affirmatur per secundam; siquidem ab actu ad potentiam valet consequentia. Atque ex hoc principio, quo nullum inter dialecticos notius,colligitur demũ has esse subalternas,Petrus currit, Petrus potest currere, prior enim continet posteriorẽ,eãque infert,& non è conuerso: item haud minus perspicuum est, has esse subalternas, Petrus non potest currere, Petrus non currit: prima namque continet secundam, eamque efficit, & non è contrariò:cuius ratio est, quoniam vti ab actu ad potentiam affirmatiuè est euidens consequentia,licet non retrorsum,ita etiam à potentia ad actum negatiuè, siue, quod perinde est, à carentia potentiæ ad carentiam actus, quamuis non è conuerso, ea est haud minus euidens, atque manifesta.

Porrò hæc oppositio est merè virtualis, non formalis,si solam contradictionem excipias, eo, quod non affirmetur,& negetur vnum de alio formaliter, sed duntaxat vnum virtualiter,& æquiualenter:etenim in his,Petrus currit,Petrus non potest currere, aliud formaliter affirmatur,aliud negatur; siquidem cursus, & potentia ad cursum formaliter differant: cæterum virtualiter idem in eis affirmatur,& negatur,cum carentia potentiæ includat carẽtiam actus; quare secunda negans formaliter potentiam,virtualiter actum negat, & prima affirmans è diuerso actum formaliter,& potentiam virtualiter affirmat. Atque eadem est ratio de subalternis, & subcontrariis. Confirmatur; Hæ propositiones, Petrus amat virtutem, Petrus odit virtutem omnium consensu sunt oppositæ quodammodò,nec potest vna,& alia simul esse vera:atqui aliud, & aliud formaliter prædicant ambæ, solumque virtualiter negat vna eundem amorem, quem affirmat altera, & similiter idem odium, quod adstruit vna, tantum virtualiter, destruit, & inficiatur altera: hic ergo modus eiusdem negandi, & affirmandi non tollet oppositionèm contrariam,subcontrariam,&subalternam à nobis in præsenti traditas. De contradictione singularium non est ambiguum, quin sit etiam formalis, ac stricta, quandoquidem de Petro v. g. idem cursus affirmatur, & idemmet negatur. 82



83 Quod attinet ad æquipollentiam propositionum singularium, ex tribus regulis comprehensis sequenti versiculo. Præ contradic, Post contra, Præ, Postque subalter,prima in singularibus non tenet,si enim

enim huic Petrus currit negationem præponas in hunc modũ, non Petrus currit non æquiualebit ſuæ contradictoriæ, nimirũ iſti, Petrus non currit quoad veritatem, quoniam Ignato currente, haud erit verum, non Petrum currere, tametſi verum ſit, Petrum non currere. Cæterum ſecunda tenet, quia, ſi huic propoſitioni, Petrus non poteſt currere, negationem poſtponas in hunc modũ, Petrus nõ poteſt non currere, æquipollebit ſuę cõtrarię videlicet huic, Petrus currit, quoad veritatem: nequit enim non eſſe verum, Petrum currere, vbi verum ſit, eum non poſſe non currere, quamuis non è conuerſo. Tertia etiam quodam modo tenet in his ſubalternis, Petrus poteſt currere, Petrus currit; negatio enim præpoſita, & poſtpoſito priori hoc pacto, Petrus non poteſt non currere, facit, eam inferre poſteriorem, & cum eius veritate coniunctam eſſe, vt iam iam manet explicatum: tenet quoque in his ſubalternis, Petrus nequit currere, Petrus non currit: huius enim veritas, quæ non infert veritatem prioris neutiquam immutatæ, eam tamen infert, & cum ea eſt coniuncta, dummodo afficiatur particula negatiua antè, & retrò, talem in modum: Petrus non nequit non currere, ſiuè poteſt non currere: hæc namque ſequitur ex ea, Petrus non currit.

84 Denique quod ſpectat ad conuerſionem propoſitionum ſingularium: aut eiuſmodi ſunt, ſubiecto, & prædicato tenus; atque ita conuertuntur ſimpliciter per accidens, & per contrapoſitionem; ſimpliciter quidem, vt Petrus eſt hic homo: ergò hic homo eſt Petrus: hic homo non eſt hic lapis, ergo hic lapis non eſt hic homo: per accidens quidem, veluti Petrus eſt hic homo, ergo aliquis homo eſt Petrus, hic homo non eſt hic lapis, ergo aliquis lapis non eſt hic homo: per contrapoſitionem quidem, vt Petrus eſt hic homo, ergo non hic homo eſt non Petrus, aut iuxtà alios, ergo hic non homo eſt non Petrus; vel ſicut hic homo non eſt hic lapis; ergo non hic homo: aut propoſitiones ſingulares eiuſmodi ſunt duntaxat ſubiecto tenus, & communes quoad prædicatum; (hoc enim non obſtare, quo minus abſolutè, & ſimpliciter dicantur ſingulares, ſuperius eſt oſtenſum tract. 3. cap. 2. quando de quantitate propoſitionis erat ſermo, ac de eius origine magis à ſubiecto, quam à prædicato) atque ita etiam eodem triplici conuertuntur modo: valet enim Petrus currit: ergo hoc currens eſt Petrus: & Petrus non currit: ergo hoc currens non eſt Petrus: item valet per accidens, & mutata quantitate ſingulari in particularem, manente tamen eadem qualitate, Petrus currit: ergo aliquod currens eſt Petrus, & Petrus non currit: ergo aliquod non currens eſt Petrus; cæterum ſi mutatio fiat quantitatis ſingularis in vniuerſalem, huiuſmodi propoſitiones poterunt conuerti per accidens, quoties fuerint negatiuæ, ſecus vero quoties affirmatiuæ: ſequitur enim, Petrus non currit, ergo nullum currens eſt Petrus: neutiquam tamen ſequitur, Petrus currit: ergo omne currens eſt Petrus: ac denique per contrapoſitionem, vt Petrus eſt currens, ergò omne non currens eſt non Petrus, ſeu Petrus non eſt lapis, ergo aliquod non lapis non eſt non Petrus, aut quod æquialet, eſt Petrus. Aut tertiò propoſitiones aliquæ ſunt de ſubiecto communi, & prædicato ſingulari, quod ad abſolutam ſingularitatem totius propoſitionis haud ſufficere, viſum eſt loco nuper memorato; atque eiuſmodi propoſitiones conuertuntur ſimpliciter, vt omnis regnans nunc in Hiſpania eſt Philippus, ergo Philippus eſt omnis regnans nunc in Hiſpania, & vt, nullus lapis eſt hic homo, ergo hic homo non eſt vllus lapis: nec non per accidens, vt omnis regnans nunc in Hiſpania eſt hic homo, ergo aliquis homo eſt omnis regnans nunc in Hiſpania, & vt nullus lapis eſt hic homo, ergo aliquis homo non eſt vllus lapis: ac tandem per contrapoſitionem, vt omnis regnans nunc in Hiſpania eſt Philippus, ergo non Philippus eſt non regnans nunc in Hiſpania.


Quod, ſi ſermo ſit de propoſitionibus, in quibus 85
ſingularitas eſt mixta particularitati; aut ſubiectum eſt ſingulare, & prædicatum particulare; & ſic conuertũtur ſimpliciter propoſitiones, tum affirmatiuæ, tum negatiuæ; vt hic homo eſt aliquod animal, ergo aliquod animal eſt hic homo, & vt hic homo non eſt aliquis lapis, ſiue eſt nullus lapis (nam non quidam perinde eſt, ac nullus) ergo aliquis lapis non eſt hic homo. Item per accidens, vt hic homo eſt aliquod animal, ergo hoc animal eſt hic homo, hoc, inquam, animal, ratione cuius verificatur de homine, quod ſit aliquod animal; & vt hic homo non eſt aliquis lapis, ſiue eſt nullus lapis: ergo hic lapis non eſt hic homo. Atque vltimò per contrapoſitionem, vt hic homo eſt aliquod animal, ergo aliquod non animal eſt non hic homo; aut hic homo non eſt aliquis lapis, ergo aliquis non lapis non eſt non hic homo. Aut è contrario ſubiectum harum propoſitionum, de quibus loquimur, eſt particulare, & prædicatum ſingulare; & ita conuertuntur ſimpliciter affirmatiuè: valet enim, aliquod animal eſt hic homo, ergo hic homo eſt aliquod animal, ſecus vero negatiuè; haud enim valet retrorſum, aliquod animal non eſt hic homo, ergo hic homo non eſt aliquod animal, ſiuè eſt nullum animal; nam quod hæc duo recidant in idem, patet, tum ex regula æquipollentiarum paulò ſuperius inſinuata, videlicet *non aliquis, nullus*, tum etiam, quia negatio particulam diſiunctiuam ſubſequentem, & ſi voce tenus permittat, at reipſa tollit, & non tam diſiungit, quam diſtribuit. Per accidens etiam conuerti poſſunt huiuſmodi propoſitiones, ſi affirment, ſecus verò, ſi negent: valet enim, aliquod animal eſt hic homo, ergo aliquis homo eſt aliquod animal; non aliquod animal non eſt hic homo, ergo aliquis homo non eſt aliquod animal. Cæterum in eis haud habet locum conuerſio contrapoſita: non enim ſequitur, aliquod animal eſt hic homo, ergo non hic homo eſt aliquod non animal, nam equus eſt non hic homo, & tamen non eſt aliquod non animal, ſed potius animal: nec etiam ſequitur, aliquod animal non eſt hic homo, ergo non hic homo non eſt aliquod non animal, nam lapis eſt non hic homo, quin tamen non ſit aliquod non animal; ſiquidem non eſſe aliquod non animal, eſt eſſe animal, quod longè abeſt à lapide.

CAPVT XI.

Oppoſitio, æquipollentia, & conuerſio hypotheticarum.

86 COnditionalis propoſitio, ſeu contingens, ſeu neceſſaria ſit, normam ſimplicium in opponendo ſequitur, vt ſequens typus declarat.

Dices



Dices primò, hæc propositio, si omnis homo vocetur, omnis conuertetur, habet pro contradictoria hanc, non, si omnis homo vocetur omnis, conuertetur: ergò non illam, quæ à nobis est assignata. Respondeo, habet pro contradictoria vtramque, si vtraque, & non potius eadem est, sicut etiam hæc absoluta, omnis homo conuertetur habet duas contradictorias, tametsi æquipolleant, formaliter diuersas, videlicet, quidam homo non conuertetur: proindè hæc instantia doctrinam nostram magis propugnat, quam impugnat. Et quidem propositiones hypotheticas vnica negatione eis secundum setotas præposita ita negari, vt vera resultet oppositio, est communis authorum sententia.

87 Dices secundò, hæ propositiones, si omnis homo vocetur, omnis conuertur, si omnis homo vocetur, aliquis non conuertetur, possunt ambæ esse falsæ: ergo non contradicunt inuicem: antecedens probatur, casu, quo Petrus vocatus non conuertatur: nam tunc affirmatiua falsa erit, vt constat; deinde negatiua etiam falsa erit, cum significet carentiam conuersionis pendere à vocatione, quod falsum est iuxta illud Oseæ cap. 13. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Respondeo primo, carentiam conuersionis liberam, & moralem, de qua sermo est, pendere à vocatione, qua non existente, carentia conuersionis necessaria, & minimè moralis, & humana futura esset. Deinde secundò, aliud est, carentiam conuersionis pendere à vocatione, aliud conuersionem non pendere à vocatione: à me enim conuersio Antichristi non pendebit, non tamen ob id carentia eius conuersionis à me pendebit, sed à solo eius libero arbitrio, quod est diuinæ gratiæ restiturum: illa autem conditionalis, si omnis homo vocetur, non conuertetur, significat hoc posterius, non illud prius.

88 Dices tertiò cum Conimbricensibus, propositionem conditionalem minimè sortiri vnam, ac determinatam quantitatem, & qualitatem, nec esse simplicem propositionem, sed potius multiplicem, & complexam, adeoque omnis veræ oppositionis incapacem. Sed in primis suprà tract 2. cap. 1. ostensum est, propositionem conditionalem non esse semper complexam, sed potius aliquando simplicem, propterea, quod non constet semper duplici copula enunciatiua, sed vna tantum, quæ enunciet, & altera mere apprehensiua: quando namque profertur hæc propositio, exempli gratia, si omnis homo vocetur, omnis conuertetur, haud enunciatur omnem hominem vocandum esse, sed solum, quod sub conditione vocationis, ac si esset, apprehensæ, sit conuertendus. Rursus, fac propositionem conditionalem genere suo complexam, & instar plurium esse, haud secus, atque propositio de subiecto plurali pluribus æquipollet: Non ob id certè propositio conditionalis erit oppositionis incapax, sicut neque propositio vnum de alio in numero plurali sumpto enuntians oppositionem respuit, vt supra visum hoc tract. 4. cap. 1. ante medium.

Dices quartò cum aliis, has propositiones, si omnis homo vocetur, omnis conuertetur, si omnis homo vocetur, nullus conuertetur, haudquaquam esse contrarias, vt à nobis est statutum: nam contrariæ tales esse debent, vtvna perfectè neget, quod affirmat altera: at præfatæ propositiones non sunt eiusmodi: posterior enim haud negat omninò, quòd affirmat prior, sed quadantenus idem affirmat, cum vtraq; sic incipiat, si omnis homo vocetur, quæ est affirmatio quædã vocationis. Quapropter hæ potius deberent assignari velut contrariæ, si omnis homo vocetur, omnis conuertetur, si nullus homo vocetur, nullus, ambæ namque sunt vniuersales, ambæ affirmant, & negant idem de eodem: qua de causa istæ, omnis homo currit, nullus homo currit, & quæuis aliæ similes sunt omnium confessione contrariæ. 89

Respondeo, alteram earum, quæ sunt à nobis assignatæ tanquam contrariæ perfectè negare, ac destruere, quod adstruit altera: nam quamuis conditione tenus sint similes, & vtraque sic incipiat, *si omnis homo vocetur*: caterum vi eius conditionis nihil omninò enunciatur, sed tantum vocatio apprehenditur, ac, si esset; an autem sit, vel non sit, relinquitur in medio: quocirca altera, & altera non affirmat idem, sed potius vna est affirmatio, & alia est eiusdem obiecti perfecta negatio. Quæ autem in argumento obtruduntur contrariæ, haud quaquam sunt admittendæ, tum, quia possunt ambæ esse veræ: nam, si statuat Deus pro eo, ac potest supernaturaliter omnes homines conuertere, & nullum inefficaciter vocare, tum erit verum, si omnis homo vocetur, omnem conuertendum, & quod sponte sua, ac per se patet, si nullus homo vocetur, neminem conuersum iri, vt in simili recte animaduertunt nostri Conimbricenses lib. 1. de interpret. cap. 7. de oppos. q. 1. art. 3. ad 4. tum etiam, quia ad oppositionem opus est, vt subiectum vtriusque oppositæ sit omnino idē quoad circunstantias cunctas, vt supra monitum est cap. 3. huius tractatus: sed propositiones illæ, si omnis homo vocetur, omnis conuertetur, si nullus homo vocetur, nullus conuertetur, haud constant 90

subiecto

subiecto eodem penes omnes circumstantias : nam circumstantia subiecti eius est conditio, at vtriusque propositionis conditio se tenens ex parte subiecti est longè diuersa, ergo & erit diuersa circumstantia aliqua subiecti in vtraque : quam ob causam hæ neutiquam opponuntur, Petrus, si existat Romæ, curret, Petrus, si existat Methimnæ, non curret. Quod autem dicitur, eas propositiones esse vniuersales ambas, & affirmare, ac negare idem, haud conuincit, eas esse contrarias. Primò, quia definitio contrarietatis statuens, eam esse, per quam vna propositio est affirmatio, & alia eiusdem negatio, & præterea vniuersalis vtraque, superius est à nobis confutata cap. 1. huius tractatus : deinde, quia falsum est, eas affirmare, & negare idem de eodem, vt constat ex nuper dictis.

91 Quod de conditionali diximus hactenus, idem de causali dictum puta. Quod autem attinet ad vtriusque hypotheticæ æquipollentiam, & conuersionem, sequuntur similiter ambæ legem absolutarum. Id tantum est animaduertendum, eas esse conuertendas, & ad æquipollentiam reducendas, inuariata conditione, & solo eo, quod enunciatur sub illa varietatem subeunte. v.g. si omnis homo vocetur, omnis conuertur, ita æquippollet suæ contrariæ, si omnis homo vocetur, omnis non conuertetur; hoc enim perinde est, ac, si omnis homo vocetur, nullum esse conuertendum : deinde prior illa propositio debet ita verti per accidens, si omnis homo vocetur, aliquis conuertendus est homo.

CAPVT XII.

Oppositio, æquipollentia, & conuersio complexarum.

92 OPpositionem propositionum eandem esse, atque simplicium, complures dialectici existimant : sicut enim, inquiunt simplex affirmatiua simplici negatiuæ, ita copulatiua affirmatiua copulatiuæ negatiuæ, & disiunctiuæ videntur opponi. Cæterum aliter se res habet; nam, vt ab oppositione contradictoria exordiar, si quæ copulatiuæ contradictoriæ essent, maximè hæ, Petrus currit, & Paulus currit, Petrus non currit, & Paulus non currit; at hæ non contradicunt, cum possint ambæ esse falsæ, Petro currente, & Paulo non currente, aut è contrario : ea namque est conditio propositionis copulatiuæ vt ad eius veritatem requiratur existentia vtriusque obiecti sui, & alterutrius solius defectus eam omninò falsificet : quapropter prior erit falsa ob vnius Pauli non cursum, & posterior haud minus falsa ob vnius Petri cursum.

93 Dices, has copulatiuas esse contradictorias, Petrus currit, & Paulus currit, non Petrus currit, & Paulus currit. Contrà primò, quoniam in postrema propositione, particula *non* infinitat, & neutiquam negat, sicut ad oppositionem contradictoriam oportet. Quod autem obiici consueuit, nulla est melior contradictio, quem negatio toti propositioni præposita, vt est in veteri paræmia, hoc verum est de negatione negante, non vero infinitante. Contrà secundò ex eodem capite, quoniam ambæ propositiones illæ possunt esse simul falsæ, videlicet, si, nec Petrus, nec Paulus, nec vllus alius currat : prior quidem propterea, quod vtriusque saltem cursum affirmet : posterior etiam ob id, quod non Petrum, siue alium præter Petrum currere affirmet, cum tamen nullus currat.

Rursus, si quæ disiunctiuæ contradictoriæ essent, maximè hæ, Petrus currit, vel Paulus currit; Petrus non currit, vel Paulus non currit, atqui hæ contradictoriæ esse non possunt, cum ambæ veræ esse queant, si Petrus currat, & Paulus non currat. Quod si has disiunctiuas, Petrus currit, vel Paulus currit; non Petrus currit, vel Paulus currit, contradictorias esse malis, difficultatem haud effugies : nam eadem ratione, qua copulatiuæ contradictoriæ nuper positæ, poterunt impugnari.


Quare ex mixtione copulatiuarum, & disiunctiuarum oppositio contradictoria resultat : nam hæc copulatiua, Petrus currit, & Paulus currit, huic disiunctiuæ Petrus non currit, vel Paulus non currit, contradictoriè opponitur. Quod suadeo primò, quia simul veræ, aut simul falsæ esse nequeunt, vt expendenti constabit; nobis enim in præsens non vacat : Secundò, si Petrus, & Paulus soli essent possibiles, hæc copulatiua, Petrus currit, & Paulus currit, æquialeret huic, omnis homo currit, & hæc disiunctiua, Petrus non currit, vel Paulus non currit, recideret in hanc, aliquis homo non currit : sed hæ posteriores contradicunt omnium consensu : ergo, & illæ priores contradicent in eo euentu, ac proinde etiam in hoc, quando sunt in vtroque eædem : par autem est ratio cuiusuis alterius copulatiuæ, & disiunctiuæ, cæteris paribus. Item hæc disiunctiua, Petrus currit, vel Paulus currit, habet pro contradictoria hanc copulatiuam, Petrus non currit, & Paulus non currit, vt facilè est iisdem rationibus suaderi. 94

Dices, ambas propositiones coniunctas à nobis assignatas posteriori loco, videlicet has, Petrus currit, vel Paulus currit, Petrus non currit, & Paulus non currit esse affirmatiuas, quod contradictoriis obstat : primam quidem, propterea, quod cursum Petri, & Pauli disiunctiuè adstruat, vt exploratum : secundam verò, quoniam particula, *&* affirmat; cum enim positiuè ambas propositiones simplices coniungat, complexa propositio ex eis resultans affirmatiua erit, sicut quæuis simplex propositio tum est affirmatiua, quando eius extrema coniunguntur, non separantur. Cæterum hæc solutio facili potest negotio confutari : nam inprimis pari iure propositio disiunctiua erit negatiua, cum particula, *vel*, ambas simplices disiungat, & separet : vnde traditæ à nobis oppositioni non opponitur, quod copulatiua sit affirmatiua, cum disiunctiua aduersa negatiua sit. Deinde particula, *&*, non facit, vt vna propositio de alio affirmetur, vt certo certius, nec vt prædicatum vtriusque de alterutrius subiecto affirmetur, quando earum subiectum, & prædicatum non est immediatè interposita eiusmodi particula : nullo igitur modo propositionem affirmatiuam reddit. Vlterius si coniunctio facta per particulam, *&*, ad affirmationem sufficiat, hæc apprehensio, Petrus, & Paulus : erit affirmatio, quo nihil dici potest inverisimilius. Præterea à priori; aliud est particulam, *&* esse copulatiuam, & eam denominationem propositioni complexæ tribuere, & aliud esse affirmatiuam, atque eam denominationem conferre. Dices secundò, propositiones illas è contrario esse negatiuas ambas, adeóque ad contradicendum inuicem ineptas; priorem quidem, eo, quod sit disiunctiua, negare namque est disiungere vnum ab alio, posteriorem quidem, eo, quod, tum Petrum, tum etiã Paulum non currere adstruat. Sed hæc solutio eadem difficultates patitur, quas præcedens : etenim vbi altera propositio earum, quæ sunt in controuersia, sit negatiua solius disiunctionis merito, non est, cur al- 95

tera Petrum non currere,& Paulum non currere adstruens non sit affirmatiua , propterea, quod sit copulatiua. Rursus non omnem propositionem disiunctiuam eo ipso negatiuam esse,probari potest iisdem argumentis . quibus paulò suprà probatum manet, non omnem copulatiuam hoc ipso esse affirmatiuam Quocirca magnopere displicet Auersa quæst. 26. logic. sect. 5. §. *dicendum tamen est*,docens,propositionẽ coniunctam non esse affirmatiuam, aut negatiuam, eo quod partes, quibus coalescit, propositiones nimirum simplices, sint per se affirmatiuæ , aut negatiuæ, sed eo solum , quod copula eas nectens sit copulatiua , vel disiunctiua , & per , *&* , aut , *vel*, expressa.

97 Quod ad propositionem contrariam attinet , hæ propositiones Petrus currit,& Paulus currit, Petrus non currit,& Paulus non currit contrariantur:at, si legem simplicium retinerent,contradictoriæ essent, cum hac oppositione gaudeant simplices, ex quibus coalescunt,simplicium,ergò & compostarum diuersæ sunt leges. Maior probatur : tum, quia ambæ nequeunt esse simul veræ , bene tamen simul falsæ, vt intuenti constabit:tum,quia, si solus Petrus, & Paulus essent possibiles, hæ propositiones,Petrus currit, & Paulus currit, Petrus non currit, & Paulus non currit,æquipollerent his,omnis homo currit, nullus homo currit : quare contrariæ essent , & modo sunt : ex quo quasuis similes contrarias esse, colligi potest.

Quod ad oppositionem subcontrariam spectat, 98
hæ propositiones , Petrus currit , vel Paulus currit, Petrus non currit, vel Paulus non currit, subcontrariæ sunt:at contradictoriæ essent, si simplicium normam sequerentur, ergo : maior iisdem rationibus probari potest , quibus oppositio contradictoria, & contraria superius sunt probatæ. Tandem hæ , Petrus currit, & Paulus currit,Petrus currit,vel Paulus currit;& etiam hæ,Petrus non currit, & Paulus non currit, Petrus non currit, vel Paulus non currit,subalternæ sunt , vt colligi facilè potest ex dictis deberent autem contradicere inuicem , si simplices æmularentur.



Quod,si de complexis disparatis sermo sit,eas omnino legem simplicium retinere, non abnuerim: hæ namque,Petrus currit,Paulus currit,Petrus non currit , Paulus non currit , contradicunt inuicem, haud secus,ac simplices,ex quibus constantur.

TRACTATVS V.

De propositione modali , & exponibili.

CAPVT I.

Quatuor propositionum modalium species declarantur.

1 PRo quo præmitto primò , propositionem modalem eam esse , cuius copula aliquo modo dialectico afficitur ; vt Petrus possibiliter disputat, aut Petrum disputare , possibile est : propositionem vero de inesse , eam esse, cuius copula ab omni modo dialectico absoluitur, vt Petrus disputat. Præmitto secundò , modum propositionis dialecticum quadruplicem esse , pro quadruplici materia , videlicet possibili, contingenti, impossibili , & necesse, quam alij triplicem volunt, eo , quod possibile , & contingens coincidere videantur ; verum possibile non repugnantiam essendi , contingens etiam non repugnantiam non essendi significat. Præmitto tertiò , modalem , aliam esse compositam, cum dictum subiicitur, & modus prædicatur ; quare ex dicto, & modo velut partibus principalibus ex æquo componitur ; vt Petrum currere , est possibile : aliam diuisam, cum modus copulam afficit , quin subiiciatur, aut prædicetur vt quod : quare ex dicto , & modo æquè principaliter composita non est , ac proinde diuisa, vt Petrus possibiliter disputat : vel aliter;modus nominaliter sumptus modalem compositam,aduerbialiter sumptus eam diuisam efficit.

Præmitto quartò, præter quatuor modos commemoratos, alios duos à Petro Hisp. inuentos, videlicet verum & falsum , iure merito hic omitti , eo , 2
quod propositones , quas modificant suis de *inesse* quoad oppositionem , æquipollentiam , & reliqua æquiualeant : idem enim omnino est, *Petrum currere est verum*, ac *Petrus currit* : qua ratione modales diuisiuæ,seu aduerbiales , vt omnis homo possibiliter currit, omittuntur,eo, quod, spectata quantitate subiecti , suis de inesse per omnia æquipollent; spectata vero quantitate modi , à modalibus compositis,seu nominalibus non differant : ob id ipsum aliæ modales non dialecticæ aliis aduerbiis, & particulis commixtæ omitti solent. Præmitto quintò , quantitatem

titatem, & qualitatem propoſitionis modalis ſumendam eſſe à quantitate, & qualitate ſolius modi, impoſſibile autem, & neceſſarium modi vniuerſales les, poſſibile, & contingens modi particulares ſunt, videlicet, quia neceſſe, & impoſſibile ſimpliciter ſumpta per omnes temporis differentias vniuerſaliter vagantur: ſi enim Petrus ſimpliciter neceſſariò currat, nunquam à curſu ceſſare poterit, &, ſi impoſſibile eſt eum currere, in nulla temporis differentia currere poterit, quod autem poſſibile, & contingens eſt, non eo ipſo ſemper poſſibile, & contingens erit. Rurſus neceſſe, & poſſibile ſunt modi affirmatiui, impoſſibile, & contingens modi negatiui, vt conſtat: quare hæc propoſitio, neceſſarium eſt Petrum non eſſe lapidem, eſt vniuerſalis, & affirmatiua, quamuis dictum ſit ſingulare, & negatiuum; videlicet, quia modus eſt vniuerſalis, & affirmatiuus. Vt autem modus quantitatem, & qualitatem propoſitioni tribuat, ſatis eſt, vt virtualiter, & æquiualenter eam afficiat, eſto non formaliter: vnde omnes propoſitiones æquiualentes ſuperiori vniuerſales affirmatiuæ cenſentur.

3 Præmitto ſextò, aliud eſſe propoſitionem modalem eſſe quadruplicem, pro quadruplici materia, aliud eam eſſe in quadruplici materia; nam hoc ſecundum eſt falſum, cum omnes ſint in materia remota, aut neceſſaria; ſecus vero illud prius. Quod ita ſuadeo: quoniam ſi quæ eſſet in materia contingenti, præcipuè hæc, Petrum currere, eſt contingens; at hæc eſt in materia neceſſaria. Præmitto vltimò, omnem modalem, ſeu compoſitam, ſeu diuiſam reſolui poſſe ratione ſubiecti, ſi id plura complectatur, in hunc modum: hominem currere eſt poſſibile: ergo Petrum, & Paulum, & cæteros currere, eſt poſſibile: nec non reſolui etiam poſſe ratione ſuæ de ineſſe, hoc pacto, hominem eſſe animal, eſt neceſſarium: ergo hæc propoſitio eſt neceſſaria, homo eſt animal, vbi modalis propoſitio reducitur ad ſuam de ineſſe, atque in eam reſoluitur quodammodò. Prior reductio, & reſolutio communis eſt noſtris modalibus, cum quibuſvis aliis extra noſtrum inſtitutum: quoad poſteriorem vero, maxima eſt vtrinque diuerſitas: nam hæc modalis album fuit nigrum, eſt vera, vbi Petrus v.g. in inſtanti A, ſit niger, & in ſequentibus albeſcat: & tamen ad ſuam de ineſſe reduci nequit. Hæc enim propoſitio, album eſt nigrum, nunquam fuit vera. Idem cernere eſt in hac propoſitione, *tempus totum fuit*, & aliis ſimilibus, quas Sotus fusè cõmemorat.

Quatuor ergo ſunt ſpecies propoſitionum modalium: Prima affirmat dictum, & modum: ſecunda negat dictum, & modum: tertia modum negat, & dictum affirmat: quarta modum affirmat, & dictum negat: quæuis earum æquipollet aliis tribus: ſingulæ autem quatuor æquipollentes, ſingulis dictionibus clauduntur: Dictiones ſunt hæ: *Amabimus*, *Edentuli*, *Iliace*, *Purpurea*. Prima littera in quauis dictione denotat modum poſſibilem; ſecunda contingentem; tertia impoſſibilem, quarta neceſſarium. Deinde 4

E dictum negat, Iqne modum, nihil A, ſed V totum.

Vnde in dictione Amabimus, primum A dictum affirmat, & modum, ac de ſolo modo poſſibile procedit, vt Petrum currere, eſt poſſibile: ſecundum A dictum, & modum pariter affirmat, & modum contingentem comprehendit, vt Petrum currere, eſt contingens: I. penultimum, affirmat dictum, & negat modum, atque complectitur modum impoſſibilem, vt Petrum currere non eſt impoſſibile: poſtremum V dictum, & modum negat, modúmque neceſſe ſibi vendicat, vt Petrum non currere non eſt neceſſe. Eadem ratione poſſunt reliquæ tres dictiones explicari.

CAPVT II.

Æquipollentia, oppoſitio, & conuerſio propoſitionum modalium.

QVo æquipollentiam propoſitionum eiuſdem figuræ, ſeu dictionis, & earum oppoſitionem cum propoſitionibus alterius cuiuſque dictionis, ſeu figuræ comprehendas, ſequentem typum præ oculis habeto. 5

4. *Figura.*

Put-*Petrũ nõ currere nõ eſt poſſibile.*
pu-*Petrũ nõ currere nõ eſt cõtingens.*
re- *Petrum nõ currere eſt impoſſibile.*
a. *Petrum currere eſt neceſſe.*

Contrariæ.

I- *Petrum currere non eſt poſſibile.*
li- *Petrum currere, nõ eſt contingẽs.*
a- *Petrum currere eſt impoſſibile.*
ce. *Petrum non currere eſt neceſſe.*

3. *Figura.*

Subalternæ.

Contradictoriæ.

Contradictoriæ.

Subalternæ.

A- *Petrum currere, eſt poſſibile.*
ma- *Petrum currere, eſt contingens.*
bi- *Petrũ currere, non eſt impoſſibile.*
mus. *Petrũ non currere, nõ eſt neceſſe.*

Subcontrariæ.

E- *Petrum non currere eſt poſſibile.*
den- *Petrũ non currere eſt contingens.*
tu- *Petrũ nõ currere nõ eſt impoſſibile.*
li. *Petrum currere non eſt neceſſe.*

1. *Figura.*

2. *Figura.*

Æquipollentia primæ figuræ perſpicua eſt, ſi enim curſus Petri eſt poſſibilis, cum poſſibile, non omnem, ſed aliquam differentiam temporis, in quo res poſſit eſſe, amplectatur, vt ſupra monuimus; ergo in aliqua poteſt non eſſe, ergo eſt contingens: rurſus, ſi eſt conringens, & poſſibilis;ergo non eſt impoſſibilis: demum, ſi non eſt impoſſibilis curſus ſed contingens, & poſſibilis; ergo eius carentia poteſt non eſſe, eo nimirum exiſtente; ergo non eſt neceſſaria. En quatenus æquipollent Petrum currere eſſe poſſibile, eſſe contingens, non eſſe impoſſibile, & eum non currere, non eſſe neceſſarium: hæc autem quatuor ea dictione, Amabimus, eiuſque quatuor propoſitionibus continentur; omnes ergo quatuor æquipollent. Cæterarum dictionum, ſeu figurarum eadem eſt ratio, vt intuenti conſtabit. Scitè D. Anſelmus lib. 2. cur Deus homo cap. 17. *quidquid namque cogitur eſſe, prohibetur non eſſe,& quod cogitur non eſſe, prohibetur eſſe: quemadmodum quod neceſſe eſt eſſe,impoſſibile eſt non eſſe,& quod neceſſe eſt non eſſe,impoſſibile eſt eſſe,& conuerſim*: vbi ad æquipollentiam propoſitionum modalium magna ex parte videtur alludere.

6 Oppoſitio etiam modalium eſt in propatulo:nam Iliace, & Purpurea, contrariè opponuntur, quod ita ſuadeo: hæ propoſitiones,Petrum currere, eſt neceſſe,& Petrum non currere, eſt neceſſe, quarum altera eſt in Iliace, altera in Purpurea, contrariæ ſunt; ſiquidem in falſitate non opponuntur, ſecus vero in veritate, vt apertiſſimum eſt:at iis reliquæ æquipollent: igitur omnes hinc inde ſuo ordine opponuntur, prima primæ, ſecunda ſecundæ, & ſic de reliquis. Confirmatur, quia altera eſt vniuerſalis affirmatiua, altera vniuerſalis negatiua, & modum vniuerſalem, ſaltem æquiualenter includit.

7 Rurſus Amabimus,& Edentuli ſubcontrariè opponuntur. Nam hæ, Petrum currere, eſt poſſibile, Petrum non currere, eſt poſſibile,poſſunt ambæ eſſe veræ,ſecus vero ſimul falſæ; quod ambæ poſſint eſſe ſimul veræ,liquet,cum Petrus poſſit currere, & non currerere, quod autem ſimul falſæ eſſe nequeant,non minus perſpicuum eſt: Nam, vt ſecunda falſa ſit, opus eſt, vt Petrum non currere ſit impoſſibile, ac proinde vt eum currere ſit neceſſe; eo autem ipſo, quod eum currere ſit neceſſe, eum currere debet eſſe poſſibile, cum neceſſitas poſſibilitatem includat: vndè prima propoſitio affirmans eum currere eſſe poſſibile,nequit eſſe falſa,ſuppoſita falſitate ſecundæ, quæ eum non currere eſſe poſſibile enunciat. Tum ſic, eæ propoſitiones ſunt in Amabimus, & Edentuli:igitur omnes propoſitiones his figuris incluſæ opponuntur ſubcontrariè, cum omnes æquipolleant duabus, quas ſubcontrarias probauimus. Deinde Iliace,& Purpurea,cum ſint modi vniuerſales, ſubalternant alios duos modos, qui ſunt particulares,eorumque veritatem,& falſitatem continent, vt expendenti liquebit. En oppoſitionem ſubalternam.

8 Demum Iliace,& Amabimus ex vna parte opponuntur inuicem contradictoriè, & Purpurea, atque Edentuli ex alia:tum,quia bini ſunt modi vniuerſales affirmatiui, & bini particulares negatiui, vt ex ſupra dictis dilucidum eſt: ergò contradicunt, ſicut hæ de ineſſe,omnis homo currit, aliquis homo non currit: Tum, quia,hæ Petrum currere, eſt poſſibile, Petrum currere, non eſt poſſibile,altera in Amabimus,altera in Iliace,contradictoriæ ſunt,&,quia in veritate, & falſitate opponuntur, & quia æquiualent his, Petrus poteſt currere,Petrus non poteſt currere,quas contradictorias eſſe,quis ambigat? at his duabus duæ illæ figuræ æquipollent; igitur Amabimus,& Iliace contradicunt; eadem eſt ratio de aliis duabus figuris.

Quod ad conuerſionem modalium ſpectat,ex parte dicti, non modi conuertuntur hac ratione; Petrum currere, eſt poſſibile; ergo aliquod currens eſſe Petrum,eſt poſſibile: quare in earum conuerſione regulæ conuerſionis abſolutarum locum habent. Qui autem conuerſionem modalium velit diſtinctius, & magis in particulari explicatam, is adeat noſtros Conimbricenſes tom. 2. log. lib. 1. de prior. reſolut. cap. 3. per totum. 9

Vt autem totam doctrinam huius capitis & præcedentis in compendium redigam, atque quantitatem,qualitatem,æquipollentiam, oppoſitionem,& conuerſionem modalium ſub vno mentis aſpectu proponam; en earum inprimis quantitatem, & qualitatem ſequentibus verſiculis cluſam: 10

Omne neceſſe valet, valet impoſſibile nullus,
Contingens quidam haud,nec non poſſibile quidam.

Videlicet,ſicut,*omne*, eſt particula vniuerſalis affirmatiua, ita, *neceſſe* modus vniuerſalis affirmatiuus: & quemadmodum, *nullus*,eſt ſyncathegorema vniuerſale negatiuum, ita, *impoſſibile*, eſt modus vniuerſaliter negans, ac neganter vniuerſalis; & qua ratione hæ voculæ,*quidam haud*,& *quidam*,ita ſunt inſtitutæ,vt altera ſit particularis negatiua, & altera particularis affirmatiua,ita ſimiliter, *contingens*, ad inſtar prioris particulariter negat, & *poſſibile* ad inſtar poſterioris particulariter affirmat. Æquipollentia autem modalium quatuor illis figuris, Purpurea, Iliace, Amabimus, Edentuli, clauditur, ſicut eſt ſuperius explicatum.

Oppoſitio modalium ſequentibus verſiculis continetur, quos antiqui dialectici ad memoriæ fulcrum compoſuere, quare licet ornatum in eis deſideres, non tamen vtilitatem qualem qualem. 11

Tertius eſt quarto ſemper contrarius ordo.
Sit tibi linea ſubcontraria prima ſecunda.
Tertius eſt primo contradictorius ordo.
Pugnat cum quarto,contradicendo ſecundus.
Prima ſubeſt quartæ, vice particularis habens ſe.
Hæc habet ad ſeriem,ſe lege ſecunda ſequentem.

Tandem conuerſio modalium iiſdem, quibus abſolutarum conuerſio regulis eſt metienda.

CAPVT III.

Nonnullæ obiectiones contra doctrinam traditam ſoluuntur.

REcentiores aliqui in communem doctrinam modalium à nobis traditam multis inſurgunt argumentis: ac primò contrà earum quantitatem argumentantur ita: omnis propoſitio modalis eſt in materia remota,aut neceſſaria: at quæuis propoſitio in his materiis amplectitur omnes temporis differentias,cum ſit ſempiternæ veritatis, aut falſitatis; igitur omnis propoſitio modalis complectitur omnes temporis differentias; ac proinde omnis eſt vniuerſalis, & nulla particularis aut certè maior, aut minor extenſio ad tempus, ad quantitatem modalium impertinens eſt,contrà,quam ſupra docuimus. Confirmatur, & declaratur:propoſitiones modales,quales quales ſint, non exiſtentiam rei, ſed modum ei eſſentialem affirmant;at quod rei eſſentiale eſt, pro omni temporis differentia ei conuenit; igitur propoſitio modalis omnem temporis differentiam amplectitur 12

plectitur. Secundò, Petrum currere est contingens, Petrum currere non est contingens contradicunt, & altera propositio alteram falsificat; at nulla propositio particularis alteram particularem falsificat; igitur ambæ particulares non sunt, cum tamen ambæ per modum contingens procedant, ac per consequens hic modus particularis non est, vti semel, & iterum edocuimus: minor probatur in his propositionibus, aliquis homo currit, aliquis homo non currit, & reliquis similibus, quarum altera alteram non falsificat, cum ambæ sint particulares. Tertiò possibile, & contingens præcisè sumpta non magis hanc, quam illam temporis differentiam respiciunt vt compertum est; igitur per omnes vagantur, haud secus, ac necesse, & impossibile.

13 Ad primam rationem oppositam, & eius confirmationem respondeo, aliud est propositionem modalem respicere omnes temporis differentias: aliud modum à propositione seorsim sumptum eas respicere: illud prius tantum aduersarij conuincunt, & ad vniuersalitatem propositionis modalis non sufficit: aliàs etiam hæc, *de inesse*, Petrus est animal, esset vniuersalis, cum sit materia necessaria, ac proinde omnes temporis differentias amplectatur. Hoc posterius ad vniuersalitatem modi, ac proinde modalis satis est, vt constat, nec eius contrarium aduersarij conuincunt. Confirmatur, quantitas propositionis absolutæ à tota propositione non sumitur, aliàs hæc propositio, Petrus est homo non magis singularis, quam vniuersalis esset, cum de subiecto singulari prædicatum vniuersale affirmet, imo magis vniuersalis esset, cum omnes temporis differentias adequatè sumpta amplectatur: igitur similiter quantitas propositionis modalis non à tota ea sumitur, vt aduersarij nituntur, vndè propositio modalis & de inesse in eo differunt, quod hæc quantitatem à solo subiecto sumit, non vero à prædicato, modalis vero à solo prædicato, nimirum modo, non vero à subiecto, seu dicto; in eo verò conueniunt, quod neutra à tota propositione quantitatem sumat, quæ conuenientia ex illa differentia apertè sequitur.

14 Ad secundum tripliciter respondeo: primo, vt propositio aliqua sit vniuersalis, sufficit, vt modum vniuersalem æquiualenter includat: at illa propositio, Petrum currere non est contingens, modum vniuersalem æquialenter inuoluit, cum æquiualeat huic, Petrum currere, non est possibile, vt ex figura, Iliace, constat: igitur est vniuersalis. Deinde esto ambæ modales particulares essent, adhuc contradicere possent, quamuis in absolutis aliter vsueniat: quod à pari ita suadeo, duæ propositiones simplices singulares formaliter contrariæ esse nequeunt, & tamen duæ propositiones complexæ singulares formaliter contrariæ esse possunt, vt suprà probauimus: igitur similiter quamuis duæ propositiones absolutæ particulares contradicere nequeant, tamen duæ propositiones modales particulares contradicere poterũt. Demũ propositiones allatæ per modũ, *contingens*, ambę procedũt; sed aliter, & aliter: nam in prima nulla ei negatio proponitur, in secunda verò ei præponitur: vnde non mirum, quod, cum modus particularis sit, primam reddat particularem, secus vero secundam: qua ratione syncathegorema, *aliquis*, cum particulare sit, nulla negatione præposita propositionem absolutam particularem reddit, negatione vero præposita vniuersalem reddit, vt cernere est in his contrariis, aliquis homo currit, non aliquis homo (seu nullus homo) currit.

Ad quartum respondeo: possibile, & contingens 15
ob eam indifferentiam ad omnem differentiam temporis eam permissiuè respicit, quia non repugnat possibile esse, & contingens non esse in quauis temporis differentia: at impossibile, & necesse ad omnem temporis differentiam, non solam indifferentiam, sed determinationem habent, quia repugnat impossibile esse, & necesse non esse in quauis temporis differentia: vnde positiue omnem, & quamuis respiciunt, sicut ad vniuersalitatem modi requiritur: ratio verò facta, non positiuam, sed permissiuam amplitudinem probat.

Rursus contrà æquipollentiam modalium ita ar- 16
guunt: primo, plura sunt possibilia, & apta existere, quæ non sunt contingentia, & apta non existere, qualia sunt hominem esse animal rationale, Deum esse, & similia: igitur possibile, & contingens, seu, quod perinde est, propositiones eis affectæ non æquipollent, cuius contrarium suprà edocuimus: Secundò arguunt in modo contingenti & necessario: nam in dictione, Purpurea, prima, & vltima propositio, videlicet Petrum non esse equum non est contingens, Petrum esse equum est necesse, non æquipollent, cum altera sit vera, & altera sit manifeste falsa; posterior namque adstruit, Petrum esse necessariò equum, quo nihil magis falsum: prior vero, Petrum non esse contingenter non equum, hoc autem est verum, vt quod maxime; Petrus enim non contingenter, sed potius necessariò est non equus.

Resp. ad hæc in generali: sicut ad oppositionẽ con- 17
trariam satis est repugnãtia in sola veritate rationis formæ, nõ ratione materiæ, qua ratione hæ propositiones, omnis homo est animal, nullus homo est animal sũt cõtrariæ: quia, licet simul falsæ esse nequeãt, id ratione materiæ necessariæ prouenit, siquidem in aliqua materia, nimirum contingenti sub eadem forma possunt simul falsificari; ita similiter ad veram æquipollentiam sufficit, quod ratione formæ simul veræ, aut simul falsæ esse debeant, & quod in aliqua materia, nimirum contigenti, in veritate, aut falsitate necessario conformes sint, esto in materia remota, aut impossibili, seu etiam necessaria alia vera, alia falsa esse possit, sicut rationes adductæ probant.

Ad primum ergo sigillatim respondeo, distincto 18
consequenti; non æquipollent in omni materia, concedo consequentiam; in aliqua materia, videlicet contigenti, nego consequentiam: & hoc ad veram, & simpliciter sumptam æquipollentiam sufficere, ex dictis constat. Ad secundum quamuis propositionum in Purpurea altera vera, altera falsa necessariò sit, id à materia, non à forma propositionum prouenit, cum in materia contingenti simul falsæ, aut veræ sub eadem forma sint, quod ad æquipollentiam sufficit: nota, in propositione modali me loqui de materia contingenti solius dicti, non totius propositionis.

Aliter fortasse respondebit non nemo vtrique ar- 19
gumento; contingens videlicet iuxtà Aristotelem lib. 1. de priori resolut. cap. 3. & Collegium Conimbricense ibidem in textu littera D contingens tripliciter vsurpari: primò, vt perinde sit, ac necessarium; qua ratione dicitur contingere, vt Petrus, v.g. sit homo: secundò, vt sit idem, ac potens esse, & non esse, & ad vtrumlibet horum indifferens, iuxtà superius cap. 1. disputata: tertiò, quatenus est idem, ac possibile: prima, & postrema vsurpatio est admodum impropria, media vero propria: quibus positis vtrumque argumentum factum hoc tantum

concludere, contingens in ſecundo ſenſu ſumptum, nec paſſibili, nec neceſſario æquiualere, ſecus verò, ſi ſumatur in primo, & vltimo ſenſu. Verùm, cum de contingenti in ſecundo tantum ſenſu ſermo ſit in præſentiarum, quidquid de eo aliter vſurpato adducitur, non eſt ad rem, nec difficultatem alleuat. Confirmatur: contingens in primo ſenſu non æquialet modo neceſſario, ſed eſt cum eo formaliter idem: ſimili modo ſe habet reſpectu paſſibilis, ſi ſumatur in poſtremo ſenſu: at in ſecundo, & medio ſenſu neutri æquialet iuxta hanc ſolutionem, ea ergo æquipollentiam modalium haud defendit: quocirca ſtandum eſt ei, quæ à nobis eſt tradita.

20 Præterea contra modalium oppoſitionem ita opponunt primò: ad oppoſitionem contradictoriam, aut certè ſubalternam diuerſa quantitas requiritur, at omnes modales ſunt eiuſdē quantitatis. Secundò, omnes propoſitiones in Iliace ex vna parte, & Purpurea ex altera ſibi æquipollent, quod idem de aliis duobus modis dempta vtriuſque quarta dicendum eſt, vt intuenti conſtabit; ergo non opponuntur. Reſpondeo ad primum, diuerſam eſſe modalium quantitatem, vt ſuprà docuimus: deinde quamuis eadem eſſet, adhuc oppoſitionem contradictoriam, ſubalternam, & reliquas in eis locum habituras, ſicut in ſingularibus de ineſſe eas locum habere ſupra probauimus. Ad ſecundum, quarta propoſitio in Purpurea, & quarta in Iliace, videlicet, Petrum currere eſt neceſſe, Petrum non currere, eſt neceſſe, de quibus expreſſe loquuntur, manifeſtè contrariæ ſunt, non æquipollentes: nam ſimul veræ eſſe nequeunt; quo enim pacto ſimul curſus, & carentia curſus neceſſarij eſſe poſſunt? at ſimul falſæ ſunt, cum Petrus neque neceſſario currat, neque neceſſario nō currat: idem de reliquis apertè probari poteſt.

21 Tandem contra conuerſionem modalium arguunt primò: hæc propoſitio eſt vera; neceſſe eſt, omne grammaticum eſſe hominem: & tamen hæc falſa; ergo neceſſe eſt, aliquem hominem eſſe grammaticum: ſimiliter hæc eſt vera, neceſſe eſt, omne ridens eſſe hominem, & nihilominus hæc falſa, ergo neceſſe eſt, aliquē hominem ridere: item hæc propoſitio eſt vera; contingens eſt, aliquem hominē eſſe hominem albū, & tamen iſta falſa, ergo contingens eſt, aliquem hominē album eſſe hominem; præterea hæc eſt vera, poſſibile eſt, nullum equū requiri ad equitādum, & nihilominus hæc eſt falſa, ergo poſſibile eſt, nullū requiſitum ad equitandum eſſe equum: propoſitiones ergo modales non conuertūtur ex parte dicti iuxta regulas abſolutarum: nam propoſitiones abſolutæ, ſiue de ineſſe, ſi ſint vniuerſales affirmatiuæ, conuertuntur per accidens: ſi particulares affirmatiuæ; ſimpliciter, ſi vniuerſales negatiuæ; ſimpliciter itidem: his autem modis conuerti non poſſunt ex parte dicti propoſitiones modales, vt adducta ſuadent exmpla. Arguunt ſecundò in modis negatiuis hæc propoſitio eſt vera, non eſt neceſſe, omne animal eſſe equum, & tamen hæc falſa, ergo neceſſe non eſt, aliquem equum eſſe animal: rurſus hæc eſt vera, non eſt neceſſe, nullum equum eſſe animal, & nihilominus hæc falſa, ergo neceſſe non eſt, aliquod animal non eſſe equum: ex quibus etiam videtur manifeſtè ſequi, propoſitiones modales haud eſſe conuertendas dicto tenus, iuxta abſolutarum normam. Quod argumentum fieri poteſt eadem vi, ſi non modus neceſſe, ſed poſſibile negetur, atque in propoſitionibus obiectis loco eius particulæ, *non eſt neceſſe*, ſubſtituatur hæc, *non eſt poſſibile*, vel *eſt impoſſibile*, vt intuenti conſtabit.

22 Ad primum argumentum reſpondeo noſtram doctrinam eſſe, regulas conuertendi, quæ tenent in abſolutis, eaſdem vim habere in modalibus; ſi quæ autem non valent in abſolutis, quid mirum, ſi in modalibus locum non obtineant? at exempla obiecta, ſi cuius ſunt momenti, id conuincunt, propoſitiones abſolutas, ac ratione ſuæ quantitatis, & qualitatis vniuerſales affirmatiuas haud conuerti per accidens: item particulares affirmatiuas, & vniuerſales negatiuas non conuerti ſimpliciter: nam hæc iuxta arguentes, aut certè eorum argumentum eſt vera, omne grammaticum eſt homo, non tamen ſequitur: ergo aliquis homo eſt grammaticus: hæc etiam eſt vera, omne ridens eſt homo; nec propterea infertur, quod aliquis homo ſit ridens: iſta ſimiliter eſt vera, omnis homo albus eſt homo, non tamen hæc, aliquis homo eſt homo albus: pari modo iuxta eoſdem, eorumve quidem argumentationem, hæc erit vera, nullus equus requiritur ad equitandum, non tamen hæc, nullum requiſitum ad equitandum eſt equus: Haud ergo nobis oberit, ſi quæ reſpondent eiuſmodi propoſitionibus abſolutis modales nequeant per accidens conuerti ex parte dicti vniuerſalis affirmatiui, aut ſimpliciter ex parte dicti, ſeu particularis affirmatiui, ſeu vniuerſalis negatiui, ſed potius vtramque conuerſionem reſpuant. Deinde reſpondeo, exempla allata in propoſitionibus abſolutis, adeoque in modalibus etiam nullius eſſe momenti, ac nihil concludere, ſicut oſtenſum eſt ſupra, eo loci, quo ſermo erat de conuerſione propoſitionum abſolutarum.

Poſterius argumentum, quod, non, ſicut prius in modis affirmatis, ſed in modis negatis procedit, eatenus eſt priori melius, quod in propoſitionibus abſolutis, earumque conuertendi regulis communiter ab omnibus admiſſis nullam patiatur inſtantiam. Sed tamen eius ſolutio eſt in expedito; etenim propoſitiones modales, in quibus negatur modus, æquipollent aliis, in quibus modus affirmatur: quocirca priores illæ reductæ ad has poſteriores poterunt conuerti ex parte dicti, iuxta regulas abſolutarum, etiamſi ita conuerti nequeant non redactæ ad æquipollentes ſuas, ſed vt ſunt vſurpatæ, v.g. hæc propoſitio, quæ eſt vltima in Edentuli, neceſſe non eſt, omne animal eſſe equum, æquipollet huic primæ in eadem figura, non omne animal eſſe equum, ſiue quod inſtar eſt, aliquod animal non eſſe equum eſt poſſibile: hæc autem ita poteſt, ac debet conuerti per contrapoſitionem, aliquid non equum non eſſe non animal eſt poſſibile: item hæc vltima in Amabimus, nullum animal eſſe equum non eſt neceſſe, æquialet huic eius primæ, aliquod animal eſſe equum, eſt poſſibile: hæc autem propoſitio eius figuræ prima, conuerti ſuſtinet ſimpliciter hoc pacto; aliquem equum eſſe animal eſt poſſibile. Eadem induſtria quæuis alia propoſitio modalis negatiua ex parte modi eſt conuertenda. Atque hinc liquet ad argumentum poſteriori loco poſitum. 23

Et hæc de propoſitione modali: circa quam illud animaduerterim, præter quatuor ſpecies hucuſque à dialecticis aſſignatas, alias quatuor aſſignari poſſe, & debere, iuxtà quatuor modos à communiter aſſignari ſolitis diuerſos, videlicet bonum moraliter, malum moraliter, indifferens moraliter, & neceſſarium moraliter: quod ita ſuadeo, nam quatuor ſpecies communes propoſitionum modalium fundantur in quadruplici materia phyſica: ſed materia moralis etiam eſt quadruplex: eodem ergo iure quatuor aliæ ſpecies debent in ea fundari: quarum tamen oppoſitionem, æquipollentiam, & conuerſionem breuitatis ſtudio miſſas facio. 24


CAPVT

CAPVT IV.

De propositione exponibili.

25 PRopositio exponibilis strictè sumpta est, quæ ob adiectionem alicuius aduerbij, syncatecorematis, aut similis particulæ quadam expositione indiget: exponens, siue expositiua est, quæ illam exponit. Prima species exponibilis est propositio exceptiua, quæ hac particula, præter, nisi, aliave eiusmodi constat, vt omne animal præter hominem est irrationale, cuius exponentes sunt, præiacens; videlicet, omne animal est irrationale, & aliæ duæ, nimirum, homo est animal, & non est irrationale. Pro huiusmodi autem propositionibus exceptiuis obseruandæ sunt sequentes regulæ dialecticis familiares: Prima ad earum expositionem spectat, & est huiusmodi; omnis exceptiua debet exponi per propositionem complexam ex duabus, quarum altera constet eodem subiecto recto, quo exceptiua, & altera eodem prædicato, non vero eodem subiecto recto, sed eodem obliquo, siue excepto: Secunda pertinet ad æquipollentiam exceptiuæ & exceptæ; & est talis; omnis propositio vniuersalis ex parte vera, & ex parte falsa exceptione suppositorum reddi potest vera, vt hæc, omne animal est irrationale, efficitur hoc modo vera, omne animal præter hominem est irrationale. Tertia tangit earum contradictionem, seu contrarietatem, & sic habet: omnis exceptiua copulatiuè exponibilis repugnat suæ præiacenti, quam excipit, eámque falsificat, vt omne animal præter hominem est irrationale, reddit falsam hanc, omne animal est irrationale. Quarta attinet ad earum oppositionem subcontrariam, & subalternam, estque eiusmodi; omnis exceptiua copulatiuè exponibilis, qualis est superius posita, infert duas propositiones inuicem subcontrarias, respectu vero exceptiuæ subalternas: tales sunt, aliquod animal est irrationale, aliquod animal non est irrationale, quæ inferuntur ex superiori illa exceptiua, videlicet, omne animal præter hominem est irrationale.

Secunda species propositionis exponibilis est ea, 26
quæ dici solet reduplicatiua, & hac particula, quatenus, in quantum, provt, aliavè id genus afficitur vt album provt album disgregat visum. Exponi autem debet per propositiones, quarum altera sit specificatiua, eandemque rem, at sine reduplicatione affirmet, altera vero subiectum præiacentis, seu reduplicatæ formaliter sumptum adstruat esse causam, aut rationem formalem prædicati: quare data propositio exponitur ita, album disgregat visum, & albedo est ratio disgregandi. Porro autem reduplicatiua propositio est quadruplex, alia nimirum affirmatiua, tam verbi, quam modi, siue reduplicationis, alia negatiua vtriusque, alia affirmatiua modi, & negatiua verbi, alia è contrario negatiua modi, & affirmatiua verbi quarum exemplum & oppositionem quadruplicem sequens typus ostendit.



Hic illud aduertendum est, à reduplicatiua ad præiacentem, seu reduplicatam valere consequentiam, non è contrario, ac proinde, illam hanc continere, & subalternare: valet enim, album provt album disgregat visum, ergo album disgregat visum, at vi formæ non valet, album disgregat visum, ergo album provt album disgregat visum, alioqui sequeretur, dulce pro vt dulce disgregare visum, cum dulce absolute sumptum, lac videlicet, eum dissipet.

27 Vltima, & potissima species exponibilis propositionis est exclusiua, ea nimirum, quæ afficitur hac particula, tantum, duntaxat, solus, præcisè, aliave simili. Duplex est, alia, quæ excludit solum prædicatum, vt Petrus est tantum dialecticus, alia, quæ subiectum, ac proinde totam propositionem, quæ in subiecto velut in basi fundatur, vt è conuerso, tantum Petrus est dialecticus; quæ exclusiuæ longè differũt, cum altera sit inadæquata, altera adæquata, & altera possit esse vera, altera falsa, vt adductis cõstat exemplis. Vbi magnopere notandum est, non prædicatum exclusiuæ, nec ipsam exclusiuam excludi (nihil enim seipsum excludit) sed aliud prædicatum, quod exclusiuam, aut aliam similem possit ingredi, & aliam propositionem, quæ posset simul cum exclusiua formari. v. g. prima exclusiua, quam de extremo excluso Sũmulistæ nũcupant, non hoc prædicatum, *dialecticu*, sed hoc *musicus*, *nauta*, *miles*, *Theologus*, & aliud quoduis simile excludit: secunda vero, quam simpliciter exclusiuam vocant, non seipsam, sed hanc. Paulus est dialecticus, Ignatius est dialecticus, & alias similes reiicit. Rursus notandum est, vtramque exclusiuam excludere, aut rem, seu genera alietatis, aut numerum, seu genera pluralitatis: exemplum prioris est hæc, tantum elementa sunt quatuor: Exemplum posterioris, elementa sunt quatuor tantum.

Propositio exclusiua simpliciter talis, & adæquata, quadruplex est: alia pure affirmatiua, in qua verbum, & exclusio affirmatur, vt tantum homo currit: alia pure negatiua, in qua verbum, & exclusio ne- 28

gatur, vt non tantum homo non currit: alia affirmatiua excluſionis,& negatiua verbi,vt tantum homo non currit,alia affirmatiua verbi,& negatiua excluſionis,vt non tantũ homo currit. Quarũ primam ita expono,homo currit, & nihil præter hominem currit: ſecundam vero ſic;homo non currit,& præter eum aliquid aliud non currit: tertiam hunc in modum,homo non currit,& omnia alia præter eum currunt:quartam tali ratione,homo currit, & aliud ab homine currit.

29 Ab earum expoſitione, earum oppoſitio pendet: cum enim omnes ſint copulatiuæ, ſeruare debent leges copulatiuarum in opponendo à nobis ſuperius traditas. Quocirca prioris, videlicet tantum homo currit, ſiue, quod perinde eſt, homo currit, & nihil aliud præter hominem currit, Contradictoria erit, vel homo non currit, vel aliquid aliud præter hominem currit. Contraria homo non currit, & aliud præter hominem currit, ſubalterna, vel homo currit, vel nihil aliud præter hominem currit; huius autem ſubalternæ, ſubcontraria eſt, vel homo non currit, vel aliud præter hominem currit; exponibilis enim, de qua ſermo, non eſt vlla ſubcontraria, ſicut non eſt huius v. g. omnis homo currit, alteriuſve copulatiuæ:quod dictum puta,de quacunque alia exponibili. Secunda exponibilis, videlicet non tantum homo non currit, aut, quod inſtar eſt, homo non currit, & aliquid aliud præter hominem non currit,habet pro contradictoria hanc,vel homo currit, vel aliud præter hominem currit, pro contraria homo currit,& aliud præter hominem currit, pro ſubalterna, vel homo non currit, vel aliquid aliud præter hominem non currit: huius autem ſubalternæ ſubcõtraria eſt vel homo currit,vel aliud præter hominem currit. Tertia exponibilis, ſcilicet tantum homo non currit,aut, quod in idem recidit, homo non currit,& omnia alia præter eum currunt, habet pro contradictoria, vel homo currit, vel aliud præter eum non currit,pro contraria, homo currit, & aliud præter eum non currit, pro ſubalterna, vel homo non currit, vel omnia alia præter eum currunt, huius autem ſubalternæ ſubcontraria eſt contradictoria nuper aſſignata, iuxtà ſuperius dicta. Quarta exponibilis, nimirum hæc non tantum homo currit, aut, quod iuxta eſt,homo currit, & aliud ab homine currit, habet pro contradictoria, vel homo non currit, vel aliud ab homine non currit,pro contraria homo non currit, & aliud ab homine non currit, pro ſubalterna, vel homo currit, vel aliud ab homine currit: huius autem ſubalternæ ſubcontraria ex dictis eſt perſpicua. Vide caput vltimum tract. præcedentis.

30 Ad extremum hic adjicienda eſt regula D.Thom. 1. part. quæſt 31. art.3. ad 5. *Dictio excluſiua* (vt eius verbis etiam vtar) *immobilitat terminum, cui adiungitur vt non poſſit fieri, ſub eo deſcenſus, pro aliquo ſuppoſitorum. Non enim ſequitur, ſolus homo eſt animal rationale mortale, ergo ſolus ſortes.* Atque ex hac doctrina colligit ibidem S.Doct. hanc propoſitionem eſſe veram, ſolus Deus creat, quin exinde ſequatur, ſolum Patrem creare, nullamque aliam perſonam.

CAPVT POSTREMVM.


Quatenus alij de propoſitione exponibili ſentiant.

QVoad eius ſpecies priori loco explicatas, parum eſt diſſidij inter nos, & alios auctores: Cæterum quoad tertiam eius ſpeciem,nimirum propoſitionem excluſiuam, eiuſque quatuor partes inferiores poſteriori loco traditas, non pauci, nec parum à nobis diſſident: aiunt enim inter illas inuicem, & mutuo comparatas omne genus oppoſitionis reperiri, nec ad earum exponibiles eſſe confugiendum, vt opponantur quatuor vulgaribus modis: Proinde aliter etiam eas exponunt, quam à nobis ſunt expoſitæ, aliumque in eis memorandis, ac referendis ordinem ſeruant: hoc autem poſterius animaduerto, non quod multum interſit, quænam earum dicatur prima, ſecunda, tertia; aut quarta; ſed ne ſit vlla cõfuſionis,aut æquiuocationis occaſio. 31

Dicunt ergo, ſenſum huius propoſitionis, tantum homo currit eſſe, aliquis homo currit & nihil præter illum currit: vnde eam explicant per dictionem, *iſte*, eo, quod eius exponens, ac proinde virtualiter ipſa ſit propoſitio complexa cohibens duas ſimplices, priorem videlicet particularem affirmatiuam, & poſteriorem vniuerſalem negatiuam, ſicut prior, & poſterior vocalis præfatæ dictionis denotat. Rurſus ſenſus huius propoſitionis, non tantum homo currit, iuxta eos eſt, nullus homo currit, vel aliquod non homo currit: quare explicatur ab eis per dictionem, *regit*, eo, quod earum propoſitionum ſimplicium, quas virtute ſuæ exponentis continet, prior ſit vniuerſalis negatiua, & poſterior particularis affirmatiua, provt altera, & altera vocalis eiuſmodi dictionis indigitat. Præterea hæc propoſitio, tantum homo non currit de eorum ſententia recidit in hanc, aliquis homo non currit, & omne aliud currit, adeoque explicari ſolet per *proram*, cuius prior vocalis ſignificat primam propoſitionem ſimplicem eius complexæ eſſe particularem negatiuam, & poſterior ſecundam eſſe vniuerſalem affirmatiuam. Deinde hæc excluſiua, non tantum homo non currit, reſoluitur ab eis in iſtam: omnis homo currit, vel aliquod non homo currit: quæ ergo eſt prioris ſimplicis vniuerſalitas cum affirmatione, & poſterioris particularitas cum negatione coniuncta,exponens ex vtraque complexa, adeóque exponibilis ipſa, per dictiunculam, *clauo*, ab eis declarari conſueuit. Porrò autem habita ratione non tam propoſitionum ſimplicium,quam nexuum,quibus inuicem cohærent, ita ſentiunt, *iſte*, & *proram* eſſe modos vniuerſales, eo, quod ſint copulatiui, ad inſtar huius particulæ vniuerſalis, *omnis*, & propoſitionis, quam afficit; *regit* verò, & *clauo* eſſe modos particulares; eo, quod ſint diſiunctiui ritu huius ſyncathegorematis particularis, *aliquis*, & quam ingreditur propoſitionis. His ſtatutis iuxtà quatuor ſuperiores dictiones, *iſte*, *regit*, *proram*, *clauo*, ſequentem quadrangulum formant, eoque quænam exponibilium illarum alteri,& quatenus opponatur, diſcribunt. 32

Verum

Iste *Proram*



Clauo *Regit.*

33 Verum hæc doctrina non placet : nam primò, hæ exponibiles singulares , tantum Petrus currit , non tantum Petrus currit,tantum Petrus non currit, non tantum Petrus non currit,hæ, inquam,qui possunt esse in quatuor illis dictionibus, *iste, regit*, &c. aut per eas illarum oppositio quomodo potest explicari ? Etenim sensus primæ est, Petrus currit , & nihil aliud currit, ergo ea non est , in *iste*, cum huius modi prima sit , non singularis , sed particularis:sensus secundæ iuxta aduersarios erit,Petrus non currit, vel aliquod non Petrus currit,haud ergo esse potest in *regit* , cum iuxta exigentiam huius modi illius prima , non sit vniuersalis negatiua : sensus tertiæ, Petrus non currit,& omne aliud currit, eáque adeo nequit esse in *prora*: sensus quartæ , Petrus currit, vel aliquod non Petrus currit,eáque proinde nequit esse in *clauo*. Non me latet , quosdam aduersariorum responsuros, has propositiones de subiecto singulari esse omnis oppositionis veræ incapaces : sed neque me latet , eos facilè impugnari posse , ex dictis tract. præcedenti : quapropter huius solutionis vlteriori impugnatione supersedeo. Idem argumentum fieri potest in exclusiuis,quæ sunt de subiecto vniuersali , vt tantum omnis homo currit , non tantum omnis homo currit,&c.

34 Argumentor secundo , quia vt optimè disputat P. Hurtadus disp. 4. summ. sect. 3. §. 58. si hæc propositio non tantum homo currit , siue non solus homo currit , deberet exponi , non per copulatiuam, sed per disiunctiuam quandam , pro eo , ac censent aduersarij , similiter hæc exclusiua , solus non sum, & quæuis alia id genus deberet exponi per disiunctiuam , non vero per copulatiuam : Consequens est absurdum,& contra illud Ioannis cap. 8. num. 16. *solus non sum,sed ego,& qui misit me,pater:* vbi Christus Dominus exclusiuam illam,solus ego non sum, exponit per hanc copulatiuam , ego sum , & pater meus est. Par autem est ratio eius exclusiuæ , quæ tam verbum , quam exclusionis notam negat : perperam ergo dicitur exclusiuarum vlla debere per disiunctionem exponi:cum ergo ab eiusmodi disiunctione earum pendeat oppositio , hæc neutiquam est admittenda, sicut adstruitur ab aduersariis.

35 Argumentor tertiò ; quoniam contrarij , si non omnes, at certè plerique, vt omne genus oppositionis tueantur inter propositiones typo superiori descriptas , docent , alias earum esse omninò, & simpliciter vniuersales , & alias eodem modo particulares , estò vtrælibet sint mixtæ ex propositionibus simplicibus, tum vniuersalibus, tum particularibus, videlicet propter nexum,qui,si copulatiuus est , secundum eos tribuit vniuersalitatem solam , sin autem disiunctiuus, particularitatem : at hæc doctrina est parum verisimilis : primò , quia supponit ad oppositionem contradictoriam duarum propositionum nec non ad subalternam requiri , vt altera sit vniuersalis, altera particularis ; ad contrariam vt ambæ sint vniuersales , ad subcontrariam, vt particulares, hoc autem est à nobis impugnatum suo loco semel, & iterum. Secundò , quoniam vbi propositio complexa cõstat,vel formaliter,vel,quod est probabilius, virtualiter ex vna simplici vniuersali,& altera particulari,eo ipso est partim vniuersalis, partim particularis;tũ, quia quantitas propositionis est ex subiecto desumẽda,vt ostẽsum manet tr. 3. c. 2. subiectum autẽ eiusmodi propositionis complexæ est duplex , alterum vniuersale , & alterum particulare : tum , quia non dicitur aliqua propositio complexa omninò , ac simpliciter affirmatiua , aut negatiua pro ratione nexus , sed potius respectu habito ad propositiones simplices , vt probatum est tract. 4. cap. 12. prope medium,aduersus Auersam opinantem,omnem propositionem complexam, hoc ipso , quod copulatiua sit, affirmare, &, quod disiunctiua, negare.

Argumentor quartò , quoniam luce clarius videtur , has propositiones , tantum homo currit, non tantum homo currit , ita comparatas esse vt ambæ ex æquo cursum hominis affirment , quin differant, nisi in eo, quod altera , nimirum posterior affirmet cursum de aliis , prior vero eum neget : vt in simili docuit Augustinus lib. 6. de trinit. c. 7. *solum patrem dicimus patrem , non quia separatur à filio , sed, quia non simul ambo pater sunt* : ac Thomas 1. p. q. 31. art. 3. ad 2. *possumus enim dicere , tantum Sortes currit,id est nullus alius.* Atqui iuxtà aduersarios aliter se res habet , & posterior earum propositionum negat de homine cursum , reiicienda igitur est illorum opinio. Nec minus etiam euidens apparet, has propositiones , tantum homo non currit , non tantum homo non currit , ita institutas esse , vt ambæ cursum hominis negent , aliarum vero rerum prior affirmet , & sola posterior deneget. At aduersarij sentiunt cursum de homine per posteriorem non negari,sed affirmari , debent ergo,vel ex hoc etiam titulo reiici. 36

Tandem argumentor ex dictis : demus nullum hominem

hominem currere; tum hæc propositio, tantum homo currit erit falsa; affirmat enim hominem currere & nullus currit. Rursus hæc, non tantum homo currit, tum erit falsa; ait enim hominem currere & aliquid etiam aliud præter eum, cum tamen homo non curratratio à priori est, quia, vt propositio copulatiua sit omnino falsa, satis est, vnam duntaxat obiecti partem non se habere quemadmodum affirmatur: hand ergo opponuntur contradictorie, *iste*, & *regit*, cum contradictio nequeat esse inter propositiones simul falsitati obnoxias. Fac è contrario hominem currere, tum hæc propositio, tantum homo non currit, erit falsa, nec non ista, non tantum homo non currit, cum iuxtà veriorem vtriusque expositionem à nobis superius traditam, ambæ cursum inficientur hominis; *proram* ergo, & *clauo* non opponuntur contradictoriè, nisi vero contradictio possit esse inter propositiones simul falsas. Qui plura velit de exponibilibus, adeat Sotum lib. 4. Summul. Toletum lib. 3. Fonsecam libr. etiam 3. Hurtadum disp. 4. Summul. sect. 13. & sequentibus.

LIBER QVINTVS

DE VERITATE MEDIATA, Siue Argumentatiua.

TRACTATVS I.

De veritate syllogistica.

CAPVT I.

Quid sit syllogismus, & quænam eius forma.

1 PRIMA, & potissima species veritatis argumentatiuæ, siue argumentationis, & ad quam reducitur omnis alia, vt in progressu patebit, est syllogismus: vnde non iniuria primum doctrinæ ordine sibi
2 locum asserit. Syllogismus ab Aristotele 1. prior. c. 1. definitur *oratio, in qua, quibusdam positis, aliud quidpiam ab iis quæ posita sunt necessariò euenit, eo quod hæc sunt.* Parum ab hac dissidet ea, quam tradit Aulus Gellius lib. 13. noctium Atticarum cap. 26. syllogismus est *oratio in qua consensis quibusdam, & concessis, aliud quid, quam qua concessa sunt, per ea, quæ concessa sunt, necessariò conficitur.* Nec non ea quam exhibet Clem. Alexand. 8. Strom. *Nulla autem simplex, & prima oratio vocatur syllogismus, etiamsi sit vera, sed est ad minimum composita ex tribus huiusmodi: duabus quidem vt, quæ sumuntur; propositionibus, vna autem, vt conclusione.* Porrò autem triplicem hanc definitionem sequenti explano, mutato tamen genere remoto, oratione nimirum, in argumentationem, quæ certe syllogismi genus proximum est: Syllogismus est argumentatio, in qua ex duabus propositionibus tertia necessariò sequitur; veluti omnis homo est animal, Petrus est homo, ergò Petrus est animal.

3 Quò autem ad secundam præfixæ quæstionis partem deueniam, eique satisfaciam, sicut forma domus v.g. in artificiosa partium eius dispositione sita est, ita forma syllogistica collocanda est in artificio maioris, minoris, & conclusionis, quibus tanquam partibus syllogismus coalescit. Quæ propositio conclusio sit, & cur ita vocetur, perspicuum est; cum ea sola sit, quæ ex præmittis infertur: quæ autem præmissarum maior sit, quæ minor, & curnam eo nomine gaudeant, haud est exploratum adeò.

Prima sententia est P. Roderici de Arriaga disp. 4
3. summul. sect. 5. numer. 24. circa medium, & communiter eorum, qui tuentur quartam figuram à tribus Aristotelicis distinctam, quinam autem sint haud ita post constabit. Item Scoti lib. 1. prior. q. 24. Soti lib. 5. Summul. c. 5. & 6. Tellezij disp. 16. log. sect. 3. n. 6. Hi omnes ergò censent, eam syllogismi propositionem esse maiorem, quæ prius tempore, & eam minorem, quæ posterius tempore profertur. Cæterum non placet hæc opinio: namque syllogismus mentalis maiore & minore constat: at in mente neutra præmissa aliam tempore anteuertit, quoties ambæ ad conclusionis assensum concurrunt; quod si maiorem, & minorem mentalem neges, eadem licentia syllogismum mentalem poteris inficiari. Rursus, quod vna propositio prius sit prolata quam alia, ad conclusionem inferendam parum confert, &, quod aiunt, se habet omninò per accidens: at artificium præmissarum, quo alia maior, alia minor est, respectu conclusionis censetur esse per se, atque ad eam deducendam maximopere conferre: hoc ergo artificium in eo ordine prioris, & posterioris minimè consistit: Maior, nam quæ sequuntur sponte sua sunt perspicua, suadetur: quoniam vbi propositiones eædem sint, quomodocunque proferantur, & siue vna prius tempore quam alia, siue è conuerso, eadem est identitas extremorum cum medio, quæ sola ad identatem extremorum inter se in conclusione repræsentatam per se, vt aiunt, se gerit, multumque conducit. Et quidem Arabes teste Suessano. 1. prior. comm. 33. minorem primo loco ponebant: contra Latini & collocabant & his etiam temporibus collocant primo loco solam maiorem: at Græcis vtraque positio fuit in vsu: signum ergo est ordinem præmissarum penes tẽpus esse omnino per accidens ad inferendã conclusionẽ.

Ad

5 Ad hæc subiectum, & prædicatum, quibus constat propositio, per prius, & posterius tempore minimè denominantur, vt omnibus est in confesso; idem ergo dicendum est de maiore, & minore, quibus constat syllogismus. Denique numerus modorum ab Aristotele, & assectis assignatus, & à non paucis aduersariorum receptus, aut erit superfluus, aut certè insufficiens: nam diuersa, seu potius inuersa prolatio præmissarum aut variat modum, aut non; si primum, ergo in prima figura præter Darij, & Celarent v. g. Dirai, Calerent, & in secunda præter Festino, Baroco, Fisteno, Boraco, & in tertia præter Felapton, Bocardo, Falepton, Bacordo assignari poterunt, & debebunt; ac proinde numerus communis erit insufficiens: exemplum modi Darij sit, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal, modi vero Dirai, Petrus est homo, omnis homo est animal, ergo Petrus est animal: hinc cuiuis erunt inexpedito cæterorum exempla: si secundum; ergò assignato Cæsare, & Disamis; Camestres, & Datisi superfluent; quæ enim propositio in duobus prioribus modis prius tempore profertur, ea in posterioribus posteriorem obtinet locum: En ex g. syllogismum in Cæsare, nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergo nullus lapis est homo: en alium, in Camestres, omnis homo est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo: vbi cernere est præmissam negatiuam modò prius, poni, modò posterius: cuius etiam vicissitudinis exemplum in Disamis, ac Datisi est per quam inuentu facile. Quid? quod conclusio non à posteriori tate temporis respectu præmissarum, sed à posterioritate naturæ respectu illarum ita nuncupatur; minor ergo non à posterioritate temporis, quam habere solet intuitu maioris, sed ab intrinseco quodá ordine, & relatione ita est appellanda.

6 Secunda sententia est, maiorem eam esse, quæ est vniuersalis & minorem quæ particularis: vbi verò præmissæ ambæ vniuersales, aut particulares, singularesve fuerint, propriè maiorem, aut minorem non reperiri, sed impropriè tantum, provt aliqua propositio aliam tempore antecedit. Ita P. Hurtadus disp. 10. log. 11. num. 63. Contrà tamen argumentor primò; subiectum, & prædicatum, quibus propositio cohæret, simul vniuersalia, aut particularia, siue singularia (hæc enim duo in præsenti iuxtà habentur) esse sustinent: ergo etiam maior, & minor stricte sumptæ, quibus syllogismus constat, simul esse possunt vniuersales, aut singulares. Contrà secundò in modis, qui ambabus præmissis vniuersalibus constant, eodem iure vera maior, ac minor assignari possunt, quo in modis mixtis assignantur: sicut enim in his vniuersalis propositio est maior, & particularis minor, cur in illis magis vniuersalis propositio maior, & minus vniuersalis minor dicenda non est? Contra tertiò: quia numerus modorum alius esse debet, iuxtà hanc sententiam ab eo quem Aristotelici communiter assignant: aut enim diuersitas maioris aut minoris impropriæ à sola diuersa probatione, ac temporis ordine profecta modos variat, aut non? Si primum; numerus vulgaris, & receptus eo ipso curtus est: si secundum; superfluus, vt numero superiori arguebam.

7 Tertia sententia quorundam recentiorum pro triplici acceptione medij tripliciter maiorem, & minorem distinguit. Nam in prima figura medium potest esse stricte tale, cum duos terminos in quantitate inæquales interiacet: & tunc maior est, in qua medium subiicitur, & minor in qua prædicatur: cuius ratio est, quia illa est magis vniuersalis, & termino communiori gaudet, hæc verò minor, quia est minus vniuersalis, & termino minus communi prædita: exemplum adhiberi potest in hoc syllogismo, omne animal est viuens, omnis homo est animal, ergo omnis homo est viuens: vbi homo, animal, & viuens interiacet, & huic subiectus, minorem illi verò subditus, maiorem efficit. Secundò in prima figura medium situ, & positione solum tale esse potest, cum videlicet duos terminos in quantitate æquales interest; & tunc maior, & minor non stricte sed tantum positione, & situ tales erunt, eaque erit maior, in qua medium, & extremum eum situm obtinet, qui eis contingeret in maiore stricte sumpta, minor verò, in qua situs terminorum minoris stricte vsurpatæ reperitur: quocirca in hoc syllogismo, omnis homo est rationalis, omne risibile est homo, ergò omne risibile est rationale, prima propositio est maior, propterea quod in ea subiiciatur medium, ac prædicetur alterum extremorum, perinde atque accidit in maiori stricte sumpta: secunda verò dicitur minor, quia è conuerso collocantur in ea medium, & quod superest extremum, quemadmodum vtrumque collocari consueuit in minori propriè vsurpata. Tertiò in aliis duabus figuris, in quibus medium non interiacet extrema, sed de iis, aut aut solum prædicatur, aut duntaxat subiicitur, medium tale erit virtute inferendi conclusionem, ac proinde maior erit, quæ prædicato conclusionis potitur, & minor quæ eiusdem subiecto.

8 Hæc etsi acutè excogitata, tamen omnino non placent. Namque in syllogismo falso reperitur medium stricte tale, quod duos terminos in quantitate inæquales interiacet, v.g. in hoc, omne animal est Petrus, omnis homo est animal, ergo omnis homo est Petrus: & tamen ibi maior non est, quæ termino siue extremo magis vniuersali prædita est, nec minor, quæ minus vniuersali, sed è conuerso, vt intuenti constabit: falsò ergo per maiorem, & minorem vniuersalitatem explicatur maior, & minor, quando medium syllogisticum est propriè eiusmodi Secundò, vbi semel in prima figura declaretur maior, & minor per maiorem, & minorem vniuersalitatem, non est cur in secunda, & tertia figura per maiorem, & minorem vniuersalitatem, cuius capaces sunt eius præmissæ, maior nimirum, & minor, hæ non explicentur, & non per prædicatum, & subiectum conclusionis. Et quidem longè consequentius docet Titelmannus lib 5. cap. 1. §. *appellantur autem*. eam propositionem vbiuis dicendam esse maiorem, quæ est generalior, magisque vniuersalis, minorem verò, quæ minus vniuersalis, & generalis: consequentius inquam, sed non verius: quid enim dicet ad syllogismos, vbi termini sunt æquè vniuersales? quid ad eos, vbi sunt ambo singulares

9 Rursus tertiò assignari debet ratio vniuoca ad omnem maiorem, & minorem: at hi recentiores æquiuocam eum assignant, vt ex triplici illa differentia conspicuum est: ergo. Maior probatur: tum quia syllogismus est ratio vniuoca ad omnes eius species, vt omnes fatentur, & paritate desumpta à propositione constat: ergo idem dicendum est de maiori, & minori, ex quibus conflatur: consequentia in aperto est: totum enim vniuocum esse nequit comparatione huius, & illius totius singularis, quin ea vniuocatio ad partes eius dimanet comparatione partium singularium, à quibus abstrahunt, vt in homine, & materia, ac forma, quibus constat, dilucidum est: tum secundò, quia subiectum in communi est conceptus vniuocus respectu omnium subiectorum,

rum, & idem est de prædicato: ergò similiter maior, & minor in communi respectu huius, & illius vniuocæ esse debent; à partibus enim secundæ operationis intellectus ad partes tertiæ operationis rectè arguitur. Quartò demũ is loquendi modus displicet, quia secunda, & tertia figura strictè talis est: ergò maiori, & minori strictis gaudet: partes enim naturam totius æmulantur.

10 Quocircà cum Conimbricensibus lib. 1. prior. in prænot. in cap. 4. & postea cap. 7. quæst. 1. art. 1. & Fonseca lib. 6. instit. cap. 1. aliter rem explico, & maiorem statuo, eam, in qua maius extremum reperitur, & minorem, in qua minus. Maius autem extremum in prima figura est illud, quod in præmissa aliqua prædicatur, minus verò quod in aliqua subiicitur: in secunda verò, & tertia illud est maius extremum, quod postea in conclusione prædicatur, minus verò, quod in ea subiicitur. Ideo verò prædicatum, potius, quam subiectum, maius extremum nuncupatur, quia præstantius est, & per se, ac directè loquendo, vniuersalius, prædicari, quam subiici: præstantius, quia subiectum, & prædicatum intentionale analogiam, ac proportionem cum subiecto, ac forma physica seruãt: at forma physica genere suo præstantior est, quam subiectũ. Secundò, quia subiectũ munere, ac beneficio prædicati innotescit, & quid aut quale sit, dignoscitur, non è conuerso: beatius autem, & præstantius est dare, quam accipere, seu physicè, seu intentionaliter: tertiò demũ, quia sponte sua notũ est, honorabilius esse, ac præstantius præesse quã subesse: at subiectum subest, & prædicatum præest: Vniuersalius quidem directè loquendo, quia omne prædicatum directum subiecto vniuersalius est, & cum minus vniuersale est, in indirectum degenerat.

11 Confirmatur, ac declaratur hæc doctrina: In propositione terminus ille, qui prædicatur, dicitur maior, & qui subiicitur, minor; teste Cassiodoro in dialectica, *terminos dicimus, quorum quidem alter subiectus est, alter verò verò prædicatus: Subiectus est terminus, qui minor est, prædicatus verò, qui maior.* Similiter ergo in syllogismo extremum illud dicetur maius quod prædicatur, & minus, quod subiicitur. Rursus tota propositio dici consueuit prædicatio, per denominationem ab vno solo termino, videlicet prædicato, vt paulo post ait idem Cassiodorus; *quoniam verò huiusmodi simplices propositiones alterum habent prædicatiuum terminum, alterum verò subiectum, à maioris priuilegio partis, propositio prædicatiua vocata est:* pari ergo modo tota aliqua syllogismi præmissa dici poterit maior à solo maiori extremo, qualia demum cunque sint cætera eius constitutiua; & alia minor, per denominationem à solo extremo minori, nulla ratione habita cæterarum eius partium.

12 Obiicies tamen primò, non assignari à nobis rationem vniuocam maioris, & minoris extremi, ac proinde nec maioris, & minoris propositionis; nam aliter in prima figura, atque in secunda, & tertia maius & minus explicuimus extremum. Respondeo: ex dictis erui potest vniuocatio desiderata, nimirum si maius extremum appelletur, ac censeatur, quod in syllogismo magis prædicatur, & minus, quod in eo minus prædicatur: hæc enim ratio est omnino eadẽ, & cuiuis inferiori congruit: hæc autẽ duo ad vniuocationem sufficiunt: identitas eius rationis est in aperto: inferiorum autem omnium comprehensio videtur non minus perspicua: siquidem in modis directis primæ figuræ maius extremum magis prædicatur, cum semel in præmissis, & semel in conclusione prædicetur; ac proinde bis in toto syllogismo: in modis verò indirectis primæ figuræ magis prædicatur non extensiuè, vt ita loquar, seu frequentius si totum syllogismum spectes, sed magis intensiuè, quia prius natura prædicatur, eo quod præmissæ, in quibus est prædicatum, conclusione, in qua minus extremum est prædicatum, sint natura priores, & secundò, quia directè prædicatur, cum minus extremum indirectè tantum prædicetur: quod autem prius & directius prædicatur magis ac præstantius prædicatur. In secunda verò figura maius extremum magis prædicatur, quia semel prædicatur, cum minus nunquam prædicetur. In tertia demum maius extremum bis prædicatur, cum minus semel tantum prædicatum sit: Vnde in secunda, ac tertia figura maius extremum magis extensiuè, quam minus prædicatur.

Obiicies secundò, quantumuis præstantius, & 13
maius sit extremum aliquod prædicari quam subiici, indè tamen non fieri, præpositionem aliquam ab eo extremo quod præcadicatur maiorem denominari debere, & aliam minorem à subiecto, quia ambæ totidem subiectis, & prædicatis constant, & quantùm altera à prædicatione extremi crescit, tantum à subiectione medij decrescit, & è conuerso altera, quantum à subiectione extremi decrescit, tantum à prædicatione medij crescit: cur ergò altera maior, altera minor dicenda est? Respondeo: maior, & minor tales non sunt, ex eo quod vna quam altera præstantior sit, vt obiectio probat, & de se conspicuum est: siquidem æque præstantes esse possunt, aut etiam minor præstantior maiore, cum clarior est, aut supernaturalis, & maior merè naturalis, vt sæpe contingit. Dicitur ergò maior, quia habet maius, & præstantius extremum, quamuis eam præstantiorem non reddat, & minor eadem ratione: sic sæculum aliquod dicitur deterius alio non in se, sed quia deteriores homines producit & & continet. Obiicies tertio: maior & minor anteuertunt ordine naturæ conclusionem, adeóque anteriores ea sunt extremum maius, & minus: neutrum ergò tale denominatur ab eo quod subiiciatur, aut prædicetur in conclusione: aliàs hanc antecederent, vt supponitur, ac simul non antecederent, quandoquidem ab ea speciem, ac denominationem hauriunt, quo pacto fieri nequit, vt album sit prius natura, quam albedo. Sed instò argumentũ: siquidem medium antecedit natura conclusionem, non minus quã extremo, imò multò magis quã illa, quãdo quidẽ illorũ ritu haud ingreditur conclusionẽ eive commiscetur vnquã: & tamẽ qualis terminus obtineat rationem medij dependet interdum à conclusione: positis enim his præmissis, nullus homo est animal, omnis homo est animal, si inferatur in Cæsare, ergò nullus homo est homo, eo argumentationis genere, quod ex oppositis vocari consueuit, animal in præmissis habebit rationem medij: sin autem concludatur in Felapton, ergo aliquod animal non est animal, homo è contrario rationem sortietur medij, de quo infra tract. 2. cap. 2. quanquam ergò dependeat aliquando à conclusione, quodnam extremum sit maius, quodnam minus, haud propterea hæc, & cum eis maior, & minor antecedere desinent assensum conclusionis. Respondeo secundò, artificium maioris, & minoris sumptum quoad prædicata essentialia, & complicationem illam necessariam, & intrinsecam duum terminorum cum alio tertio, aut instar solius prædicati, aut instar solius prædicati, aut, solius subiecti, aut vtriusque antecedere natura conclusionem: quod si sumatur penes denominationem extrinsecam, & accidentariam extremis, quæ iunguntur cum medio, cuiusmodi sanè est ea post ea subiici, ac prædicari, cum

care

carere vtroque horum possint, si non inferatur conclusio, ita quidem nihil interesse, quod artificium maioris & minoris haud quaquam anteuertat conclusionem. Respondeo tertiò, prius quam eliciatur conclusio, neutrum extremorum in ea subiici, aut prædicari, at alterum eorum esse subiiciendum, alterum verò prædicandum, quod satis est, vt vnum sit maius extremum, & aliud minus, atque hanc præmissis tribuant æqualitatem: quo pacto vnus terminus præ alio dicitur medium in syllogismo oppositio, anteaquam eliciatur destinata aliqua conclusio, quia etsi nondum sit positiuè, vt aiunt, extrà illam, erit tamen extra illam, sicut ad medij rationem oportet.

CAPVT II.

De Figura Syllogistica.

14 FIgura syllogistica in connexione extremorũ cum medio sita est: quare immerito Recentiores eam cum forma syllogistica confundunt, cum illa in solis præmissis, hæc in præmissis, & conclusione consistat, vt nuper explicuimus: pro triplici ergò connexione extremorum cum medio triplex figura est: quando enim medium connectitur cum extremis, per modum subiecti, & prædicati, seu vni subiicitur, & de altero prædicatur, primam figuram constituit: quando verò connexio est per modum solius prædicati, secundam; quandò per modum solius subiecti, tertiam constituit: quod sequentibus versiculis memoriæ causa complexus sum.

Prædicat, & subigit medium, quæ prima figura est.
Ordine quæ sequitur, medium bis prædicat: ast quæ
Postremam obtinuit sedem, bis subiicit illud.

Aut si mauis en carmen antiquum.

Subpræ prima, secunda bis præ, tertia bis sub.

15 Duo autem hic disputanda occurrunt: primum est, an præter tres illas figuras admittenda sit alia quarta? Negant Aristot. 1. prior c. 23. Scot. 1. etiam prior. q. 34. Occamus 3. p. Log. cap. Auerroes 1. prior. cap. 5. & 7. Buridanus ibidem cap. 7. Zabarella lib. de quarta figura cap. 12. Auersa qu. 25. Log. sect. 7. Conimbricenses tit. 2. log. 1. prior. cap. 7. quæst. 1. art. 1. & secundo. Vallius 1. prior. cap. 26 quæst. vnica, cap. 9. Hurtadus disp. 10. log. sect. 20. Arriaga, disp. 3. summul. sect. 5. n. 23. & 24. Tellez disp. 16. log. sect. 3. concluſ. & cæteri communiter, & mea quidem sententia meritò: nam si qua ratione daretur quarta figura à prima distincta, maximè quia medium subiici potest alteri extremorum in minori, & prædicari de altero in maiori, quæ collatio medij, eiusque cum extremis complicatio est valde diuersa ab ea, qua medium in maiori propositione subiecti, & in minore prædicati locum obtinet: diuersus autem, ordo, quo medium iungitur extremis, facit iuxtà omnes diuersam figuram; quocirca præter secundam figuram, in qua medium bis prædicatur de extremis, ac tertiam, in qua bis subiicitur illis, & primam, vbi subiicitur vni extremorum in maiore, & prædicatur de altero in minore, admittenda est alia quarta, vbi medium in maiore prædicati, & in minore subiecti locum obtineat. Ast tota hæc ratio fragili, ac ruinoso innititur fundamento; fierique non potest, vt medium vnquam prædicetur in maiori propositione syllogistica, aut subiiciatur in minori: Siquidem maior dicitur ea, quæ habet maius extremum, & minor, quæ minus, iuxtà dicta cap. præcedenti: maius autem extremum est, vt ibidem visum, cui subiicitur medium, & minus, de quo medium prædicatur, quoties in præmissis subiecti simul, ac prædicati rationem habet: tum ergò maior appellatur talis à subiectione medij, & minor ab eius prædicatione: quamobrem esse nunquam potest, vt medium prædicetur in maiori, & subiiciatur in minori, sicut ad quartam figuram oportet.

Rursus secundò: ideo posset medium prædicari in 16
maiori, & subiici in minori, sicut necesse, & satis est ad quartam figuram, quia maior, & minor ea tenus sunt tales, quatenus vna præmissa est prior tempore, & alia posterior: quamobrem si efficias hunc syllogismum omnis homo est animal, Petrus est homo, ergò Petrus est animal, præmissa vniuersalis affirmatiua erit maior, & particularis affirmatiua minor, adeóque medium subiicietur in maiore, & prædicabitur in minori; sin autem hunc, Petrus est homo, omnis homo est animal, ergò Petrus est animal, quæ præmissarum antea erat minor, videlicet particularis affirmatiua, modò transposita, erit maior, & quæ antea erat maior, nimirum vniuersalis affirmatiua, modò ob transpositionem solam erit minor, adeóque medium subiicietur in minore, & prædicabitur in maiore, vt intuenti constabit. At quod tota hæc ratio sit nulla: maiorque, & minor neutiquam consistant in prioritate, ac posterioritate temporis ab eavè dependeant, superius ostensum est inter agendum de vtriusque artificio. Quocircà in duobus syllogismis adductis propositio vniuersalis affirmatiua ex æquo est maior, & particularis affirmatiua minor etiam vtrobique.

Enimuerò Galenus, vt de eo refert Auerroes su- 17
perius citatus, & in eius gratiam communiter medici tuentur, quartam figuram; primò quia fieri potest, vt medium prædicetur in maiori, & subiiciatur in minore, quidni enim? Secundò quia transpositis præmissis, quæ propositio est maior, potest esse minor, & quæ minor, rationem maioris obtinere, ac proinde subiici potest medium in minore, & prædicari in maiore, sicut opus est ad quartam figuram. Cæterum his argumentis factum est satis paulò suprà, eorumque leuitas contrariam sententiam haud parum eneruat.

Arguunt tertiò, & vtramque rationem nuper 18
propositam, ac dilutam confirmant: diuersa collocatio terminorum, videlicet medij & minoris, ac maioris extremi variat figuram syllogisticam, vt per se claret, & à nemine negatur: similiter ergò diuersa collocatio propositionum integrarum, qua nimirum vna est prior tempore, & alia posterior mutare poterit figuram, & præter vsitatas quartam aliam inuehere. Admisso antecedenti, nego consequentiam: prior enim collocatio est essentialis syllogismo, ab eiusque repræsentatione indistincta: itaque si mutetur, & medium v. g. quod alteri extremorum simul subiiciebatur, & de altero prædicabatur, postea, vel solius subiecti rationem habeat intuitu vtriusque, vel rationem solius prædicati, hoc ipso non manebit eadem essentia syllogismi, non eadem repræsentatio: cæterum posterior collocatio, seu dispositio præmissarum, ea videlicet quæ est penes tempus, nequaquam est essentialis syllogismo, sed contingens, & accidentaria: proinde figuram syllogisticam, siue ipsum syllogismum, qui est essentialiter in aliqua figura, non constituet: quam autem non constituit, eam neutiquam poterit distinguere, aut variare: principia namq; distincta rerum sunt earumdem constitutiua, & è conuerso.

19 Arguunt quartò: Ferio & Frisesomorum iisdem præmissis constant, videlicet altera vniuersali negatiua, & altera particulari affirmatiua: nihilominus sunt modi diuersi, propter diuersam collocationem earundem præmissarum; & quia est prior tempore in vno, quæ est posterior in altero, & viceuersa; similiter ergo præmissarum transpositio, ac diuersa collocatio poterit efficere diuersam figuram, &, præter tres, aliam quartam. Par argumentum fieri potest in Cæsare, & Camestres, atque in Disamis & Datisi. Sed inprimis argumentum insto: diuersa quantitas, & qualitas præmissarum distinguit modos, vt certo certius: & tamen nequit distinguere figuras: tum quia omnes modi eiusdem figuræ nihilominus sunt diuersæ quantitatis, & qualitatis, sin minus ex toto, at certè aliqua ex parte; tum etiam quia eadem quantitas, & qualitas præmissarum non facit eandem figuram, vt cernere est in Darij, & Datisi, in Celarent, & Cæsare, in Ferio, & Festino, & in hoc & Ferison: ergo nec diuersa diuersam: quamuis igitur transpositio præmissarum variet modos, non ob id poterit variare figuras, adeoque perperam ab illis ad has arguitur in præsenti.

20 Deinde respondeo, modum Ferialem ex. g. nullum animal est lapis, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo non est lapis, & eum, qui dicitur Frisesomorum, videlicet aliquis homo est animal, nullum animal est lapis, ergo aliquis lapis non est homo, haud quaquam differre, ob solam transpositionem præmissarum, sed ob diuersitatem conclusionis, quæ in vno est directa, & prædicat maius extremum, videlicet id quod habet rationem prædicati in præmissis, & in alio est indirecta, ac prædicat minus extremum de maiori, nimirum quod habet rationem subiecti in aliqua præmissarum, vt intuenti constabit: Quare stante eodem situ præmissarum in priori syllogismo, exempli gratia adducto, si inferatur conclusio indirecta, scilicet, ergo aliquis lapis non est homo, nihilominus erit syllogismus in Frisesomorum; sin autem inferatur directa, quæ est superius illata, nimirum ergo aliquis homo non est lapis erit in Ferio: par autem ratio posterioris syllogismi in exemplum adducti: haud ergo distinguuntur modi illi ob transpositionem præmissarum, diuersumque earum situm, sed propter diuersam conclusionem: Atque hinc est, vt vterque constet quidem eisdem præmissis materialiter, & entitatiuè sumptis, non tamen formaltter vsurpatis: siquidem propositio tenens locum maioris in vno, denominatur minor in alio, & quæ minor in alio, maior in priori, eò quod non parum conferat ad has denominationes præmissis tribuendas, quænam inferatur conclusio, iuxtà dicta cap. præcedenti. Vno verbo: maior Ferialis est vniuersalis negatiua, & minor particularis affirmatiua: è contrario verò maior, & minor Frisesomorum se habent: quare vterque modus non iisdem præmissis formaliter talibus siue non eadem maiore, eademque minore, sed præmissis eiusdem quantitatis, & qualitatis constant; quæ sunt longè diuersa, cum præmissæ quatenus tales formaliter non à quantitate, & qualitate, sed à dispositione medij sumantur.

21 Hinc etiam cernere est, quid dicendum sit ad modos Cæsare, & Camestres, nec non ad modos Disamis & Datisi: consimiliter enim differunt propter conclusiones quacumque demum ratione ponantur, transponanturvè præmissæ: En hunc syllogismum in Cæsare, nullus lapis est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis, & hunc in Camestres, omnis homo est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo, & uersis conclusionibus finiri, alterum videlicet propositione conuertente, & alterum propositione conuersa: En etiam hunc in Disamis, aliquis homo est animal, omnis homo est viuens, ergo aliquod viuens est animal, & hunc in Datisi, omnis homo est viuens, aliquis homo est animal, ergo aliquod animal est viuens in diuersas etiam desinere conclusiones. Quocirca in vtrisque sunt diuersæ præmissæ, si non materialiter, at formaliter sumptæ.

Quod si obiicias hunc syllogismum, nullus homo 22
est equus, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal non est equus, esse in Ferio; at etiam esse in Frisesomorum, per solam transpositionem præmissarum, hoc modo; aliquod animal est homo, nullus homo est equus, ergo aliquod animal non est equus, non verò per mutationem, & conuersionem conclusionis: si enim conclusio mutetur, conuertaturvè, atque ex superioribus præmissis inferatur, ergo aliquis equus non est animal, nihil concludetur profectò, sed potius existet falsa, & illegitima conclusio: cuius ratio à priori est quod particularis negatiua non sit conuertibilis formaliter, & per se, atque ad summum possit aliquando conuerti per accidens, & ratione materiæ. Quod si inquam ita obiicias, in promptu est responsio, eum videlicet syllogismum reduci ad Frisesomorum, in eoque collocari, per mutationem conclusionis directæ in indirectam, & conuersæ in conuertentem: quod autem hoc pacto concludatur falsum, haud est inconueniens: namque Frisesomorum non semper concludit verum, nec nisi quando termini sunt conuertibiles, aut ratione formæ, aut certè ratione materiæ: Ita superius lib. 4. tract. 2 c. 3. in solut. 4. arg. diximus ex doctrina non paucorum authorum modum Darapti haud concludere necessario verum, nisi quando termini sunt incomplexi: Aliæ huius difficultatis solutiones excogitari possent, quibus tamen refellendis, aut referendis non vacat immorari.

Alterum, quod hic disputandum occurrit, est qua- 23
lis figura præstantior sit? Quo in puncto mihi exploratum est, primam figuram reliquas antecedere: tum quia in ea propositiones omnis generis vniuersales nimirum, particulares affirmatiuæ, & negatiuæ concluduntur; tum quia plures modos continet; tum etiam quia perfectiores modos cohibet, vt potè ad quos reliqui reducuntur, vt clarius concludant; tum demum quia in ea medium perfectius copulatur cum extremis, quippè quæ interiacet: cum in aliis figuris medium per modum subiecti solius, aut prædicati solius, extremis adiaceat. Secunda autem figura, & tertia pares videntur: primò in virtute plura concludendi; nam licet illa vniuersales & particulares concludat, secus verò hæc, quæ solas concludit particulares, tamen è contrario hæc affirmatiuas, & negatiuas efficit. cum tamen illa solas negatiuas conuincat: Secundò pares sunt in numero modorũ: altera nãque, præter quatuor vulgares modos, Cesare nimirũ, Camestes, Festino, & Baroco, fortitur alios duos à nobis inferius exponendos, adeoque continet sex modos non minus quam tertia figura. Quamuis autem hanc in in eo superet, & excellat secunda figura, quod in secunda, medium, qui ex terminis syllogisticis potissimus, prædicetur, ac proinde locum præstantiorem obtineat; cæterum hic excessus compensatur; per hoc quod in tertia figura duo termini prædicentur ante conclusionem, nobilioremque sedem sibi vendicent; cum tamen in secunda figura ex tribus terminis

duntaxat

duntaxat vnus, videlicet medium, prædicati dignitatem occupet, antequam ventum sit ad conclusionem.

CAPVT III.

De modo Syllogistico directè, & indirectè, vtiliter, & inutiliter concludente.

24 MOdus syllogisticus est apta dispositio terminorum secundum quantitatem, & qualitatem, à quibus forma & figura abstrahunt; vnde in hoc à modo differunt. Porrò quantitas in quauis figura quadruplex esse potest: aut enim præmissæ ambæ vniuersales sunt, aut ambæ particulares, aut maior vniuersalis, & minor particularis, aut è conuerso minor vniuersalis, & maior particularis. Qualitas etiã præmissarum, qua nimirum affirmant, & negant, sensu in tempore explicato, eadem ratione quadrupliciter findi potest. Quadruplex autem quantitas cum quadruplici qualitate combinata sexdecim modos in quauis figura varia; quatuor enim quater ducta sexdecim sũt; at ter sexdecim quadraginta octo deducunt; vnde in tribus figuris totidem modis præmissæ variantur: porrò ex iisdem præmissis vna sola conclusio directa colligi potest: quare si tot nobis præmissæ variari possunt, quot enumerati sunt, totidem erunt conclusiones directæ ac proinde totidem modi syllogistici qui directè concludant.

25 Roges, cur ex iisdem præmissis diuersæ conclusiones directæ oriri non possint, sicut è conuerso eadem conclusio directa ex diuersis oritur præmissis? Respondeo, conclusionem nasci ex præmissis vi medij, quod, cum multiplex esse possit respectu vnius conclusionis, præmissas multiplicare potest. Quod autem eædem præmissæ eodem semper modo concludant, ex eo oritur, quod iisdem extremis præmissæ, & conclusio constare debeant: quare, si præmissæ sint eædem, eadem erunt extrema præmissa, ac proinde concluſa: vnde conclusio tantum variari poterit, penes directam, aut indirectam combinationem extremorum quibus gaudet.

26 Ex quadraginta octo modis directis quatuordecim tantum vtiles sunt, & vi formæ concludunt, reliqui triginta quatuor inutiles sunt. Modos vtiles his versiculis B. Thomas opusc. 48. tract. de syllogismi capite 8. & communiter cæteri dialectici complectuntur.

Barbara Celarent Darij Ferio Baralipton
Celantes Dabitis Fapesmo Frisesomorum,
Cæsare Camestres Festino Baroco Darapti
Felapton Disamis Datisi Bocardo Ferison.

Vt autem quantitatem, & qualitatem cuiusque modi intelligas, in memoriam reuocari debent ij versiculi, Asserit A. negat E. sunt vniuersaliter ambo: asserit I. negat O. sunt particulariter ambo: habent enim in his modis locum: quare hic syllogismus, omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergò omnis homo est rationalis est in Barbara: & hic syllogismus, omne animal est viuens, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo est viuẽs, est in modo regis Darij: cæterorum etiam modorum paradygmata cuiuis erunt in promptu, dummodo vim quatuor illarum vocalium attingat. Rursus aduertendum, in Baralipton quartam syllabam & in Frisesomorum tum quartam, tum etiam quintam haud esse modales, sed solius metri causa apponi. Priores nouem modi adprimam attinent figuram, & ex nouem quatuor primi directè concludunt; cæteri quinque tantum indirectè. Quatuor modi sequentes ad secundam, & sex postremi ad tertiam figuram spectant.

Vt verò non solum in arguendo quid sequi, verumetiam quid fugere debeas, præ oculis habeas, omnes modos inutiles ad hos versus redegi. 27

Bibilis & Colophon Priami Enterpeque canora
Laertes Catochos Lepontes dolce Moreton,
Ictheros, atque Oriõ Rophalon, flammansque piropos,
Balsama, Virgilij, Paridis, quibus adde Mylacrin
Et Venerem, Prologon, magnum Xenophonta, & Homeron;
Philopolin Monachon polypo gelidumque Philæon
Mamertes Polemon Monocor Libitina Megaræ
Meloboſis Corydon Philocor, Latomosque Philamon.

Ex his modis inutilibus duodecim priores, primis tribus versibus contenti, ad primam figuram spectãt. Duodecim sequentes tribus versiculis sequentibus comprehensi ad secundam attinent. Decem verò posteriores duobus postremis versiculis cohibiti tertiæ figuræ sunt proprij. Pro quorum luce, & intelligentia regulæ pro vtilibus traditæ obseruari debent; & insuper nulla epithetorum, seu adiectiuorum, aut coniunctionum est habenda ratio.

CAPVT IV.

Alij quinque modi vtiles adduntur.

PRæter vnde viginti modos vtiles, versibus illis Barbara, Celarent, &c. comprehensos, & communiter in scholis circumferri solitos, ipse alios quinque haud minus vtiles à quibusdam Summulistarum antiquorum relatos, atque reiectos; à neotericis verò penitus omissos adstruere non dubito; quos sequenti carmine complector. 28

Thersandros Phalaris Pelago Centauro & Arestor.

De his tria mihi probanda sunt: primum, quinque illos vtiles esse, & à cæteris distingui: Secundum, plures non reperiri: tertium, eos omnes excepto Pelago mixtos esse, & partim directos, partim indirectos, quod iam spectat ad quæstionem de vocabulo.

Vt autem à Phalari incipiam, v. g. omnis homo est rationalis, omne risibile est homo, ergo aliquod risibile est rationale, is quidem ad concludendum vtilis est, vt intuenti per se constat, vtque apparet ex regula illa dialectica, quoties infertur subalnans, rectè inferri poterit subalternata: syllogismus autem Phalaricus à Barbarico non differt nisi in sola conclusione, quæ in illa est subalternata & particularis, & in hoc subalternans, & vniuersalis: igitur non minus vtiliter Phalaris quam Barbara concludit. Quod autem sit diuersus à reliquis modis hucusque assignatis probatur: quoniam, si cum aliquo recurreret, & esset idem, maximè cum Barbara, aut Baralipton: non cum Barbara; tum quia diuersa conclusio, diuersum modum efficit, vt ex Barbara & Baralipton apertè constat: at conclusio Barbarica & Phalarica diuersæ sunt, cum alia sit vniuersalis, alia particularis: tum secundò & magis efficaciter, quia cum loco conuersæ infertur propositio conuertens, diuersus modus resultat esto præmissæ sint eædem, vt omnes modi indirecti demonstrant: quoties igitur loco subalternantis infertur subalternata, sicut in Phalari ad Barbaram comparata vsuvenit, diuersus existet modus: consequentia est perspicua, siquidem subalternans, & subalternata plus differunt, quam conuertens, & conuersa, spectatis vtrarumque generibus, cum illæ in quantitate necessario differant, & altera sine altera possit esse vera, aut falsa, 29

hæ vero nec in quantitate necessariò dissideant, nec vna sine alia possit esse veritati, aut falsitati obnoxia: quamobrem, hæ si modum variant, idipsum præstare poterunt illæ à fortiori: tum quia tam differunt in prima figura Phalaris, & Barbara, quam in tertia Darapti, & Balsama, vt euidens est ex sola apprehensione terminorum: at in tertia figura Darapti & Balsama sunt modi diuersi, alter videlicet vtilis, & alter inutilis: ergò & Barbara & Phalaris modi diuersi esse debent. Tum demum quia in modis Disamis, ac Datisi præmissæ sunt entitatiuè eædem, &, quamuis differant quoad artificium formale maioris, & minoris, hoc tantum prouenit à diuersitate conclusionis, quæ in vno subiicit extremum, quod in altero prædicatur, & è conuerso: quocirca totum discrimen eorum modorum, præmissarumque quibus constant, acceptum referri debet diuersis illorum conclusionibus: at luce clarius est, conclusionem Barbaricam, ac Phalaricam non minus inter se differre, quam propositiones, quibus concludunt Disamis ac Datisi: hi ergo cum sint modi diuersi, tales non esse non poterunt Phalaris, ac Barbara.

30 Quod autem Phalaris differat à Baralipton suadetur: quoniam Baralipton prorsus indirectè concludit, vtpote qui prædicatum maioris, seu maius extremum in conclusione subiicit, non prædicat: at Phalaris quodammodo directè concludit, cum prædicatum maioris extremumve maius in conclusione prædicet, non subiiciat. Rursus conclusio Baraliptica conuertit per accidens conclusionem Barbaricam: at conclusio Phalarica eius non est conuertens, sed potius subalternata: Phalaris igitur, & Baraliptō diuersa ratione concludunt. quod satis est ad variandos modos. Eodem pacto suaderi potest Thersandron esse modum diuersum à Celarent, Pelagon à Celantes, Centauron à Cæsare, & Arestora à Camestres, atque omnes vtiliter concludere, vt expendenti liquebit.

31 Restat secundo probandum, hos modos à nobis superadditos esse quinque, & non plures, nec pauciores, quod ex superioribus potest haud ægrè præstari. Siquidem quinque tantum modi, nimirum Barbara, Celarent, & Celantes in prima figura, ac Cæsare, & Camestres in secunda figura vniuersaliter concludunt: at modi à nobis superadiecti tum duntaxat locum habent, cum loco conclusionis vniuersalis infertur particularis: tales igitur modi tantum erunt quinque, Thersandros scilicet, Phalaris, & Pelagos, qui ad primam figuram, Centauron & Arestor, qui ad secundam suo quasi iure spectant.

32 Tertium & vltimum, quod pollicitus sum, in hunc modum præsto: Phalaris, v.g. prædicatum maioris prædicat in conclusione, & subiectum minoris in ea subiicit, qua in re cum modis directis conuenit: deinde quantitatem conclusionis mutat, & loco vniuersalis particularem infert, atque adeò totam conclusionem mutat, qua in re cum modis indirectis conuenit: ergo nec indirectus, nec directus est, sed ex vtroque mixtus, & inter vtramque medius. Confirmatur: vulgares modi directi, & indirecti tantum sunt vnde vinginti: sed ab omnibus his distinguuntur quatuor modi, de quibus loquimur: ergo sunt ex vtrisque mixti. Data autem opera excepimus Pegason: est enim modus indirectus, cum more cæterorum indirectè concludentium minus extremum in conclusione prædicet de maiore, & hoc illi subiiciat: Quinetiam est cæteris magis indirectus, cum mutet conclusionem directam, tum modi celarent, tum etiam modi Celantes: illam, propterea quod eam conuertat per accidens, & eius prædicatum subiiciat, ac subiectum prædicet: hanc, propterea quod eius subalternatam inferat.

CAPVT V.

Soluuntur argumenta quædam aduersus numerum modorum à nobis constitutum.

33 OPponi solet in primis à medicorum schola aduersus numerum modorum directè concludentium à nobis assignatum. Nequit idem modus esse in duabus figuris, quantumvis in quantitate, & qualitate sit idem; aliàs Celarent, ac Cæsare non essent modi diuersi, nec Darij & Datisi, nec Ferio & Festino, nec Baralipton, & Darapti: sed datur quarta figura: igitur præter modos directos trium figurarum assignandi sunt alij plures, qui videlicet ad quartam illam figuram spectent, eiusque solius sint proprij. Respondeo eiusmodi quartam figuram velut impossibilem, & commentitiam superius esse reiectam, & potuisse medicos, vt falsè iocantur in eos nostri Conimbricenses lib. 1. prior. cap. 7. q. 1. art. 1. *minus esse sollicitos de quatuor figuris in syllogismo, quam de quatuor humoribus in corpore: nec enim si vna figura destituatur, continuò ægrotabit, vt corpus absque quarto humore.*

34 Opponi consueuit secundò aduersus senarium modorum indirectè concludentium à nobis statutum, videlicet Baralipton Celantes Dabitis Fapesmo Frisesomorum, & Pelagon plures alios assignari oportuisse: cur enim, sicut sex illi in prima figura concludunt indirectè, non sint similiter in secunda, & tertia figura quidam alij indirectè concludentes? Respondeo, nullos esse modos, qui in secunda, & tertia figura possint indirectè concludere. Nam indirecta conclusio est, in qua prædicatum maioris subiicitur, & minoris prædicatur; sed in secunda figura nullus modus reperiri potest, qui prædicatum maioris in conclusione subiiciat, cum prædicatum maioris sit medium, quod conclusionem non ingreditur: nullus igitur modus esse potest indirectè concludens in secunda figura. Rursus in tertia figura prædicatum maioris nequit in conclusione subiici; aliàs non maior, sed minor foret, cum maior à prædicato conclusionis, & minor ab eius subiecto denominetur; quæ ratio secundæ etiam figuræ deseruit.

35 Confirmatur & declaratur paulò aliter solutio: nam Aristoteles 1. prior. cap. 6. docet illud esse maiu- extremum in secunda figura quod est magis propinquum medio, minus verò quod ab eo longiori distat interuallo: cuius doctrinæ sensus est, extremum illud esse maius in hac figura, quod in prædicando magis accedit ad naturam medij, siue quod prædicatur in conclusione, sicut medium in præmissis, minus verò quod prædicationem medij non imitatur, sed potius subiicitur in conclusione, vt vt medium prædicetur in assensu præmissarum: Porrò idem Aristoteles sequenti cap. 7. docet contrà illud esse maius extremum in tertia figura, quod magis abest à medio, & minus, quod ei propius accedit: huius autem doctrinæ intellectus est, maius extremum in hac figura esse, quod prædicatur in conclusione, & minus quod in ea subiicitur; quare, cum in eiusmodi figura medium subiiciatur in præmissis, maiorem cum medio propinquitatem, seu vicinitatem esse

propriam

propriam minoris extremi, & minorem eſſe propriam eius extremi, quod vocari maius aſſolet. Quæ cum ita ſint, fieri non poteſt, vt maius extremum ſubiiciatur in concluſione vlla ſecundæ, aut tertiæ figuræ, aut minus extremum prædicetur: oporteret autem maius extremum ſubiici, & minus prædicari in concluſionibus ſecundæ, & tertiæ figuræ, ſi in vtraque modi aliqui indirectè concludentes locum haberent.

36 Vlterius aſſignato hoc ſyllogiſmo directè concludente in Cæſare v.g. nullus lapis eſt homo, omne rationale eſt homo, ergo nullum rationale eſt lapis, cedo alium indirectum in ſecunda figura ei priori correſpondentem, quemadmodum tn prima figura modo Celarẽt correſpondent Celantes, Pelagos, & Fapeſmo, & modo Feriali, Friſeſomorum, & ei, qui Barbara dici ſolet, Baralipton, & modo regis Darij, Dabitis? Dices hunc, nullus lapis eſt homo, omne rationale eſt homo, ergo nullus lapis eſt rationalis. Contra tamen, quia hic modus indirectè concludendi differt à Cameſtres ſola tranſpoſitione præmiſſarum, vt intuenti conſtabit: iam ergo præmiſſarum tranſpoſitio ac diuerſus eas proferendi ordo modos variabit: conſequens autem eſt abſurdum: magnopere enim confert ad inferendam concluſionem in quonam modo ſit ſyllogiſmus: at ad eius illationem nihil intereſt, quænam præmiſſa ſit prior tempore, quænam poſterior: haud ergo conſtituit, haud variat modum ordo præmiſſarum earumvè tranſpoſitio: Huc etiam adhiberi poſſunt cætera ferè argumẽta, quibus ſupra probatũ manet, figuras minimè variari ob tranſpoſitionẽ præmiſſarũ. Pari ratione poteſt oppugnari quiuis alius modus indirectus ſecundæ, & tertiæ figuræ: Atque vtramque omni virtute indirectè concludendi deſtitutam eſſe tuentur, præter alios, Fonſeca lib. 6. inſtit. c. 13. & Conimbr. 1. prior. cap. 7. q. 2. art. 1. vbi addunt, ſententiam hanc noſtris temporibus eſſe magis communem, atque receptam.

37 Enimverò contrarium docent B. Thomas opuſc. tract. de ſyllog. cap. 8. Scotus 1. prior. q. 23. & 24. Sotus lib. 5. ſumm. cap. 5. & 6. Toletus lib. 4. introduct. cap. 7. Hurtadus diſp 10. log. ſect. 18. & 19. Auerſa quæſt. 25. log. ſect. 8 §. *dicendum tamen eſt* Marſilius lib. 1. prior q. 31. Sueſſ. & commentator eodem lib. cap. 8. Titelman. in log. lib. 4. de ſyllog. cap. 12. Ratio huius ſententiæ eſt, quoniam in ſecunda, & tertia figura reperitur maius & minus extremum in ipſis præmiſſis, antea quam ventum ſit ad concluſionem, & quin altervtrum denominetur ab ordine, quem in ea ſeruant inuicem: illud enim erit in vtrauis earum maius extremum, quod in præmiſſa prius tempore prolata exiſtit, dignioremque hoc titulo locum obtinet: illum verò minus, quod conſtituit, & ingreditur præmiſſam ſubſequentem: poteſt ergo in his figuris non ſolum maius extremum, ſiue prioris præmiſſæ proprium de minori extremo prædicari, ſed etiam minus extremum ſiue poſterioris præmiſſæ conſtitutiuum de maiori, ſicut ad indirectam concluſionem oportet: conſequentia ſponte ſua eſt perſpicua: ſuadetur antecedens primò, quia maius, & minus extremum talia cenſentur per eorum complicationem cum medio, præſtantiorem, aut minus præſtantem: at non niſi in præmiſſis poſſunt, aut ſolent cum eo complicari: ſecundò quoniam in præmiſſis antecedenter ad concluſionem reperitur tota ratio diſtinguendi vnam figuram ab alia, provt nimirum in eis medium, aut omninò ſubiicitur, aut omninò prædicatur, aut ſubiecti ſimul, & prædicati vicem obtinet: ergo & diſtinguendi maius extremum à minori: tertio, quia in prima figura maius, & minus extremum diſtinguuntur ſine reſpectu ad concluſionem, & per ſolum ordinem, quo in præmiſſis coniunguntur cum medio: quidni ergo & in ſecunda, ac tertia figura? quartò quoniam alias quinque modi indirecti primæ figuræ haud eſſent tales, ſed potius modi directi, quartamque conſtituerent figuram: ſiquidem in eis ſemper maius extremum de minore prædicaretur in aſſenſu concluſionis, non ſecus atque vſuvenit in modis omnibus ſecundæ, & tertiæ figuræ: debent ergo eſſe directi: quare cum concludere nequeant directè in prima figura, vt omnibus eſt exploratum, & multo minus in ſecunda, & tertia, reſtat, vt in alia quarta: præſertim cum hæc dicatur ea in qua maius extremum ſubiicitur medio in præmiſſis, & minus de illo prædicatur: hoc autem videtur neceſſarium eſſe in eiuſmodi quinque modis iuxtà iamiam dicta: quintò quia in ſecunda figura modus Feſtino v.g. tantum concludit vtiliter, quando prædicat maius extremum de minori, hunc in modum; nullus homo eſt equus, aliquod animal eſt equus ergo aliquod animal non eſt homo: eius autem præmiſſæ concludunt inutiliter, & falsò ſi è contrario prædicent vi concluſionis minus extremum de maiori hoc pacto; nullus homo eſt equus, aliquod animal eſt equus, ergo aliquis homo non eſt animal: hæc autem regula huic modo, & aliis ſecundæ, & tertiæ figuræ communis ſupponit maius, & minus extremum in illis reperiri ante concluſionem ex parte ipſarum præmiſſarum: alioqui erit inutilis, & nugatoria, atque, cum præcipit maius extremum in Feſtino & ſimilibus modis ſecundæ, & tertiæ figuræ debere prædicari de minori, ad vtiliter concludendum; hoc tantum præcipiet, id prædicandum eſſe in concluſione, quod in ea prædicatur, & quod in ea ſubiicitur hoc ſubiiciendum: cauebit etiam ea regula quod eſt impoſſibile, & cuius nullum eſt periculum: ſi enim maius extremum eſt, quod prædicatur in concluſione, & minus quod in ea ſubiicitur; quî fieri poteſt, vt è conuerſo minus in ea prædicetur & ſubiiciatur maius? ne ergo intellectus erret, minus extremum in concluſione aliqua ſecundæ, aut tertiæ figuræ de maiori prædicando nullius regulæ neceſſitas eſt, nullius vtilitas.

Reſpondeo tamen negato antecedenti: ad primam 38
eius probationem nego maius aut minus extremum dici talia per ſolam eorum complicationem cum medio, quando hæc eſt æqualis, & alterutrum ei ſubiicitur, devè eo prædicatur, vt in ſecunda, & tertia figura vſuuenit, ſed præterea per hoc quod alterum ſubiiciatur alteri in aſſenſu concluſionis. & alterum de altero prædicetur. Ad ſecundam probationem reſpondeo, in primis eam, vt aiunt, inſtando: nam tranſpoſitio præmiſſarum iuxtà Hurtadum; Auerſam, & pleroſque aduerſariorum, non diſtinguit vnam figuram ab alia: ergò nec maius extremum à minori: deinde idcircò per ſolas præmiſſas diſtinguitur vna figura ab alia, quoniã in illis per ſe loquẽdo, & nõ per accidẽs, aut vi alicuius cõtingentis trãſpoſitionis cõiungitur diuerſimodè medium cum extremis, videlicet inſtar ſubiecti, & prædicati ſimul aut ſolius ſubiecti, aut demum ſolius prædicati: at extrema eodem modo per ſe comparantur in præmiſſis cum medio in ſecunda ſiue in tertia figura ſigillatim ſumptis: ergò in ſolis præmiſſis non eſt ratio diſtinguendi vnum extremum ab alio, maius ſcilicet à minori, & e conuerſo.

Ad tertiam probationem reſpondeo; propterea in 39
prima figura diſtingui maius extremum à minori,

munere non conclusionis, sed duntaxat præmissarum, quia in eis vnum extremum subiicitur medio, & de eodem prædicatur aliud, hæc autem ratio non procedit in secunda, & tertia figura, quarum præmissæ vtrumque extremum, aut simul prædicant, aut simul subiiciunt. Ad quartam probationem respondeo, in eo deficere, quod supponat, primæ figuræ modos indirectos non habere maius extremum, & minus in ipsis præmissis secundum se spectatis, sed potius illud in eis dici maius extremum, quod prædicatur in assensu conclusionis, & minus, quod in eo subiicitur: huius autem contrarium verius esse, in solutione præcedentis probationis manet ostensum.

40 Ad quintam, & postremam respondeo, in modo Festino, quoduis extremum indifferenter, & ex æquo inferri concludivè posse de alio, eamque regulam, qua statuitur in eo & quocunque alio simili duntaxat maius extremum de minori posse concludi, non autem è conuerso, haud quaquam esse veram aut Aristotelicam: Quod autem hinc sequitur, modum Festino, eiusvè præmissas, quo tantum sensu de eo in præsenti loquimur, interdum posse falsum concludere, non est absurdum: tum ergo hic modus, & alius quiuis ei similis locum habet, tum vtiliter, & sine periculo falsitatis concludet, quandò termini conclusionis sunt conuertibiles negatiuè, siue quandò se negant conuertibiliter, & mutuò, secus verò si se aliter habeant: vt in simili diximus superius c.2. de modo Frisesomorum. Vno verbo: præmissæ modi Festino, Frisesomorum, & similium sunt apti ad concludendum vtiliter quoduis extremum de alio, & è conuerso, quoties extrema non se habuerint, velut superius, & inferius instar animalis verbi gratia & hominis.

41 Præterea tertiò opponi potest aduersus quinque modos vtiles à nobis superadditos, eorum haud meminisse Aristotelem: nullis item eos dictionibus more reliquorum comprehendi: ac denique sponte sua euidens esse, subalternatam sequi ex præmissis, vnde sequitur subalternans; haud ergo esse necesse, haud vtile modos vllos adstruere, quibus hoc solum præcipiatur, ac doceatur, propositionem aliquam subalternatam inferri ex præmissis quibusdam, vnde iuxta regulas Aristotelicas, & communes infertur subalternans: quocircà modos hos à nobis supperadditos iampridem fugillasse videtur Dominicus Sotus lib.4. summ.c.4. not.3. *omnis*, inquiens, *syllogismus inferens vniuersalem, infert subinde indefinitam, & particularem subalternas, vt ait Aristot. 2. prior. Et ideo nec Aristoteles, nec Petrus Hispanus distinguunt diuersos modos, quorum alius concludat vniuersalem, & alius particularem subalternam vt Barbara, & Barbari, sed pro eodem reputantur.*

42 Respondeo, Aristotelē etiā præter duos modos indirectos primæ figuræ vltimos, nimirum Fapesmo, & Frisesomorum, aliorum non meminisse, vt testantur Conimb.1. prior. cap.7. quæst. 2. art. 1. vtque perspicuè liquet ex eius operibus: Nihilominus Theophrastus eius discipulus, Eudemus, Porphyrius, & Boetius lib.2. de syllogismo cathegorico cap.4. & post eos cæteri communiter dialectici tres alios indirectos admittunt, videlicet Baralipton, Celantes, Dabitis: quamuis ergò non expressit Aristoteles nostros quinque modos, haud propterea sunt explodendi: aliud enim est, eorum non meminisse, propterea quòd reduci poterant ad eos quos assignauit, aliud, eos reiecisse: prius illud admittimus, secus verò posterius. Iam quod nullis dictionibus signentur more cæterorum, quid interest? nullæ namque sunt impositæ modis indirectis secundæ, & tertiæ figuræ, nullæ inquam propriæ, nullæ, nisi vulgares detortæ paululum, atque inuersæ: multi tamen eorum, quibus cum disceptamus, eiusmodi propterea modos indirectos haud respuunt: nulla etiam vocabula instituta sunt ad repræsentandos modos proprios syllogismi expositorij, hypothetici, aut modalis: quis tamen eos hoc nomine reiiciat? Modi ergo à nobis additi, non quod nulli, sed quod nō adeo inusu, nominibus hactenus caruere propriis.

Porrò quod eiudens sit, subalternatam ex iisdem 43
fontibus, vnde subalternans exit, deriuari, haud arguit, modos hos nostros reiiciendos esse: siquidem euidens etiam est, ex quibuscunque præmissis oritur conuersa, deduci posse conuertentem, propter huius ex illa necessariam sequelam: quare vel cum Auerroe modi omnes indirecti primæ figuræ respui debent, cum penes solam conuersionem conclusionum differant à modis directis eiusdem figuræ, aut certè hi nostri modi debent admitti, quantumuis eorum conclusiones sint propositiones subalternæ conclusionum, quas Aristotelici, & vulgares præcipiunt. Rursus euidens est, quotiescunque conuertitur aliqua propositio per aliquam vniuersalem, & subalternantem, conuerti quoque posse per particularem, & subalternatam, cum conuerti vnam propositionem per aliam sit, hanc ex illa inferri transmutatione quadam terminorum prius facta, fierique non possit, vt subalternans alicunde inferatur, vnde non sit possibilis illatio subalternatæ. Nihilominus distinguitur communiter ab omnibus dialecticis duplex conuersio propositionis vniuersalis negatiuæ: vna simplex, & facta per subalternantem, vt nullus homo est lapis, ergò nullus lapis est homo: & alia per accidens, ac facta per subalternatam, vt nullus homo est lapis, ergo aliquis lapis non est homo, iuxtà versiculum illum in scholis tritum. Simpliciter feci conuertitur, Eua per Acci. Similiter ergò quamuis euidenter pateat, subalternatam inferri directè, & absque vlla conuersione, aut transmutatione terminorum ex præmissis subalternantis, haud tamen erit superfluum distinguere, & adiicere modos quosdam, in quibus talis illatio magis in particulari exprimatur. In summa; regulæ conuertendi multiplicantur propter solam diuersitatem propositionis subalternantis, & subalternatæ, quantacunque claritate vna contineatur in alia: eius ergo solius gratia multiplicari etiam poterunt regulæ, seu modi syllogizandi.

Aduersus numerum modorum inutilium à nobis 44
constitutum plura quoque possunt obiici, pro quorum solutione in generali (haud enim ea figillatim expendere vacat) duo sunt animaduertenda: Primum est, nobis sermonem fuisse de modis inutilibus ratione solius quantitatis, & qualitatis inuicem diuersis, quos totidem esse, quot enumerauimus est certo certius; non verò de modis inutilibus, qui in quantitate, & qualitate cum vtilibus, & proficuis conueniunt, solúmque sunt ratione alicuius sophismatis inutiles: hi siquidem possunt infinities plurificari. Secundum est, triginta quatuor modos inutiles à nobis assignatos esse, spectata quidem quantitate, & qualitate solarum præmissarum: quod si spectetur etiam quantitas, & qualitas conclusionum, profectò aliis etiam triginta quatuor modi inutiles, ac distincti à prioribus assignandi sunt: vt si pro Bilbili dicatur Bilbilas, pro Colophon Colophan, pro Euterpe Euterpos, pro Balsama, Balsami, &c. Sicut enim diuersa conclusio modum vtilem variat, quidni & inutilem?

CAPVT

CAPVT VI.

Quibus principiis modorum vtilium vtilitas, & inutilium inutilitas nitantur.

45 QVod ad primum attinet, duo principia generalia assignari solent : Primum metaphysicum ; quæ sunt eadem vni tertio , sunt idem inter se, quæ non sunt eadem vni tertio , sed potius alterum ei idem, alterum ab eo diuersum non sunt idem inter se: Secundum dialecticum; quod priori Aristoteles superimposuit , videlicet dici de omni, & dici de nullo : id est , quod prædicatur de aliquo superiori, prædicatur de omni contento sub illo ; vel , vt aliis verbis expressit B. Damascenus in log. cap. 8. *quæcunque prædicantur de aliquo vt de subiecto, id est, vniuocè , & de subiecto ipsius prædicabuntur* : quod verò negatur de aliquo superiori, negatur etiam de omni contento sub illo. Priori ergo principio omnes modi vtiles nituntur, cum in omnibus ex identitate extremorū cum medio in præmissis affirmata, aut negata , eorumdem identitas , aut distinctio inter se in exclusione colligatur. Posteriori verò quatuor modi directi primæ figuræ innituntur , quippè qui maius extremum inconclusione de minori negant , aut affirmant , eò quod illud affirmarint aut negarint in præmissis de medio, sub quo continetur minus extremum : cæteri vero modi huic principio reductiue tantum innituntur.

46 Duo itidem sunt principia quibus omnes modi vtiles innituntur, indirectè quidem, & reductiuè: alterum metaphysicum, videlicet impossibile est idem simul esse, & nō esse: alterum dialecticum metaphysico respondens, nimirum duæ contradictoriæ simul veræ esse non possunt. Nam , vt inferius constabit, conclusionem in aliquo modo vtili negans , postquam concessit præmissas, eò reduci potest , vt idem posse simul esse, & non esse, ac duas contradictorias esse posse simul veras , cogatur fateri : cogi autem ad hoc potest, vel sola propositione , & explicatione terminorum in quatuor modis perfectis primæ figuræ, vel in aliis imperfectis, cuiuscunque sint figuræ, eos reducendo ad perfectos, arte illa, & industria: de qua statim duobus capitibus sequuturis.

47 Quod ad secundum attinet quatuor principia cuiuis figuræ generalia sunt , ex quibus plurium modorum colligitur inutilitas : Primum est : ex duabus particularibus præmissis , aut ex duabus negatiuis nil sequitur. Probatur , tum à posteriori in Bilbili & Colophone: tum à priori, quia, cum ambæ præmissæ particulares sunt, extrema non sunt eadem vni tertio simpliciter , & verè : termini enim indeterminatè & disiunctiuè sumuntur : indeterminata autem, & disiunctiua identitas non est simpliciter, & verè identitas , aliàs lapis absolutè Deus esset , cum quo indeterminatè sumpto identificatur, propterea quod verum sit, lapidem esse vel Deum, vel creaturam : vnde non mirum , si in conclusione esse nequeant eiusmodi extrema inter se eadem : cum verò ambæ præmissæ negatiuæ sunt , extrema non sunt eadem vni tertio : ex eo autem quod extrema alicui tertio eadem non sint, nec infertur eorum inter se identitas, nec distinctio , quandoquidem in alio medio vniri possunt, aut diuidi.

Secundum principium generale est : ex nulla præmissa particulari conclusio vniuersalis , & ex nulla negatiua sequi potest affirmatiua , tametsi altera præmissa sit vniuersalis, aut quidpiam affirmet. Probatur , tum à posteriori in Catocho & Laerte tum etiam , quia hic sicubi alias locum habet commune prologium , conclusio deteriorem partem sequitur, neutiquam profectò sequutura, nisi esse debeat particularis , ac negatiua , quoties altera præmissa fuerit particularis, & negatiua : tum denique à priori , quoniam non plura identificari debent inter se in conclusione , quam identificantur vni tertio in præmissis : contrarium autem eueniret , si ex altera præmissa particulari sequeretur conclusio vniuersalis, vt cernere est in hoc syllogismo, aliquis homo currit , omnis homo est animal , ergò omne animal currit, haud enim omne animal, sed aliquod identificatur in præmissis cum currente vni tertio; videlicet in homine : rursus distinctio vnius extremi , aut alterutrius à medio in alterutra præmissa negatiua formaliter expressa nequit inferre immediatam identitatem extremorum in conclusione repræsentatam, vt constat ex numero superiori.

Tertium est : medium in aliqua præmissarum 48
perfectè , & completè distribui debet , hoc est, pro omnibus accipi debet, pro quibus potest. Probatur à posteriori , quoniam idcircò hic arguendi modus inutilis est , omne animal fuit in arca Noe , Bucephalus Alexandri est animal, ergò fuit in arca Noe; nec non hic , essentia diuina est pater, filius est essentia diuina , ergo filius est pater : A priori verò, quia si medium completè distributum non sit , non erit propriè vnum comparatione extremorum , nec hæc vni tertio eadē erunt, vt per præfata exēpla intuenti elucescet. Quartum est, nullus terminus non distributus in præmissis in conclusione distribuendus est: qua ratioe hic syllogismus paralogysmus est, omnis homo est animal, omnis homo est substantia, ergò omnis substātia est animal; probatio autem eius principij à priori est talis : nequit plus inferri in conclusione , quam in præmissis expressum fuerit, iuxtà paulò superius dicta , inter probandum secundum generale principium : huius autem contrarium eueniret , si qua conclusio distribueret terminum aliquem non distributum in præmissis.

Præter hæc quatuor principia cuiuis figuræ 49
generalia quædam sunt aliquarum propria , & specialia, & quæ non omnibus inseruiunt. Pro prima figura sit hoc: ex maiori particulari , aut minori negatiua nil vi formæ concluditur. Pro secunda figura: ex duabus affirmatiuis; aut maiore particulari nil vi formæ sequitur. Pro tertia: ex minori negatiua nil formaliter efficitur. Quæ tria principia particularia , & à posteriori euidentia sunt , vt versus illos Bilbilis, & Colophon &c. expendenti constabit, & à priori iisdem ferme rationibus possunt, quibus generalia , probari: eorum autem exempla in obuio sunt, & propterea à nobis omittuntur.

CAPVT VII.

Reductio syllogismorum ostensiua , & per impossibile.

SYllogismi omnes in quatuor primis modis pri- 50
mæ figuræ adeò euidenter concludunt , vt qui concessis eorum præmissis consequentiam tamen negaret , duas contradictorias expresè concederet: siquidem in Darij qui concedit has præmissas , omnis homo est animal, Petrus est homo, expresè largitur hanc propositionem, Petrus, qui est homo , est

animal;& qui negat in Darij hanc consequentiam, ergo Petrus est animal,expressè concedit hanc propositionem, aliquis homo, non est animal: ast omnem hominem esse animal,& aliquem non esse animal,siue,quod in idem recurrit,Petrum esse animal, & Petrum non esse animal contradicunt inuicem: qui ergo concessis præmissis, conclusionem in modo regis Darij negat, is duas contradictorias dupliciex titulo cogitur expressè fateri: quod in aliis tribus modis cernere est eadem fermè claritate, & euidentia. Reliqui verò syllogismi haud adeò euidenter concludunt: proinde siue sint in aliis figuris, siue in modis indirectis primæ figuræ reducendi sunt ad quatuor illos priores: quod dupliciter fieri potest: videlicet aut per ostensionem, aut per impossibile.

51 Reductio ostensiua fit, aut sola mutatione subiecti in prædicatum, & è contrario, seu conuersione propositionis, aut simul transmutatione maioris in minorem, aut è diuerso. Pro cuius luce,& intelligentia præmitto, omnes modos imperfectos reduci ostensiuè ad perfectos,cum quibus in littera inchoatiua conueniunt v. g. Baralipton, Baroco, Bocardo ad Barbara: Dabitis, Darapti, Disamis,& Datisi ad Darij; & sic de reliquis. Præmitto secundò, quemuis modum imperfectum intra se claudere aliquam ex his quatuor litteris S. P. M. C. ex quibus S. denotat propositionem anteriorem, seu, quod perinde est, anteriori vocali significatam, conuertendam simpliciter. P. verò per accidens M. maiorem cum minori, aut è contrario commutandam. C. demum reductione ostensiua eum modum carere, & solius impossibilis capacem. Quod versiculis sequentibus complexi sunt dialectici.

Simpliciter verti vult. S. P. vero per Acci
M. vult transponi, C. per impossibile duci.

52 His positis,syllogismus in Datisi v. g. omnis homo est animal, aliquis homo est viuens, ergo aliquod viuens est animal sola conuersione simplici minoris, quam sygma medium postulat, ad Darij in hunc modum ostensiuè reducitur; omnis homo est animal, aliquod viuens est homo, ergo aliquod viuens est animal. Rursus hic syllogismus in Felapton,nullus homo est lapis, omnis homo est animal ergo aliquod animal non est lapis,conuersa per accidens minori propositione pro eo ac P.medium exposcit ad modum Ferialem,cum quo in littera inchoatiua conuenit ita reducitur ostensiuè,nullus homo est lapis, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal non est lapis. Tandem Camestres v. g. omnis homo est animal, nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo, conuersa simpliciter minori, & mutata in maiorem, provt duæ litteræ intermediæ postulant, & conuersæ etiam simpliciter conclusione iuxtà exigentiam postremi sygmatis ita in Celarent suam euidentiam non celat, sed luce clarius ostendit: nullum animal est lapis, omnis homo est animal,ergo nullus homo est lapis: Bocardo & Baroco reductionis ostensiuæ non sunt capaces vllatenus.

53 Quod ad quinque modos à nobis superadditos attinet Phalaris ad Barbaram, & Thersandros ad Celarent, sola mutatione conclusionis subalternæ in subalternantem ostensiue reducuntur. Pelagos autem adCelantes;Centauro ad Cæsarem;& Arestor ad Camestres eadem ratione reducuntur, & mox omnes tres mediatè ad Celarent iuxtà regulas,quas iam iam tradidimus.

54 Reductio per impossibile ad duas contradictorias admittendas eum cogit, qui conclusionem imperfectam,aut indirectam negat. Pro qua præmitto primò,in hoc versiculo.

Phœbifer axis obit terras, atheramque quotannis.

Duas primas dictiones quinque modis imperfectis primæ signræ suo ordine ita respondere, vt prima vocalis primum modum imperfectum denotet, secunda secundum, & sic reliquæ:Rursus duas secundus dictiones, & significationes quatuor modis secundæ figuræ respondere: demum sex vocales duarum dictionum, quæ postremæ sunt,sex modos tertiæ figuræ eodem ordine significare:Quæ sunt attentè consideranda. Præmitto secundò, in sex dictionibus positis quatuor vocales reperiri, nimirum. a. e. i. o. quarum prima Barbara, secunda Celarent, tertia Darij,quarta Ferio repræsentant:quare modus omnis imperfectus reduci debet per impossibile ad eum modum perfectum, qui eadem littera symbolica gaudet.

Quibus constitutis in prima figura conclusio negata in maiorem, & maior primi syllogismi in minorem conuerti debent, & ex ambabus iam concessis, contradictorium, aut contrarium minoris concessæ absque vlla tergiuersatione sequetur in aliquo ex modis perfectis,ad quos,reductio per impossibile fieri debeat. v.g. si quis hanc conclusionem in Dabitis, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo aliquod animal est Petrus, dare nolit, sed potius eam constanter inficietur, per impossibile ad Celarent reducendus est,eo quod Dabitis & Celarent E, velut litteram symbolicam sortiantur: reductio autem ita fit; nullum animal est Petrus, quæ est conclusio negata, omnis homo est animal,quæ est maior prioris syllogismi, ex quibus in modo Celarent apertè infertur, ergo nullus homo est Petrus, quæ propositio est contradictoria huius, aliquis homo est Petrus, ac proindè minoris concessæ Petrus est homo: nam, Petrus est homo, conuertitur per hanc, aliquis homo est Petrus; quare æquipollent quodammodo, eandemque contradictoriam respiciunt. Celãtes id speciale habet in prima figura,vt propositiones debeant collocari paulo aliter: quocirca ad Darij reduci debet prima minori conuersa in maiorem, & contradictoria conclusionis negatæ in minorem, ex quibus contradictorium primæ maioris sequitur,vt intuenti clarebit. 55

In secunda figura reductio fieri debet, retenta maiori concessa, & contradictoria consequentis negati posita loco minoris, ex quibus contradictorium minoris concessæ sequitur v. g. si quis hanc conclusionem in Camestres inficietur,omnis homo est animal,nullus lapis est animal, ergo nullus lapis est homo ad Darij per impossibile reuocandus est, eo quod modorum Camestres & Darij idem I. symbolum sit: Sic ergo sibi contradicere cogendus est positam conclusionem negans,omnis homo est animal,quæ est antiqua maior, aliquis lapis est homo, quæ est contradictoria consequentis negati, ex quibus in Darij aperte sequitur hæc conclusio, aliquis lapis est animal, quæ minori concessæ contradicit. 56

Tandem in tertia figura retinetur antiqua minor, & loco maioris propositio contradictoria consequenti negato ponitur,ex quibus contradictorium maioris concessæ sequitur euidenter. v. g. hic syllogismus in Datisi,omnis homo est animal, aliquis homo currit,ergo aliquod currens est animal si negetur conclusio, ita ad Ferio sibi symbolicum reducendus est: nullum currens est animal, aliquis homo currit,ergo aliquis homo non est animal,quę conclusio maiori concessæ contradicit. Felapton autem ab Barbaram sibi colitteralem paulo aliter 57

reuocatur,

reuocatur, vtpotè in quo non contradictorium maioris conceſſæ, vt in aliis quinque modis tertiæ figuræ, ſed contrarium infertur, vt intuenti perſpicuum erit. Quò autem has regulas rectius calleas, & tenacius conſerues en antiquos verſiculos, quibus continentur.

Maior fit minor, & fit contradictio maior
Dempto Celantes, in quo præuertitur ordo.
Seruat maiorem, variatque ſecunda minorem.
Tertia maiorem variat, ſeruatque minorem.

CAPVT VIII.

Quatenus abſque reductione ad modos perfectos imperfecti irrefragabiliter concludant.

58 DVpliciter concluſionis indirectæ, aut imperfectæ negator vrgeri poteſt, videlicet per reductionem oſtenſiuam vnius modi ad alium, qua fit, vt concluſionem negatam nequeat non concedere, aut per reductionem per impoſſibile alicuius etiam modi ad alium perfectiorem, qua fit, vt duas contradictorias expreſsè & formaliter tales non poſſit non admittere. Ipſe tertium modum, eumque faciliorem adiicio, quo, quin reducatur vnus modus ad alium, indirectus ſcilicet ad directum, & imperfectus ad magis perfectum, ſed potius ſola reſolutione ac deſitione ſyllogiſmi duæ contradictoriæ conceſſæ tales expreſſe & formaliter appareant. Id ergo abſque negotio præſtari poteſt, ſi præmiſſæ conceſſæ in vnam propoſitionem complexam coaleſcant, ad quod ſola conuerſione vnius præmiſſæ, aut mutatione ſubalternatæ in ſubalternantem, aut è conuerſo opus eſt, & negatio concluſionis in propoſitionem contradictoriæ concluſioni negatæ commutetur, ad quod ſola æquipollentia opus eſt, qui enim negat concluſionem virtualiter eius contradictoriam affirmat, cum contradictoriæ veræ ſimul eſſe nequeant; quibus præſtitis, duæ contradictoriæ expreſſe tales apparebunt.

59 Pro cuius praxi, ſi quis hanc concluſionem in Baralipton negat, omne animal eſt ſenſibile, omnis homo eſt animal, ergo aliquid ſenſibile eſt homo, præmiſſæ in hanc propoſitionem complexam conflari debent, aliquod animal quod eſt ſenſibile eſt homo, quæ propoſitio complexa conceſſis præmiſſis euidentior eſt, quam vt negari poſſit, & etiam concluſioni negatæ expreſsè contradicit: quod negari nequeat probatur, quia aliquod animal eſt homo, conuertit hanc, omnis homo eſt animal, conuertens autem, & conuerſa æquipollent; deinde illud aliquod animal eſſe ſenſibile ſubalternatur huic, omne animal eſt ſenſibile; at ſuppoſita veritate ſubalternantis, ſubalterna vera non eſſe nequit; igitur conceſſis his præmiſſis, omne animal eſt ſenſibile, omnis homo eſt animal, hæc propoſitio complexa aliquod animal, quod eſt ſenſibile eſt homo, euidentior eſt, quam vt negari queat; quod autem ea propoſitio complexa concluſioni negatæ, ſeu, quod perinde eſt, contradictoriæ concluſionis expreſsè contradicat, ita ſuadetur: quia propoſitio contradictoria concluſionis negatæ eſt hæc; nullum ſenſibile eſt homo, cui expreſsè, & euidenter propoſitio illa complexa contradicit.

60 Eadem ratione in ſecunda figura in modo Cæſareo conceſſis his præmiſſis, nullus lapis eſt angelus, omnis thronus eſt angelus, negaret hanc concluſionem, ergo nullus thronus eſt lapis, ita ad contradictoria vrgeri poſſet, & deberet, omnis thronus angelus non eſt animal: quæ propoſitio expreſsè opponitur huic, aliquis thronus eſt lapis, quæ eſt contradictoria concluſionis, quam negatam ſupponimus. In hac tertia figura, conuerſione opus non eſt, & ſola ſubalternatio ſufficit: quare clarius & euidentias adhuc concludit; clarius enim ſubalternata in ſubalternante, quam conuertens in conuerſa continetur; ſi quis ergo in Diſamis hanc concluſionem negaret, omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt albus, ergo aliquid album eſt animal, ita præmiſſæ in vnam propoſitionem complexam contradictorio conſequentis negati, expreſsè contradicentem conflari poſſent, aliquis homo, qui eſt albus, eſt animal, quæ expreſsè contradicit huic, nullum album eſt animal, ac per conſequens contradictoriæ concluſionis, quæ negata eſt.

Hæc autem reductio in eo inferior eſt 'communi 61
reductione per impoſſibile, quod in hac ex propoſitionibus expreſsè conceſſis ad contradictoria aduerſarius cogatur: in illa verò noſtra aſſumatur propoſitio conuertens, aut certè ſubalternata, quæ tantum implicitè in conuerſa, & ſubalternante conceſſæ ſunt. In eo verò hæc noſtra reductio communem aliquantulum ſuperat, quod in communi per diſcurſum ad contradictoria quis cogatur: in hac vero abſque vllo diſcurſu, per ſolam iuxtapoſitionem iam conceſſorum ea contradictio appareat: quare hæc reductio eſt immediata, communis vero mediata, hæc facilis, illa longè operoſior. Quod verò ad reductionem oſtenſiuam attinet, in eo reductioni huic æqualis eſt, quod vtraqae, conuerſione, & muratione ſubalternatæ in ſubalternantem, vel è conuerſo indigeat, in eo vero ſuperatur, quod hæc ad impoſſibilia, & formaliter contradictoria pertinacem vrgeat: ſecus verò oſtenſiua, quæ non reuocat ad contradictoria, niſi ad ſummum virtualiter, ſi quis negatæ concluſionis aduerſarium arguat; negatio enim concluſionis tantum virtualiter concluſioni conceſſæ opponitur.

CAPVT IX.

De arte inueniendi medium.

QVam antiqui ſophiſtæ non tam detexiſſe 62
quam multiplici verborum inuolucro & quaſi labyrintho obſcuraſſe videntur: atque, vt eam illuſtraſſent, tanti habendam non reor, nimirum qua vix vnquam vtimur, & cuius vtilitas, qualis qualis eſt, crebræ meditationi cedit. Enimuerò acuendorum ingeniorum cauſa eam priſcis ſalebris ac nugis exuo, & ſex dictionibus toties repetitis concludam. Fecana, Cageti, Daphenes, Hebare, Gedaco, Gebali.

In qualibet dictione ſunt tres vocales, quarum 63
poſtrema quantitatem, & qualitatem indicat eius propoſitionis, cuius medium inueſtigatur iuxtà regulam illam. Aſſerit A. negat E. &c. ſecundò verò & primo loco cuiuſque dictionis A. &, E. ponuntur, quorum prædicatum propoſitionis probandæ, hoc vero ſubiectum denotat. Deindè in ſex illis dictionibus habenda eſt ratio ſex conſonantium B. C. D. quæ ordinem medij ad prædicatum, & F. G. H. quæ ordinem eiuſdem ad ſubiectum denotant: B. ſignificat medium conſequens, ac prædicatum, C. antecedens. D. extraneum. F. medium conſequens ad ſubiectum G. antecedens. H extraneum: de reliquis

vero

vero quatuor consonantibus nil curandum. Porrò medium consequens est, quod subiecto, aut prædicato vniuersalius, deque eo directè prædicabile est, seu ex quo alterutrum inferri potest; vt animal respectu equi: antecedens est, ex quo subiectum, aut prædicatum inferri possunt, seu de quo altervtrum prædicari directè potest, vt equus respectu animalis: extraneum est, quod nec inferri ex subiecto, aut prædicato, aut ea inferre valet, seu quod de illis prædicari, aut illis subiici nequit, vt lapis respectu equi, aut è contrario.

64 Quibus positis perspicuum est, quale medium ad qualemcunque propositionem probandam assumi debeat. Fecana præcipit, ad propositionem propositionis vniuersalis affirmatiuæ, vltima alpha indicatam, assumi debere medium, quod sit antecedens ad prædicatum, quia C. talis medij symbolum antecedit A prædicato respondens, & rursus quod sit consequens ad subiectum, quia F. symbolum eiusce medij antecedit. E. subiecto respondens: quare iuxta superiora ad probandam hanc propositionem, omnis equus est viuens, animal, quod equus consequitur, & viuens antecedit, velut medium assumi debet, in hunc modum: omne animal est viuens, omnis equus est animal: ergo omnis equus est viuens. Eadem ratione quælibet sequentium dictionum, quomodò propositio sibi respondens, probanda sit, artificiosius quidem, quam vtilius præcipit.

65 Præter has sex combinationes medij cum extremis, nulla alia vtilis est, si quæ enim essent vtiles, maximè eæ, quam hæ tres dictiones Febas, Hedas, Hecas, indicant; siquidem ter tria nouem efficiunt: triplex ergo medium tripliciter cum extremis combinatum nouem combinationes efficit, vnde præter sex combinationes vtiles tres tantum triplici illa dictione contentæ supereſſe possunt: at prima combinatio, quam Febas indicat, vtilis non est, cum significet medium consequens ad vtrumque extremum, & quod de vtroque affirmetur, ac proinde duas præmissas in secunda figura affirmatiuas collocet, quæ nihil concludunt, vt constat ex toto illo versu.

Balsama, Virgilij, & Paridis, quibus adde Mylacrin.

66 Rursus secunda combinatio, quam Hedas indicat, inutilis est, nimirum quæ medium extraneum ad vtrumque extremum significet, ac proinde duas negatiuas præmittat, quæ nullibi concludunt, vt constat ex Colophone, Prologo, Meloboſi, & similibus modis. Demum tertia combinatio, quam Hecas indicat, inutilis est: nam denotat medium extraneum ad subiectum, & antecedens ad prædicatum, & sic quoad priorem partem minorem negatiuam cum subiectum conclusionis in minore locetur: at minor negatiua, nec in modis directis primæ figuræ nec in tota tertia, quidquam concludit. Quoad secundam verò partem denotat medium consequens ad prædicatum, seu de quo prædicatum conclusionis prædicetur: vnde in secunda figura ea combinatio locum non habet, ac proinde inutilis est duobus tamen modis indirectis primæ figuræ, videlicet Fapesmo, & Frisesomorum deseruit, vt omnis homo est animal, nullus equus est homo, ergo aliquod animal non est equus.

67 Vt autem artem hanc inueniendi medij vtilis, & reiiciendi pariter inutilis memoriter teneas, en totam numeris suis adstrictam.

Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedaco,
Gebali, medium quodcunque erit vtile, tradent.
Subiectum notat E, sed quod superadditur Alpha.
Pra: medium referunt B. capa, ac tertia delta
Ce prius, atque sequens Be; alienum delta figurat.
Subiecto medium Fe. Ge. aspiratio refert.
G prius, atque sequens, Fextra aspiratio signat.
Quanta sit, & qualis probanda assertio signat
Vocalis quadruplex, quæ sex vocabula claudit
Febas, Hedas, Hecas nunquam concludere possunt;
Excipe Felapton, Frisesо, quibus vtilis Hecas.

TRACTATVS II.

De variis speciebus veritatis syllogisticæ.

CAPVT I.

De syllogismo obliquo, & circulari.

PRo syllogismo constante terminis obliquis sint sequentes regulæ: Prima; quoties vtrumque extremum in obliquo ponitur in præmissis, aut ambæ sunt negatiuæ, & ita nil concludent, haud enim sequitur nullius hominis est duplex anima, nullius risibilis est duplex anima, ergo nullum risibile est homo: atque in hoc conuenit syllogismus iste cum recto, & vulgari: aut ambæ sunt affirmatiuæ, & ita etiam nullius erunt efficacitatis ad concludendum, vt constat in hoc paralogismo, omnis homo constat corpore, omnis homo constat anima, ergo anima est corpus: aut vna affirmat & altera negat; atque ita nihil potest verè concluudi in obliquo benè tamen quid piam in recto, vt omnis homo constat anima rationali, nullus homo constat anima belluina, igitur anima belluina non est anima rationalis. 1

Secunda regula: si medium vtrobique præmissarũ ponitur in obliquo, id ipsum de conclusione dicẽdum est, quod iã dictum in simili, videlicet eam esse inutilẽ, & nullã, si ambæ præmissæ negent: non enim valet: nullius hominis est equus, nullius hominis est animal hinnibile: ergo animal hinnibile non est equus: aut si ambæ affirment, haud enim sequitur Bucephalus fuit Alexandri, Alastor fuit Alexandri, ergo Alastor non est Bucephalus: sin autem vna affirmet, & altera neget eam in recto esse vtilem, & formalem, secus verò in obliquo: valet siquidem, nullius hominis est hic equus, alicuius hominis est hic asinus: ergo hic asinus non est hic equus. 2

Tertia regula: si medium in vna præmissa sit in obliquo, & alterum extremorum sit etiam in alia præmissa in obliquo nil concludent: siue sint ambæ affirmatiuæ, vt constat in hoc paralogismo, omnis vxor est alicuius viri, sed Petrus est vxoris, ergo est alicuius viri: siue vna affirmet, & altera neget, vt liquet in hoc paralogismo priori non minus manifestè falso, ac ridiculo, omnis vxor est alicuius viri, sed Petronilla non est vxoris vllius: ergo non est alicuius viri: quod si ambæ præmissæ conditione præfata affectæ negent ex æquo, haud opus erit, ostendere illarum ad concludendum inutilitatem, quippe quæ est eis cum argumentatione directa solis principiis negatiuis innixa communis. 3

Quarta regula: quoties vnum tantum extremorum fuerit in præmissis in obliquo, nequit illud non poni in conclusione similiter in obliquo: rectè enim arguas, omnis vxor est alicuius viri, Petronilla est 4

vxor:

vxor, ergo est alicuius viri; non autem, ergò est aliquis vir, siue vir alicuius. Quinta regula; quando medium in altera tantum præmissa ponitur in obliquo, & in altera in recto, quod extremorum cum eo provt in recto posito propositione componit vnam, hoc debet poni in conclusione, è contrario in obliquo; quod verò cum eo provt in obliquo posito constituit vnam præmissam, hoc è conuerso debet concludi duntaxat in recto: vtrumque claret; nam ex his præmissis, omnis homo est substantia rationalis, sed omnis discursus dependenter à phantasmatis est alicuius hominis, rectè inferas, ergo omnis eiusmodi discursus est alicuius rationalis substantiæ, non verò ergo omnis vel alicuius discursus talis naturæ est substantia rationalis: hæc enim discursui, velut eius proprietas, non accidit, sed potius è conuerso.

5 Sexta regula ex prioribus manifesta: si præmissæ affirmatiuæ fuerint ambæ obliquæ, nil vtiliter concludent: sin autem altera tantum earum fuerit obliqua, conclusio erit vtilis, sed obliqua: ratio prioris partis est, quia vtraque præmissa, aut est obliqua, propter geminatam obliquitatem solius medij, aut talis est, vi solorum extremorum, aut denique tam medij quam alterius extremorum: quidquid autem horum dicatur, necesse est, eiusmodi præmissas esse inutiles ad concludendum, vt demonstratum manet in prima, secunda, & tertia regula: ratio posterioris partis est, quia quando altera tantum præmissa est obliqua, idcirco est, quod extremum aliquod in ea sit in obliquo, aut certè quod medium in ea sit in obliquo, & in alia præmissa in recto: quod autem horum cunque seligatur, oportet extremorum aliquod in conclusione constitui in obliquo, eique obliquitatem tribuere, vt liquet ex dictis in quarta, & quinta regula.

6 Septima regula ex superioribus etiam perspicua: si præmissarum vna affirmet, & altera neget; aut ambæ sunt obliquæ, & sic conclusio erit directa, & non obliqua, vt visum est in prima, & secunda regula: aut altera recta, & altera obliqua, atque ita, si quæ est negatiua sit obliquitate prædita, & quæ affirmatiua rectitudine, sequetur conclusio obliqua: sin autem è contrario quæ est affirmatiua sit obliqua, & directa quæ negat, nihil vtiliter concludi poterit: exempla prioris partis sunt in obuio: valet enim in prima figura, nullius creaturæ est immensitas, sed omnis angelus est creatura, ergo nullius angeli est immensitas; & in secunda, immensitas non inest vlli creaturæ, sed angelus est creatura, ergo angelo non inest immensitas, nec est eius proprietas; & in tertia nullius angeli est immensitas, omnis angelus est creatura, ergò alicuius creaturæ non est immensitas: exempla autem posterioris partis haud minus sunt in propatulo: non enim sequitur in prima figura, nullum corpus est anima, sed omnis vnio humana est corporis, ergo nulla est animæ; nec in secunda, omnis vnio humana est corporis, sed anima nulla est corpus, ergo animæ nullius est vnio humana; nec in tertia, corpus non est anima, corporis autem est vnio humana, ergò non animæ.

7 Octaua regula: syllogismus omnis obliquus reduci potest ad aliquem constantem terminis rectis, propterea quod casus obliquus haud sit se solo terminus, siue extremum propositionis, sed tantum in consortio alicuius recti, vel expressi, vel subintellecti, cui adiaceat. v.g. si dicas, omnis captiuus est alicuius heri, sed Mahometes est captiuus, ergò est alicuius heri, perinde est atque omnis captiuus est seruus, seu mancipium alicuius heri, sed Mahometes est captiuus, ergo mancipium alicuius heri. Quocirca regulæ tract. præc. traditæ ad conficiendos syllogismos rectos in obliquis procedunt ac sufficiunt etiam dummodò hi ad illos reducantur, pro eo ac potest & solet; quæ autem in præsenti sunt statutæ tum inseruiunt, quando nulla fit eiusmodi reductio. Vide Titelman. lib. 4. dial cap. 27. & Auersam tract. 4. instit. cap. 17.

Syllogismus circularis est, cuius conclusio conuersa minori maiorem suam inferre potest, vt omnis homo est rationalis, omne risibile est homo, ergo omne risibile est rationale; qui syllogismus ita gyrat, omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis. Dicitur autem appositè circularis propterea quod vi illius regrediatur quis à fine prioris syllogismi ad eius principium, ab eius conclusione ad maiorem, hanc per illam probando, non minus quam illam, vi huius antea probarat: hoc enim habet proprium motus circularis & in eo à cæteris lationibus differt quod terminum à quo incipit, repetat: atque vt Senecæ lib. 5. de benef. c. 8. verbis vtar, eius vi *omnia quomodocunque iterint, in idem reuertantur.* 8

Porro autem hoc genus arguendi magnam facit persuasionem veritatis, intellectumque confirmat, tum in præmissis, tum etiam in conclusione: cum enim probetur hæc per illas, & illarum altera rursus per hanc, ac sibi mutuam vicem rependant, hoc equidem argumento, eique non exiguo, esse potest, veritatem vtrisque constare; namque, vt dici solet, verum vero consonat. æterum argui nequit hoc pacto, nisi quandò termini sunt suapte natura conuertibiles, sic vt neuter latius alio pateat fundaturvè, cuiusmodi sunt homo, rationale, risibile, in propositis syllogismis: siquidem minor prioris, videlicet omne risibile est homo, cum sit vniuersalis affirmatiua, nequit vi formæ conuerti simpliciter in hanc, quæ subit rationem minoris in posteriori, nempe omnis homo est risibilis: eiusmodi ergò conuersio ad hoc genus argumentandi circulare omnino necessaria nequit fieri, nisi gratia materiæ, siue terminorum, ac proinde hi tales esse debent, quales statuimus. 9

CAPVT II.

De syllogismo, opposito, infinito, & conglobato.

SYllogismus oppositus, quem alij plures vocant ex oppositis, est quo quis concedensduas contradictorias, vel contrarias, eo reducitur, vt idem de se ipso neget, & hominem v.g. non esse hominem, aut animal non esse animal adstruat, quo tamen nil magis euidenter falsum aut à ratione alienũ; quemadmodum nil magis euidenter verum, aut rationi consonum, quam si idem de seipso affirmes hoc pacto, homo est homo, aut animal est animal. Quocirca tum potissimè locum habet hic arguendi modus, cum res ad triarios redit, & conuincendus est ille, qui in extremam proteruiam, aut ignorantiam lapsus ne vrgetur reductione per impossibile, sed potius contrarietatem, aut contradictionem, ad quam hæc perfert, sine molestia deuorat. Exemplum autem huius argumentationis sit hoc in Cæsare, nullus homo est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est homo: & hoc in Festino, 10

nullus

nullus homo est animal, aliquis homo est animal, ergo aliquis homo non est homo.

11 Obiicies tamen priorem syllogismum (par autem est ratio posterioris, & cuiuscunque alterius ex oppositis) inutilem, & vitiosum esse, quippe qui constat duplici medio, nimirum animali, quod bis ponitur in præmissis, & homine, qui etiam in eis ponitur semel, & iterum: rursus eum syllogismum simul esse in secunda, & tertia figura, quo tamen nihil fingi potest magis commentitium; in hac, propterea quod hominem bis subiiciat: in illa, propterea quod animal bis prædicet.

12 Respondeo medium in eo syllogismo esse non hominem sed duntaxat animal, adeóque non duplex, sed vnum: tum quia medium semper debet esse extrà conclusionem. homo autem eam ingreditur: tum quia animal assumitur ad probandum, quod homo non sit homo, non vero homo, ad hoc vt animal non sit animal; hoc igitur non ille sortitur rationem medij: neutiquam autem obstat in contrarium, quod homo bis ponatur in præmissis: ponitur enim tanquam quidpiam distinctum à se ipso, & non velut vnus terminus, sed velut duplex, quorum alter sit idem cum animali, & alter ab eo distinctus: atque hinc etiam fit, eiusmodi syllogismum esse duntaxat in secunda figura, non autem in tertia: solum namque hominem, qui non est medius terminus, bis subiicit, cum tamen animal medij rationem obtinens bis deprædicet. Verum enimverò prædictus syllogismus mutata conclusione constitui potest in tertia figura, & secundam prorsus exuere: atque ita non animal, sed homo sortietur in eo rationem medij, veluti, si illum ita refingas, nullus homo est animal, omnis homo est animal, ergo aliquod animal non est animal, quæ conclusio est in Felapton: par ratio est posterioris syllogismi, cuius vsi sumus exemplo: potest enim in Ferison ita refingi, cum esset antea in Festino, nullus homo est animal, aliquis homo est animal, ergo aliquod animal non est animal: par etiam est ratio cuiuscunque alterius syllogismi, quem ex oppositis nuncupant.

13 Porrò autem hæc ratio syllogizandi locum etiam habet in extremis tantum virtualiter oppositis, vt omne animal est viuens, nullus homo est viuens ergo nullus homo est animal, quæ conclusio id virtualiter de se ipso negat, continet enim hanc, ergo nullus homo est homo, haud aliter ac maior est minori virtualiter opposita, continet enim hanc, omnis homo est viuens. Illud etiam est animaduertendum, huic argumentationi neutiquam congruere oppositionem subcontrariam, aut subalternam, siue formales sint, siue virtuales duntaxat: non hanc, tum quia propositiones subalternæ interdum sunt ambæ negatiuæ; ex puris autem negatiuis nihil concludi potest aptè, & syllogisticè: tum etiam, quia si ambæ sint affirmatiuæ, haud quaquam inseruient ad idem negandum de seipso, qui tamen est potissimus huius argumentationis scopus: tum denique quia ne ad idem de seipso affirmandum inseruire possunt, quando affirmant ambæ; haud enim sequitur vi formæ, omnis homo est animal, aliquis homo est animal: ergo aliquis homo est homo, aliàs sequi etiam posset, aliquem equum esse hominem, hunc in modum, omnis homo est animal, aliquis equus est animal: ergo aliquis equus est homo; quod si non subiectum propositionum subalternarum, quo de hactenus, sit affirmandum de semetipso, sed earum prædicatum de earundem etiam prædicato, eas haud inficier huic muneri satisfacere posse, quoties vtraque est affirmatiua: valet enim in Datisi, omnis homo est animal, aliquis homo est animal: ergo aliquod animal est animal, sicut omnium consensu valet in eodem modo, omnis homo est animal, aliquis homo est albus, ergo aliquod album est animal: Non iam illam, videlicet subcontrariam, quoniam ex puris particularibus, cuiusmodi sunt propositiones subcontrariè oppositæ, nihil sequitur, vt est apud omnes in confesso, vtque vel in hac ipsa materia luce clarius apparet: quid enim hoc syllogismo ineptius, aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus, ergo aliquod albũ non est album.

Syllogismus infinitus dicitur ille, qui constat terminis infinitis: pro quo sint duæ regulæ sequentes. 14
In modis affirmatiuis syllogismi infiniti eorum qui terminis constant finitis normam prorsus sequuntur veluti omne non animal est non viuens, omnis lapis est non animal, ergo omnis lapis est non viuens, in Barbara. Idem haud minus manifestis exemplis cernere erit, discurrendo per cæteros modos affirmatiuos, tum primæ figuræ, tum etiam aliarum duum. Cæterum in modis negatiuis haud est par ratio, aut conditio syllogismorum, qui terminis infinitis, & qui finitis coalescunt: Nam in prima figura nil directè concluditur ex minori negatiua, quando termini syllogistici sunt omnes finiti, vt constat à posteriori ex Laërte, & Catocho, vtque inter omnes est exploratum: at, si termini aliqui sint infiniti, fieri aliquando potest, vt in prima figura ex minori negatiua vtilis, ac vera conclusio existat, vt omne non rationale est non homo, nullus equus est rationalis, ergo nullus equus est homo: hic enim syllogismus, eius maior, si per contrapositionem conuertatur in hanc, omnis homo est rationalis, reduci potest ad hunc in Camestres, omnis homo est rationalis, nullus equus est rationalis ergo nullus equus est homo: aut, si per regulas infinitarum eius minor mutetur in hanc, omnis equus est non rationalis, potest reduci ad hunc in Celarẽt, omne non rationale non est homo, omnis equus est non rationalis, ergo nullus equus est homo.

Rursus, vt secundam regulam traditam confirmem amplius, nec in prima figura, nec in alia vlla quidquam concluditur ex ambabus præmissis negatiuis quando termini sunt finiti, vt constat ex Colophone, Euterpe, Leponto, Moreto, & cæteris id genus modis, vtque omnes habent in confesso: at si termini syllogistici infinitudinem induant, ambabus præmissis negatiuis vis inerit aliquid verè concludendi, vt nullum non rationale est homo, nullus equus est rationalis: ergo nullus equus est homo: hic enim syllogismus æquiualet priori quoad minorem negatiuo, ex quo arguebamus num. præc. ad eumque reuocari potest, si iuxtà regulas infinitarum eius maior, videlicet nullum non rationale est homo, siue omne non rationale nõ est homo, mutetur in hãc, omne non rationale est non homo; atqui prior ille syllogismus vtiliter concludit, vt ex Camestres, & Celarẽt probatũ manet: ergo & hic posterior, cum tamen ambabus præmissis negatiuis coalescat. 15

Tandem in vtroque syllogismo, vndè argumentabamur, sunt non tres termini tantum, sed plures, videlicet quinque in priori, vt non rationale, non homo, rationalis, equus, homo, & in posteriori quatuor, vt non rationale, rationale, homo, equus: at, quoties syllogismus constat terminis finitis, hi in illo amplius quam tres esse non sustinent, vt certo certius. Enimuerò, cum sint in modis negatiuis, tum primæ figuræ, vt exemplis ostensum manet, tum etiam duarum sequentum, vt facilè possit ostendi, 16

ostendi, non pauci syllogismi infiniti, qui leges finitorum abrogant, haud alia potest industria sciri, quando concludunt vtiliter, quam si reducantur ad modos vtiles, ac falli nescios, videlicet, Celarent, Camestres, Cæsare, aliosvè similes, vt superius perstrictum.

17 Syllogismus conglobatus est, qui non tres propositiones solas, sed plures complectitur; de quo illud potissimum disquiri potest, an sit in mente, an vero in solis vocibus. P. Vallius 3. p. introdnct. c. 4. & cum eo plerique dialectici censent, illum reperiri in solo vocum cortice, & in mentis abdito non vnum syllogismum esse, sed plures realiter distinctos. Cæterum oppositum mihi semper est probabilius visum: quoniam hæ propositiones mentales, Petrus est homo, homo est animal, animal est viuēs, viuens est substantia, & substantia est ens, hæ inquam se solis sumptæ, & quin resoluantur in plures syllogismos possunt inferre hanc, ergo Petrus est ens: syllogismus igitur conglobatus quinque præmissis, & vna conclusione constans potest in mente reperiri; consequentia est perspicua: antecedens probatur; nam eæ propositiones mentales per se solas implicitè, & virtualiter repræsentant, ac proponunt intellectui obiectum huius propositionis, Petrus est ens, ergo se solis, & in nullos syllogismos resolutæ poterunt eam colligere, haud secus ac duæ propositiones ob eandem rationem se solis tertiam deducunt.

18 Confirmatur, & declaratur: Hoc principium, quæ sunt eadem mediatè vni tertio sunt idem inter se, veritatem habet infallibilem, & irrefragabilem: at prædictæ propositiones in vnum conglomeratæ, ac prorsus irresolutæ repræsentant Petrum, & ens esse mediate idem vni tertio, nimirum homini, aut si mauis, substantiæ; ergo optimè concludere poterunt, Petrum, & ens esse idem inter se, siue Petrum esse ens. Quocirca præter syllogismos trigonos, & vulgares erunt in intellectu nostro syllogismi tetragoni, pentagoni, hexagoni, heptagoni, aliique similes, quorum alij quinque pedibus, alij pluribus constent, procedantque.

CAPVT III.

De Syllogismo expositorio, seu singulari.

19 PRæter syllogismum communi constantem medio, qui inter Philosophos est magis vsitatus, propterea quod scientiæ sint plerumque de rebus vniuersalibus, & in cuius vsum inseruiunt modi illi vulgares, Barbara, Celarent & cæteri, est alius, qui constat medio singulari. Dici autem solet singularis, vel propter singularitatem medij termini, qui inter omnes syllogisticos est potissimus, vel propter singularem concludendi vim, & efficacitatem ei insitam: vocari etiam consueuit expositorius, propter summam eius euidentiam, quæ in causa est, vt rem veluti ob oculos exponat: nec non sensibilis, vel ex eodem titulo, & ob perspicuitatem, & claritatem qua rem veluti sensibus obiicit, ac demonstrat, vel quod medio singulari, adeoque sensibili vtatur: secus verò communi, quod non sub sensum cadit, sed sub intellectum.

20 Porrò duplex est: alius, cuius non solum medius terminus, sed etiam reliqui sunt singulares; alius verò, qui medio termino singulari gaudet, alios vero communes admittit etiam. Syllogismus expositorius prioris generis quatuor tantum modis construi potest in singulis figuris, si solas species præmissas, videlicet ex ambabus affirmatiuis, aut ex maiori negatiua, & minori affirmatiua, aut è contrario ex maiori affirmatiua, & minori negatiua, aut denique ex ambabus negatiuis: cum enim qualitas propositionis haud nisi quatuor iis rationibus possit in huiusmodi syllogismo expositorio variari, quantitas autem diuersa nullum in eo locum habeat, propter singularitatem omnium eius propositionum, nil mirum, quod quadruplex tantum eius esse possit modus, in qualibet figura. Eorum autem quartus, & vltimus vbilibet est inutilis, eiusque nulla in præsenti habenda ratio, sed duntaxat aliorum trium.

Vt ergo auspicer à prima figura omnibus tribus 21
modis supra dictis vtiliter in ea concludit syllogismus, quo de loquimur: primo quidem, nam vi formæ valet, hic homo currit, Petrus est hic homo, ergo Petrus currit, & è conuerso, ergo aliquod currens est Petrus: Secundo etiam modo; valet enim hic homo non currit, Petrus est hic homo, ergo Petrus non currit, & è diuerso, ergo aliquod currens non est Petrus: insuper tertiò, vt hic homo currit, Petrus non est hic homo, ergo aliquod currens non est Petrus, non tamen directè, ergo Petrus non currit, cum fieri possit vt ambo quantumlibet distincti simul currant, in quo differt hic modus à duobus prioribus, qui tam directe, quam indirecte concludunt, vt est exemplis ostensum.

Iam in secunda figura hoc genus syllogismi ex- 22
positorij, de quo impræsentiarum, totidem modis concludit, non solum propositionem conuertibilem, sed etiam eius conuertentem: sequitur enim, Petrus est hic homo, hic Apostolus est hic homo, ergo hic Apostolus est Petrus, nec non, ergo Petrus est hic Apostolus: similiter, hic homo est Petrus, Paulus non est Petrus, ergo Paulus non est hic homo, nec è diuerso: ac denique Petrus non est Paulus, hic homo est Paulus, ergo hic homo non est Petrus, nec vice, vt aiunt versa. Postremò prior hæc syllogismi expositorij species, tribus etiam modis vtiliter colligit in tertia figura: siquidem valet, hic homo currit, hic homo est Petrus, ergo Petrus currit, & è conuerso aliquod currens est Petrus: item Petrus non currit, Petrus est hoc viuens, ergò hoc viuens non currit, atque aliquod currens non est hoc viuens: ac tandem, hic homo currit, hic homo non est Paulus, ergo aliquod currens non est Paulus; sed valet è conuerso, ergo Paulus non currit.

Syllogismus expositorius posterioris generis, ac 23
propositiones communes saltem aliquas admittens in prima figura quatuor habet modos vtiles: Primus est ex maiori singulari affirmatiua, & minori vniuersali affirmatiua, veluti Petrus est hic homo, omnis princeps Apostolorū est hic homo, ergo omnis princeps Apostolorum est Petrus: Secundus est ex maiori itidem singulari negatiua, & minori vniuersali affirmatiua, vt Petrus non est hic homo v. g. Ioannes, sed omnis princeps Apostolorum est Petrus, ergo nullus princeps Apostolorum est hic homo: Tertius est, quando loco minoris vniuersalis affirmatiuæ substituitur particularis affirmatiua, & ex ea, maiorique singulari affirmatiua infertur conclusio particularis. Quartus est, quando ex minori particulari affirmatiua vniuersali substituta, & maiori singulari negatiua infertur particularis negatiua. Quocirca hi quatuor modi, quibus etiam inest vis indirecte concludendi, vt apparebit intuenti paulo attentius, respondent quatuor vulgari-

bus modis perfectis primæ figuræ, quos vocant Barbara, Celarent, Darij, Ferio: horum enim ritu conclusionem vniuersalem affirmatiuam, vniuersalem negatiuam, particularem affirmatiuam, & particularem negatiuam inferunt: simili etiam minori gaudent differuntque ab eis solius mutatione maioris, quæ in his, de quibus loquimur, est perpetuò singularis, cum tamen in illis sit vniuersalis, propterea videlicet quod medius terminus horum sit singularis, illorum verò vniuersalis: hinc siquidem est, vt, cum in prima figura subiiciatur semper in maiori, eam mihi reddat vniuersalem, hic autem singularem.

24 In secunda figura hæc secunda syllogismi expositorij species, cum singularitate medij vniuersalitatem propositionum omnium, vel certe aliquarum coniungens, præter quatuor vulgares modos negatiuè concludentes, nimirum Cæsare, Camestres, Festino, Baroco, vt v. g. in modo Cæsareo nullus impœnitens est Petrus, omnis princeps Apostolorum est Petrus, ergò nullus princeps Apostolorum est impœnitens, præter hos inquam, cohibet alios quatuor affirmatiuè concludentes, quorum primus ex duabus sumptionibus vniuersalibus colligit vniuersalem, vt omnis Baptista Christi est Ioannes, omnis filius Zachariæ est Ioannes, ergò omnis filius Zachariæ est Baptista Christi, & è conuerso, non tantum aliquis, sed omnis Baptista Christi est filius Zachariæ: Secundus ex duabus particularibus particularem; vt aliquis innocens est Ioannes Baptista, aliquis homo est Ioannes Baptista, ergò aliquis homo est innocens, & è conuerso. Tertius ex maiori vniuersali, & minori particulari particularem, & eius conuertentem. Quartus ex maiori particulari, & minori vniuersali, tum particularem, tum etiam vniuersalem, & eam qua cõuertitur alterutra.

25 Hi quatuor modi in eo dissident à vulgaribus quod ex duabus particularibus concludant particularem, quod ex particulari vniuersalem, & quod in secunda figura affirmatiuè. Nihilominus eos vtiles esse, & nulli obnoxios falsitati constat, tum exemplis, quæ præter duo posita sunt non pauca, eaque manifesta: tum quia omnes reduci possunt ostensiuè ad modos aliquos perfectos primæ figuræ, solius conuersione maioris, videlicet primus, & quartus ad Barbaram, & secundus, ac tertius ad modum regis Darij: exemplum primi erat, omnis Baptista Christi est Ioannes, omnis filius Zachariæ est Ioannes, omnis ergò filius Zachariæ est Baptista Christi: conuertatur ergò maior, & talis existet syllogismus in Barbara, si non formaliter ob conuertentẽ singularem, at certè æquiualenter, & paris euidentiæ, & efficacitatis, Ioannes est Baptista Christi, omnis filius Zachariæ est Ioannes, ergò omnis filius Zachariæ est Baptista Christi: cæterarum autem reductionum paradigmata haud sunt minus facilia; sed tempori donanda: tum denique, quia prædicti modi possunt probari per reductionem ad impossibile, primus, & quartus in Bocardo, secundus, & tertius in Ferison: fac enim, conclusionem primi, cuius adhibuimus exemplum, semel, & iterum concessis præmissis negari; sumatur ergò eius contradictoria, videlicet aliquis filius Zachariæ non est Ioannes, & retineatur antiqua maior, atque è vestigio sequetur contradictoria maioris concessæ in Bocardo, hoc pacto: aliquis filius Zachariæ non est Baptista Christi, omnis filius Zachariæ est Ioannes, ergò aliquis Baptista Christi non est Ioannes. Eodem modo poni possunt exempla in cæteris tribus modis eorumque potest reductio per impossibile declarari.

Præter hos octo modos syllogismi expositorij, constantis in secunda figura propositionibus omninò communibus, sunt in illa alij, quarum altera præmissa est singularis, & altera, vel vniuersalis, vel particularis, & alterutrolibet ex titulo communis: quatuor videlicet, quoad conclusionem, & minorem, similes vulgaribus, nimirum Cæsare, Camestres, Festino, ac Baroco, ab eisque diuersi, ratione solius maioris, non quoad eius qualitatem, sed quantitatem, ita vt quæ antea erat vniuersalis, fit singularis, veluti in Camestres, Petrus currit, nullum sedens currit, ergò nullum sedens est Petrus: rursus alij duo in eo vulgaribus similes, quod earum maior sit, aut vniuersalis affirmatiua, aut vniuersalis negatiua: dissimiles verò in eo quod illorum minor nunc sit singularis affirmatiua, nunc singularis negatiua: conclusio autem horum duum, sicut & priorum, est perpetuò negatiua: deinde alij quatuor affirmatiuè concludentes, similes eis quatuor, quos paulo superius diximus tribus syllogismorum legibus neutiquam stare, similes inquam quoad maiorem, & quoad minorem diuersi, aut è conuerso: nam si maior sit singularis, aut subsumitur vniuersalis minor, & sic primus modus existet, aut minor particularis, & ita secundus resultabit modus: sin autem minor fuerit singularis, vel quæ præcedit maior est vniuersalis, vel potius particularis, atque ita locus erit tertio, & quarto. Porrò hi decem modi ad finem superadditi, & exemplis satis manifestis, & consensu non paucorum dialecticorum, & reductione ostensiua, ac per impossibile possunt apprimè confirmari, idque habent commune cum plerisque aliis hactenus explicatis, quod non tantum conuertibilem, sed etiam eius conuertentem concludant, sic tamen vt tam hi, quam illi propter hanc conclusionum diuersitatem possint subdiuidi iuxta doctrinam tract. præced. cap. 3. traditam. 26

In tertia figura confici nequit posterior hic syllogismus expositorius iam iam expositus, solumque in eo locum habet prior ille ad initium capitis enucleatus, & nullius propositionis, nisi singularis, capax: ratio est, quoniam oportet in eo medium singulare in vtraque præmissa subiici: geminatam enim subiectionem medij postulat tertia figura: singularitatem autem eius natura syllogismi expositorij à cæteris per quam diuersa: fieri ergo nequit, quin vtramque singularem efficiat, ac neutram esse communem permittat. 27

CAPVT IV.

Superioris doctrinæ prosecutio.

CIrca syllogismum expositoriũ nonnulla occurrunt dubia, quorum resolutio superiori doctrinæ lucem adiiciet non exiguam. Eorum primum sit, an hic syllogismus, quo de agimus, maiorem habeat euidentiam, & vim concludendi in tertia figura, quam in duabus anterioribus? videntur affirmare Louanienses lib. 1. cap. 6. Conimbricenses ibidem quæst. vnica art. 2. Auersa tract. 4. institut. c. 15. aliique plures. Primò quia Aristoteles egit de huiusmodi syllogismo in tertia figura, quod argumento esse potest, eam inibi esse præstantiorem: Secundò quia vis huius syllogismi innititur his solis principiis, quæ sunt idem vni tertio, sunt idem inter se, quæ non sunt idem vni tertio, sed alterum ei idem, alterum ab eo diuersum, nec sunt idem inter se, sed 28

potius

potius distincta inuicem : illa autem, quæ affirmantur de aliquo, devè eo negantur potissimè, & maximè sunt ei idem, vel diuersa: ergò in tertia figura, vbi medium, siue vnum tertium subiicitur ex æquo ambobus extremis, & hæc de illo simul prædicantur, in ea inquam magis quam in alia vlla locum, ac vim habent talia principia, adeoque modus arguendi eis innixus.

29 Tertio directa, & naturalis prædicatio est magis euidens, ac perspicua quam indirecta, & innaturalis: semper autem ratio communis de singulari prædicatur directè & naturaliter, non è conuerso: syllogismus ergò expositorius in tertia figura prædicans rationem communem de medio singulari erit euidentior, eo qui, aut in secunda figura rationem singularem de communi bis prædicat, aut in prima semel saltem. Quartò, in secunda medium singulare, quantumuis tale sit, cum prædicetur de pluribus, de vtroque videlicet extremo syllogistico, induit naturam rei communis : hoc ergò ex titulo est quadantenus ineuidens ritu medij communis, & vniuersalis : in prima autem figura semel saltem prædicatur medium : cum ergò prædicabilitas sit proprietas vniuersalis ad vniuersalitatem, adeoque ad ineuidentiam aliquã declinat: neutra autem ratio harum procedit in tertia figura, vbi nullatenus prædicatur medium. Quintò tandem syllogismus expositorius nunquam ferè colligit conclusionẽ vniuersalẽ, propter singularitatem potissimi, ac medij termini, quo suapte natura vtitur: atqui in tertia figura nullus modus concludit vniuersaliter, sed omnes particulariter, cum tamen in modis primæ, ac secundæ figuræ aliter vsueniat : latius ergò funditur, ac pluribus modis concludit syllogismus expositorius in tertia figura, quam in aliis, ac proinde eius euidentia ibi erit saltem extensiue maior.

30 Hæc tamen argumenta non tollunt, quo minus contraria sentẽtia quę mihi semper magis placuit, sit verisimilior, ac fortasse verior. Ad primũ respondeo, Aristotelem egisse de syllogismo expositorio in tertia figura; vel quia stetit pro ratione voluntas; parum enim intererat, vbinam de eo disereret; vel quia commodum fuit aggredi post omnes figuras syllogismum ad vulgares omnium modos probandos natum. Ad secundum respondeo, falsum esse modum arguendi expositorium eis solis inniti principiis, quæ sunt eadem vni tertio, &c. non verò eis, quæ dici de omni, ac dici de nullo dicuntur, vt optime nostri Conimbricenses cap. 6. lib. ptimi priorum, quæst. vnica art. 1. aduersus quosdam, quos ibi suppressis nominibus referunt : hi enim syllogismi sunt expositorij, omnis qui est Petrus, est hic homo, sed princeps Apostolorum est Petrus, ergò hic homo: nullus qui est Ioannes, est hic homo, sed Baptista Christi est Ioannes, ergò non hic homo : quis autem non videat, hos & innumeros alios, eis absimiles inniti, ac veluti tibicinari duobus illis principiis, dici de omni, & dici de nullo, quæ etiam regulatiua dialectici appellant. Deinde respondeo, haud solum ea dici idem vni tertio quæ de eo affirmantur, sed etiam quæ ei subiiciuntur : ecquid enim est, vnum alteri subiici, quam esse idem cum illo; hunc hominem v.g. esse subiectum animalis, quam ei idem reuera? Consequi sanè non possum, quo colore contrarium sit opinatus Auersa loco nuper citato.

31 Ad tertium respondeo negata maiori : cur enim sit euidentius, Petrum esse animal, quam aliquod animal esse Petrum? Ad quartum respondeo, medium terminum singularem in secunda figura nil de singularitate sua deperdere, nil vniuersalitatis, aut cum ea coniunctæ ineuidentiæ, & obscuntatis assumere, propterea quod prædicetur de duobus extremis : ambo enim proprie plura non sunt, sed vnum: vnde in conclusione postea de se prædicantur inuicem : prædicabilitas autem medij singularis in prima figura haud facit illud vergere ad vniuersale, aut vllam eius conditionem sapere, proprietatemvè sibi vendicare; nam etiam indiuiduum, & singulare definiri solet, prædicabile de vno solo. Ad quintum respondeo, syllogismos vulgares, & communi constantes medio id habere, vt in tertia figura nunquam vniuersaliter concludant, cum tamen in secunda, & prima multoties aliter contingat. Cæterum syllogismos expositorios, & medio singulari constantes, de quibus est sermo, in tribus figuris ex æquo concludere singulariter, & non vniuersaliter, nec paucos, sed innumeros eorũ modos, vt ex discursu capitis præcedentis constat : curnam ergò euidentia huius argumentationis latius pateat, &, vt aiunt, extensiue sit maior in tertia figura, quam in aliis duabus.

Secundum dubium est, num etiam in Deo locum habeat hic arguendi modus, quem expositorium 32
vocant? Respondeo, si terminus singularis communis tribus personis pro eis nequaquam distribuatur, sed sine syncategoremate, *omnis*, & quouis alio vsurpetur, eum haud esse medium aptum in syllogismo expositorio : quocircà non sequetur, essentia diuina est pater, filius est essentia diuina, ergò est pater, vt animaduertunt Marsilius in 1. quæst. 6. art. 3. & exipso, & aliis scholasticis antiquis, Conimbricenses suprà 1. prior. qu. vnica, art. 1. & Auersa loco etiam superius memorato, Cæterum vbi terminus singularis in omnes tres personas diuinas patens, ac late fusus distribuatur, noteturque particula, *omnis*, aut alia id genus appellante, non suprà Deum, sed supra personam, hunc videlicet in modum : omnis, qui est essentia diuina, Deusvè, non verò ita, omnis Deus, omnis essentia diuina, sic profecto neutiquam inficier, eum aptum esse syllogismo expositorio : talis enim est hic : omnis, qui est essentia diuina est pater, sed filius est essentia diuina : ergò & pater : cuius, si præmissæ essent veræ, haud dubie vera quoque esset illius conclusio : at, cum eius maior sit falsa, ea causa est, cur malè concludat : contrà verò hic syllogismus expositorius in diuinis valet, & ex præmissis veris veram etiam conclusionem colligit, omnis qui est essentia diuina est æternus, sed filius est essentia diuina, ergo æternus. Quod si quis obiiciat, adiectione eius particulæ, *omnis*, essentiam diuinam à ratione medij singularis extrahi, & quodammodò medium commune reddi, nullumque proinde in mysterio Triados locum esse syllogismo expositorio, facile responderi potest ex dictis, eam particulam neutiquam appellare supra essentiam diuinam : ipsa ergò est semper singularis, aliundè vero medius terminus, cum sola sit, quæ bis ponitur in præmissis, semel videlicet in maiori, tametsi in consortio illius particulæ complexæ, *omnis qui est*, & iterum in minori, per seipsam duntaxat, & omni alio termino incomitata; attamen, si quis propter vniuersalitatẽ eius syncategorematis, *omnis*, renuat prædictum syllogismum, vllumvè alium similem in diuinis esse expositorium, quæstio erit de solo nomine, & cuius vtram sequaris partem, non multum laboro: quanquam id negare nequeam, modum loquendi superius optatum mihi etiamnum magis arridere, præsertim cum syllogismus expositorius inibi adductus in aliorum paradigma perinde sit atque hic, si aliquis est essentia diuina est pater, sed filius est essentia diuina, ergò est pater: hanc

enim ratiocinationem quis neget expositoriam, & medio fretam singulari, nimirum essentia diuina, eáque secluſa à syncategoremate, *omnis*, omnique alio simili: aut quis neget, in dubiumve reuocet eius efficacitatem, ac vim prorsus ineluctabilem, merito cuius conceſſis præmiſſis nequit illius concluſio non concedi, tametsi absolutè falſa, propter alterius præmiſſæ falſitatem.

33 Tertium dubium est an syllogismus expositorius vim habeat ad probandos efficacius alios medio communi innixos, eorumque concluſiones clarius inferendas? Affirmant cum Arist. omnes, & meritò: fac enim in Darapti confici hunc syllogismũ, omnis homo est substantia, omnis homo est viuens: ergo aliquod viuens est substantia: ista sanè concluſio si negetur, poterit per expositionem ita longè clarius, & euidentius probari, hic homo v.g. Petrus est substantia, sed idem est viuens, ergo aliquod viuens est substantia: Fac etiam hunc syllogismum construi in Ferison, nulla bellua est homo, aliqua bellua est equus, ergo aliquis equus non est homo, eius profectò concluſio si negetur, luce clarius poterit hac expositione probari, hæc bellua est equus, ea, inquam, ratione cuius verificatur propositio particularis, & hæc eadem bellua non est homo, cum nulla sit homo, aliquis igitur equus non est homo.

Atque hinc est, syllogismum expositorium alios
34 apprimè probare, eorumque præmiſſis lucem, & vim tribuere, vt melius, ac perfectius concludant: nam quidquid sequitur ex conſequenti, sequitur ex antecedente, vt est in veteri paræmia: at ex præmiſſis syllogismi expositorij sequitur concluſio syllogismi communis, mediovè communi innitentis: hæ autem ritè conſequuntur ad præmiſſas communes syllogismi perfecti: aut etiam sub aliqua vniuersali accipitur alia singularis aut sub aliqua particulari singularis: vtraque autem illatio est euidens: prior vi formæ, vt omnis homo est substantia, ergo Petrus est substantia: posterior verò non ratione formæ; haud enim valet, aliquis oculus requiritur ad videndum, hic ergo, videlicet dexter requiritur ad videndum, sed vi materiæ disiunctiuæ: euidentiſſimum enim est vbi aliqua bellua sit equus assignari posse, & debere indiuiduum, & singulare quoddam belluini generis, quod sit equus: probatio autem per expositionem locum habet, quando accipitur sub præmiſſa particulari non disiuncta, sed disiunctiua quædam alia singularis, vt superius insinuatum, vtque rectè monent Louanienſes, & Conimbricenſes iam laudati: eadem ergo concluſio, quæ ante non tam perfectè, & clarè sequebatur ex præmiſſis syllogismi communis, ex iisdem postea clarius, & perfectius sequitur mediantibus præmiſſis singularibus, ac syllogismi expositorij propriis.

Quoniam autem propositio conuertens est quo-
35 dammodo concluſio deducta ex conuertibili, haud erit importunum hic breuiter explicare, quatenus probatio per expositionem huic argumentationi vim non mediocrem tribuat, summaque euidentia conuincat eum, qui supradictarum propositionum alteram concedit, alteramque negat sibi ipsi contradicere, atque in impoſſibile præcipitem ferri, aut potius ruere, vt docet Aristoteles lib. 1. prior. cap. 2. & ex eo Auerſa, ac cæteri dialectici. Finge ergo concedi hanc propositionem, nullus equus est homo, & negari eius conuertentem, nullus homo est equus: tum sanè huius contradictoria, scilicet aliquis homo est equus, esse debet vera, & omnis expers falsitatis: vocetur ergo ille, in quo verificatur ea propositio disiunctiua Petrus: hæc igitur est vera, Petrus est equus: proinde datur locus huic syllogismo per quem manifestè conuincitur contradictorium antecedentis conceſſi, siue propositionis conuertibilis; Petrus est homo, sed idem Petrus est equus, ergo aliquis equus est homo. Par ratio est aliarum conuersionum vniuersalium, secus verò earum quæ versantur in propositiones particulares, vt expendenti clarebit.

Postremum dubium est, quænam species syllo-
36 gismi sit illa, cuius medium est commune, & vnus, vel alter terminus singularis: haud enim esse potest syllogismus singularis, siue expositorius, quæ est medij communitas: haud communis, quæ est duum extremorum, vel certè alterutrius singularitas. Respondeo quemadmodum dici solet expositorius syllogismus, cuius medium est singulare, siue extrema ei circumfusa sint singularia, siue secus, ita syllogismum, cuius medium est commune, dicendum esse communem, & expositionis prorsus expertem, siue extrema illius sint communia, siue singularia potius. Quandò extrema iuxtà cum medio sunt communia, vel disiunctiuè, vel distributiuè, ac particula, *aliquis*, vel particula, *omnis* affecta, quot modos syllogismorum efficiant supra visum est tractatu præcedenti & à dialecticis comprehensum versiculis illis, Barbara Celarent &c. Quando autem extrema, seu communia, seu singularia, iunguntur inuicem medio singulari, quot etiam arguendi modos producant cap. superiori satis manet enucleatum. Quocircà tantum supersunt explicandi argumentationum modi, qui resultant ex coniunctione medij communis cum extremis, quorum alterutrum, vel saltem vnum est singulare.

Quod autem attinet ad primam figuram, duobus
37 modis in ea hoc pacto concluditur, videlicet ex maiori vniuersali, & minori singulari affirmatiuis, idque tam directè, quam indirectè: vt omne animal, est viuens, Bucephalus est animal, ergo Bucephalus est viuens; & aliquod viuens est Bucephalus: nec non ex maiori vniuersali negatiua, & minori singulari affirmatiua, tum directè, tum etiam indirectè, veluti nullus equus est homo, Bucephalus est equus, ergo Bucephalus non est homo, & homo non est Bucephalus.

In secunda figura plures sunt modi huius argu-
38 mentationis: etenim, si ambo extrema sint singularia, adeoque ambæ præmiſſæ illorum merito eandem quantitatem subeant, duo erunt modi, alter nimirum ex maiori affirmatiua, & minori negatiua vt Petrus currit, Paulus non currit, ergo Paulus non est Petrus, & ex maiori negatiua, & minori affirmatiua, vt Petrus non currit, Paulus currit, ergo Paulus non est Petrus: alterutra autem inferre potest, tam conuertibilem, vt iam visum, quam eius conuertentem: quod si extremorum alterum sit singulare, alteramque præmiſſam singularem denominet, alterum verò sit commune, nec nisi hanc quantitatem tribuat: aut præmiſſa singulares sustinet in syllogismo prouinciam maioris; & sic pro quadruplice parietate minoris quadruplex modus resultabit: potest enim minor ea esse, vel vniuersalis affirmatiua, vel vniuersalis negatiua, vel particularis affirmatiua, vel particularis negatiua, haud secus atque in modis illis vulgaribus Cæsare, Camestres, Festino, Baroco, à quibus hi quatuor penes solam maiorem differunt: Sin autem maior subiiciat extremum aliquod commune, adeóque sit communis ipsa: vel præcedit minorem maior vniuersalis affirmatiua, vel vniuersalis

uersalis negatiua, (neutrius enim qualitatis maior particularis in secunda figura quidquam concludit) atque ita existent alij duo modi, qui id commune habent cum quatuor proximè insinuatis, quod conuertibilem, & eius conuertentem ex æquo concludant.

39 In tertia figura haud est fermè locus his argumentandi modis, qui propter singularitatem propositionum, vel omnium, vel aliquarum diuersi sint ab vsitatis, & vulgo circumferri solitis: nam extrema singularia in hac figura, cum tantum prædicentur in præmissis, haud possunt eis tribuere singularitatem. Nihilominus conclusionis singularitas duos in ea modos à vulgaribus quodammodò distinctos efficiet; provt nimirum in illa, vel maius extremum singulare enunciatur de minori, vel minus de maiori, & vel conuertibilis singularis infertur, vel quæ eam conuertit.

CAPVT V.

De syllogismo hypothetico, & disiunctiuo.

40 PRo prioris explicatione recolenda est quadrimembris diuisio propositionis hypotheticæ, tradita superius lib. 4. tract. 1. cap. 1. ex D. Thoma opusc. 48. cap. 16. & Fabio lib. 5. instit. cap 8. secundum quam videlicet, aut antecedens, & consequens affirmantur ex æquo, aut ambo negantur, aut affirmato antecedenti negatur consequens, aut è contrario, negato consequenti affirmatur antecedens. Syllogismus ergo hypotheticus, seu conditionatus duas habet potissime figuras. Prima est, in qua arguitur à positione antecedentis ad consequẽtis etiam positionem: in qua sunt quatuor modi pro quadruplici propositionis hypotheticæ specie iam iam explicata Primus est omninò affirmatiuus, vt si est homo est rationalis: Secundus est omnino negatiuus vt si non est homo non est rationalis, sed non est homo, ergo non est rationalis. Tertius est affirmatiuus antecedentis, & negatiuus consequentis, vt si homo est cæcus non est videns, sed est cæcus, ergo non est videns. Quartus est negatiuus antecedentis, & affirmatiuus consequentis, vt si homo non est cæcus est videns, sed non est cæcus, ergo videns. Secunda figura est, in qua arguitur à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, suntque in ea more prioris quatuor modi, quorum primus incipit à propositione hypothetica omnino affirmatiua, vt si est homo est rationalis, sed non est rationalis, ergo non est homo. Secundus à propositione hypothetica omnino negatiua, vt si non est homo non est rationalis, sed est rationalis, ergo homo: Tertius est à propositione affirmatiua antecedentis, & negatiua consequentis, vt si homo est cæcus non est videns, sed est videns, ergo non cæcus. Quartus à propositione negatiua antecedentis, & affirmatiua consequentis, vt si homo non est cæcus est videns, sed non est videns, ergo cæcus.

41 Porrò autem, vt colligere est ex Iauello tract. 9. dialect. parte 7. aliisque scholasticis, vtque per se perspicuum est, quatuor modis vtilibus primæ figuræ correspondent totidem inutiles, in quibus arguitur à positione consequentis ad positionem antecedentis: non enim valet, si est homo est animal, sed est animal, ergo homo: nec etiam si non est animal non est homo, sed non est homo, ergo non animal: nec item, si est homo non est equus, sed non est equus, ergo est homo: nec denique, si lac non est album est dulce, sed est dulce, ergo non est album. Similiter quatuor modis vtilibus secundæ figuræ respondent quatuor inutiles, in quibus arguitur à destructione antecedentis ad destructionem consequentis, vt etiam Iauellus vbi supra ac cæteri dialectici supponunt, vtque sponte sua manifestum: haud enim sequitur, si est homo est animal, sed non est homo, ergo non est animal: haud secundò si non est animal non est homo, sed est animal, ergo homo: haud tertiò si est homo non est equus, sed non est homo, ergo est equus: haud tandem quartò, si lac non est album est dulce, sed est album, ergo non est dulce. Quanquam autem vi formæ hi octo modi neutiquam concludant, vt exemplis est luculenter ostensum: valent tamen aliquando gratia materiæ, vt cum termini sunt conuertibiles, aut correlatiui. Est etenim bona hæc illatio in prima figura, si est homo est rationalis, sed est rationalis, ergo est homo: & in secunda figura, sed non est homo, ergo non est rationalis: Nec minus bona est hæc in prima figura, si est pater in rerum natura est filius, sed est filius, ergo est eius pater, & in posteriori, sed non est pater, ergo non est filius: aliis paradigmatis, propterea quod sint facilia, supersedeo.

Pro explicatione posterioris syllogismi, videlicet 42
disiunctiui, supponendum est propositionem disiunctiuam, vnde appellationem habet, præsertim quando non est nugatoria, sed sensu inter philosophos prædita, æquipollere conditionali; magnam certè vtrique vicinitatem, & cognationem esse: Rursus, vt ambæ æquipolleant, opus esse, vt si antecedens conditionalis propositionis sit veluti affirmatum, idem, vbi resoluitur in vnam disiunctionis partem, sit negatum, &, si contra sit negatum, affirmetur per propositionem disiunctiuam: vnum & alterum docet inter alios B. Thomas opusculo suprà citato, cap. 18. Hinc est, vt sicut in duabus figuris sunt octo modi vtiles syllogismorum conditionalium, totidem etiam in iis sint modi vtiles disiunctiuorum; provt nimirum loco propositionis conditionalis assumitur disiunctiua, cui æquipollet: hæc enim more illius est quadruplex, & in quauis eius specie bis argui potest, videlicet aut à positione alicuius aut contra ab alicuius destructione: quatuor autem bis ducta octo efficiunt. Primus ergo modus hypotheticus in prima figura erat, si est homo est rationalis, &c. ergo iuxta doctrinam superiorem primus modus disiunctiuus ei respondens sit talis, aut non est homo aut est rationalis. sed est homo, ergo rationalis. Secundus modus hypotheticus erat, si non est homo non est rationalis, sed, &c. quare secundus modus disiunctiuus erit, aut est homo aut non est rationalis, sed non est homo, ergo non est rationalis. Tertius hypotheticus erat si homo est cæcus, non est videns, &c. tertius ergo disiunctiuus erit, aut non est cæcus aut non est videns, sed est cæcus, ergo non videns. Quartus hypotheticus erat, si homo non est cæcus est videns, sed, &c. proinde quartus disiunctiuus erit, aut homo est cæcus aut est videns, sed non est cæcus, ergo videns.

Quod attinet ad secundam figuram vbi arguitur, 43
à destructione consequentis, promptum etiam est declarare proportionem inter syllogismum hypotheticum, & disiunctiuum: primus modus illius erat, si est homo est rationalis, sed non est rationalis, ergo non est homo: primus ergo huius erit, aut non est homo aut est rationalis, sed non est rationalis, ergo non homo. Secundus huius erit, aut est homo, aut non est rationalis, sed est rationalis, ergo homo. Tertius,

tius, aut non est cæcus aut non est videns, sed est videns, ergo non est cæcus. Quartus; aut est cæcus aut est videns, sed non est videns, ergo cæcus.

44 Animaduertendum autem est primò circa syllogismum hypothetjcum, & disiunctiuum vtriusque proportionem, etsi magna sit, vt hactenus visum, tantam tamen non esse, vt non sit cum quadam inproportione, ac dissimilitudine coniuncta. Nam in prima figura syllogismi hypothetici arguitur à positione antecedentis ad positionem consequentis, & in secunda, à destructione consequentis ad destructionem antecedentis. Cæterum syllogismus disiunctiuus hoc habet præ hypothetico, quod in eius maiori propositione non sit propriè antecedens, & consequens, conditio, & res sub conditione affirmata: item, quod in eius prima figura non fiat argumentum à positione vnius ad positionem alterius, aut in secunda à destructione vnius ad destructionem alterius, sed potius in ea, quæ primum locum obtinet ac primæ figuræ syllogismorum conditionalium respondet, à destructione prioris partis disiunctionis ad positionem posterioris, atque in ea quæ secundum locum sibi vendicat, ac secundæ figuræ syllogismorum conditionalium respondet à destructione posterioris partis disiunctionis ad positionem prioris. Atque hinc est, præter octo modos vtiles arguendi disiunctiuè paulò superius explicatos, totidem alios assignari posse inutiles, quibus nimirum arguatur vel à positione vnius partis disiunctionis ad positionem alterius, vel à destructione vnius ad destructionem alterius, vt erit intuenti palam.

45 Animaduertendum est secundò, circa vtrumque syllogismum duas tantum vnius, ac duas alterius figuras esse à nobis iure meritò constitutas: quamuis enim, vt dictum est semel, & iterum, in priori syllogismo frequens sit argumentatio à positione consequentis ad positionem antecedentis, & etiam à destructione antecedentis ad destructionem consequentis, neutra tamen peculiarem figuram constituit, cum de ratione figuræ sit, vt aliquos modos arguendi vtiles comprehendat: vtraque autem argumentatio supradicta est prorsus inutilis, & nunquam non falsitati obnoxia vi formæ. Quocirca quod superius statutum est, primam figuram hypotheticam esse, in qua arguitur à positione antecedentis ad positionem consequentis, & secundam, in qua à destructione consequentis ad destructionem antecedentis, accipiendum ita est, vt semper debeat subintelligi particula, *vtiliter*, cum tamen, si de inutili argumentatione sermo sit, vtraque figura sit latius extendenda, & prior comprehendat eam, in qua arguitur à positione, vel antecedentis ad positionem consequentis, vel huius ad positionem illius, & posterior eam, in qua à destructione, vel antecedentis, vel consequentis, ad destructionem alterius vtrius. Eadem de causa neutiquam est admittenda super duas assignatas duplex alia figura disiunctiua, quarum altera cohibeat modos arguendi à positione vnius partis disiunctionis ad positionem alterius, & altera arguendi à destructione vnius ad destructionem alterius. Quin potius in definitione duum figurarum, quæ pro syllogismo disiunctiuo sunt constitutæ, subaudiri oportet particulam, *vtiliter*, vt in simili animaduersum paulo suprà. Nam si sermo sit de inutilibus etiam arguendi locis, vtraque latius est fundenda, complectique debet modos omnes arguendi, non tantum à positione vnius partis disiunctionis ad destructionem alterius, & è conuerso, sed etiam à positione vnius ad alterius positionẽ & ab vnius quoque destructione ad demoliendã alterã.

Animaduertendum est tertiò circa syllogismum hypotheticum (par autem est ratio disiunctiui) eum ac absolutum vulgaremque multis inuicem nominibus differre: hic siquidem innititur eis, principiis, quæ sunt eadem vni tertio, &c. ille verò, si sermo sit de eius prima figura, huic principio effectus conditionatus purificata, vt aiunt, conditione transit in absolutum: sin autem de secunda, huic; ex oppositio consequentis sequitur oppositum antecedentis. Rursus in absoluto plerumque non arguitur bene ex puris negatiuis: at optimè in hypothetico, vt superiora exempla demonstrant. Præterea in absoluto ex puris particularibus nunquam est argumentum vllum, quod valeat, nisi sit expositorium: secus tamen accidit in hypothetico, vt si ita arguas, si aliquis homo currit mouetur, sed aliquis homo currit, ergo & mouetur. Posthæc in syllogismo absoluto nullum extremorum bis in præmissis, aut ter in tota syllogismi serie ponitur: vtrumque autem vsuvenit in syllogismo hypothetico, vt constat ex eo, cuius iamiam vsi sumus exemplo. 46

Animaduertendum est quartò, & vltimò, data opera hic à nobis prætermissum esse syllogismum copulatiuum: aut enim est talis, omnis homo est viuens, & corporeus, sed Petrus est homo, ergo viuens & corporeus; atque ita eius, & vulgaris carminibus illis Barbara, Celarent comprehensi eadem est forma: aut est potius talis, si Petrus est homo est viuens, & corporeus, sed est homo, ergo corpore, & vita præditus; & sic eadem eius est forma, quæ cuiusuis alterius hypothetici: quod autem materia sit diuersa, ac termini copulatiui modo sint, modo verò simplices, aut disiunctiui, nouum tractatum haud efflagitat; esset enim infiniti, ac superuacanei laboris: aut denique, quod superest, arguitur ita per terminos complexos, homo est, & viuens, ergo est viuens: cæterum hæc argumentatio non est syllogismus, quo de agimus, sed consequentia siue ethymema. 47

CAPVT VI.

De syllogismo modali.

QVidam authores multi sunt in explicanda propositione modali: syllogismum autem modalem, cuius potissime gratia ea debet explicari, omnino prætermittunt, deque illius oppositione, æquipollentia, conuersione, quantitate, ac variis speciebus longam disputationem texunt, huius autem ne mentionem faciunt: Hi similes mihi videntur ei, qui domus exstruendæ causa siluas, ac mentes cæderet, latomias lapidarias effoderet, laterculos duraret, calcem coqueret, & reliquam id genus materiam vndique cõquireret; tanti tamen laboris finem negligeret prorsus, fructumque, & pretium, in fabricata domo, sineret disperire. Quorum ego consilium probare nequeo, ac proinde quæ de syllogismo modali fusè tradunt Aristoteles lib. 1. prior. cap. 13. & sequentibus, vsque ad vigesimum primum D. Thomas opusc. 48. cap. 13. 14. & 15. Conimbricenses & alij interpretes, hæc animus est in compendium redigere, si tamen antè duo animaduertam. Prius est, de modo tantum, necesse, & contingenti, nobis hic agendum esse: nam quæ sunt dicenda de necesse, locum habent in impossibili, nec non etiam in possibili, provt hoc aptitudinem tantum, & capacitatem essendi significat: quatenus autem 48

autem est alius eius intellectus, ac denotat idem, quod contingens, huius illiusque par est ratio. Posterius est, quamuis modus contingens multoties repræsentet solam habitudinem, ac relationem subiecti ad prædicatum eamque indifferentiam, quam habet alterum, vt subsit, vel non subsit, alterumque contra, vt insit, aut non insit alteri; quo ferme sensu à nobis est vsurpatus supra lib. 4. tract. 5. cap. 1. 2. & 3. Cæterum in præsenti significare vlterius, quod prædicatum actu insit subiecto, & hoc illud participet: quare hæc propositio v.g. contingit Petrum currere, comprehendit aliam de inesse, & perinde est, atque Petrus currit, & cursus ei conuenit contingenter, & non sine indifferentia ad vtrumlibet: quamobrem propositio illa modum, contingens, complexa, & quæuis alia id genus, est in materia necessaria, si prior eius sensus spectetur; sin autem posterior, in contingenti.

49 Quod ergò attinet ad modos, necesse, & contingens, præcisè quidem, ac sine vlla eorum, vel inter se inuicem, vel cum propositionibus de inesse mixtione sumptos: inprimis, quotiescunque, & in quacunque figura, aut modo, vtraque præmissa fuerit de modo, necesse, conclusio eadem affecta necessitate sequetur; vt necesse, est omnem hominem esse animal, necesse est, Petrum esse hominem, ergo necesse est, Petrum esse animal; in modo regis Darij: necesse est, nullum lapidem esse animal, necesse est, omnem hominem esse animal, ergò necesse est, nullum hominem esse lapidem; in modo Cæsareo: necesse est, omnem hominem esse animal, necesse est, omnem hominem esse viuens, ergo necesse est, aliquod viuens esse animal, in Darapti. Rursus, si ambæ præmissæ sint de contingenti in prima figura, conclusio eandem contingentiam potest, ac debet sortiri: veluti contingit, omnem sedentem loqui, sed contingit, omnem hominem sedere, ergo contingit, omnem loqui: Par ratio est tertiæ figuræ, veluti contingit, omnem hominem currere, sed contingit omnem hominem loqui, ergo contingit aliquod loquens currere: Non tamen secundæ figuræ, vbi potius conclusio de contingenti est nulla, si ambæ præmissæ eodem prius sint affectæ modo, veluti contingit, nullum equum currere, contingit, omnem hominem currere: ergo contingit, nullum hominem esse equum.

50 Quod spectat ad syllogismos, quorum altera præmissa est necesse, & altera de inesse, in prima figura conclusio est de necesse, vbi maior de eo sit ac minor tantum de inesse, veluti necesse est, omne viuens esse animatum, omnis homo est viuens, ergo necesse est, omnem hominem esse animatum: cæterum, vbi è contrario maior in ea figura sit de inesse, ac maior de necesse conclusio conditionem maioris non minoris sequetur, eritque illius more de inesse, non huius de necesse, vt omnis homo est albus, necesse est, Petrum esse hominem, ergò Petrus est albus; non verò ergò necesse est, Petrum esse album.

51 In secunda autem figura, si sermo sit de primis tribus eius modis partim affirmatiuis, & partim negatiuis, videlicet Cæsare, Camestres, & Festino, vbi propositio negatiua fuerit de necesse, & affirmatiua de esse, conclusio negatiuam, ac debiliorem præmissam sequetur, eritque de necesse, vt omne animal est viuens, necesse est nullum lapidem esse viuens, ergò necesse est nullum lapidē esse animal: vbi verò propositio affirmatiua sit de necesse, & negatiua de inesse, conclusio erit de inesse, non de necesse, vt necesse est omne currens moueri, nullus homo mouetur, ergò nullus homo currit; non autem, ergò necesse est, vllum hominem currere: Ast in quarto modo, nempe Baroco, siue ea propositio, quæ negat, siue ea quæ affirmat, sit de necesse, haud quaquam sequetur nisi conclusio de inesse, vt omne currens est equus, necesse est aliquem hominem non esse equum, ergò aliquis homo non currit; non autem, ergò necesse est, aliquem hominem non currere: atque vt necesse est, omne currens moueri, aliquis homo non mouetur, ergò aliquis homo non currit; non autem, ergo necesse est, aliquem hominem non currere.

52 In tertia figura primus eius modus, nimirum Darapti, semper infert conclusionem de necesse, quæcunque eius præmissa sit de necesse, & quæcunque de inesse; veluti omnis homo est animal, necesse est omnem hominem esse viuens, ergò necesse est aliquod viuens esse animal: nec non, necesse est omnem hominē esse animal, omnis homo est viuēs, ergo necesse est aliquod viuens esse animal. Secundus verò eiusdem figuræ modus, scilicet Felapton, conclusionem de necesse colligit, si eius præmissa negatiua sit de necesse, alioqui solam de inesse, vt necesse est, nullum equum esse hominem, omnis equus est hinnibilis, ergò necesse est aliquod hinnibile non esse hominem: quamuis autem huiusmodi illatio sit bona, non tamen hæc, nullus homo est albus, necesse est omnem hominem esse animal, ergò necesse est, aliquod animal non esse album; sed potius, ergò aliquod animal non est album. Duo sequentes modi, videlicet Disamis, ac Datisi, vbi præmissa vniuersalis sit de necesse, & particularis de inesse conclusionem de necesse suo sibi iure vendicabunt: sin autem è conuerso se habuerint illorum præmissæ, non nisi de inesse: valet enim, necesse est omnem hominem esse animal, aliquis homo ridet, ergò necesse est aliquod ridens esse animal: non autem, omnis homo est ridens, necesse est aliquem hominem esse animal, ergò necesse est aliquod animal ridere, sed potius, ergò aliquod animal ridet. In postremo huius figuræ modo, nempè Ferison, si quæ negat præmissa, sit de necesse, & affirmatiua de inesse, sequetur conclusio de necesse; si secus, de inesse. Denique in penultimo eius modo, quem vocant Bocardo, nunquam est conclusio de necesse, sed semper de inesse. Vtrumque luculenter constabit intuenti paulò attentius.

53 Quod attinet ad syllogismos ex vna præmissa contingenti, & altera de inesse: in prima figura, si maior sit de contingenti, & minor de inesse, conclusio cōtingens euadet, & non solum de inesse, vt contingit omnem hominem loqui, omnis homo est animal, ergo contingit aliquod animal loqui: sin autem maior sit de inesse, & minor de contingenti, conclusio erit de inesse, & contingentiæ expers prorsus, vt omne sanum est animal, contingit omnem hominem esse sanum, ergò omnis homo est animal; non autem, ergò contingit hominem omnem esse animal: est enim necesse, qui ergò potest esse contingens?

54 Quod si in tribus ptimis modis secundæ figuræ præmissa vniuersalis negatiua sit de contingenti, & affirmatiua de inesse, non sequitur conclusio contingens, sed solum de inesse, veluti omnis homo currit, contingit nullum equum currere, ergò nullus equus est homo; non verò, ergò contingit nullum equum esse hominem: Quartus autem modus secundæ figuræ, nimirum Baroco, qualiscunque eius præmissa sit de contingenti, vbi altera sit de inesse, conclusionem inferet non contingentem, sed tantum

de inesse, vt contingit omnem hominem esse album, quidam lapis non est albus, ergo quidam lapis non est homo; non verò, ergò contingit quendam lapidem non esse hominem: quæ enim in hoc contingentia esse, quod periculum metui potest? atque, vt omnis homo est albus, contingit quoddam animal non esse album, ergò quoddam animal non est homo; non verò, ergò contingit quoddam animal non esse hominem, id siquidem est necessarium, vt quod maximè.

53 In tertia figura, quando maior est de contingenti, & minor de inesse, conclusio est de contingenti, vt v.g. contingit hominem omnem esse album, omnis homo est animal, ergò contingit aliquod animal esse album: sin autem minor sit de contingenti, & maior de inesse, conclusio erit de inesse, non de necesse, veluti omnis homo mouetur, contingens est aliquem hominem currere, ergò aliquod currens mouetur; non autem, ergò contingens est aliquod currens moueri, cum potius necesse sit quidquid currit hoc ipso moueri.

54 Quod spectat ad syllogismos modales ex vna præmissa de necesse, & altera de contingenti: si in duobus modis affirmatiuis primæ figuræ, videlicet Barbara, & Darij, maior fuerit de contingenti, & minor de necesse: sequetur conclusio de contingenti, vt, contingit omne animal esse sanum, necesse est omnem hominem esse animal, ergò contingit omnem hominem esse sanum. Cæterum, si è contrario maior sit de necesse, & minor de contingenti, eo ipso erit conclusio, non de necesse, nec de contingenti, sed de inesse, vt necesse est omne dormiens esse animal, contingens est aliquem hominem dormire, ergò aliquis homo est animal, non verò ergo contingens est aliquem hominem esse animal, nec etiam, ergò necesse est, aliquem hominem esse animal, nisi per accidens spectata forma, soliusque gratia materiæ, vt constat ex hoc syllogismo, cuius consequentia est nulla, necesse est omne dormiens non vigilare, sed contingit aliquem hominem dormire, ergò necesse est aliquem hominem non vigilare. Similiter, si in duobus modis negatiuis eiusdem figuræ, nempè Celarent, & Ferio maior negatiua sit contingens, & minor affirmatiua de necesse, conclusio erit de cõtingenti, vt contingit, nullum animal currere, sed necesse est omnem hominem esse animal, ergò contingit nullum hominem currere: Verum, si propositio negatiua in eis sit de necesse, & affirmatiua de contingenti, ne sequetur conclusio de contingenti, nec de necesse, sed tantum de inesse, vt necesse est nullum ridens esse lapidem, contingit omnem hominem ridere, ergo nullus homo est lapis, non verò; ergò contingit nullum hominem esse lapidem, cum eiusmodi sit falsa, nec etiam; ergò necesse est nullum hominem esse lapidem: quamuis enim hæc conclusio sit vera, non tamen nisi vi solius materiæ, cum ratione formæ, & consecutionis possit ei subesse falsum, vt patet ex hoc syllogismo citrà dubium falsò concludente, necesse est nullum immotum currere, sed contingit omnem hominem esse immotum, ergò necesse est nullum currere.

55 In secundæ figuræ tribus primis modis, si præmissa negatiua sit de necesse, & affirmatiua de contingenti, conclusio nec erit de contingenti, nec de necesse, sed tantum de inesse: haud enim valet, necesse est nullum coruum esse album, contingens est omnem hominem esse album, ergò contingens est nullum hominem esse coruum: haud etiam, necesse est nullum sedentem currere, contingit omnem hominem currere, ergò necesse est nullum hominem sedere: valet tamen ex vtrisque præmissis, ergò nullus homo est coruus, ergò nullus homo sedet. Quod si è contrario negatiua præmissa sit contingens, & affirmatiua de necesse, haud sequetur conclusio de necesse: contingentia enim vnius præmissæ vetat semper necessitatem conclusionis, vt ex superioribus liquet: haud etiam de contingenti cum non valeat: contingit nullum hominem esse album, necesse est omnem cygnum esse album, ergo contingit, nullum cygnum esse hominem: tantum igitur sequi potest, nullus cygnus est homo, quæ est conclusio de inesse. Similiter in quarto modo se res habet, & qualiscunque illius præmissa sit de necesse, aut de contingenti, necessitas, nec contingentia conclusionem afficiet, sed hæc vtriusque immunis euadet, vt inspicienti constabit.

In tertia figura modi affirmatiui, quæcunque earum præmissa sit de contingenti, quantumuis altera 56
sit de necesse, conclusionem contingentem inferent, veluti contingit omnem hominem currere, necesse est omnem hominem esse animal, ergò contingit aliquod animal currere. Cæterum modi negantes inferent conclusionem de contingenti, si in eis præmissa negatiua fuerit de contingenti, & affirmatiua de necesse, vt contingit nullum hominem esse album, necesse est omnem hominem esse animal, ergo contingens est aliquod animal non esse album: quod si è diuerso præmissa negatiua sit in eis de necesse, & affirmatiua de contingenti, conclusio erit de inesse, & nõ de necesse, nec de contingenti: haud enim sequitur, necesse est nullum hominem mugire, contingens est aliquem hominem ridere, ergò contingens est aliquod ridens non mugire: est enim potius id necessarium: haud etiam, necesse est nullum sedentem currere contingens est aliquem sedentem loqui, ergò necesse est aliquod loquens non currere: tantum ergò sequitur ex prioribus præmissis, aliquod ridens non mugit; & ex posterioribus, aliquod loquens non currit.

Quatenus autem syllogismi modales imperfectè 57
concludentes probentur per reductionem tum ostensiuam, tum etiam per impossibile ad quatuor modos perfectos itidem modales primæ figuræ; eorum verò, qui nè imperfecte concludunt, inefficacitas, ac nullitas suadeatur, per hoc quod vtriusque reuocationis sint incapaces, facilè colligi potest ex dictis hoc libro, tract. 1. videndique sunt circa alterum alterumque B. Thomas, Conimbricenses, & ipse Aristoteles, locis superius citatis.

TRACTATVS III.

De tribus aliis speciebus veritatis syllogisticæ.

CAPVT I.

Quid & quotuplex sit syllogismus demonstratiuus.

58 DEMONSTRATIO, paulo latius sumpta, perinde est, atque quæuis ratiocinatio vera, siue

creat

certa siue probabilis tantum, siue clara, siue obscura, & quocunque modo procedat, mediove innitatur: *Concludere quiddam* inquit Clem. Alexand. 8. strom. *ex iis quæ quis confiteur, est ratiocinari, siue syllogismum conficere: ex veris aliquid concludere est demonstrare: adeò vt sit quædam composita vtilitas demonstrationis: nempe, & ex eo quod quæ sumuntur vera sumat, ad ea quæ quæruntur, & ex eo quod inferatur consequens conclusio. Quod si non sit prius, vel id non consequatur secundum, non demonstrabit quidem, sed est ratiocinatus, seu effecit syllogismum: assumptis enim propositionibus conuenientem inferre conclusionem solum, est ratiocinari: ex assumptis autem propositionibus esse etiam vnamquamque veram non solum est ratiocinari, sed etiam demonstrare.* Et ibidem inferius: *Dictum est autem fidei quoque & demonstrationis genus esse duplex: vnum quidem, quod solam affert persuasionem animis auditorum: alterum verò, quod efficit scientiam.*

2 Demonstratio strictè vsurpata definiri solet ab Aristotele, & eius interpretibus: primò, *syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisque conclusionis.* Secundò *syllogismus faciens scire.* Tertio & clariùs, *syllogismus, in quo ex præmissis euidentibus sequitur euidenter conclusio.* Posteriorem hunc, ac magis proprium demonstrationis intellectum triplici eius definitione, quarum tamen neutra dissidet admodùm ab alia, contentum approbat Clemens Alexand. superius 8. strom. in hæc verba, *Si quis ergo inceperit ex iis, quæ sunt euidentia sensu, & intelligentia, & deinde conuenientem intulerit conclusionem, verè demonstrat: sin autem ex opinabilibus solum, sed nõ primis, hoc est neque sensu euidentibus, neque intelligentia, si conuenientem quidem inferat conclusionem, ratiocinabitur quidem, sed non quæ scientiam constituat demonstrationem: sin autem non conuenientem, ne omninò quidem rationabitur.* Et ante 1. strom. *quæ enim ex demonstrationibus conficitur oratio, perfectam animæ fidem facit, eius quod consequitur, vt non putet id, quod demonstratum est, aliter se habere: nec sinit, vt iis succumbat, quæ nobis per fraudem incurrunt.*

3 Demonstratio iuxtà Aristotelem, ac cæteros dialecticos alia est à priori, à posteriori alia. Illa est, in qua per causam qualemcunque, aut quasi causam, siue rationem formalem effectus demonstratur, vt cum existere lucem propterea quod sol existat, aut Deum voluntate præditum esse, propterea quod intellectu polleat, aut Petrum esse hominem, propterea quod sit animal rationale, demonstratur: hæc est, in qua per effectum qualemcunque, aut quasi effectum causa demonstratur, cuius exempla sunt ex iamiam dictis in propatulo. Deinde demonstratio dissecari consueuit, in demonstrationem *quia* & *propter quid*. Demonstratio, *propter quid*, est quæ rem ostendit: demonstratio, *quia*, est, quæ vel per causam remotam, vel per effectum procedit: nuncupatur autem ita prior, eò quod causa proxima rei sit propter quid est, idque propriè, & perfectè, atque ita vt intellectui satisfaciat: posterior verò, eò quod tantum demonstret, quia res est, siue quod res est, non tamen per eius causam proximam, & perfectam, propriùvè propter quid, quodque sciendi auiditatem intellectui ingeneratam possit satiare. Prætereà demonstratio alia est perfecta, perfectissima alia: demonstratio perfectissima est, in qua de subiecto demonstratur prima passio per essentiam, vt cum de homine demonstratur, esse admiratiuum, quia est rationalis: si quidem hoc quod est esse admiratiuum est prima passio hominis, quæque ad eius essentiam proximè accedit: demonstratio perfecta est quæuis alia.

Circa secundam, ac magis inter authores controuersam diuisionem quæres, an posterius eius membrum videlicet demonstratio, *quia*, rationem diuisi proprie participet? Videntur negare Themistius 1. post. cap. 12. Philoponus ibidem cap. 8. Simplicius 1. phys. com. 2. Alexand. 1. prior. com 3. Auicenna & alij. Sed cæteri omnes Peripatetici tuentur contrarium, quibus hac in re subscribo: nihil enim apud ipsos aduersarios, nihil apud omnes familiarius, quam causam per effectus demonstrari solere, idque absolutè, & sine restrictione vlla: non autem propter quid, ergò *quia*. Scisciteberis secundò, circa eandem diuisionem, an eius membra essentialiter, ac specifice differant. Renuit Appolinarij 1. poster. qu. 75. art. 2. Cæteri tamen dialectici, præsertim verò Auersa qu. 28. log. sect. 2. §. *secundo ex oppositio*, ac Tellez p. 1. sum. disp. 18. sect. 1. num. 15. inter demonstrationem ptopter quid, ac demonstrationem quia essentiale dissidium cognoscunt; & iure optimo, cum diuersis mediis innitantur ambæ. 4

Quæres tertiò, num ea diuisio sit vniuoca, vel analoga? Analogiam eius tradunt Balduinus, Zabarella, & Auerroes apud Auersam qu & sect. superius citatis. Cæterum ipse, & cum eo Tellez, & alij communiter malunt, eam esse vniuocam: nobisque etiam idipsum magis placet: vtraque enim est propriè demonstratio, vt nuper insinuatum: sicut igitur homo, & equus in ratione animalis, quam propriè participant, vniuocè conueniunt, ita similiter in præsenti, &c. Scisciteberis quartò, circa eam diuisionem, an sit adæquata: Negant Auerroes, Zimara, & Balduinus, quoniam, inquiunt, demonstratio, *propter quid*, tantum ostendit causam, ob quam res est, non tamen tem esse, sed potius hoc supponit: demonstratio verò, *quia*, solum ostendit rem esse, causam tamen quapropter sit, neutiquam manifestat; est igitur inter vtramque media quædam demonstratio admittenda, quam vocant potissimam & simpliciter, videlicet cuius officium sit ostendere, ac planum facere, & rem absolute esse, & simul eius propter quid, siue causam. Contrà verò eiusmodi diuisionem esse adæquatam, atque ad vnum, vel alterum eius membrum esse renocandam demonstrationem illam simpliciter, ac potissimam nuncupari solitam, censent B Thomas, Scotus, Themistius, Philoponus, Ægidius, Albertus, Venetus, Apollinaris, Caietanus, Zabarella, Auersa, Tellez & Vallius in logica t. 2. lib. 1. disp. 2. part. 3. qu. 1 & 2. Horum sententia mihi magis arridet: Namque nulla demonstratio est, quæ vel non sit per causam proximam, vel per effectum, causamvè remotam, aut aliud medium: nulla ergò quæ non sit vel demonstratio, *quia*, vel demonstratio, *propter quid*, vtriusque definitio si rectè habet. Rursus, vt obiter contraria sententia firmissimo, & præcipuo deiiciatur gradu, demonstratio, *propter quid*, non demonstrat tantum, aliquid esse causam rei, sed etiam quod vi & energia talis causæ absolutè sit res ipsa v.g. non solum quod interpositio telluris inter solem, ac sydus lunæ sit causa eclipsis lunaris, sed etiam quod hæc sit: probat enim conclusionem obiectiuam per eius causam; hoc siquidem commune est omni argumentationi, vt eam per medium sibi proprium ostendat: at illius cõclusio obiectiua est rem esse v.g. lunæ deliquium, siue eclipsim, vt claret ex hoc syllogismo, tellus posita inter solem, & lunam huius facit eclipsim, sed est interpositio telluris inter solem, & lunam, ergò & eclipsis lunaris: quamuis autem hæc 5

prius

prius cognita, ac visa sit, nihilominus, sustinet demonstrari postea: quid namque vetat, rem aliquam bifariam cognosci, videlicet per sensum, & experientiam, nec non per scientiam; atque vnum, alterumque genus hoc cognitionis circa idem obiectum concurrere: simul quidem tempore, sed non natura.

63 Circa prius, ac principalius eius diuisionis membrum dubitari consueuit, an, vt res proprie loquendo demonstretur, *propter quid*, satis sit, eam ostendi per causam à se realiter indistinctam, magisque talem in cognoscendo, quam in essendo? Non requiri ad demonstrationem huiusmodi, causam physicam, ac realem, realitervè ab effectu distinctam, sed sufficere intentionalem, siue in cognoscendo, sentiunt Caietanus 1. post. cap. 1. Vallius in log. tom. 2. lib. 1. disp. 2. p. 2. q 6. c 4. Collegium Conimbric. in log. cap. 2. de scient. q. 1. art. 2. Auersa q. 28. log. sect. 3. paulo ante medium, Tellez supra disp. 18. log. sect. 1. concluſ. 4. Quibus suffragor: quæ enim demonstratio esse potest, nisi *propter quid*, ea qua demonstratur de homine risibilitas, propterea quod sit rationalis, aut ea, qua de Deo demonstratur voluntas, propterea quod sit perfectissimo intellectu præditus, aliudvè quoduis attributum vi alterius, vt passim arguunt Theologi scholastici: neutra autem procedit per causam physicam, sed potius vtraque per intentionalem. Præterea secundò circa idem diuisionis membrum disquiri solet, an eiusdem conclusionis possint esse plures demonstrationes, *propter quid*, vel potius esse nequeat illius nisi vna sola. Vnam tantum vnius conclusionis esse posse demonstrationem, *propter quid*, putant Auerroes 2. post. comment. 46. & 97. ac Zabarella lib. de spec. demonst. c. 2. Sed immeritò, quoniam, vt bene animaduertit Auersa superius citatus, nihil prohibet, eiusdem rei esse plures causas proximias, veluti si probetur de homine, quod sit in vtramque partem moraliter operatiuus, ac vel laudabiliter, vel illaudabiliter, tum per causam efficientem, quoniam videlicet est intellectiuus, tum per finalem, quia propter beatitudinem, Deique visionem creatus, tum per formalem, quoniam est libero arbitrio præditus, tum denique per materialem, aut veluti materialem, quoniam substantia constans spirituali.

7 Circa posterius eiusdem diuisionis membrum, scilicet demonstrationem, *quia*, quædam sunt breuiter animaduertenda: haud enim ea vacat in vtramque partem disputare: Primò nimirum eiusmodi demonstrationem dici talem aliquando, propterea quod ad causam ab effectu gradum faciat, vt cum probatur tellurem in orbem esse rotundatam, quia tempore eclipsis lunam orbiculariter opacat, aut planetas syderibus fixis esse propinquiores, quia non scintillant. Secundò eam demonstrationem dici talem, quando arguitur à signo, etiamsi non sit effectus, vt cum probatur aliqua conclusio per reductionem ad impossibile: quod enim euidentius signum esse potest, eam esse veram, quam quod ex ea negata sequantur duo contradictoria? Tertiò quandò arguitur, per causam non proximam: causa autem proxima, qua niti debet demonstratio *propter, quid*, vt superius visum, & qua niti nequit demonstratio, *quia*, qua de loquimur in præsenti, censeri debet iuxtà Aristotelem, & eius interpretes, ea, quæ est conuertibilis cum effectu, sic vt eiusmodi causa sine effectu, & hic sine illa nunquam possit reperiri, Quocirca, si quis probet lapidem non respirare, quia non est animal, erit demonstratio, *quia* ac per causam non proximam, eo quod non reciprocentur carentia respirationis, & non animal, possintque plura non respirare, quin eorum vllum sit non animal, sed quoduis potius animal, nimirum pisces: quod si quis probet, lapidem non respirare, quia caret pulmone, erit demonstratio *propter* quid, ac per causam proximam, & conuertibilem, eo quod nihil non respiret; quin careat pulmone, nihilque pulmone careat, quin non respiret. Atque hinc est, causam proximam, seu conuertibilem principaliter dici causam, ac demonstrationem ei innixam absolutè, *propter quid*, contrà verò causam non proximam, siue irreciprocam, & inconuertibilem, fermè nomen causæ non meriri, adeoque solius demonstrationis, *quia*, non verò *propter, quid* denominationem tribuere: intellectus enim certior factus huius posterioris causæ non quiescit, & tametsi sciat, lapidem v. g. non respirare, quia non est animal, pergit vlterius inquirere, cur nam alia, quæ sunt animalia, videlicet pisces, non respirent: cæterum deprehensa priori causa, satiatur illa sciendi auiditas ei ingenerata; nec postquam scit lapidem v. g. non respirare, quia caret pulmone, potest vlteriue dubitare, quapropter pisces, quibus nullus inest pulmo, non respirent, deuè huius eorum à cæteris animalibus dissidij causa solicitus esse. Quartò denique quando arguitur per medium, quod nec sit causa, nec effectus. Quamuis enim hoc genus demonstrationis negare videatur Auerroes, & Zabarella lib. de spec demonst. cap. 5. Cæterum Themistius, Auersa, & alij communiter illud admittunt, &, quantum mea opinio est, iure merito: hæ namque sunt veræ demonstrationes, omne quod est perfecta ratione simile homini, eo ipso est dissimile Leoni, sed omnis homo est perfectè similis homini alicui, ergò dissimilis leoni: omne quod est risibile est flebile, sed omnis homo est risibilis, ergò & flebilis: omnes lineæ, quæ sunt æquales vni tertiæ, sunt æquales inter se, sed trianguli æquilateri tres lineæ ita sunt institutæ suapte natura, vt earum singulæ sint æquales vni tertiæ, ergo & æquales erunt inter se inuicem, vt habetur lib. 1. Euclidis problem 1. propos. 1. At nec similitudo hominis cum homine est causa aut effectus dissimilitudinis eius cum leone, nec è conuerso: par ratio est risibilitatis, ac flebilitatis: par æqualitatis quarumdam linearum inter se, & eius, quam habent respectu vnius tertiæ: par aliarum similium proprietatum, quæ in mathematicis disciplinis passim solent demonstrari. Quamobrem in eo non parum errant aduersarij, quod præter connexionem instar causæ, aut effectus, aliam concomitantem superioribus exemplis declaratam minimè agnoscant.

CAPVT II.

Cuiusmodi esse debeant præcognita syllogismi demonstratiui.

DE præcognitis ad demonstrationem in præsenti operolius, quàm vtilius à multis disputari consueuit. Ipse absque longo opinionum, & argumentorum censu in compendium redigam, quæ fuerint ponderis alicuius. Præcognita ergo ad demonstrandum, siue ea, quæ prænosci oportet antè demonstrationem, alia sunt complexa, alia incomplexa: præcognita complexa sunt ipsæ præmissæ obiectiuæ, quæ formales, atque assensum conclusionis 8

sionis ex his deriuatum proculdubio anteuertunt: prius enim ordine naturæ est, rem esse, quam cognitioni alicui subesse, eamque terminare: præcognita incomplexa sunt termini, quibus demonstratio constat, subiectum nimirum, & prædicatum conclusionis, mediumque per quod prædicatum de subiecto concluditur: nam antequam de homine esse animal, v. g. demonstrem, opus est, prius cognoscere quid significet hæc vox, *homo*, aliqualemque rei ipsius per vocem significatæ notitiam habere: aliàs quo pacto aliquid de ea demonstrari poterit? eadem ratione præcognosci debet animal: aliàs illud de homine demonstrari non poterit: idem de medio, quod est viuens sensibile, v. g. dicendum.

9 Quod attinet ad præcognita incomplexa demonstrationis, siue terminos, quibus constat, trimembris est eorum diuisio, videlicet in minus extremũ, maius extremum, & medium. Minus extremum, siue subiectum conclusionis demonstratiuæ, aut scientiæ, siue ea sit, *quia*; siue, *propter quid*, & omne id quo de aliquid demonstrari potest: quamuis enim aliquam multi authores ad illud exposcant, vt sit ens reale & non rationis positiuum, ac non negatiuum, vt sit substantia, & non accidens, vt sit creatum, finitumque, & non increatum, aut infinitum, vt sit incorruptibile, & æternum, ac non corruptioni obnoxium, nec cum tempore re fugacissima transiens, vt sit vniuersale, & non singulare, vt denique vnum per se, & non per accidens, aggregationemue: cæterum has conditiones ad minus extremum demonstrationis, aut scientiæ non requiri absolutè, nec nisi ad summum adhibita aliqua moderatione, constabit in met. lib. 8. tr. 6.

10 Maius extremum, siue prædicatum conclusionis demonstratiuæ, aut scientiæ, *propter quid*, est omne id, quod per causam proximam, seu conuertibilem demonstrari potest; eius verò, quæ *quia*, dicitur, omne id, quod, quocunque alio ex medio euidenter concludi sustinet: alterum autem alterumque quatenus eueniat superius satis est declaratum. Hoc tantum vlterius superest dubitandum, an definitio possit esse maius extremum demonstrationis, *propter quid*, & in ea de subiecto conclusionis inferri? Negant enim Auicenna apud Auerroëm comm. 38. & non pauci interpretes in secundum posteriorum, vbi Aristoteles ipse necnon 6. metaph. text. 1. videtur eis haud parum fauere: ratio verò, qua nituntur est talis: quod in demonstratione *propter quid* concluditur vi causæ proximæ, habet se instar passionis, haud ergò potest esse prædicatum essentiale seu definitio.

11 Cæterum propius fidem affirmant Auerroës, Auersa quæst. 28. logic. sect. 6. & communiter alij: tum quia verius est, ita sentire Aristotelem lib. illo 2. posteriorum text. 37. & 42. tum quia saltem vna definitio partialis, siue physica sit, siue metaphysica potest per aliam demonstrari, *propter quid*, vt omne, quod est animal, est rationale, vel irrationale, sed homo est animal, ergo est rationalis, vel irrationalis: non irrationalis, ergo rationali: itẽ omne, quod cõstat materia prima, cõstat forma substãtiali: at homo constat materia prima: ergo & forma substantiali: tũ quia definitio partialis, si non per aliam causam intrinsecam, aut definitionem, at certè per causam extrinsecam demonstrabilis est, vt si probetur, hominẽ esse rationalem, & intellectiuum propter finem homini extrinsecum, & ab eo distinctum, videlicet quoniam est eleuatus actu primo ad beatitudinem supernaturalem, eiusque capax factus: aut intellectionem esse actum vitalem, quia intellectus eius efficiens causa, provt talis, est facultas vitalis: tum tertiò, quia tota definitio per causam extrinsecam demonstrari hoc pacto sustinet: omne id cuius finis proximus, munusque est, superare passiones partis inferioris ac sensitiuæ, easque rationi subiicere est animal rationale, huiusmodi autem est homo, ergo est animal rationale: tum denique, quoniam ipsa definitio integra, sumpta in actu, vt aiunt signato, & secundo intentionaliter, de seipsa in actu exercito, & primo intentionaliter vsurpata, potest, ac solet aliquid demonstrare, atque huic instituto medium idoneum esse, veluti omnis oratio constans genere, & differentia est definitio, hominem autem esse animal rationale est oratio constans genere, & differentia, quod ergo homo sit animal rationale, est eius definitio.

Argumenta contraria sunt parum solida: Namque 12
Aristoteles, cuius authoritatis profugio vtuntur aduersarij, neutiquam eis fauet: haud enim loquitur de quauis demonstratione, *propter quid*, sed de illa, quæ dicitur perfectissima, & quæ primam passionem per essentiam, seu definitionem demonstrat: huius autem maius extremum, seu prædicatum conclusionis, cum sit prima passio definitionem consequens, quî potest esse ipsa definitio? aut quæ hinc ad alias demonstrationes, *propter quid*, sequela? Rursus, quod definitio probata per demonstrationem, *propter quid*, vi alicuius causæ anterioris sit potiusve luti passio, quam essentia, aut definitio, inprimis haud probat, definitionem materialiter sumptam non demonstrari, *propter quid*: at ad nostræ sententiæ veritatem satis fuerit, quod concedunt B. Tho. Caiet. & alij eam materialiter acceptam demonstrari, illo demonstrationis genere, de quo sermo in præsenti. Deinde falsum est, definitionem ita demonstratam eo ipso degenerare à definitione, & essentia in passionem atque proprietatem: ad id etenim opus esset, illam supponere velut se priorem, aliam definitionem adæquatam, causamque integram intrinsecam; quam tamen non supponit, sed, vel causam extrinsecam, vel intrinsecam partialem.

Medium demonstrationis, quæ eacumque sit, po- 13
test esse quidquid vi vnionis cum extremis habet euidentem connexionem cum eorum inter se immediata identitate, siue quidquid ita est institutũ, vt munere illius possit quippiam de alio euidenter probari; eius autem inueniendi artem superius tradidimus: nunc illud discutiendum restat, an omne genus causæ possit in demonstratione *propter quid*, esse medium. Philoponus 2. post. comm. 33. innuit solam causam formalem talis medij rationem obtinere posse. Alij quos suppressis nominibus refert Auersa superius laudatus eam solam excludendam esse, ac cæteras omnes, videlicet materialem, efficientem, & finalem eiusmodi medium esse posse: Auerroës autem lib. 2. post. comm. 6. & 24. docet, materialem, & formalem esse reiiciendas, velut huicd emonstrationi inutiles, solamque efficientem, & finalem admittendas.

Cæterum vera, & magis recepta opinio est, per om- 14
ne genus causæ demonstrari posse, *propter quid*. Ita Conimbricenses lib. 1. post. cap. 2. quæst. 3. Vallius tom. 2. log. lib. 1. disp. 2. part. 2. quæst. 2. Tellez part. 1. summæ disp. 18. sect. 1. concluſ. 2. in eius medio. Auersa citata quæst. 28 sect. 6. & communiter expositores Aristotelis. Suadetur autem, tum quia non est potior ratio, cur vna quam alia causa in hac demonstratione locum habeat; omnes ergo sunt admittendæ: tum quia, singularum exempla, eaque manifesta, sunt

sunt à nobis adducta cap. prec. dub. 2. circà demonstrationem, *propter quid*: tum denique, quoniam id expresse docet Aristoteles 2. post. tex. 48. & 1. phys. cap. 7. & 8. nec non lib. 12. metaph. aliisque in locis, quos referre supervacaneum.

15 Qui tamen causam formalem demonstrationis, *propter quid*, medium idoneum esse renuunt ita obiiciunt: hominem v. g. esse risibilem est denominatio quædam, ita instituta, vt eius causa formalis sit ipsa risibilitas, vti causa formalis albi est albedo, & cuiusuis alterius effectus formalis ipsa forma: sed fieri nequit, vt demonstretur, hominē esse risibilem per risibilitatem ipsam: id enim esset, idem per idem probare, quo nullum est in argumentationibus vitium maius: ergò nec per causam formalem: Par argumentum confici potest, non solum in proprietatibus hominis, cuiusmodi est esse risibilem, sed etiam in eius essentia, quæ est esse animal, esseque rationale. Qui causam materialem reiiciunt argumentantur ita: materia prima est indifferens ad hanc, & illam essentiam complendam, componendamvè, nec non ad has, aut illas proprietates inferendas: haud ergo est medium aptum ad demonstrandum de homine, quod sit potius rationalis, quam hinnibilis, quodvè risibilis magis, quam belluarum instar risus incapax. Qui causam efficientem, & finalem nolunt admittere, sic argunnt: cum demonstratur de homine, quod sit risibilis, sola concluditur connexio essentialis terminorum, non verò quod eorum alteruter existat habeatvè esse: sed connexio essentialis terminorum haudquaquam habet causam efficientem: huius enim energia & efficacitas occupatur tota in rei esse, siue existentia: nec porrigitur ad essentiam, quippè quæ suo modulo est æterna, nullique obnoxia productioni: risibilitas ergò (par autem est ratio cuiusuis alterius prædicati) nequit demonstrari per causam efficientem: quod sinon per hanc, certè nec per causam finalem: finis enim concomitatur causam effectiuam & communem cumea terminum effectumvè perpetuò respicit, cum definiatur, cuius gratia aliquid fit, siue efficitur.

16 Sed ad primum respondebis ex facili: cum demonstratur, hominem esse risibilem, quia constat anima rationali, medium non est risibilitas, sed anima rationalis, quæ quidem non est causa formalis intrinseca, & immediata denominationis demonstratæ, videlicet risibilis: cæterum est eius causa formalis mediata, & extrinseca, quandoquidem ita causat hominem, cuius est passio, ac proprietas, quod sit risibilis. Vel paulo aliter: Demonstratur tunc hominem esse risibilem per causam formalem etiam intrinsecam, non eius denominationis totiusvè conclusionis obiectiuæ; at subiecti denominati, de quo est conclusio, nimirum hominis: Atque vel hoc posteriori modo, vel certe priori tantū volumus, causam formalem esse mediū demonstrationi, *propter quid*, idoneum. Ad secundum respondebis, materiam primam, provt vnitam huic formæ, v. g. humanæ, non esse indeterminatam ad quamlibet essentiam aut quasuis proprietates, sed potius destinatam, vt hominem potius rationalem constituat quam hinnibilem, & risibilem potius quam risus expertem: quidni ergò possit esse materia saltem in consortio formæ ad demonstrandum, *propter quid*, medium aptum? Rursus materia connexionem habet cum quantitate: poterit ergò per eam demonstrari, hominem esse quantum: Item materia cælestis, & sublunaris ita comparantur iuxtà probabilem multorum sententiam, vt altera sit cum corruptione coniuncta, & altera eius ignara prorsùs: quidni ergò per alteram demonstrari possit, corpus substantiale ea constans posse corrumpi, & per alteram esse incorruptibile compositum, quod constituit. 17

Ad tertium respondebis, non semper connexionem essentialem extremorum, sed aliquando eorum vnionem contingentem, & actualem demonstrari, *propter quid*, veluti cum euidenter concluditur cygnum actu esse album, quoniam habet colorem disgregatiuum visus: sicut ergò per definitionem demonstratur eiusmodi vnio, & inhæsio, quidni etiam per causam eius effectiuam, nimirum per temperamentum frigoris, siccitatis, aliarumque qualitatum cygni proprium, aut per hoc, quod prima, causa efficiens nunquam cum cygno ad eius candorem non concurrit. Præterea secundò: nisi esset Deus, causavè prima effectiua hominis, & rationalis, ac risibilis, haudquaquam homo esset risibilis, aut rationalis, sed potius horum omnium extremorum vnio foret chimerica, & repugnans: non est ergò quapropter vnio illa & connexio essentialis demonstrari nequeat per causam effectiuam, quodam sensu talem, eamque quæ efficere verè possit, si non connexionem essentialem; at certè eius extrema terminósque. Vlterius tertiò quamuis vnio terminorum, de quibus iamiam sermo, provt non existentialis, tantumque essentialis, neutiquam habeat causam effectiuam propriè sumptam; at aliquam habet latam, fusamque, videlicet Deum, vtpote sine eo repugnatura, atque in chimeram abitura: per illam ergò demonstrata, hoc ipso demonstratur munere causæ quodammodò efficientis, tum sui, tum etiam extremorum. Atque hinc liquet, quid dicendum de causa finali: eius enim difficultas, est eadem, aut non maior quidem,

CAPVT III.

Vlterior explicatio præcognitorum ad demonstandum.

QVod attinet ad præcognita complexa demonstrationis, siue eius præmissas obiectiuas, hæ debent esse propositiones per se notæ, siue primæ aut immediatæ: harum enim vocum idem est intellectus. Ita Aristoteles cum vniuersa Peripateticorum scola. Idipsum etiam docet Clem. Alexand. li. 8. strom. Porrò autem propositio per se nota, siue prima, aut immediata, qualis esse debet duplex præmissa demonstratiua, definiri solet, *quæ ex suis tantum terminis est cognoscibilis*: qua in definitione particula exclusiua, *tantum*, indigitat eam medio à priori carere, cuius munere demonstrari possit vlterius: cæteræ autem definitionis partes, enuntiationem eiusmodi esse euidentem, eamque, vt propositis, penetratisque terminis illius nemo non possit ei non assentiri, aut certè nemo queat ei dissentiri: defectu euidentiæ, hæc propositio, Deus est trinus, haud est per se nota, quamuis vacet medio à priori: defectu immediationis, hæc propositio, paries est albus, haud est per se nota, quamuis sensu euidens sit. eiusque terminis propositis, haud possimus hic, vt aiunt, & nunc ei non assentiri. 18

His constitutis, in procliui est ostendere, quia præmissæ obiectiuæ demonstrationis esse debent per se notæ: Nam inprimis, si non sunt euidentes, quo pacto conclusio ex his deducta esse poterit euidens, aut quomodò euidentiam quam non habent, impertire 19

pertire valebunt? Deinde, si non carent medio à priori, sed per illud probantur potius; hoc secundum medium, aut est probabile per aliud, aut secus? Si secundum, ergò præmissæ sunt per se notæ, & immediatæ, si non formaliter, at virtute aliarum à quibus deriuantur, & in quibus sistitur, velut omni vacantibus medio à priori, de quo solo est est sermo impræsentiarum: si primum, ergò datur processus in infinitum, qui tamen omnimodò repugnat, vt arguit Clemens vbi suprà citatus, & Aristoteles ipse multis in locis.

20 Quod si quis respondeat, absque vllo processu in infinitum, secundum medium demonstrari posse à priori per tertium, & hoc per quartum, & quartum per primum, cui innituntur præmissæ obiectiuæ ordine priores; facile erit, hanc præcludere latebram: Quamuis namque verum sit, vnum medium à priori demonstrari per aliud, vnamvè causam vi alterius, & è conuerso: vt si concludatur hominem constare materia, quia formam habet, aut hac non vacare, quoniam illa præditus est: item vtramque sortiri, per finem beatitudinis diuinæque visionis, propter quem est creatus: & rursus in hunc esse conditũ, quia constat materia, & forma rationali: ac deniq; hęc omnia ostendantur, per causã efficientem, & ista per illas priores causas: quamuis inquam ita se habeant hæc omnia, cæterum nihil eorum tollit, quominus præmissa quælibet demonstrationis esse debeat, prima, & immediata à priori; tum quia caret medio à priori, siue causa, eiusdem saltem generis, idque non virtute tantum aliarum præmissarum priorum, in quibus sit status, sed formaliter, & in se se: tum etiam, quia licet ipsa per alias, aliásque possit probari medio à priori, saltem diuersi generis; tamen aliquas præmissas vltimas debere dari, in ipsamet instancia supponitur: hæ autem, quæ eæ cunque sint, necessariò sunt immediatæ, ac per nullas præmissas, nullóque, & nullius generis constantes medio à priori possunt probari: per quas enim? An per alias vlteriores? atqui hoc est falsum, dictuque ridiculum: foret enim vltimo dari posse aliud vlterius? An propterea per alias non vlteriores, sed anteriores? atqui etiam hoc repugnat: cum enim ipsa anteriores probet; quo pacto per eas simul probari potest, aut demonstrari, nisi detur mutua prioritas, eademque præmissa alias naturæ ordine antecedat, & subsequatur? at huiusmodi mutuam causalitatem, & prioritatem repugnare ostendam in Phys. lib. 4. tract. 4. Non me latet in probabilibus etiam haud esse processum in infinitum, sistendumq; potius necessario esse in aliqua propositione, quæ per aliam nec probetur, nec possit, aut vllatenus, aut saltem eodem genere medij: haud tamen propterea propositiones probabiles, cuiusmodi sunt, Petrus currit; paries est albus, aliæque similes, erunt per se notæ: quæ videlicet est earum ineuidentia & obscuritas. Consultò loquuti sumus hactenus de propositionibus obiectiuis, quibus innititur demonstratio, non de formalibus: illæ namque solæ sunt præcognita demonstrationis: hæ vero magis præcognitiones, quàm præcognita: illæ consequenter sunt proprie, & immediatè per se notæ: hæ verò tantum per denominationem ab aliis.

21 Circà præcognita complexa, seu præmissas, illud etiam haud est prætermittendum, quod ab omnibus discuti consueuit, quatenus constent prædicato de omni, per se, & secundum ipsum? Prædicatum de omni perinde est, atque vniuersale: vniuersalitas autem duplex est: alia suppositorum, & alia temporis: illa tum datur, quandò prædicatum conuenit subiecto alicui, & omnibus sub illo comprehensis, quo pacto dicitur rationale de homine: hæc verò quandò conuenit subiecto, in omni temporis differentia, qua potest existere; quomodò se habet prædicatum superius videlicet rationale respectu hominis; aut saltem in omni, qua existit; vti se habet nigredo contemplatione corui, & albedo comparatione niuis. Illud autem est discrimen, inter prædicatum de omni prioristicè sumptum, id est pertinens ad syllogismum in communi, de quo in lib. priorum, atq; inter illud posterioristicè sumptum, id est spectans ad demonstrationum, de qua in lib. posteriorum; nam primo intellectu haud est necesse, prædicatum illud re vera conuenire subiecto vniuersaliter, sed sufficit de eo ita dici, seu verè, seu falsò: alterutro enim modo syllogismi forma est eadem: Cæterùm secundo intellectu oportet illud reipsa, ac necessariò conuenire subiecto, ea cum amplitudine, quæ explicata manet, propterea quod præmissæ demonstratiuæ esse debeant veræ, ac necessariæ: tales autem esse non possent, si constaret prædicato de omni, sed falso, aut subiecto, non omnia eius individua, seu inferiora conuenienti, veluti si dicas, homo currit: atque vtrumque obseruarunt Conimbricenses lib. 1. post. cap. 4. p. q. 1. a. 1. Hurtadus disp. 10. log. sect. 7. §. 39. Auersa p. 28. log. sect. 11. & communiter expositores Aristotelis. Quamuis autem eorum plures postulent, ad demonstrationem, quam latè patet, prædicatum de omni, ex parte præmissarum; at falluntur admodum: namque præmissæ demonstratiuæ non paucæ constare possunt, & solent subiecto singulari, & nullo vniuersali, vt hoc animal est sensibile, sed hic homo est hoc animal, ergò hic homo est sensibilis, quidni ergò possint constare prædicato dumtaxat singulari, & non de omni. Deinde fieri potest demonstratio expositoria, non qualis præcedens, mixta ex terminis vniuersalibus, & singularibus, sed vndequaque singularis, vt hoc animal est hoc sensibile, sed hic homo est hoc animal, ergò hic homo est hoc sensibile: eiusmodi autem demonstratio haud constat prædicato de omni.

Respondebunt aliqui cum Caietano, in demon- 22
stratione proximè nobis obiecta, & quauis alia id genus prædicatum alterutrum, quo eius præmissæ constant, esse vniuersale, non positiuè, defectu videlicet inferiorum, at negatiuè; non absolutè, at conditionatè; non formaliter, at virtualiter: hoc enim sensibile, etsi non conueniat pluribus inferioribus sub hoc animali contentis, nulla enim sub eo continentur; at conueniret illis, si qua darentur, nec vtcunque, sed in omni temporis differentia. Hac ratione tuentur, omnipotentiam Dei esse prædicatum de omni, & suppositorum vniuersalitate præditum, eò quod, si darentur plura inferiora sub Deo, cunctis inesset omnipotentia: & accidens esse prædicatum de omni, & vniuersale quo ad tempus, respectu durationis A, quia, licet ei non conueniat in omni temporis differentia, haud enim esse potest in omni, sed duntaxat in instanti A, cæterum, si in plurib⁹ esset, ei conueniret. Aliud etiam huius vniuersalitatis negatiuæ, quo ad tempus, exemplum est aduersariis perquàm familiare: aiunt enim, canitiem v.g. esse hoc pacto prædicatum de omni, & vniuersale intuitu hominis, quoniam estò plurima sint temporis discrimina, in quibus homo non canescit, nullum tamen est, in quo eiusmodi prædicatum sit aptum, natumque competere homini, in quo ei non congruat. Parũ tamen habet soliditatis hæc doctrina, quocunque explicata modo. Atque in primis

vniuersalitas illa negatiua virtualis, seu conditionata haud est propriè vniuersalitas, sicut peccare sub conditione tantum haud est propriè peccatum committere, alioqui Deipara esset propriè, ac verè peccatrix, cum certum sit, eam peccaturam conditionatè, qnippè si à Deo non esset præuenta: vniuersalitas ergò illa virtualis negatiua seu conditionata non concludit, demonstrationem à nobis obiectam sortiri prædicatum de omni, aut vniuersale si propriè loquamur, & rem, vt aiunt, ad viuum resecemus. Secundò satis nobis fuerit, saltem demonstrationes non paucas carere prædicato vniuersali, ac de omni positiuè: nam & hoc Conimbricenses, & alij non plures aduersariorum inficiari non dubitant.

23 At quo pacto respondendum Aristoteli, apud quem nihil frequentius, quam demonstrationem constare prædicato de omni, eiusque vi concludere? Respondeo, sermonem ei esse de demonstratione, non quacunque, sed vsitata in scientiis humanis, quæ videlicet, cum sint de vniuersalibus, & vt plurimum concludant de omnibus subiectis communia prædicata, inde fit vt demonstrandi genus earum proprium, ac familiare vtramque præmissam prædicato de omni constantem, vel certè vnam sibi vendicet. Responderi secundò potest, ei sermonem esse de demonstratione modis omnibus perfecta, ac numeris absolu ta: hæc autem nequit non vsurpare conditionem illam, de qua est in præsens quæstio: perfectior est enim demonstratio, ac scientia, quæ per prædicata communia, & vniuersalia procedit, quam quæ per singularia, vti est perfectior medicinæ ars, quæ hominem curare docet, quam quæ Socratem, aut Calliam. Scius sum, alios aliter philosophum interpretari: sufficiunt tamen adducta interpretamenta.

24 Prædicatum per se, vt explicetur prius est animaduertere, Aristotelem quatuor assignasse modos dicendi per se: duo primi sunt prædicandi: tertius est essendi, & quartus causandi: Primus modus dicendi per se est, quando prædicatum est de essentia subiecti, in eiusque ponitur definitione, vt rationale hominis gratia. Circa quem constituo primò, eum neutiquam exposcere, vt prædicatum definiat immediatè subiectum, sed satis esse, vt mediatè: proinde hæ prædicationes erunt in primo dicendi modo per se, homo est viuens, homo est corporeus, homo est substantia: quin etiam hæc, homo est ens, quamuis, quod ad hanc attinet, aliqui apud Auersam superius citatum renitantur. Constituo secundò, prædicatum esse posse in primo hoc dicendi modo etiamsi in obliquo, & non in recto, vt cum asseritur, homo est compositum ex materia, & forma rationali; linea vtique finita est longitudo sine latitudine, & profunditate punctis vtrinque clausa; triangulus est, qui habet tres angulos, æquales duobus rectis: atque in hoc conueniunt Beatus Thomas, Caietanus, Albertus, Ægidius, & communiter cæteri interpretes Aristotelis.

25 Secundus modus dicendi per se est, cum è conuerso subiectum ponitur in definitione prædicati: vt homo est risibilis: risibile namque definitur homo ridendi capax. Hic etiam statuo primò, passionem generis esse in secundo modo dicendi per se, respectu speciei, v.g. sensitiuum, provt est quædam potentia proxima, & quadantenus accidentaria ad sentiendum, nec non augmentabile eodem sensu, quantumque contemplatione hominis: nam licet homo non claudatur in definitione passionum harum; at includitur in ea prædicatum aliquod essentiale hominis, videlicet animal viuens, corpus: primum in definitione primæ, secundum in secunda, ac tertium in ea, qua explicatur tertia: Ita nostri Conimbricenses. 1. post. cap. 4. q. 1. art. 3. Contrarium tamen docent Auerroes, Albertus, Zabarella, item Philoponus, Caietanus, & Apollinaris, quamuis, quod attinet ad hos tres vltimos, moderationem quandam adhibeant, doceantque passionem generis esse in secundo modo dicendi per se, respectu speciei, saltem secundum quid, & imperfectè: Sed nec hi, nec priores tres quidquam afferunt, quod difficultatem faceſſat.

Statuo secundò hanc propositionem, *numerus est par*, & hanc, *animal est rationale*, sumpta rationalitate, provt est differentia quædam nominata, & generis consequenter inclusiua neutiquam esse in secundo per se dicendi modo. Ita etiam Conimbricenses vbi supra: quorum opinio est innixa ratione: siquidem omne prædicatum quod est in secundo dicendi modo per se, debet esse tale, vt subiectum habeat necessariam, ac naturalem cum eo connexionem, eaque secluſa haud sufficit subiectum in illius definitione apponi: tum quia id videtur exposcere ipsa perfeitatis natura, & conditio: tum etiam, quia prædicatum in secundo dicendi modo per se debet esse de omni, more primi, vt authoribus est solemne, ac proinde necessario conuenire subiecto, & cuius sub eo comprehenso: & quidem perfeitatem in prædicando coniunctam esse cum necessitate, ac naturalem importare connexionem, docent Albertus lib. 1. post. tract. 1. cap. 15. Themistius cap. 14. suæ paraphrasis, Caietanus 1. post. cap. 6. dub. penult. & alij plures: at quantumlibet per numerum definiatur par, & per animal rationale, sensu superius insinuato, nec numerus cum priori differentia diuisiua, nec animal cum posteriori connexionem vllam naturalem, aut necessariam habet, ergo &c. Hinc obiter constat, cum Zabarella lib. 1. de propositione necessaria c. 6. & Auersa citata q. 28. log. sect. 11. debere excludi à secundo per se dicendi modo propositiones indirectas: tum quia in eis prædicatur de superiori inferius: & illud cum hoc destinatè non connectitur: haud enim petit animal v.g. vt sit homo magis, quam bellua: tum etiam, quia propositiones illæ, *numerus est par*, animal est rationale, sunt indirectæ, vt docent Sotus, Ægidius, & alij complures, vtque à nobis est ostensum lib. 4. huius operis tract. 2. cap. 2. excluduntur autem ambæ à secundo dicendi modo per se: quidni ergo & cæteræ indirectæ. 26

Statuo tertiò subiectum naturaliter, ac necessariò connexum cum prædicato ei subiici per se secundo modo, tametsi non ponatur in illius, sed in alterius sub eo contenti definitione, quo pacto hæc propositio, homo est qualis, est in secundo modo dicendi per se, quia licet non intret definitionem qualis, vt potè cuius sphæra latior est, at certè definitionem risibilis, quod sub quati cohibetur. Quartò statuo, satis esse ad hunc dicendi modum per se, vt subiectum, & prædicatum connexa inuicem ita sint instituta, vt per se conueniant alicui tertio, quod in eorum definitione adhibeatur, veluti risibile est admiratiuum, rationale est risibile, &c. Hanc doctrinam tertio, & quarto loco positam, vt duas priores defendunt, vti solent optimè nostri Conimbricenses. 27

Quintò tandem statuo, hanc prædicationem, paries est albus, & alias similes haud esse in secundo dicendi modo per se, tametsi contrarium innuat Beatus Thomas 1. part. q. 76. art. 3. nam inprimis 28

subiectum

subiectum non habet necessariam connexionem cum prædicato, nec hoc ex eius essentia naturaliter effluit: deinde, vt disputat Sotus lib. 1. post. c. 4. haud definitur album per parietem destinatè sumptum, haud etiam per rationem aliquam genericam, & proximam in pariete clusam, sed per latissimam, & transcendentalem rationem subiecti, quod non sufficit ad hunc dicendi modum. Grauis etiam, atque inter authores magnopere disceptata quæstio extat in præsenti materia, videlicet an hæc prædicatio, homo albus est homo, & quæuis alia id genus sit in primo dicendi modo per se, vel potius omnino contingens, ac nullatenus per se aut ad summum per se secundo modo? Cui tamen à nobis factum est satis, & abundè supra lib. 4. tract. 2. cap. 3.

29 Tertius modus dicendi per se vocari solet essendi per se: ac tum locum habet, cum res existit per se siue independenter à subiecto: qualis est modus essendi proprius substantiæ: quippe, quæ definitur ens per se: necnon etiam, vt animaduertit P. Hurt. disp. 11. logic. sect. 8. §. 44. qualis conuenit accidentibus Eucharisticis. Quartus modus est per se causandi, videlicet cum dicitur de subiecto operatio aliqua, cum qua non connectitur, quamque potest amittere: cæterum respectu illius, eiusque spectata facultate, non per accidens, vt architectus ædificat, cum tamen hæc propositio, architectus militat, constet prædicato per accidens, & non per se quarto modo.

30 His prælibatis leuicula difficultas est, quinam horum quatuor modorum per se ad demonstrandum sint apti? De duobus primis nulli est ambiguum, quin demonstrationibus aliquando inseruiant: an autem semper anve non solum vtiles, sed necessarij, videbitur haud ita post. Quod attinet ad duos postremos Zabarella lib. 1. de propositione necessaria cap. 3. docet eos esse modos per se prædicandi, ac proinde ad demonstrandum idoneos. Auersa suprà sect. 11. ad eius finem §. *postremo videndum.* tertium reiicit, sed amplectitur quartum. Alij verò ambo excludunt. Horum sententia suaderi solet ita: demonstratio omnis constat prædicationibus, velut partibus: solus ergo modus prædicandi per se erit ad eam vtilis: modus autem essendi per se, cuiusmodi est substantiæ, vt aiunt, à parte rei, & accidentium Eucharistiæ, post consecrationem, provt talis, non est modus prædicandi, quod idem claret de modo causandi: neuter ergo secundum specificam rationem est vtilis ad demonstrandum: quo facit id videri opinatum Aristotelem 1. post. text. 35. & 44. & 155. Sententia vero eorum, qui tertium quartumque admittunt ita consueuit probari: multoties fiunt prædicationes, in quibus aliquid de subiecto dicitur ei propriè non inhærens, sed cuiuscunque potius inhæsionis immune, arque ab omni subiecto liberũ, veluti homo est animal, animal est substantia, accidens Eucharisticum sine subiecto subsistit: necnon in quibus de causa per se suis enunciatur effectus, vti miles pugnat, musicus psallit, venator nemora lustrat, saltusque indagine cingit: modus ergo essendi, & modus causandi sunt etiam prædicandi, adeóque ad demonstrandum apprimè nati,

31 Sed enim quæstio est de vocabulo tota componique facilis: siquidem, aut sumuntur modi illi essendi, & causandi primo intentionaliter, atque ita conuincitur argumentis prioris sententiæ, eos ad demonstrationem nullius esse compendij: haud enim demonstratio est ordo processusve causalitatum, aut perfectatum sed prædicationum: aut contrà sumuntur modi illi secundo intentionaliter; atque ita sunt prædicandi multotiesque ad demonstrandum conferunt, vt v. g. si hominem esse substantiam assumatur, velut medium ad probandam eius à candore distinctionem, aut architectum ædificare, ad concludendum eius motum ac laborem. Hoc tamen est inpræsentiarum animaduertendum, cuius forsitan ignoratio diuersa peperit opinamenta, authoresque superius memoratos diuisit hos duos modos aliter esse prædicandi, & aliter essendi causandive: sunt enim per se duntaxat in essendo, aut causando: at in prædicando non sunt per se sed per accidens: v. g. hæc propositio, accidens quoduis Eucharisticum existit per se, siue sine subiecto importat modum essendi per se; cæterum modus prædicandi est per accidens, cum accidenti Eucharistico sit omninò contingens & accidentaria, imò, quod plus est, contraria per eitas illa, & independentia à subiecto: item hæc propositio, musicus cantat, importat modum causandi per se: modus tamen prædicandi est per accidens: potuit enim musicus à cantu supersedere, riuosque claudere: Atque duo primi modi per se sunt prædicandi per se, propter essentialem, aut certè naturalem, ac necessariam connexionem subiecti cum prædicato quam semper important.

Altera difficultas priori parum ponderosior est, 32
num præmissæ omnis demonstrationis esse debeant propositiones per se? Negant non pauci, cum Arriaga disp. 16. logic sect. 8. num. 74. & quantum opinor iure merito: Nam inprimis hæc est vera demonstratio, Citharœdus me coram ædificat, Citharœdus est albus, ergò aliquod album ædificat: at eius præmissæ non sunt in vllo dicendi per se modo. Rursus, vt singulos aggrediar, hoc est in primo, & non secundo, omnis homo est rationalis, omnis homo est animal, ergò aliquod animal est rationale: hæc verò in secundo, & non primo, omne admiratiuum est risibile, omnis homo est admiratiuus, ergò omnis homo est risibilis: ita verò in tertio, & hæc in primo nec in secundo, omne accidens Eucharisticum existit per se, ac sine subiecto, sed albedo est accidens Eucharisticum, existit ergò per se, siue sine subiecto: Denique, quæ sequitur est in quarto dicẽdi modo per se, & non in tertio, nec primo, nec fortassis secundo: quoties tellus interponitur inter solem, & lunam, huius accidit eclipsis: sed, vbi astra perueniunt ad tale cœli punctum, est interpositio telluris inter solem, & lunam: ergo & huius eclipsis.

Instabis pro demonstrationibus plures à nobis ob- 33
trudi minimè tales, eas nimirum, quæ constant præmissis contingentibus, cuiusmodi est, vt aliæ prætermittantur, illa; *vbi astra perueniunt ad tale cœli punctum, statim tellus interponitur inter solem, & lunam*: Etenim conclusio demonstratiua est necessaria, quî ergò fieri potest, vt eius præmissæ sint contingentes, atque falsitati obnoxiæ? Respondent aliqui apud Venetum, 1. post. cap. 6. haud demonstrari Eclipsem lunæ, provt est actu, sed provt aptitudine sola, adeoque præmissam illam, *vbi astra perueniunt*, &c. importare magis aptitudinem, quam actum eoque sensu esse necessariam, haud secus, atque homo est animal, & quæuis alia id genus. Sed hæc solutio, tum Veneto, tum etiam Aristoteli, ac ferè cæteris omnibus philosophis repugnat, estque à veritate planè aliena: omnem enim analogiam de medio sustuleris, si euentus contingentes actuales demonstrari renuas, quinetiam omnem demonstrationem experimentalem, omnemque à signo, & effectu: quo tamen nihil magis absurdum absonumve. Alij cum Ægidio Romano, ac Rodensi nostro respondent, propositionem illam esse necessariam ex suppositione,

tione,& in ordine ad causam:esse siquidem nequit, vt astra perueniant ad tale cœli punctũ,quin sequatur interpositio telluris inter solem, & sydus lunæ: sed quid respondebunt hi authores,ad alias præmissas superius adductas, quæ quidem contingentes sunt, & nullam causam important, nullam proinde necessitatem effectus ex hypothesi: Quocirca melius & expeditius dici potest, præmissas superiores esse contingentes obiecto tenus cum nimirum illud sit indifferens ad esse,& non esse;at quatenus sunt eius repræsentatiuæ suapte natura, siue provt sumuntur secundum se, necessarias esse, cum sint certæ,& euidentes. Nec mirum est, in nobis id locum habere, non sine alicuius imperfectionis mixtura, quod in Deo secluſa omni imperfectione visitur: Deus autem necessario,hoc est euidenter,& certò repræsentat obiectum contingens,& fallibile:quidni ergò intellectus noster, quamuis longè imperfectius, ita etiam obiectum assequatur suum.

34 Quod autem docet Aristoteles,præmissas demonstratiuas oportere constare prædicato per se,nec qualicunque, sed quod sit in primo, aut secundo dicendi modo per se, accipiendum est de solis illis,quibus constituitur demonstratio perfectissima, qua passim in scientiis prima passio per essentiam ostendi consueuit;cuiusmodi est hæc, exempli gratia, omne rationale est admiratiuũ,sed omnis homo est rationalis,ergò omnis homo est admiratiuus,aut iuxta alios hæc, omne rationale est discursiuum, omnis homo est rationalis, ergò & disiunctiuus:nam in vtroque syllogismo maior est in secundo dicendi modo per se & minor in primo:Porro in priori syllogismo admiratiuum est prima passio logica, hoc est ab essentia tantum ratione distincta,& secunda cuius ibi nulla fit mentio est risibile: cæterum in posteriori discursiuum, pro potentia videlicet accidentaria discurrendi, & organica, est prima passio physica rationalitatem, siue vim radicalem, ac substantialem discurrendi consequens: Vno exemplo vtuntur aliqui authores, & alio alij: vtrique verò bene si bene explicentur.

35 Prædicatum secundum ipsum perinde est, ac prædicatum necessariò, & conuertibiliter conueniens subiecto. Ita Ioseph.Boët.Caiet.Zabarella,Conimb. 1.post.cap.4. quæst.1.art.4. ad finem.Hurtadus disp. 11.logic.sect.7.Arriag disp.16.logic.sect.7. Tolet.& plerique authores nostri: Item Beatus Thomas opusculo 48. cap. 5. Flandria 12. metaph. quæst.16. art.1. & Soncinas quæst. 17. quatenus ex æquo tres edocent, conceptum superiorem minimè prædicari de inferiori cum quo non conuertitur, provt talis est, siue secundum ipsum. Quod ergo attinet ad huiusmodi prædicatum, eo constare præmissas demonstrationis, propter quid, potissimæ dici solitæ, opinio est Aristotelis, patetque ex vulgari illa, ac multoties repetita demonstratione, omne rationale est admiratiuum, omnis homo est rationalis, ergo omnis est admiratiuus,vbi maioris, & minoris prædicatum conuertitur cum subiecto, ac proinde est secundum ipsum. Cæterum aliæ complures demonstrationes eius esse possunt expertes,vt omne animal est viuens, omnis homo est animal, ergo omnis est viuens:Nullus lapis est animal,sed marmor est lapis, non igitur animal.

36 Hic restabat discutiendum, an præmissæ demonstrationis constare debeant prædicato vniuersali? Verùm, vt docet Aristoteles primo posteriorum text.56.vniuersale in præsenti sumptum perinde est, atque *quod est de omni,& per se,& secundum ipsum*: Aristoteli suffragantur Rubius eodem lib. in expositione textus capitis 5. & 6. Hurtadus disp & sect. paulo supra citatis. §.38. ac ne morer in re confessa cæteri omnes Doctores Quamobrem,cum explicata maneant prædicatum de omni, & prædicatum per se, necnon secundum ipsum, nil superest amplius explicandum de prædicato vniuersali:Atque hæc de præcognitis ad demonstrandum: quæ circa nihil est omissum, quod sit ponderis alicuius:nil nisi vocales quædam quæstiones, hæque solum de mente Aristotelis,de qua,si subiecta materia sit parui momenti, parum est curandum.

CAPVT IV.

De Syllogismo probabili.

SYllogismus probabilis est, in quo ex præmissis opinatiuis aliqua ritè infertur opinio:Nuncupari solet dialecticus,non quod solus sit dialecticæ facultatis,ad eam namque pertinet etiam demonstratiuus, & sophisticus;sed quia res in opinione positæ materiam præbent copiosè disputandi, in vtramque partem, eamque certè, in qua logica longè, latéque vires suas ostentet:vnde etiam vocari consueuit disertiuus,seu disputatiuus. 37

Præire ad illum tria docet Aristoteles, videlicet problema, propositionem, & prædicatum: Problema dialecticum est, oratio duplici interrogatione prolata,vt,sit ne materia cælestis specie diuersa à sublunari,an non. Propositio dialectica, quatenus vsurpatur in præsenti, est semiproblema, vt sic dixerim, siue vna tantum interrogatio, vt differat ne specificè materia cœlestis à sublunari? Prædicatum dialecticum est, quod quæritur,& interrogatur in problemate, aut propositione: eiusmodi est, hoc quod est differre specie in quæstionibus adductis: quadruplex autem dici solet id genus prædicatum, videlicet terminus, siue definitio, genus,proprium, & accidens,de quibus nos fusè tum lib.7.& 9. 38

Hic id tantum expediendum est, an syllogismus probabilis, si quando contingat eum falsis, at legitimis constare præmissis, & quamuis ex parte materiæ, at non ex parte formæ deficere; nihilominus sit propriè ac strictè syllogismus:Esse censet Rubius lib.1 post. cap.9.in expositione textus numero 7. & Auersa quæst.29. logic.sect.6.§. *de syllogismo* parum ab initio, vbi eiusdem esse sententiæ sentit Aristotelem: Mihi quoque ea videtur longè magis probabilis:Namque in primis enuntiatio falsa est verè, & propriè enuntiatio, ac secunda mentis operatio, hoc solo quod vnum de alio affirmet:similiter ergò syllogismus,falsis coalescens præmissis, vera tamen ac propria ratione syllogismus erit,ac tertia mentis operatio, hoc ipso quod vnum ex alio, id est aliqua esse idem inter se, ex eo quod sint idem vni tertio ritè inferat. 39

Insuper secundò: syllogismus definiri solet à dialecticis omnibus oratio, in qua, quibusdam positis, aliud sequi necesse est, hoc est, vt explicat Aulus Gellius,lib.13. noctium Atticarum cap. 26. in qua quibusdam concessis, & consensis ea propter alia concedi oportet: at quamuis aliquæ propositiones sint falsæ, dummodo tamen sint rectè dispositæ, & non peccent in forma syllogistica, eo ipso vim habent inferendi conclusionem; & hæc ex iis necessario sequitur, illisque concessis haud debet negari: syllogismum ergo strictè, & rigorosè talem cum assensu conclusionis simul efficient. 40

Enimuerò quidam alij, & quod diffiteri nolo, nequeo 41

nequeoque, satis probabiliter censent, syllogismum probabilem, tametsi formalis sit, ac ritè dispositus, vbi tamen falsis constet præmissis, haud esse propriè, & rigorosè syllogismum. Pro quorum sententia oppones primò: Definitio falsa propriè, & strictè definitio non est, cum propria, ac stricta ratione non explicet naturam rei, sed potius eam nesciri faciat: Vnde meritò Cicero lib. 1. de inuent. *Mala definitio est, cum falsum quiddam dicit, hoc pacto, sapientia est pecuniæ acquirendæ intelligentia.* Similiter ergo syllogismus falsus &c.

42 Oppones secundo: syllogismus est argumentatio, in qua præmissæ conclusionem inferunt: igitur in tantum syllogismus aliquis talis erit verè, & propriè in quantum eius præmissæ vera, & propria ratione conclusionem inferunt; in tantum verò impropriè, & apparenter, in quantum eius præmissæ impropria, & apparenti tantum, atque adumbrata ratione conclusionem inferunt: quando igitur syllogismus, falsis præmissis constans, vi illarum duntaxat apparenter, & impropriè conclusionem infert; falsò enim inferre, & apparenter, ac impropriè inferre in idem recidunt, sicut esse falsum aurum, cuiusmodi est aurichalcum, haud dubiè est esse improprium, apparensque tantum, ac simulatum aurum; sanè syllogismus falsis innitens præmissis apparenter tantum, & improprie syllogismi rationem obtinebit.

43 Oppones tertiò: Nauis v. g. papyracea haud est simpliciter, & propriè nauis, quia licet formam habeat nauis, non tamen materiam eius propriam, pineam videlicet, aut alterius ligni: pari ergo ratione, tametsi syllogismus probabilis, at falsus, & quamuis verisimilis, non tamen verus, forma syllogistica sit præditus, haud tamen erit propriè, & strictè syllogismus, defectu materiæ, & propterea quod propositiones, ex quibus coalescit, haud sint veræ, sed falsæ potius. Oppones denique quarto Damascen. cap. 48. dialect. *Oportet autem cognoscere, quod oportet propositiones veras esse, & conclusionem sequi ex propositionibus: si enim inueniatur vna propositionum falsa, paralogismus est, & non syllogismus*: & ibidem paulo suprà; *syllogismus componitur ex duabus veris propositionibus, & conclusione.*

44 Ad primum horum dicito, in definitionis definitione includi, quod sit vera: nam explicare rei naturam & scire quod quid eius, nulla potest oratio, nisi sit cum veritate coniuncta: quo pacto demonstratio, quia definitur syllogismus faciens scire, veros suapte natura, ac definitione postulat assensus, nec aliis constare sustinet; Atqui in definitione syllogismi vt sic, quod aiunt, haud exprimitur, quod eius præmissæ sint veræ: perperam ergo arguitur inpræsentiarum à definitione in communi ad syllogismum: nulloque iure colligitur ex eo quod illa proprie sumpta nequeat esse falsa, de hoc adstruendum esse simile quidpiam.

45 Ad secundum dicendum est, præmissas falsas, haud tamen falsò, sed verè inferre conclusionem, & quamuis propositiones non sint veræ, earum tamen connexionem esse veram, cum prioribus admissis postrema haud debeat negari respuivè: Hinc est, vt, contrà quam sentiunt aduersarij, præmissæ probabiles, quantumuis falsæ, non impropriè, & apparenter, sed propriè, & strictè conclusionem inferant, adeóque syllogismum omni cum proprietate, & rigore, constituant: Quocircà exemplum aurichalci nobis potius fauet: idcircò enim est improprium, quia falsum aurum: at assensus principiorum probabilium verè infert conclusionem, & ad eam non negandam necessitat, quamuis ipse sit falsus: eiusmodi ergò illatio, adeoque tota syllogizatio est propriè, & strictè talis. Aut paulò aliter: aurichalcum propterea impropria, & metaphorica ratione est aurum, quia est falsum aurum, falsitate opposita veritati transcendentali auri, siue quia non est aurum transcendentaliter verum: at præmissæ probabiles formaliter falsæ haud tamen sunt transcendentaliter tales, sed potius transcendentaliter veræ, cum naturam præmissarum reuera obtineant: hac ergò veritate, adeoque propriè conclusionem inferent, & syllogismum producent. Hinc nostra obiter confirmatur, ac declaratur opinio: Syllogismus nihil aliud est, quam præmissæ, & conclusio connexæ inuicem: at præmissæ falsæ sunt proprie præmissæ, sicut enuntiatio falsa est propria ratione enuntiatio; conclusio quoque falsa est similiter propria conclusio; ambas item proprie connecti & est probatum paulo suprà, & apud omnes in confesso: syllogismus ergò ex iis coalescens propriam, ac strictam rationem syllogismi suo sibi iure vendicabit. 46

Ad tertium responderi debet, nauem, præter formam suam artificiosam, includere essentialiter certam, ac destinatam materiam: id quod de ea, ac de ceteris arte factis naturalibus probat Fonseca lib. 5. metaph. cap. 7. quæst. 5. sect. 4. tum exemplo Sacramentorũ nouę legis, quæ, cùm sint arte facta quędam supernaturalis, ac diuini ordinis, materiam sensibilem, ac certam formam deposcunt, tum etiam authoritate Aristotelis 1. physicor. cap. 7. & 3. physic. cap. 7. & quidem sponte sua perspicuum est; etenim nauis est vehiculum quoddam ad mare transmittendum, eiusque pericula superanda idoneum: eiusmodi autem esse nequit, nisi materia constet ligni, non verò papyracea: illam ergò postulat essentialiter, & hanc reiicit: quid mirum ergo si papyro, aut cera, aliave id genus materie facta, haud sit simpliciter nauis, sed potius eius simulachrum. Hæc autem ratio non procedit in syllogismo probabili, seu verisimili, non tamen vero, sed ex falsis coalescente præmissis: quamuis enim cæterorum artefactorum more determinatam efflagitet materiam? cæterum eiusmodi materiam negamus esse debere propositiones veras, & non potius iudicia intellectus, siue vera sint, siue falsa: quorum defectu, si quis ab aliquibus apprehensionibus gradum faciat ad alias, aut ab vno voluntatis actu, vel pluribus ad quendam tertium, non ob id syllogizabit. Ad quartum respondeo, Damascenum loqui non de syllogismo probabili, de quo tamen solo est præsens controuersia, sed de demonstratiuo: ita enim ait in ipso illius cap. vestibulo: *Sciendum, demonstrationem esse logicæ speculationis, demonstratio autem syllogismus est.*

CAPVT V.

De syllogismo sophistico.

SYllogismus sophisticus, qui & fallax dicitur, nec non apparens elenchus, litigiosus, & pseudographus, talis est, qualis nuncupari solet, aut ratione materiæ, aut ratione formæ: Materia facit, syllogismum aliquem esse sophisticum duobus modis: primò, si præmissæ aliquæ assumantur vt probabiles, re tamen vera sint omni probabilitate destitutæ nihil enim prohibet, quidpiam videri aliquibus probabile, haud tamen esse reuera eiusmodi, sed improbabile potius, vt solem esse multo minorem telluris orbe, maiorem esse cum nascitur occiditvè 47

quam cum medium cæli tenet iter, esse vicinum terris prope horizontem: hinc est, vt recte definiat Aristoteles, probabile esse, non quod cuiuis verisimile apparet, *sed quod omnibus, aut omnibus sapientibus, aut pluribus sapientibus, aut quibusdam egregiis, & probatis:* Secundò, si præmissæ aliquæ assumantur, vt euidentes, ac demonstratiuæ, cum tamen reapse haud sint tales, sed potius euidenter falsæ: vt si quis putans, hanc propositionem, *omnes lineæ deductæ ab eodem puncto ad idem punctum sunt æquales*, esse principium Mathematicum, adeoque summè euidens, ac manifestum sic arguat, omnes lineæ deductæ, &c. sed diameter circuli & eius medietas siue semi circulus sunt lineæ, quæ ab eodem puncto deducuntur ad idem, nequeunt ergò nec esse æquales: quæ consequentia est euidenter falsa, quia, contrà quam ab arguente putatur, talis est maior propositio: haud enim omnes lineas ab eodem puncto ad idem prodeuntes esse æquales, sed omnes lineas rectas eadem interiectas extrema talem æqualitatem sortiri euidens est, ac Mathematicum axioma. Porrò hoc genus syllogismi, in quo quis vt euidens accipit, quod est apertè falsum, & impossibile proprio nomine paralogismum vocat
48 ristoteles lib. 1. Topicor. cap. 1.

Ratione formæ syllogismus euadit sophisticus, cũ existimatur esse in forma (hoc est, talis vt, concessis præmissis quib. cõstat, haud possit, debeatvè eius negari cõclusio) quin reuera formalis sit: non secus atque homo apparet homo, cum tamen humanitas sit ab eo prorsus aliena. Forma autem syllogistica, etsi latissimè sumpta perinde sit, ac artificium quodlibet maioris, minoris, & conclusionis, iuxtà disputata superius hoc lib. 5. tract. 1. cap. 1. at strictè, & propriè sumpta est id tantum artificium, merito cuius præmissæ sunt semper vtiles ad concludendum: Tunc ergò syllogismus aliquis est in forma, qua de agimus in præsenti, quandò est in aliquo ex modis illis vulgò circumferri solitis, Barbara, Celarent, &c. tum verò non est in forma, solumq; apparet esse in illa, quandò est in aliquo ex modis illis inutilibus quos suprà tract 1. cap. 3. cohibuimus versibus illis, Bilbilis & Colophon Priami Euterpeque canora Laertes Catochos, &c. exemplum Bilbilis esto, aliquis homo currit, Petrus est aliquis homo, Petrus ergò currit: Colophonis, aliquis homo non currit, Bucephalus non est aliquis homo, Bucephalus ergo non currit: Cæterorum etiam paradigmata sunt perquam facilia, eisque proinde supersedeo.

49 Scisciteberis hic, an syllogismus sophisticus sit proprie, & rigorosè syllogismus? Respondeo esse, si eo tantum vitio laboret, quod eius præmissæ haud sint probabiles, pro eo ac existimantur vel certè non euidentes, quamuis putentur esse tales, sed è contrario improbabiles, & euidenter falsæ: quo pacto superiori capite constitutum est à nobis, syllogismum Dialecticum propriam, ac rigorosam syllogismi rationem obtinere, licet eius præmissæ, cum videantur veræ, tamen falsæ sint, ac magis verisimiles, quam veræ: Et quidem argumenta, quibus id ostendimus, parem habent in præsenti vim, ac sunt ponderis eiusdem, rectè si adhibeantur.

50 Sin autem syllogismus sophisticus talis sit, ratione formæ, ac dispositionis præmissarum, profectò non erit nisi impropriè, & adumbratè syllogismus. Iccirco enim homo pictus v. g. non est propriè homo, quia non habet propriam, & essentialem formam hominis, eamque tantum accidentibus mentitur externis: atqui syllogismus ratione formæ sophisticus, & apparens non habet reuera formam propriam, & essentialem syllogismi: aut quod perinde est, eam connexionem propositionum, vt prioribus concessis, postrema non debeat vnquam negari huicve nequeat subesse falsum, illæ si sint veræ: haud ergò est propriè syllogismus: atque ita sentit Aristoteles 1. Topicor. cap. 1. & 1. Elenchorum cap. 1. quem sequuntur Auersa, ac Rubius suprà cap. 4. parum ab initio à nobis citati & cum eis plerique Dialectici.

Sed enim obiicies, hunc in modum: syllogismus 51
ratione formæ sophisticus est proprie argumentatio: tum quia in illo discurrit intellectus ab vno ad aliud, & propter præmissas iis deceptus conclusioni præstat assensum: tum etiam, quia non est prima mentis operatio, siue mera apprehensio, nec etiam secunda mentis operatio, siue iudicium, sed potius iudiciorum processus, ac veluti tela quædam: ergo tertia mentis operatio, siue argumentatio: at non enthymema, aut aliud argumentationis genus, præter syllogismum: sub hoc ergo proprie continetur.

Respondeo cum non paucis, quos nominibus suppressis refert Auersa q. 25. log. sect. 4. paulò post medium, syllogismum ratione formæ sophisticum haud esse propriè argumentationem. Primò namque materia, & forma rationalis, si non sint vnitæ, & connexæ inuicem, non sunt propriè homo: item, vt exemplo magis logicali vtar, subiectum, & prædicatum, tametsi sint in intellectu, adeoque apprehendantur propria, & vera ratione, non sunt iudicium, hoc ipso quod non vniantur, nec alterum dicatur de altero: similiter ergo licet in syllogismo sophistico, ac non formali sint præmissæ, & conclusio, nihilominus ambæ non erunt propriè argumentatio, si non connectantur inter se: at ita non sunt connexæ: propterea enim concessis eiusmodi præmissis conclusio negatur, quia inter hanc, & illas non est connexio debita.

Præterea: secundò: ex mutlis apprehensionibus 52
oriri solet iudicium, v g. ex ea, qua apprehendimus hominem, illaque, qua animal, hæc enunciatio, *homo est animal*: atqui ea non ob id est discursus, & tertia mentis operatio: quod igitur conclusio sophistica proficiscatur à suis præmissis, & ab his ad illam gradum faciat intellectus noster, nequaquam argumento esse potest, ambas efficere argumentationem propriè, & strictè talem. Dices, originem, & emanationem iudicij ab apprehensionibus præuiis haud esse discursum, defectu materiæ; quippe quæ non alia ad discurrendum est apta, nisi iudicium, ad cuius certè perfectionem, & essentiam nulla pertingit apprehensio. Contrà: quæuis operatio intellectus non est materia sufficiens argumentationis: quæuis ergo illatio non erit forma ad argumentandum sufficiens: quemadmodum igitur progressio ab apprehensionibus ad iudicium non est argumentatio, quia non coalescit ex iudiciis, nec sortitur materiam sufficientem, & vt sic dixerim, proportionatam; ita etiam motus intellectus nostri à præmissis non rectè dispositis, nec in aliquo modorum vtilium Barbara, Celarent &c collocatis ad conclusionem fallacem haud erit rigorosa, ac propria ratione argumentatio, ob defectum videlicet formæ, quæ certè ad omnem compositionem non minus, sed potius magis desideratur, quam materia cui superuenit.

Insuper tertio: vti oppositio logica contradicto- 53
ria potissimè in eo elucet, quod propositiones ei obnoxiæ haud possint esse simul veræ, quamuis etiam ita institutæ sint, vt alia physicè excludat aliam ab eodem intellectu; sic equidem argumentatio,

tatio,tametsi propositionibus constet physico quodam ordine sese respicientibus,& quarum alia nascitur ex alia;ceterum eius potissima ratio,& conditio est præmissarum , & conclusionis connexio intentionalis , atque quo ad veritatem , merito cuius illæ nequeunt esse veræ , quin etiam hæc sit cum veritate coniuncta, illarumvè,quod perinde est,obiectum esse , quin existat etiam huius : Atqui hac connexione destituitur id genus syllogismi apparentis,quo de agimus.

55 Ad hæc quartò: si syllogismus formaliter sophisticus esset propriè argumentatio , certè non alia quàm syllogismus , vt rectè obiiciunt aduersarij: quo fit è Conuerso , si non sit propriè syllogismus, haud etiam esse posse strictè argumentationem: Atqui non est verè syllogismus : hunc enim cum Aristotele omnes definiunt, in quo ex duabus præmissis necesse est conclusionem sequi,id est , in quo ea debet ex illis sequi : moraliter enim loquendo id necessarium est,quod debet fieri , qua ratione vulgò dicimus , restitutionem rerum alienarum esse necessariam , propterea quod sit debita:at ex præmissis non formalibus non debet inferri conclusio,sed potius oportet, ac rationi valde consentaneum est , vt non inferatur: non ergo earum complexio est rigorosè,& propriè syllogismus, atque adeò, vt dictum est,nec argamentatio.

56 Quintò tandem,quod ait Auersa citata q.25.log. sect. 4. necnon q. 29. sect. 6. syllogismum sophisticum defectu formæ talem propria,ac stricta ratione esse argumentationem , atque etiam syllogismum,non tamen qualem definit Aristoteles, & cum eo tota schola, sed latius sumptum , meo iudicio friuolum est : quo enim fundamento negat , Philosophum tradita à se definitione syllogismi omnem propriè talem non complecti ? quo , syllogismi illius latius fusi , sed tamen proprij ac veri oblitum fuisse ? quid etiam aliud quam viam aperit tollendi de medio rerum definiendarum artem ? quæ enim eius vtilitas esse potest,aut quid secundum eam concludi potest de naturis , & essentiis conceptuum communium , si fas est definitionibus definita , non quæ sonant , sed quæ cuique comminisci libet,accómodare?fac aliquem sustinere,gratiam, ac dona supernaturalia non esse accidentia , sed substantias: huic si opponas,ea haud esse entia per se;an nõ facilè te eludet,si ex doctrina Auersæ , eiusque philosophandi ratione,dixerit definitionem illam, substantia est ens per se,non esse omnis substantiæ,sed duntaxat naturalium , earumque,quas nouimus , & experimur.

57 Ad primam rationem illarum, quibus ostendebatur, syllogismum sophisticum, formæ vtique,ac rectæ dispositionis defectu , esse propriè argumentationem,dicendum est, non omnem discursum intellectus ab vno actu suo ad alium esse propria,& vera ratione tertiam mentis operationem,aut discursum, per quem hæc solet definiri , sed eum tantum cuius præmissæ connexionem habent cum conclusione ex illis sequuta : ita autem haud connectuntur partes, quibus quodammodò coalescit syllogismus , non formalis, & ob id pseudographus. Ad secundam rationem respondendum est, syllogismum , quo de loquimur,esse secundam mentis operationem non tamen vnam,sed multiplicem , & per accidens pluribus cumulatam: haud ergo necesse est , haud etiam æquum , eum ad tertiam mentis operationem reuocare.

TRACTATVS IV.

De aliis argumentationibus.

CAPVT I.

De Enthymemate.

MVLTIPLEX est ac varia enthymematis apud authores nomẽclatura: Mendoza in viridario lib.7. cap.11.Cyprianus Soarez lib.2.Rhetoricæ cap. 19. illud vocant orationem bipartitam, vel bimembrem,aut ex duobus tantum pronunciatis cõstitutã,vt omnis homo est animal,ergo Petrus est animal , nullus lapis est animal , ergò nullum animal est lapis.Quintilianus lib.5.Oratoriarum institit.cap.14.& alij complures illud nuncupant syllogismum imperfectum,seu truncatum , necnon partem syllogismi , propterea quod cum alia propositione subintellecta sit integer syllogismus , secus verò sine illa: nam superius enthymema priori loco in exemplum adhibitum huius additamento minoris *Petrus est homo* ita perfectum efficias syllogismum, omnis homo est animal,sed Petrus est homo, ergò Petrus est animal. 1

Aristoteles lib. 1. Rhetor. cap. 1.& lib.1. poster. cap.1.illud nominat syllogismum oratorium , quod eius frequentior sit vsus apud oratores , quam Philosophos : Quod orator aliquis (vt exemplo vtar Fabij vbi paulo supra) diceret , cum argentum legauerit omne,pecuniam quoque legauit,quæ est in argento ; ita debet philosophicè , ac scholasticè proferri,si pecunia, quæ est in argento signato , argentum est, qui argentum omne legauit , & pecuniam quæ est in argento signato legauit : argentum autem omne legauit : igitur & pecuniam, quæ est in argento, legauit. Quod item ait Cicero pro Milone: *Eius igitur* (scilicet Clodij) *mortis sedetis vltores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse nolitis?* ita dicendum est philosophico , ac scholastico more , cuius vitam nolitis restitui iudices , eius non debetis vlcisci mortem : at Clodij vitam si putetis restitui posse,nolitis: eius igitur non debetis vlcisci mortem. Quod denique Micipsa apud Sallustium ad Iugurtam Manastabilis fratris filium, *quem alienum fidum inuenies , si tuis hostis fueris* ? ita scolæ stylo protuleris ; si quando sperare potes alienos fore tibi fidos, debes tuis hostis non esse , at sperare potes aliquandò alienos tibi fore fidos , haud enim credibile est, nusquam inter eos tutam esse fidem , tuis ergò debes hostis non esse. 2

Huius autem discriminis inter oratores , & philosophos Fabius iterum , atque iterum à nobis laudatus rationem tradit perquam elegantem , in hæc verba *namque illi homines docti* (scilicet Philosophi) *& inter doctos, verum quarentes minutius, & scrupulosius scrutantur omnia , & ad liquidum , confessumque perducunt : vt qui sibi , & inueniendi , & iudicandi vendicent partes, quarum alteram topicen,alteram criticem vocant. Nobis* (id est oratoribus) *ad aliorum iudicia componenda est oratio, & sæpius apud omninò imperitos , atque aliarum certè ignaros literarum loquendum est : quos nisi , & delectatione allicimus,& viribus trahimus, & nonnunquam turbamus* 3

affectibus, ipsa, quæ iusta, ac vera sunt tenere non possumus. Locuples, & speciosa vult esse eloquentia: quorum nihil consequetur, si conclusionibus certis, & crebris, & in vnam prope formam cadentibus concisa, & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam seruitute, & ex copia satietatem, & ex amplitudine fastidium tulerit.

4 Dubitabis primò, an enthymema in solius hæreat vocis superficie, vel penetret altius, atque etiam sit in nostræ mentis abdito? Auersa quæst. 25. log. sect. 5. disertè negat esse in mente id genus enthymema, quod constat medio distincto, siue in cuius antecedente est terminus aliquis, quo caret eius consequens: vt nullus equus currit, ergò Bucephalus non currit. Alij nulla adhibita moderatione mentale negant enthymema: putant enim hanc consequentiam, nullus lapis currit, ergò nullum currens est lapis, etiam si sit in mente, non esse argumentationem vllam, atque adeò, nec enthymema (quod certe sic se habeat, an secus quæstio est de nomine) vel quidem haud esse eam in mente, vt profertur, sed potius ita vt antecedenti vocali interius sit prior alia propositio maioris locum obtinens, faciensque, vt quod est antecedens, sit minor, hunc in modum, si nullus lapis currit, nullum currens est lapis, sed nullus lapis est currens, nullum ergò currens est lapis.

5 Cæterum contraria sententia est multis partibus probabilior. Nam enthymema, aut est simpliciter, & propriè argumentatio, vti syllogismus Dialecticus, ac demonstratiuus; & ita non est, cur horum instar non sit in mente, aut non est argumentatio, nisi adumbratè tantum, & improprie; atque sic etiam non est quapropter haud sit in mente, quippè in qua iuxtà omnes est syllogismus, ratione formæ sophisticus, & apparens; prius enim eo decipimur in mente, quam illum exterius proferamus.

6 Obiicies tamen primò: nulla propositio mentalis se sola potest aliam inferre, tametsi vnam solum vocalem alia sequatur: haud ergò est enthymema in mentis nostræ recessu. Verum antecedens esse falsum iam iam clarebit. Obiicies secundò: hæc argumentationis species, qua de agimus, vocatur, vt credunt aliqui, apud Cyprianum Soarez suprà citatum, enthymema, quod in animo maneat condita illa pars, quæ silentio est præterita: quorsum item appellatur ab aliis, inter quos Quintilianus, commentatio, siue commentum, nisi quia per eam plus commentatur intellectus, quam exterius profert: quamuis ergò in voce sit duplex propositio, in intellectu tamen erit triplex, adeoque syllogismus & non enthymema. At ne argumentum hoc ab Etymologia ductum quicquam concludit: eo enim tantum sit, enthymemati vocali respondere haud rarò in mente syllogismum perfectum, non verò quod ei non respondeat allquando enthymema mentale à syllogismo, siuè tripartita argumentatione distinctum.

7 Dubitabis secundò an enthymema mentale sit argumentatio simpliciter, tertiavè mentis operatio? Aliqui negant absolutè, ac sine vlla restrictione: Conimbricenses verò 1 prior. cap. 1. quæst. 2. art. 3. & Hurtadus disp. 10. log. sect. 9. §. 39. tantum negant, illud esse simpliciter argumentationem formalem. Verum enim censeo primò enthymema mentale simpliciter, ac propriè sortiri rationem aliquam argumentationis. Namque intellectus hoc ipso quod ex vna propositione gradum faciat ad aliam, & ambæ connectantur inuicem in veritate, ita vt prior nequeat esse vera, quin etiam posterior sit cum veritate coniuncta propriè argumentatur, discurritque: atqui intellectus ab vna harum propositionum mentalium, omnis homo est animal, ergò Petrus est animal (par autem est ratio cuiusuis alterius enthymematis) progreditur ad aliam, facitque illationem alterius ex altera sola: item connectuntur inuicem: sunt ergò propria, & vera ratione argumentatio: Maior est perspicua: qua enim de causa, nisi ob assignatam in illa, syllogismus perfectus est simpliciter argumentatio? Minor, quoad posteriorem eius partem, est euidens: luce siquidem meridiana clarius est, haud posse verum esse, quod omnis homo sit animal, quin etiam sit verum, quod Petrus rationem obtineat animalis: quoad priorem eius partem aduersus Auersam, & alios suadetur: nam hæc propositio, omnis homo est, animal, se sola virtualiter, & implicitè cognoscit obiectum huius, ergò Petrus est animal, illudquè intellectui proponit, cum reapse sit, omnem hominem esse animal, & quod Petrus, & quiuis alius homo in particulari sit animal, & id sine hoc, aut è contrario nè diuinitus possit reperiri: illa igitur propositio prior se sola posteriorem inferre potest, nec ad eiusmodi illationem alterius eget iudicij præsidio: qua ratione geminæ præmissæ se solis syllogisticam inferunt cõclusionem, quia eius obiectum videlicet identitatem immediatam extremorum virtualiter, & implicitè attingunt, atque intellectui obiiciunt: Confirmatur amplius prior eiusdem minoris pars; nam ceteræ, quibus nostrum constat argumentum, per se satis constant: præmissæ sophisticæ, & non benè inter se dispositæ inferunt etiam iuxtà Auersam, & alios aduersariorum conclusionem, licet cum ea non connectantur in veritate possintque esse veræ sine eo, quod conclusio sit vera, & hæc negari illis admissis: à fortiori ergò, vt aiunt, hæc propositio, omnis homo est animal, se sola inferret interius hanc, ergo Petrus est animal, quippè cum qua connexionem habet in veritate, eamque summam.

8 Dices: hæ propositiones, omnis homo est animal, nullus homo est animal, haud sunt contradictoriæ, quia licet nequeant esse simul veræ, aut simul falsæ, (per quam repugnantiam, in vtraque qualitate definiri solet contradictio) tamen quod ita repugnent, non fortiuntur vi formæ, sed duntaxat vi materiæ, seorsim à qua possunt esse simul falsæ propositiones, quarum vna affirmat vniuersaliter, & alia etiam vniuersaliter negat, vt omnis homo currit, nullus homo currit. At hæc propositio, omnis homo est animal, vi formæ non infert benè hanc, ergò Petrus est animal, sed ratione solius materiæ: sequela enim nulla erit in alia materia, quantumuis seruetur eadem forma, veluti si ita colligas, omnis homo est animal, ergò lapis est animal, aliumvè terminum loco Petri, qui non sit animali accommodatus, sed improportionatus, eiusque respectu disparatus in consequente, assumas. Talis ergò consequentia non formalis, eo ipso nequaquam erit simpliciter argumentatio.

9 Cæterum huic difficultati, quæ, vt dictum est paulò suprà, de solo vocum vsu litem mouet, facilè potest occurri. Namquè enthymema, cuius termini sunt omninò iidem in antecedenti, & consequente, vt nullus homo est lapis, ergò nullus lapis est homo, vi formæ concludit, & eadem seruata nusquam non est efficax: id ergò saltem, quidquid sit de aliis enthymematis, erit propriè argumentatio: sed de hoc haud ita post. Rursus secundò: quandò antecedens vi formæ præcisè sumptæ, & provt abstractæ ab omni materia, concludit simul cum consequente,

te, est propriè argumentatio formalis : quandò igitur ex antecedenti benè sequitur consequens vi destinatæ, ac particularis materiæ, vtrumque erit argumentatio vera,& propria,sin minus formalis, at certè materialis : talis igitur erit ea, in qua ex hoc solo, quod omnis homo sit animal, colligitur, Petrum esse animal.

10 Item tertiò : probabilius est, has propositiones, omnis homo est animal, nullus homo est animal, esse materialiter contradictorias,eo ipso quod ratione materiæ suæ, cùm in veritate, tum in falsitate repugnent:quod autem à nobis suprà lib.4.tr.4.c.2. deliberatum est, eas esse contrarias, non verò contradictorias, intelligendum est, non omni contrarietate, & contradictione, sed sola formali : quam etiam, & non materialem ibi definiuimus, vbi alteram statuimus esse repugnantiam logicam duarum propositionum in veritate, & falsitate,eamque per se, & formalem, alteram verò esse logicam repugnantiam duarum propositionum in veritate, sola, eamque etiam per se, & formalem. Quartò tandem si contradictio, & contrarietas aliter sint definiendæ, quam in obiectione supponitur, quæ obsecro potest esse eius difficultas: at citatis locis ostensum est eas aliter posse definiri,ita scilicet, vt prior sit, ratione cuius vna propositio affirmat, aut negat id,quod præcisè sufficit, & requiritur ad falsificandam alteram sibi contradicentem ; posterior verò munere cuius vna propositio affirmat, aut negat plus,quam sufficit ad falsificandam alteram sibi contrariantem.

11 Censeo secundò enthymema esse propriè argumentationem etiam formalem. Ratio est,quia propositio conuersa in omni materia se sola infallibiliter infert conuertentem : & quo pacto verè dicimus, nullus homo est lapis,ergò nullus apis est homo,eodem certe licet vbiuis reciprocari:ratione igitur formæ eam infert, ac proindè non minus quam syllogismus est argumentatio formalis. Respondent aduersariorum non pauci, si conuersio propositionum esset propriè argumentatio, futurum, vt esset argumentatio formalis, propter rationem à nobis obiectam:at eam non esse propriè argumentationem,sed meram illationem, siuè consequentiam:ob id enim, inquiunt, hæc consequentia, omnis homo est animal, ergò Petrus est animal, dicitur argumentatio,quia saltem virtute continet argumentationem perfectam, & syllogysticam, ad eamque reducitur, hunc in modum, omnis homo est animal, Petrus est homo, ergò Petrus est animal:hæc autem ratio non procedit in conuersione vnius propositionis, facta per aliam.Sed certè procedit;quod miror aduersarios non animaduertisse : nam ea conuersio,cuius exemplo toties sumus vsi, cohibet virtualiter hunc syllogismum, & ad eum reuocatur: si nullus homo est lapis, nullus lapis est homo ; sed nullus homo est lapis ; ergò nullus lapis est homo.

CAPVT II.

De inductione.

12 INductio, quæ & ascensus appellatur, definiri solet ea, in qua ex singularium sufficienti enumeratione de termino vniuersali infertur aliquid. Frequens illius vsus est apud Philosophos, præsertim Socraticæ disciplinæ alumnos : Eam etiam valdè frequentant Poëtæ,atque inprimis Ouidius : Vt alia eius loca prætermittam lib.4. tristium eleg.3. sic ad vxorem scribit.

Materiamque tuis tristem virtutibus imple,
Ardua per præceps gloria vadit iter,
Hectora quis nosset, fœlix si Troia fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.
Ars tua Tiphy iacet, si non sit in æquore fluctus:
Si valeant homines ars tua Phœbe iacet.
Quæ latet inque bonis cessat non cognita virtus,
Apparet virtus, arguiturque malis.

Quasi diceret : belli difficultates, ac discrimina gloriam Hectori peperere militarem, eamque summam : æquoris pericula, & tempestates Tiphy artis nauticæ famam:valetudinis damna, ac tot, quibus afflictamur morbi, Phœbo medicinæ laudem nunquam intermorituram : res ergò aduersæ, & asperæ, quales sint eæ cumque, sunt gloriæ seges, laudisque, & famæ diues materia.

Percontaberis in præsenti, an inductio sit propriè, & verè argumentatio ? Adstruo primò, non omnem inductionem esse propria, & vera ratione argumentationem, siue tertiam mentis operationem. Quod à me (tametsi non his terminis, sed aliis) latè probatum est suprà lib. 3. tract.4. cap. 7. aduersus non paucos veteres summulistas. Ac modò suadetur iterum : hæc est inductio, & ascensus, Petrus est per se, & ex natura sua, genioque regionis, & gentis suæ bipes, Paulus similiter, & sic singuli homines, quos nouimus, & experimur, quosque, quoad eius fieri potuit, sufficienter enumerauimus: omnis ergò homo est per se, ex natura sua, &c.bipes : atqui eiusmodi inductio non est propriè argumentatio : ergo, &c. Maior est perspicua : Minor probatur ; namque ad propriam argumentationem iuxtà disputata tract. superiori cap.4. & 5. opus est vt antecedens sit connexum cum consequenti, ita vt illud verum esse nequeat, quin tale sit hoc:quam connexionem vocant aliqui, quorum phrasim sequuti sumus citato tract.4. & cap.7. lib.3.Alij consequentiam formalem, alij consequentiam certam, & irrefragabilem, antecedentem sicut è contrario connexionem ea minorem, consequentiam materialem, aut incertam, topicámque, & probabilem: ast inductionis positæ antecedens est verum, & consequens fortasse falsum : quis enim sciat, an præter homines, quos nouimus,& experimur, sint alij non bipedes per se, & suaptè natura, genióque soli sui, sed vel monopodes, aut tripodes?quis Europæis aliquando persuaderet, Æthiopas esse nigros,quis Indorum non paucis, homines esse in Europa barbatos? 13

Dices primò, latissimè extendendam esse significationem eius particulæ, *& cætera* in inductionibus adhiberi solitæ, ita scilicet, vt comprehendat omnia inferiora, nullo excepto. Contrà : quia ita perindè est dicere, hic homo est per se, & ex natura sua bipes, ille est similiter bipes, & sic singuli, ac si quis dicat, omnis homo est per se, & ex natura sua bipes:quandò ergò sequitur, omnis homo est naturaliter, ac per se bipes, ea inductio haud est propriè argumentatio, sed impropriè, & sola voce tenus, cum argumentari sit procedere ab vno ad aliud, non verò ab aliquo ad seipsum formaliter. Ac certè particulam, &c. vel,& sic singuli, explicatam, vt proximè tollere de medio rationem argumentationis, imò & inductionis, ob causam nuper obiectam testantur disertè nostri Conimbricenses 1. priorum cap.1.quæst.2.articulo 3.§.*sed quicquid, ad eius finem.* 14

Dices secundò particulæ illius, *& sic singuli,* vel &c. significationem esse aliquantulum extendendam, eique præterea subiungendam esse constantiam 15

tiam,hoc pacto:Petrus,& Paulus,& sic cęteri homines, siue nobis noti,siue ignoti,ac terrarū,quas nunquam lustrauimus,aut etiam audiuimus,accolæ sunt per se,& ex naturis suis bipedes ; & isti sunt omnes hominum species Deo possibiles , repugnantque aliæ diuersæ rationis : hoc autem modo explicatum superioris inductionis , & cuiuis alterius similis antecedens haud potest esse verum , quin tale sit eius consequens , vt certo certius. Verum solutio hæc lib. 3. vbi semel & iterùm citato , fusè à nobis est impugnata. Et quidem per se claret , si quis dubius sit , an omnis homo sit natura sua bipes , eum haud posse reddi certiorem de tali eius proprietate, merito antecedentis à quo incipit superior inductio:etenim similiter necesse est,eum æquè, vel magis incertum esse de constantia , nec non de hominibus alibi terrarum degentibus : vna autem dubietas , & incertitudo qui potest deseruire , ad tollendam aliam ?

16 Censeo secundò , non paucas inductiones sortiri rationem veræ , ac propriæ argumentationis ; eas scilicet, quarum inferiora haud sunt innumera , sed sed potius pauca numero : vt, v.g. substantia est bonum quoddam , accidens etiam est bonum quoddam , ergò omne ens est bonum : oculus dexter est idoneus ad videndum , oculus sinister similiter est idoneus ad videndum , omnis igitur oculus est idoneus ad videndum : ignis habet vnam saltem qualitatem primam in summo gradu ; aër etiam:nec non aqua;ac denique tellus: omne igitur elementum sortitur in summo primam aliquam qualitatem : cœlum lunæ est globosum , cœlum Mercurij est etiam globosum,ac similiter reliqui vsque ad decimum & supremum , omne igitur cœlum mobile rotundatur in globum.

17 Ratio est,quia in his illationibus , aliisque id genus , haud vnquam potest antecedens esse verum, quin sit etiam verum consequens : Porrò earum quæuis ita est species quædam enthymematis , vt possit etiam formari in syllogismum , hoc pacto: substantia,& accidens est omne ens:at substantia est bonum quoddam ; & accidens similiter : omne igitur ens est bonum transcendentaliter vtique ; haud enim in alio sensu loquimur : Cæterarum similiter in syllogismos conuersio , cum sit perquam facilis, non est quod in ea immoremur amplius.

CAPVT III.

De Exemplo , Epicheremate , Sorite , & Dilemmate.

18 QVod ad exemplum attinet , frequens vsus eius est,non solum in scholasticorum libris,verum etiam in sacris litteris,nec non humanioribus,cum poëtarum , tum etiam oratorum. Sic dicitur lib. 1. Machabæorum cap. 4. *Mementote , qualiter salui facti sunt Patres nostri in mari rubro , cum sequeretur eos Pharao , cum exercitu multo : & nunc clamemus in cœlum , & miserebitur nostri Dominus* : Quasi diceret Iudas Machabæus ad suos : Deus Patres nostros liberabit à Pharaone , & Ægyptiis ; ergò & nos liberabit ab Antiocho , & Syris : vel non instar enthymematis , sed syllogisticè ; cum nostri eadem sit in præsens conditio , quæ fuit quondam patrum nostrorum, Deus , illos si tutos præstitit ab inimicis,& nos ab inimicis tutos præstabit : at quod illos præstiterit tutos ab inimicis est certo certius : similiter ergò & nos ab eis tutos præstabit. Sic Priamus apud Virgilium lib. 2. Pyrrhum increpat ob Politen, in conspectu suo interfectum

At non ille satum , quo te mentiris Achilles
Talis in hoste fuit Priamo:sed iura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exangue sepulchro
Reddidit Hectoreum,méque in mea regna remisit.

Id est , Achilles , quo te satum falsò gloriaris, mei , quamuis hostis , misertus est : pariter ergò tu mei misereri debebas : Vel ita : cum filij similes se parentibus præbere debeant , eorumque æmulari gesta, quod Achilles, quo te genitum gloriaris , fecit , id æquum erat , & te fecisse : at ille malorum nostrorum indoluit , longæuique Regis misertus est : par igitur erat , vt te quoque aliquis ergà nos pietatis , ac misericordiæ tangeret affectus. Sic denique Cicero pro Milone: *Negant, intueri lucem esse fas esse, qui ab se hominem esse occisum fateatur:in qua tandem vrbe hoc homines stultissimi disputant ? nempè in ea, quæ primum iudicium de capite vidit. M. Horatij fortissimi viri, qui nondum libera ciuitate, tamen Populi Romani comitiis liberatus est , cum sua manu sororem esse interfectam fateretur* : Hoc est M. Horatius interfecta sorore Romæ liberatus est : ergò & Milo,quamuis interfecerit Clodium,liberandus est: aut ita : Horatius, & Milo , cum iisdem sint affecti conditionibus , & cædes ab vtroque facta fuerit iusta, si alter iure liberatus est, & alter eodem iure liberandus est : at ille iure liberatus est : ergo & hic. Ex dictis constat exemplum esse posse propriè argumentationem,& vel enthymematis , vel syllogismi speciem.

Epicherema est breuiter comprehensa ratiocinatio,siue quod, tametsi enthymema , aut syllogismus sit mente;non tamen voce, sed potiùs vna tantum propositio, duabus , vel tribus æquiualens : vt apud Ciceronem pro Rege Deiotaro,quem apud Iulium Cæsarem seruus accusauit:*en crimen , en causa*, cur Regem fugitiuus,Dominum seruus accuset : aut quod perinde est , sine causa non debet seruus Dominum accusare : qua in propositione latet hoc enthymema,hic medicus est seruus Deiotari:ergò non debet eum accusare ; & hic syllogismus , nullus seruus debet sine causa Dominum accusare,at hic medicus est Deiotari seruus , ergò non debet eum absque causa accusare. 19

Sorites, vel argumentatio acerualis, siue conglobata , aut de primo ad vltimum similiter est species quædam, vel enthymematis , vel syllogismi imperfecti : quatenus autem sub hoc continetur , satis est à nobis explicatus lib. 6. 5. tract. 2. cap. 2. Præter eius exemplum inibi adductum en aliud , & perquam elegans ex Cicerone 3. de officiis : *Atque si etiam hoc natura præscribit,vt homo homini , quicunque sit, ob eam ipsam causam , quod is homo sit , consultum velit , necesse est , secundum eandem naturam, omnium vtilitatem esse communem : quod si ita est,vna continemur omnes,& eadem lege naturæ : idque ipsum si ita est,certè violare alterũ lege naturæ prohibemur: verum autem primum, verum igitur & extremum.* 20

Dilemma argumentum cornutum appellari solet , eo quod vtroque cornu feriat , & quicquid ex contradictoriis concedatur aliquid contrà concedentem concludat , vt si conuersionem gentium ad Christi fidem fuisse miraculosam , ita inferas : aut vera miracula ad conuertendas gentes ad Christi fidem edita sunt,aut non? si primum ; ergò conuersio gentium miraculosa fuit : si secundum ; quod maius miraculum , quam , absque præuiis miraculis,gentes in Christum credidisse? ac proinde earum conuersio miraculosa non esse non potuit. Eodem argumenti genere confutat Pyrrhonios Clemens Alexandrinus lib. 8. stromatum : *apud Pyrrhonios* inquiens, 21

quiens *epoche hoc est assensionis sustentatio, quæ vult nihil esse firmum, ac stabile, si à seipsa cœperit, clarum est, quod primum seipsam infirmabit. Aut ergo dat aliquid esse verum; & non est de omnibus sustinenda assensio, aut persistit dicens, nihil esse veri; & clarum est, quod nec ipsa prius verum dicet: aut enim ipsa verum dicit, aut non: sed si verum quidem dicit, concedit vel inuita, esse aliquid veri: sin autem non verum dicit, vera ea relinquit, quæ volebat tollere de medio: nam quatenus falsa ostenditur, quæ perimit epoche, seu assensionis sustentatio, eatenus vera esse ostenduntur, quæ perimuntur: quomodo somnium, quod dicit omnia somnia esse falsa: nam cum seipsum perimat, confirmat alia.* Vide etiam, si libet, huius argumentationis duo lepidissima exempla, apud Aulum Gellium lib. 5. noctium Atticar. cap. 10.

LIBER SEXTVS

De Signis veritatis.

TRACTATVS I.

De Signo in communi.

CAPVT I.

Quid sit Signum in communi.

1 PRopria, & germana signi vt sic definitio est talis: Signum est, quod in alicuius veritatis cognitionem quempiam ducit. Obiicies tamen primò, ita fore, vt res spirituales sortiantur rationem signi: nam iuxta doctrinam B. Thomæ 1. part. quæst. 56. art. 3. ac cæterorum omnium Theologorum, nobis sunt medium cognoscendi Deum & in eius notitiam nos perducunt: atqui non sunt signa: rationem enim communem signi definit Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 1. hoc pacto: signum est, *res speciem, quam ingerit, sensibus aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire,* & lib. de principiis dialecticæ cap. 5. *Signum est, quod seipsum sensui, & præter se aliquid animo repræsentat*: ergò de essentia signi est, quod sit sensibile quidpiam, ac proinde materiale: haud ergo potest esse spirituale; è conuerso igitur nil spirituale sustinet esse signum. Respondeo, signum in communi haud oportere esse rem materialiter, sed latius hac patere, vt ex Magistro sentent. dist. 1. colligunt Conimbricenses, vtque est communis scholasticorum opinio: quare quod ex nostra definitione sequatur, res spirituales obtinere rationem signi, non est incommodum. Augustinus autem haud signum in communi sumptum, ac latissimè fusum, sed quandam eius speciem nobis magis exploratam, videlicet signum externum, ac sensibus obuium definit, atque adeò definitioni nostræ non contradicit.

2 Obiicies aduersus eam secundò: cognitio reflectens suprà seipsam ducit in cognitionem sui, ac facit seipsam cognosci: at non est signum sui: perperam ergò definitum est à nobis signum. Maior est in aperto: Minor suadetur; nihil potest esse signum sui, ergo nec etiam cognitio seipsam significare: Consequentia hæc negari nequit: Antecedens est. Conimbricensium lib. 1. de interpret. cap. 1. quæst. 1. art. 2. Soncinatis 12. metaph. quæst. 59. Torrensis de Trinit. quæst. 27. art. 1. disp. 2. Soti lib. 1. summul. cap. 2 not. 2. necnon, vt aliqui putant, Ambrosij lib. 1. de Abraham cap. 4. & Anselmi in c. 4. ad Rom. suadetur-que in hunc modum.

Signum est repræsentatio, siue imago rei significatæ: atqui nihil sibi ipsi assimilari, se repræsentare, aut imaginari sustinet: tum quia, ita posset aliquid ad seipsum realiter referri, quo nihil magis absurdum: tum etiam quia, ita de imagine, ac similitudine seu repræsentatione sentiunt Gregorius Nyssenus de opificio hominis cap. 17. Augustin. 7. de Trinit. cap. 1. Athanasius de consubstantialitate Verbi contra Meletium, Hilarius, Boëtius, & communiter alij Patres: necnõ scholastici cum Magistro in 1. dist. 2 & dist. 27. ac B. Thoma etiam in 1. dist. 7. quæst. 2. art. 2. ad 2. & ex eo constat, quod similitudo sit relatio realis: nulla autem relatio realis potest esse nisi ad aliud nulla alicuius ad seipsum: nihil igitur sibi ipsi assimilari, se repræsentare, aut imaginari sustinet. Deinde suadetur idem antecedens: signum sensibile ducit sennsibiliter in cognitionem alterius rei, vt liquet ex Augustino supra citato: signum ergò non sensibile, sed spirituale insensibiliter, ac solum intellectualiter ducit in cognitionem alterius rei: omne ergo signum ducit in cognitionem alterius: at particula, *alterius*, denotat distinctionem: res ergo significata debet esse distincta à signo, & hoc ab illa, ac proinde nihil esse potest sumet ipsius signum.

Respondeo, cognitionem supra se reflectentem esse signum sui, atque vniuersaliter in eo, quod aliquid reipsa se significet, nullam esse repugnantiam, nihil incommodi: Ita Arriaga disp. 13. logic. sect. 1. num. 5. Balthasar Tellez disp. 9. logic. sect. 3. conclus. 1. & quod caput est, id colligitur ex August. cap. 5. libri de Magistro. Ad primam rationem contrariam dicendum est, quamuis tam nequeat aliquid esse repræsentatio, aut imago physica, & vniuoca sui, quam non potest aliquid ad se realiter referri; cæterum, si sermo sit de repræsentatione, similitudine, & imagine intentionali, & analogica, quæ quidem instat physicæ non est ex genere suo realis relatio, posse quidpiam ita seipsum repræsentare, se imaginari, ac sibimet assimilari, adeoque esse sui signum. Et quidem prædicta ratio, si cuius esset momenti, id probaret, nullam cognitionem posse se cognoscere, aüt repræsentare: cuius tamen contrarium, quod ad di-

uinam

uinam attinet cognitionem, est omnibus in concesso; quod vero ad nostram spectat, à nobis est probandum ex professo in Metaph. lib. 7. tract. 11.

5 Ad secundam rationem contrariam dicendum est, Augustinum, vt non definit locis ex eo adductis omne signum, sed sensibile, ita fortasse nec omne sensibile definire, sed duntaxat omne realiter relatū ad rem significatam, ac sensibiliter repræsentatam, propterea quod hoc genus signi externi sit notius & frequentius: quam ob rem non prohibere auctoritatem Augustini, quominus reperiri possit, tum signum sensibile sui, veluti si sensio aliqua nostra suprà se reflectat, tum etiam, & multo maximè, signum intelligibile, ac spirituale sui, vt quandò cognitio immaterialis seipsam attingit. Rursus secundò respondeo, vt relatio prædicamentalis definiri solet, cuius esse est esse ad aliud non tam ab ipsa relatione, quam à fundamento; quo fit, vt relatio illa possit consistere ex parte in ipso termino; ita similiter signum esse, quod ducit in notitiam alterius rei, non quod ea debeat esse altera, ac distincta ab ipso signo, sed ad summum, vel ab illo, vel à potentia; vndè fiet, vt cognitio nostra se cognoscens sit signum sui: ducit enim in cognitionem alterius rei non à se, sed à potentia: omnis namque potentia intellectiua creata per cognitionem realiter distinctam necessariò intelligit. Respondeo tertiò particulam, *alterius*, quæ de industria est à nobis omissa in definitione signi in cōmuni, vt vt tamen ei adhiberi possit, ac debeat propter Augustini duo superiora testimonia, haud tamen obstare, quominus cognitio sit signum sui: siquidem tantum conficit, signum, & rem significatam oportere virtualiter, ac ratione distingui: ita autem concedimus, cognitionem distingui à seipsa, quandocunque simul est signum, & res significata.

6 Obiicies tertiò: Hoc ipso, quod signum: & res significata ex conceptibus suis formalibus, & ratione nostra distinguantur, vt à nobis est concessum, vtque per se est euidens, sanè multæ res significatæ non erunt signa sui: atque, vt prætermittantur aliæ, albitudo ab aliquo visa erit res per cognitionem intuitiuam significata, non tamen sui signum: ast ducit potentiam visiuam, & etiam intellectiuam in notitiam sui, in quam, vel immediatè influit, vel certè intellectio specierum à se effusarum: perperam ergò est à nobis definitum signum, quod in rei seu veritatis cuiusdam notitiam ducit aliquem.

Respondeo albitudinem, & quamuis aliam id genus rem, quæ nec est cognitio sui, nec prius cognita quoad vnam formalitatem mouet ad se ipsam percipiendam quoad aliam, ita significari, vt non sit signum, siuè significans: nostra autem signi definitio tali nunquam conuenit obiecto: siquidem, vti nulla res educit physicè, aut generat seipsam, nulla non aliud physicè, ac realiter distinctum, ita pariter nihil potest ducere intentionaliter in cognitionem alicuius, à quo non sit distinctum intentionaliter saltem, ac ratione nostra: huius modi ergò distinctio, quamuis non exprimatur in nostra signi definitione, at in ea tacite insinuatur; quippè in qua statuimus, esse de conceptu signi, vt ducat in cognitionem alicuius: Albitudo autem faciens se cognosci, vt est albitudo, nequaquam à se, quatenus est talis, distinguitur ratione: nec enim aliud etiam ratione, sed se ipsissimam potentiæ nostræ efficienter repræsentat: quid mirum ergò, si eo ex titulo non ducat propriè in cognitionem sui nec ei nostra definitio competat?

7 Obiicies quartò, potentia cognoscens obiectum aliquod seorsim à quocunque alio ratione distincto ducit se in illius notitiam, eiusque in se cognitionem efficit: at formalissimè, vt potentia est, haud est signum, sed potius cui res significatur: ratio igitur signi malè à nobis definita est. Respondeo aliquos arbitrari, vniuersim non repugnare, vt potentia cognoscitiua rei sit eius signum: tum quia si de Deo sermo sit, eius intellectus est rerum omnium intellectio actualis, adeoque signum: tum etiam, qua fortasse in alia rerum serie non repugnat facultas aliqua per se ipsam aliquid cognoscens, nulliusque ad id accidentis indiga: tum denique, quia omne obiectum formale est signum instrumentale materialis: ad huius enim notitiam illud, provt prius cognitum, perducit: potentia autem cognoscitiua etiam finita cognoscit in seipsa, velut in obiecto formali, plura materialia. Et verò, licet hæc ita sint, potentia cognoscitiua, provt talis, sine eo quod sit cognitio, aut ratio obiectiua cognoscendi, nequit esse signum, vt bene contenditur in argumento contrario, vtque est certo certius. At haud minùs certum, & exploratum est, ei ita sumptæ nostram definitionem signi non conuenire, nimirum quod ducat in notitiam alterius: ita enim ducere postulat distinctionem saltem rationis, quam potentia, provt inpræsentiarum vsurpatur, non habet respectu sui. Hinc obiter colligo aduersus Arriagam cum Soto, Conimbricensibus, haud esse omnino idem, significare, ac repræsentare vtcunque: nam potentia, & obiectum effectiuè repræsentant res cognitas, & tamen, quatenus eiusmodi præcisè sunt, signi rationem non obtinent. Porrò, tametsi iuxtà dicta superius, interdum sola ratione possit petatque signum ab obiecto, vel potentia distingui, non renuo tamen (nec debeo) aliam eius strictiorem significationem, penes quam distingui realiter postulet, cum à potentia, tum etiam, & maximè ab obiecto, ab eoque prouenire: quo etiam pacto imaginis, & est vsurpatio stricta illa quidem, & propria superius tradita, & est alia strictior, secundum quam distingui realiter à suo termino, ab eoque proficisci deposcit: & ita verbum diuinum dici consueuit imago, non sui, aut Spiritus sancti aut creaturarum, sed solius Patris, à quo tum distinguitur realiter, tum realiter prouenit, vt tradunt Ruiz de Trinit. disput. 64. sect. 4. & disput. 63. sect. 7. & Suarez de Trinitate lib. 9. cap. 9. vbi ait hanc esse concordem Theologorum sententiam.

Obiicies quintò. Causa prius cognita in cognitionem ducit effectus; neutiquam tamen eius signum est: ergo &c. Antecedens probatur quoad secundam partem; prior enim est satis comperta: Demonstratio ab effectu, provt condistincta à demonstratione à causa, nuncupari consueuit ab omnibus demonstratio à signo: quorsum autem id nisi quia effectus prius cognitus causæ signum esse potest, secus verò è conuerso? Respondeo: signum, contrà quam obiectio contendit, haud debet esse effectus rei significatæ, sed potius est præter eius rationem, quod sit causa, vel effectus; vt tradunt B. Thomas quæst. 9. de verit. art. 4. ad 5. Conimbricenses lib. 1. de interpret. cap. 1. quæst. 2. art. 1. tum quia cognitio, quin suimet sit effectus, sui signum quandoque est, vt constabit inferius: tum quia, in non paucorum Thomistarum sententia, visionis scientia in Deo est causa futurorum, & non effectus eorum, iisvè posterior, cum tamen sit illorum formale signum: tum quia portenta illa in sole, luna, & stellis apparitura extremi iudicij signa erunt, vt perhibet Euangelium, cum nihilominus iudicio, 8

quod

quod portendent, priora sint futura, & non eius propriè effectus : tum denique, quia Sacramenta sunt gratiæ signa, at eius sunt causæ, non effectus: quod autem sacramenta gratiam significent, est certo certius: ea namque propter, & ob eorum causalitatem, & influxum in gratiam, quam in anima indicant, & efficiunt, signa à B. Thoma 3. p.quæst.60. art.2. & cæteris Theologis dissecari solent in practica, & speculatiua. Demonstratio autem ab effectu vocitatur demonstratio à signo potius, quam ea quæ per causam procedit, quoniam effectus sensibilius, & clarius significant causas, quam hæ suos effectus (esto se mutuò queant significare) propterea scilicet quod plures effectus, quam causæ sensibus ipse offerant. Adiice, quod causa significans effectum ei non tantum dat esse intentionale, seu cognitum, sed etiam esse physicum, & reale; effectus verò prius illud esse, non posterius: quo fit, vt multoties effectus solus dicatur esse signum, & demonstratio ab illo rem demonstrare à signo; contra verò causa non signum, sed principium esse rei, eamque ostendere non tam à signo, quam à priori, singula nimirum singulis tribuendo, vt fieri consueuit. Obiicies denique sextò : multa signa non verè, sed falsò repræsentant, nec tam in veritatis, quàm in falsitatis ducunt cognitionem : vt v.g. cum virga aquis immersa, tametsi directa, & integra sit, fracta tamen, inflexave apparet; aut cum quadratæ procul turres apparent nihilominus rotundæ: perperam ergò definitum est à nobis signum, quod in alicuius veritatis cognitionem quempiam ducit. Respondeo, vt intellectus noster ab omnibus, & quidem merito dicitur tendere semper sub ratione veri, tanquam sub ratione formali, licet sæpissimè ludificetur, & falsò assentiatur; nimirum quia nunquam falsum amplectitur, nisi sub imagine, ac specie veri : ita similiter rectè dici potest in præsenti, signum esse ex conceptu suo, quod ducit in notitiam alicuius veritatis, vt vt multoties in falsitatem aliquam trahat cognoscentem : scilicet, quia eum in falsitatem non vt talem, sed potius, vt veritatis coloribus, ac veluti lenociniis tinctam, delibutamque pertrahit.

CAPVT II.

Euodantur aliqua dubia circa signum in communi.

9 DVbitabis primò : constituatur nè signum in ratione signi per habitudinem, & relationem ad rem significatam, vel potius ad potentiam cognoscentem, cui significat? Bonauent. in 4. dist. 1. quæst. 2. Scotus ibidem, & alij plures volunt, relationem signi ad solam rem significatam illud constituere, in ratione signi. Cæterùm probabilius est, quod docent Conimbricenses citat. lib. 1. c. 1. q. 1. art. 1. §. non est tanti momenti, signum constitui in ratione talis per habitudinem, tum ad rem cognitam, & significatam, tum etiam ad potentiam cognoscentem. Suadetur primò, quia signum definiri debet, quod ad alicuius notitiam quempiam ducit : at particula, *alicuius*, denotat rem significatam; &, *quempiam*, indigitat potentiam cognoscentem : definiri ergo debet per respectum ad vtramque. Deinde secundò, quod habitudo ad rem significatam sit de ratione signi, colligitur ex Augustino lib. 12. super Genes. & lib. 10. de ciuitat. Dei cap. 5. Hieronymo cap. 12. in Matth. Seneca lib. 1. natural. quæstion. quæst. 6 lib. 6 Plinio lib. 18. Histor. natural. cap. 35. aliisque scripturis sacris, & prophanis. Quod verò habitudo ad potentiam sit de conceptu signi, ex eo claret, quod obiectum materiale dicitur tale non solum propter ordinem ad obiectum formale, *quod*, sed etiam ad obiectum formale *cui*; cum non amem Medicinam propter salutem qualemcunque, sed meam; siue, quod perinde est, non nemini, nec etiam alteri, sed mihi possidendam : similiter ergò haud dicendum est, signum esse tale respectu eius solius, quod significat, verum etiam eius, cui significat.

10 Dubitabis secundò: an in causis, quas diximus superius esse signa suorum effectuum, recidant in idem, nullaque ratione distinguantur relatio causæ, & relatio signi? Vtramque relationem esse prorsus indistinctam innuunt Conimbricenses vbi suprà, quæst. 1. art. 2. post medium: Negant verò Balthasar Tellez in log. disp. 9. sect. 2. numer. 8. Leuicula lis, quam ita componendam arbitror. In causa relatio signi præcisè sumpta proculdubio distinguitur à relatione causæ : siquidem in priori relatione causa conuenit cum effectu, quippè, qui numerandus est in signis; in posteriori verò dissidet ab effectu: ambæ ergò distinguuntur ratione ratiocinata, ac virtualiter, haud secus ac animal, merito cuius cum belluis conuenimus, & rationale, beneficio cuius ab iis dissidemus. Cæterum in causa ratio, ac relatio signi à priori non distinguitur omninò, & adæquatè à relatione causæ, sed potius eum intimè inuoluit : etenim id intrinsecè inuoluit, per quod differt à signo à posteriori : horum autem signorum differentia in eo sita est, quod alterum sit causa, alterum verò effectus. Confirmatur : alia signa includunt intrinsecè, & essentialiter relationes quasdam physicas: quid ni ergo signum à priori, & à posteriori relationem causæ, & effectus? Antecedens liquet: nam iuxtà doctrinam B. Thomæ in 4. dist. 1. quæst. 1. Scoti q. 2. Alexandri 4. p. q. 1. in 1. & Richardi de Mediavilla in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 1. signum aliud est rememoratiuum, quod re significata est posterius tempore : quo pacto significari voluit Deus per iridem pactum, cum humano genere initum : *Ponam* inquit Genes. 9. *arcum meum in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram : cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum*, &c. aliud vero signum est demonstratiuum, quod est simul tempore cum re significata : quo modo fumus latentem demonstrat ignem: aliud denique prognosticon, quod rem significatam tempore anteuertit : cuiusmodi sunt varij colores Iunæ intuitu futuræ serenitatis, ac tempestatis, iuxtà vulgare carmen, Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat : Quis autem ignoret, relationes priores, posteriores, & *simul*, esse physicas, & reales?

11 Dubitabis quartò, an sit de ratione signi, vt actu repræsentet, & ducat in cognitionem alterius? Non esse respondeo, cum Alensi 4. part. quæst. 1. in 1. ad 2. Bonauentura, & plerisque aliis. Verba namque, vt est Dialecticorum paræmia, in definitionibus non tam significant actum, quam aptitudinem. Deindè alioqui fiet, vt Eucharistia, nisi dum sumitur, non sit sacramentum, aut gratiæ signum. Basilius autem in caput 8. Esaïæ, etsi videatur contrarius, non est tamen reuera : solum enim vult, rem actu significari posse, tametsi non existat; signum autem nequire actu significare, & ducere in alterius notitiam sine eo quod existat actu; saltem enim necesse est cognitionem tunc existere adeoque signum aliquod:

Basilius ergo ad actualem significationem, alicuius existentiam signi desiderat: nos verò ad existentiam signi actuale exercitium significandi, & ducendi in alterius notitiam non requiri volumus: quid est ergo, quò tenus nobis officit?

12 Dubitabis quintò, an ad signum necesse sit, per eandem potentiam illud, atque rem significatam percipi? Negant absolutè Ferrarienſis 2. contra gent. cap. 73. & Conimbricenſes in præsenti, quia sensus motum percipit, non verò latentem animam motu significatam: hanc enim sola ratio penetrat. Contrarium tamen est verius, si cum proportione, vt aiunt, loqui velimus: Namque signum nequit non obiici potentiæ cui rem significat, nec potest significare quidpiam potentiæ, cui non obiicitur: necessum ergò est, vt per eandem potentiam qualis ea demum sit, tum signum, tum, res significata percipiantur. Ratio autem in contrarium adducta nil habet momenti; siquidem motus animam, & vitam sui causam non significat sensui, sed rationi; hæc autem ex æquo causam illam, effectumque vno obtentu comprehendit.

13 Dubitabis sextò, an cognitio sit propriè signum; Esse suppositum hactenus pro comperto: suppositum autem esto id Conimbricenses tom. 2. log. cap. 1. de signis art. 3. q. 2. sect. 3. & aliqui alij Recentiores negent, idemque negandum antiquorum nonnulli insinuent, facilè tamen probatur: species expressa obiecti est eius signum, vt docent B. Thomas q. 4. de verit. art. 1. ad 7. Albert. Magnus 4. ethicor. tract. 3. cap. 2. Soncinas 12. Metaph. q. 56. Ægid. in 1. dist. 27. q. 2. Scotus in 3. dist. 14. q. 3. & cum his fermè omnes neoterici: at cognitio creata non distinguitur à specie expressa, & verbo, vel, si distinguitur, par est, quoad præsens attinet vtriusque ratio: cognitio ergo nostra signum est; quod si nostra, quidni diuina, quæ perfectior? Item signum instrumentale; quod non repræsentat, nisi mediante cognitione, eiusque interstitio est signum: ergò à fortiori, vt aiunt, cognitio ipsa, quæ immediatè, & magis propriè repræsentat. Dicent fortassis aduersatij: actio non est causa, sed causalitas: repræsentatio ergò ipsa, siue cognitio haud erit signum, sed significatio. Ita quidem loqui possemus de signo, si ferret vsus, nec ampliùs quidquam conuincit argumentum. Sed contrariam phrasim, quia inter plerosque scolasticos nuperos, & antiquos trita est, deinceps etiam teri æquum est, eo quod in quæstionibus de voce consuetudini sit potissimè standum. Adde, causam esse eam rem, quæ vt, *quod*, producit effectum non quæ vt *quo*: nil mirum ergò, si actio quæ eum producit duntaxat vt *quo*, causalitatis, non causæ rationem obtineat. At signum non repræsentat, neque cognoscit vt *quod*, alioqui potentia eáque sola foret signum; eiusque tantum partes sunt cognoscere, ac repræsentare vt *quo*: nihil autem magis propriè, & immediatè cognoscit vt, *quo*, quam ipsa cognitio. Dicent secundò aduersarij cum Conimbricensibus vbi suprà: signum est ratio cognoscendi; ergo non cognitio. Mala consecutio: eadem enim res potest esse cognitio, & ratio cognoscendi; sicut idem modus vnio, & ratio formalis vniendi; actio, & ratio formalis agendi &c.

14 Dubitabis septimò, an species impressa, si fortè datur in sensu, & intellectu, aut, si in hoc solo, & siue in eo sit habitus solum, aut qualitas vicaria obiecti, sit signum? Censeo esse cum Arriaga in præsenti, & Conimbricensibus 1. de interpret. cap. 1. q. 2. art. 3. & plerisque aliis. Namque inprimis Angeli loquuntur inuicem, eorumque locutionem probabile est sitam esse in speciebus, quas sibi mutuò imprimunt; loqui autem est signis quibusdam animi sensa exprimere: species ergo in signis sunt numerandæ. Tum etiam, fumus v. g. iuxtà omnes est signum ignis, quia in huius cognitionem ille prius cognitus perducit: Qui ergò cum B. Thoma q. 20. de verit. art. 4. & Caietano 1. p. q. 56. Cælio Rhodigino lib. 15. lectionum antiquarum cap. 1. & aliis in physica referendis in ea sententia fuerit, vt putet, speciem impressam nonnisi vt priùs cognitam ducere in cognitionem sui obiecti, is quî negare poterit tali speciei rationem signi? Deinde species impressa est imago, & similitudo obiecti, vt vel ipsum nomen speciei demonstrat, vtque colligitur ex Aristotele lib. de mem. & reminiscentia, Augustino lib. 8. de trinit. cap. 8. B. Thoma 1. contra gent. cap. 53. Ferrarienſi indidem & cæteris communiter scolasticis: At quidquid est obiecti alicuius imago, & similitudo, eiusdem est & signum. Tandem species impressa, quin sit potentia eam informat, ducitque ad rei notitiam, & cognitionem: eam ergo potentiæ significat.

Dubitabis octauò, qua ratione differat signum formale ab instrumentali? vtrumque enim recipiunt, tum neoterici ferè omnes, tum antiquorum plerique præsertim verò ij, quorum paulò suprà in dubitatione sexta meminimus. Arriaga in præsenti definit signum formale esse, quod sine sui cognitione, & signum instrumentale, quod prius cognitum in alterius ducunt cognitionem. Contra tamen primò. Diuina cognitio suiipsius signum formale est, iuxtà hunc etiam authorem: & tamen sine sui cognitione alterius notitiam non parit, quum omnis cognitio diuina semetipsam essentialiter cognoscat; id quod non pauci ad cognitionem omnem etiam creatam extendunt. Rursus iuxtà eundem, alio que cum eo non paucos, species impressæ, quin cognoscantur, significant: eas tamen haud esse signa formalia, sed instrumentalia aduersarius existimat. Alij ergò tradunt omne signum, vt tale sit, prius quam aliud cognosci faciat, seipso tenus oportere cognosci: proinde si quod cognoscitur sit cognitio, tum existere signum formale; sin autem aliud à cognitione, id rationem signi instrumentalis obtinere. Sed contrà, quoniam ita cognitio, vbi re flexe non cognoscitur, nec erit formale, nec instrumentale signum, sed inter signa nullum omninò locum habebit: quod, etsi aduersarij concedunt, falsitatis tamen est iam euictum, iis certè, quæ in dubitatione sexta per totam sunt adducta. Signum ergo formale est, quod in formando potentiam ei facit aliquid innotescere, vt cognitio, speciesve expressa, necnon etiam impressa si fortè datur, qualem putant perplures dari. Signum instrumentale est, quod facit rem innotescere potentiæ, non tam informando illam, per se loquendo, & muneris sui ergò, quam eius cognitioni, & extrinsecæ velut informationi subiacēdo, vt fumus respectu ignis, vestigium gratia animalis, essentia Angeli intuitu creatoris, in cuius notitiam euehit, non tanquam species, aut cognitio, sed tanquam obiectum prius cognitum, vt colligitur ex Magistro in 2. dist. 3. Bonauentura ibidem p. 2. art. 2. Richardo de Media-villa in 2. dist. 4. art. . quæst. 1. Bassoli quæst. 3. art. 2. Nimpho 12. Metaph. q. 12. B. Thoma 1. p. q. 54. art. 1. Molina ibid. parum ab initio articuli. Vasquio quoque cap. 2. Conimbricensibus vbi supra q. 2. art. 3. sect. 3. Greg. in 2. dist. 7. q. 2. & dist. 3. q 2. art. 2. concluſ. 1. Marsilio in 2. q. 7. art. 1. secunda parte concluſ. 2. Francisco Amico de Angelis disp. 8. sect. 1. n. 5. vbi ait 15

contrariam

contrariam sententiam à tota Academia Parisiensi damnatam. Quæ testimonia idcircò congessi, quia desunt, qui Angelo essentiam suam esse censeant signum formale, quo Deum, aliaque obiecta cognoscit.

TRACTATVS II.

De signo naturali, & arbitrario.

CAPVT I.

Per quid differant inuicem signum naturale, & arbitrarium.

1 SIGNVM esse diuidendum in naturale, & arbitrarium auctor est Aristoteles 1. de interpret. cap. 1. Augustin. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 2. Magister in 4. dist. 1. & cum illis omnes scolastici: vt operæ pretium non sit, eos sigillatim referre in confirmationem adeò celebris, confessæque diuisionis. Signum naturale est, quod ex natura sua, & per se rem repræsentat, vt cognitio obiectum cognitum, effectus causam, cuius est imitatio, causa è contrario effectum, quem sibi similem producit. Signum arbitrarium, vel ad placitum, aut ex instituto est, cui extrinsecùs, & ex hominum Deivè ipsius institutione, & arbitrio conuenit, quod quidpiam significet: vt hæc vox, *homo*, respectu animalis rationalis, cui repræsentando ita destinata est, vt si libuisset hominibus belluam significaret, aut lapidem.

2 Potissima autem præsentem circà diuisionem difficultas est, quidnam sit illud, in quo consistit signum arbitrarium, & à naturali dissidet? Bonauentura in 4. dist. 1. q. 2. Scotus ibidem, Petrus Bruxellensis in prædic. q. 1. art. 5. pluresque Thomistæ, quos suppressis referunt nominibus Hurtadus, & Arriaga inferius significationem arbitrariam volunt esse sitam in relationibus quibusdam entitati vocum, aut nutuum superadditis. Cæterùm diuisi sunt hi authores: alij enim contendunt, relationes eas esse rationis solius, & duntaxat fictitias: alij reales, seu prædicamentales quosdamque modos positiuos vocibus, aut nutibus inexistentes: alij denique, esse modos, nec solius rationis, nec reales, aut physicos sed morales, & medios.

3 Cæterum quod imprimis significatio vocum (par autem est ratio, quorumuis aliorum signorum ex instituto) haud ponenda sit in relatione vlla fictitia suaderur primò: quia Deus plura ad placitum instituit, vt cum Genes. 9. iridem esse voluit signum fœderis inter se, & genus hominum: at Deus fingere non potuit: significatio igitur arbitraria consistere nequit in relatione ficta, & commentitia. Rursus hæc vox, *leo*, significare potest animal rugibile, præscindendo certè ab omni fictione, & errore: quæ enim in hoc repugnantia terminorum apparere potest, quid incommodi?

4 Deinde, quod non sit constituenda significatio arbitraria vocum, aut rerum in relatione prædicamentali realivè superaddita probatur primò. Si significatio isthæc in modo reali consistit, qui significationem voci impertit, is in ea modum illum realem producat, necesse est: ast eum producere nequit: siquidem primus linguæ cuiusque parens vocibus (etiam futuris significationem impertit: modum autem nullum in eis producit: quando namque? an anteaquam proferantur) & sic modus existit sine subiecto suo, eiusque existentiam actualem minimè postulabit, quo nil magis absurdum: an cum proferuntur longo post tempore? atque ita author idiomatis vita functus, & non existens poterit nihilominus causare, & operari; quod etiam est absonum, & minime concedendum. Adhæc, similitudo naturalis, & physica, merito cuius vna res alij similis in modore aliter distincto sita non est, vt lib. 3. met. tract. 6. aduersus Thomistas probandum est: ergò nec similitudo, seu repræsentatio arbitraria, quæ vocem facit obiecto similem, eiusque imaginem: omnia enim argumenta, quæ contrà priorem similitudinem modalem obiicienda sunt in loco contrà posteriorem eandem habent energiam, ac vim.

5 Vlterius aduersariorum aliqui præsertim Caietan. 1. p. q. 28. art. 1. Ægidius in 1. dist. 27. q. 3. & Scotus quodlib. 13. artic. 3. quò melius suam defendant sententiam, & cohærentius procedant. conceptum mentis nostræ volunt, non per seipsum sed per relationem sibi realiter superadditam esse signum sui obiecti. At hoc est ipsa, vt sic dixerim, falsitate falsius: conceptus enim noster seipso cognoscit obiectum suum, & quin illud cognoscat, esse non potest de potentia Dei absoluta: ergò & per se illud essentialiter significabit. Cui denique per entitatem quandam moralem, inter ens reale, & rationis mediam, explicant significationem arbitrariam vocum, eademque ratione dominium, debitum, subiectionem, adoptionem, & alia similia explicari posse arbitrantur, me iudice in modos modosvè Thomisticos fermè labuntur, & impugnationibus aduersus eos fieri solitis obnoxij sunt: nulla autem melior, aut validior, quam inutilitas illius inintelligibilis entitatis, & quod ea sine significatio vocum optimè potest enucleari, vt ex infrà dicendis clarebit.

6 Alij ergò docent, significationem arbitrariam, & ex instituto non consistere in relationibus vllis, sed in fundamento relationum, quales eæ cunque sint, & siuè reales, siue rationis, siue physicæ, siuè morales, siuè distinctæ, ac superadditæ, siuè omninò indistinctæ, aut, quod perinde est, in aggregato per accidens ex entitate vocis, & voluntatis imponentis, & instituentis illam moraliter perseuerante, & non retractata, aut quod eodem etiam redit, in denominatione quadam extrinseca duas illas res complectente. Ita Rodericus de Arriaga disp. 13 log. sect. 1. Franciscus Alfonsus lib. 5. institut. dialecticarum cap. 9. n. 10. ad finem. Compton. disp. 41. log. sect. 2. n. 1. Petr. Hurtadus disp. 8. log. sect. 2. §. 8. Franciscus de Ouiedo controuers. 8. log. punct. 2. Idem etiam indicant Alexander Alensis 4. p. q. 1. in 1. Ledesma 1. p. q. 1. art. 2. dub. 3. & alij antiquiores.

7 Quominus tamen hæc mihi arrideat opinio; duo faciunt argumẽta: Primum sic habet. Si significatio vocis, quæ ea cunque sit, in aggregato per accidens collocetur, certè non poterit nõ consistere simul in voce, & voluntate imponentis non retractata, nec non ipsa re, cui imponitur, & accommodatur. Sequela probatur: quia similitudo naturalis non in solo fundamento, & ratione fundandi, verum etiam in termino iuxtà aduersarios formaliter consistit: similiter ergo similitudo artificialis, siue arbitraria non in sola voce, & ratione fundandi, nimirum

rum imponentis voluntate, sed etiam in re significata formaliter consistet: tum etiam, quia paternitas iuxtà eosdem, non in sola substantia patris, & actione præterita verum etiam in filio intime sita est: pariter ergò significatio vocis, qua cognitionem quodammodo parturit non in sola voce,& voluntate præterita eam instituentis,sed etiam in ipso obiecto quidditatiuè consistet. Consequens autem est inprimis contrà eos, quibuscum disceptamus. Deinde est per se, ac sponte sua absurdum: nam si consistit formaliter significatio vocis in ipsa, & voluntate primi institutoris, & obiecto, hoc item significari per vocem in iisdem tribus conceptibus formaliter situm erit: quapropter habitudo vocis ad rem significatam,& huius ad vocem erit omnino eadem: ac proindè, & vox significabit ex instituto seipsam, & res significata per vocem eodem modo à seipsa significabitur; haud secus ac si relatio similitudinis physicæ consistat formalissimè in vtroquè extremo fieri non poterit, quin Petrus v. g. sit similis prædicamentaliter sibimet ipsi, necnon Paulus sibi etiam ipsi eadem ratione, eademquè de causa: quam expendere non est huius loci: eam vide si libet in Metaph. lib. 3. tract. 6. cap. 17. Non me latet, huius rationis vim declinari, si significatio vocis ita in iis tribus realiter consistere asseratur,vt ab iis virtualiter, aut iuxtà aliorum phrasim formaliter distincta statuatur: sic enim aliæ formalitates assignari poterunt significationi actiuæ, & aliæ ei quæ dici solet passiua, provt ad vtriusque distinctionem aliquam satis est, adeoquè ad vitandum incommodum, quod inferebatur paulo suprà.

8 At enim eum qui sic disputauerit nihil opinor est, quod tutum præstet à vi secundi argumenti,quod sic efformo.Belluæ signa ad placitum percipiunt:Nonne quotidie cernimus, canes nomina sibi imposita agnoscere?nonne voces, quibus ad prædam sequendam incitantur, ad hosti, aut ignoto oblatrandum sollicitantur,intelligere?nonne innumeros nutus ex solo arbitrio significantes percipere? Porus teste Curtio elephantum habebat, qui procumbebat in genua,& se submittebat ad rectoris iussum,& imperium. Merthes Ægypti rex authore Rauisio cornicem habuit,quæ, quocunque vellet, ac iussisset ille, ferebat epistolas. Vrsam quoque mandanti Pythagoræ,vt sese abderet in latebras syluarum,& nullum cunctorum læderet animalium paruisse prodit Cœlius.ex veterum historiis ac monumentis: Quæ, & similia,si vera sunt,id arguunt in feris aliquam esse signorum ex instituto notitiam, & intelligentiam rudem saltem, & imperfectam. Porrò si dicere, aut docere non possumus homines sine vsu, & cognitione horum signorum, quî fieri potest, vt absque eorum præsidio constet disciplina belluarum, cuius equidem non paucæ sunt capaces. Elephantes enim discunt choreas agitare, & alterno terram pede artificiosè quatere;imo etiam per funes incedere:fuitque,quod plus est,qui si fides habenda sit grauissimis authoribus, Græcarum litterarum ductus didicerit, atque hæc scripserit, *ipse ego hæc scripsi & spolia Celtica dicaui.* Paria referuntur de Cynocephalis in Ægypto. Psittacus hominum discit imitari voces, vt quotidie experimur:Idipsum etiam legitur de turdo, quem habebat in deliciis Agrippina Claudij Cæsaris vxor. Ferunt item multi, quos inter Plinius lib. 10.cap. 43. Romæ fuisse coruum vsque adeo assuefactum humano sermoni, vt matutinis omnibus in rostra deuolans Tiberium,Germanicum,& Drusum Cæsares nominatim, ac deinde populum salutaret. Quæ cum ita sint dubitari non potest, quin belluæ, ac feræ signa ex instituto, & arbitraria calleant, ac dignoscant: atqui voluntatem ea signa instituentis non percipiunt: significatio igitur ad placitum in ea voluntate minimè consistit: minor probatur,belluæ nil spirituale percipere possunt, vt fatentur omnes Theologi disputantes, an Deus oculis corporeis diuinitus conspici possit, & quod nequeat vnanimi consensu statuentes:voluntas autem, qua de agimus in præsenti;est spiritualis, & incorporea ritu potentiæ, à qua promanat. Nec verò quicquam proderit, si quis fingat, significationem arbitrariam non formaliter in voluntate instituentis, sed in aliqua formalitate, aut relatione ab ea virtualiter, ac rationis beneficio distincta consistere: hæc enim formalitas seu relatio spiritalis est, non secus atque voluntas, qua cum identificatur: belluis ergo est imperceptibilis, ac supra earum comprehensionem.

Alij aliter prædictam confutant sententiam, & 9
primo sic. Obiectum voluntatis instituentis vocem ad quidpiam significandum vix aut ne vix quidem intelligi, aut explicari potest, vbi significatio vocis institutæ voluntatem instituentem essentialiter includat, atque in se cohibeat: Cedo enim inquiunt, quodnam sit illud obiectum,quid ea voluntas aliud velle potest,quam vt talis vox talem rem significet? hoc autem, quod est vocem ita significare, ipsam importat voluntatem non retractatam, ac moraliter perseuerantem:hæc ergo seipsam dari volet. Ecquid autem esse potest minus vtile, & accommodatum ad tribuendam voci significationem, quam affectus, qui præter tendentiam in vocem, & rem secundum se non aliam habet,quam quæ subiicitur his voculis *volo meipsum*? Quo igitur huic incommodo non sit locus,significatio cuiuslibet vocis non tam in voluntate institutoris,quam in aliqua relatione, aut modo poni debet.Hoc argumento multùm premi multos aduersariorum video.Sed & video,hunc in modum ei facile posse satisfieri.

Triplex est significatio cuiusque vocis: alia in 10
actu primo remoto, quæ est mera non repugnantia vocis, vt rei accommodetur alicui: alia est in actu primo proximo, quæ facit, vt vox ab homine prolata eo ipso ducere valeat in cuiusdam rei scilicet subiectæ notitiam, & cognitionem:alia demum est in actu secundo, merito cuius vox non tantum potest ducere, sed actu ducit snum auditorem ad rem aliquam percipiendam, efficitque, vt talis obiecti talis cognitio, vt in loquente supponitur, sic etiam in audiente sequatur. Voluntas ergò instituentis, ac veluti animantis vocem non habet pro obiecto primam significationem, propterea quod hæc ab illa sit independens, & voci essentialis, nec pro obiecto sortitur secundam significationem, vt contrarium suadet argumentum: sed eam solummodo constituit: tantum ergò fertur velut in obiectum in tertiam, ac postremam significationem: non igitur in semetipsam præcisè, adeoque non sequitur id absurdi, & incommodi, quod inferebatur in argumento.

Vrgebis tamen. Voluntas institutoris eam ha- 11
bet pro obiecto significationem, respectu cuius est efficax, seu quam efficaciter voci impertit: atqui non est efficax intuitu tertiæ significationis, quando supposita illa, dataque adhuc in potestate audientium fuerit, talis rei talem cognitionem in se excitare, vel non excitare, ac principis decreto obedire, vel contra stare: ea ergò voluntas tertiam significationem moraliter, aut physicè non habet, nec habuit. Respondeo: voluntas illa eam pro obiecto sibi vendicat significationem, cuius gratia

est

est efficax, si acceptetur ab iis, quibus innuitur, & intimatur: nec enim sola ea secundum se, sed ea vt denunciata, & recepta, atque probata voces significatiuas reddit: at provt ita sumpta efficaciter, & ineluctabiliter infert significationem in actu secundo, eamque voci communicat.

12 Cæterum insistes vlterius. Significatio in actu secundo claudit voluntatem imponentis vocem: hæc ergò volũtas, si velut obiectum sibi præstituit significationem in actu secundo, semetipsam, suamque existentiam physicam, aut certe moralem pro obiecto, seu termino sortietur: Antecedens suadetur: haud enim de consequentia potest esse dubium: vt vox in actu secundo significet, haud satis est, vt ea simul editur talis statim cognitio talis obiecti in audiente cieatur, & sequatur, alioqui quæuis vox quoduis significabit obiectum; sed oportet vt ea cognitio vi vocis excitetur: vox autem eatenus accendere potest notitiam illam, quatenus significat in actu primo proximo: hæc igitur significatio in actu primo, ac proinde voluntas instituentis, per quam constituitur, nequit non inuolui in significatione in actu secundo, quod erat antecedens probandum. Respondeo: voluntas imponentis haud vult significationem in actu secundo, penes omne id quod includit, vel connotat; id enim esset semetipsum velle: sed tantum vult significationem in actu secundo, secundum id quod dependet à significatione in actu primo quasi efficienter, non tamen reduplicatiuè, & in quantum dependet, ne semetipsam velit, contrà fortassis quam necesse est, aut vtile. Quid? quod non est improbabile, fieri posse sine vllo incommodo, vt ea voluntas, de qua lis, seipsam habeat pro obiecto inadæquato, & indirecto, sicut Angeli creatio, vbi sit in volitione Dei posita, semetipsam pro obiecto, inadæquato & indirecto respicit.

13 Secundò alij eandem impetunt sententiam hoc ariete. Homines vulgo percipiunt signa ad placitum: atqui voluntatem institutoris linguæ non retractatam, & moraliter perseuerantem non cognoscunt: neque enim sciunt, nisi eorum pauci, quid sit moraliter perseuerare prædictam voluntatem, quod namve sit eius obiectum, aut quæ qualisvè sit ipsa ex modo tendendi in obiectum suum, anve significationem arbitrariam vocum constituat? quod indicio, ac signo esse potest, illam non inuolui in signis ex instituto vt talibus, aliàs his perceptis necesse esset, eam optime calleri.

14 Respondet in vberiore editione Petr. Hurtadus, non posse sensu percipi album materiale sine albedine, quoniam hæc est tota ratio illius videndi, ac sensibiliter percipiendi: at album materiale intellectu posse cognosci absque albedine: proindè posse similiter cognosci signum arbitrarium materialiter sumptum, quin reduplicatiuè, & quoad significationem, ac voluntatem institutoris debeat percipi: atque hoc sufficere vt in alterius notitiam ducat. Sed profectò non sufficit: Quid enim mihi prodest percipere entitatem vocis, nisi ad quid sit instituta, & imposita, mihi subluceat? & certè alioqui qui nunquam Græcè didicit, Græcè loquentes intelliget. Verumenimverò, quamuis vt suprà non bene soluatur argumentum, non idcirco tamen ei succumbendum est ab aduersariis. Qui respondere possunt, si velint, voluntatem, de qua quæstio, quoad eius naturam, proprietates, ac principia clarè, & distinctè non oportere cognosci ab eo qui significationem vocis percipit, quantumuis in eius significatione inuoluatur illa, sed satis esse, vt ab eo cognoscantur confusè, implicitè, & solùm quoad effectum formalem reddendi vocem significatiuam ex instituto. Hoc autem pacto quis est, qui eam non norit? Et quidem argumentum contrarium id habet vitij, vt nulli sententiæ eandem non facessat difficultatem, nisi fortassis nostræ, de qua haud ita post: Etenim vulgus hominum idioma quoque suum callet optimè; & tamen nescium passim est relationum earum rationis, nec non realium, atque entitatum moralium, in quibus alij, aliique vocum significationem collocant.

Ipse arbitror, vocem constitui significatiuam ad 15
placitum per speciem quandam impressam talis naturæ, & genij, vt statim, atque auditur, in talis obiecti talem cognitionem rapiat: cuius rei gratia notandum est primò, voluntatem Principis, qua statuit, vt audita quadam voce, certæ cuiusdam rei certa ac destinata cognitio in audiente excitetur, & in pronuntiante supponatur, efficere posse, vt semper audita ea voce talis habeatur cognitio: ea enim voluntas lex quædam est: cur ergò à subditis acceptata, & à Principe non retractata respectu sui obiecti efficax esse nequeat? Notandum est secundò, ea, quæ simul cognosci assolent, ita comparata inuicem esse, vt species impressa vnius in alterius cognitionem ducat, & alterius excitet speciem: sic audita prima syllaba totius illico dictionis, & audita prima dictione totius statim sententiæ recordamur: Quocirca, cum supposita institutione vocis, ea prolata, & audita talis obiecti conceptus semper supponatur, & excitetur, &, quod consequens est, agnita tali voce talis conceptus taléque obiectum simul cognoscentur, non erit, cur species eius vocis in talis conceptus, talisque obiecti notitiam non ferat. Hæc ergò species impressa ei, qui vocem audit, eam ad placitum significatiuam constituit. Proindè quod significatio vocum arbitraria, & ad libitum dici soleat, non ideo est, quia in arbitrio, & libito hominum formaliter consistit, sed quia ex eo quasi efficienter deriuatur.

Hæc sententia probatur primò: quoniam reliquæ 16
quæ circumferuntur difficultati non satisfaciunt. Deinde per id est significatiua alterius vox aliqua, per quod in alterius notitiam ducere potest: atqui per speciem impressam proximè explicatam alterius intelligentiam, & cognitionem parere potest. Præterea in hac sententia est perquam facile explicatu, quatenus voces, & nutus belluis ad placitum significare possint, quantumuis belluæ significationem arbitrariam vocum, & nutuum formaliter non percipiant, quod authores aliarum sententiarum non præstant, nec possunt: Sicut enim, vt cognoscam aliquod obiectum, necesse non est, vt ipsammet cognitionem meam cognoscam, sed satis est, vt cognitio mihi insit ad hoc vt ea mihi obiectum repræsentet suum; sic similiter, vt voces nutusvè belluis ad placitum significent, non oportet, vt significationem arbitrariam vocum eæ formaliter percipiant, sed satis superque est, vt ea significatio pro formali eis insit: At iis inhæret, cum in specie impressa quidditatiuè, & essentialiter consistat, pro eo atque explicatum, & declaratum manet.

Duo tamen sunt nostræ sententiæ nonnihil negotij 17
facessitura, nisi explanẽtur. Alterum eorum sic se habet. Omne signũ ex instituto est instrumentale, & nullum est formale: si quod enim esset huius posterioris generis, maximè species expressa, aut impressa; quas tamen, non ex instituto, aut placito alicuius, sed potius suapte natura significare exploratum est: quamobrem ex eis haud conficitur, signum aliquod

arbitrarium esse formale: omne igitur, vt iam iam dictum, est instrumentale: hoc autem eius est naturæ, & conditionis vt nisi vt prius cognitum non significet, nec veluti manu ducat in alterius cognitionem: perperam ergo deliberatum est à nobis, vocem ex institutione, & impositione belluis significare, quin prius eius institutio, & impositio, & significatio ab illis quodammodo cognoscatur. At profecto signum arbitrarium, siue ad placitum non posse munus exercere suum, aut in alterius ducere cognitionem, nisi sit aliqua priùs de eius impositione notitia docere videntur Augustin. in lib. de magistro, & cum eo Scotus in 4. dist. 1. q 5.

18 Respondeo, signum instrumentale prius quidem debere cognosci, quam in cognitionem alterius conferat; cæterum opus non esse, vt ita præluceat quoad ipsam eius impositionem, aut significationem, sed satis superque esse, vt quoad suam entitatem, & penes id quod in eo est signum. Augustinus autem (quidquid sit de Scoto) hod tantum vult, impositionem vocis instrumentaliter, & arbitrariè significantis oportere præcognosci, non formaliter, sed æquiualenter, quod perinde est, atque, quin verè cognoscatur, quia tamen eius effectus, nimirum significatio, audienti inexistit, eodem modo se habere in ordine ad inferendam obiecti sui notitiam, atque si reapse perciperetur: Hoc autem vltro largior; imò & paulo supra largitus sum, vbi aduersus P. Petrum Hurtadum dissererem, eiusque quandam impugnarem solutionem. Nihilominus hoc quod concedo minimè quidem obest nostræ sententiæ: quippè, quæ tota procedit de perceptione formali, & vera impositionis, & significationis arbitrariæ, eamque, & non virtualem, siue æquialentem aut in actu exercito sumptam negat esse de ratione signi vllius instrumentalis. Hæc quamuis ita sint, diffiteri non possum, voces plerumque quoad earum significationem, & impositionem formaliter, & in actu signato etsi implicito, & confuso nobis innotescere, dum nobis aliquid significant: At hoc (quò fortassè, & non aliò respexere Augustinus, & etiam Scotus) nec generale est, sic vt ad belluas etiam, & feras possit extendi, nec in nobis etiam semper vsuenit.

19 Alterum quod potest nobis obiici est, nullas esse species impressas in intellectu, aut sensu, adeóque frustrà per illas explanari significationem arbitrariam vocum nutuumuè. Sed communior hac tempestate opinio est, eas dari. Deinde licet mihi sat probabile videatur, eas haud esse admittendas, quales illas adstruunt nunc innumeri Philosophi, ne dicam omnes, vt scilicet sint qualitates vicariæ obiectorum, atque ad cognitionem omnem exercendam simpliciter necessariæ, cæterùm omninò tenendum reor, alio sensu posse, ac debere eas recipi, nimirum si sint non aliud, quam facilitates quædam ex actibus relictæ ad eos iterùm promptiùs, & expeditiùs meditandos. Eæ porrò sic sumptæ, in intellectu quidem tum habitus, tum species impressæ dici sustinent, in sensu verò nostro belluinóque, quæ est in vtroque illarum imperfectio, & immaterialitas, solummodo species, nec tam habitus, quam imitationes quædam, & simulamina habituum.

CAPVT II.

An voces nostræ inter signa arbitraria vel potius naturalia sint recensendæ?

20 Assero primo. Significatio nominum omnium, siue ea sint primitiua, siue deriuatiua est ad placitum & arbitraria. Ita Arist. 1. de interp. c. 1. sic inquiens; *atque vti non eadē sunt apud homines litteræ* sic neq; voces *eædem sunt*. Atqui voces non esse easdem apud omnes perinde est iuxtà Aristot. vt eum in præsenti omnes interpretes exponunt, atque illas non ex se, & natura sua, quæ vbique gentium & quocunque tempore est inuariabilis, & eadem, esse significatiuas, sed potiùs ex arbitrio, & impositione hominum illis aliter, alitérque vtentium. Clarius idipsum docet cap. 2. ibi: *nullum nomen est signum naturæ, sed cum est positum*: nec non cap. 4. ibi: *oratio omnis significatiua quidem est, at non vt instrumentum, sed vt institutio.* Eiusdem etiam sententiæ est Aristotelis magister Plato, in Cratylo hæc in verba; *necesse est consuetudinem aliquid conuentionemque coniicere, conferreque ad eorum quæ sentimus, & loquimur expressionem: Nam si velis optime vir ad numerorum considerationem descendere, quo pacto speras, adeo propria reperturum te nomina, vt singulis numeris simile nomen attribuas, si non permiseris concessionem tuam, conuentionemque authoritatem aliquam circa nominum rationem habere.* Et ibidem infra; *mihi quidem & illud placet, vt nomina, quoad fieri potest, rebus similia sint. Vereor tamen ne fortè, vt dicebat Hermogenes, tenuis quodam modo sit istius similitudinis vsurpatio, cogamurque & onerosa hac re, conuentione scilicet, vti ad rectam nominum rationem.* Eadem in opinione quoque sunt cæteri omnes philosophi, demptis antiquissimis nonnullis, quorum postea meminero.

Et quidem iure merito in ea omnes consentiunt. 21
Perpetua namque & quotidiana liquet experientia, quodlibet vocabulum cuilibet imponi posse rei, nullamque rem esse, quæ non possit cuicunque subesse vocabulo. Rursus si vocum significatio est naturalis, nec eis ex arte, & consulto data, profectò omnes omnia callebunt idiomata, quantumuis peregrina, & nusquam antè audita: haud secus atque naturaliter omnes ex visione fumi in ignis, quem non vident, notitiam perueniunt. Quorsum ergò Paulus 1. ad Corinth. 12. ad spiritus sancti gratiam reuocat, quod alij dentur generalinguarum alij interpretatio sermonum? Quorsum etiã vt refertur in actibus apostolicis cap. 2. Iudæorum multitudo ex omni natione, quæ sub cœlo est, mente confusa fuit, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua loquentes Apostolos? Quorsum stupebant omnes, & mirabantur dicentes, nonnè ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus, Parthi, & Medi & Ælamitæ, &c. Certè ex contraria sententia fiet, nihil hæc & similia miraculi, nihil habere supra naturæ cursum, nihil quod eius vires superet.

Assero secundò. Voces primitiuæ non paucæ omnino arbitrarie significant, omnique peculiari in rebus fundamento ad has potius quam illas repræsentandas carent. Probatur in primis ex Augustino cap. 6. dialecticæ vbi sic ait; *innumerabilia sunt verba, quorum ratio reddi non possit. Aut non est, vt ego arbitror. Aut latet, vt Stoici contendunt.* Vlterius secundò. Litteræ scriptæ, seu characteres, cum sint primitiuæ, nec aliæ deriuentur ab aliis, nullum tamen habent fundamentum, cur ita potius quam aliter significent. Quo enim fundamento scriptio apud Græcos significans elementorum omnium primum, Alpha scilicet, illud potius quam Omega, Omicron, aut Gamma significat? Similiter ergo in præsenti &c. Denique à priori. Potissima ratio Stoicorum huic secundæ assertioni nostræ potissimè aduersantium

22

tium est, quia saltem asperitas, & lenitas litterarum, earumque diuersa pronuntiatio, & qualitas talis est, vt semper conueniat rei significatæ. Hoc autem falsissimum est: tum quia quodlibet nomen primò imponi potest ad quidlibet significandum; at nō cuiuslibet cum quolibet est proportio, atque conuenientia: tum etiam, quia quæ vox primitiua lenior quam leo? quæ tamen truculentissimum significat animal: aut quæ tumidior, magisque inflata, & grandistrepa quam salamandra? cum tamen animalculum ea significatum satis paruum, minutumque sit, nec lacerti magnitudinem excedat.

23 Assero tertio. Multa etiam nomina deriuatiua, & aliunde quodammodo translata nullo sine particulari in rebus fundamento significant. Ita Plato in Cratylo his verbis. *Nomina quidem heroum, atque hominum nos fortè decipient: horum namque multa secundum cognomenta maiorum posita sunt, & sæpè nequaquam conueniunt, quemadmodum in principio diximus. Multa verò ex voto homines nomina tribuunt vti Chidin, Theophilon, aliaque permulta. Talia itaque prætermittenda censeo.* Hæc ille. Certè non omnes, qui Chrysostomi aut Chrysologi in horum Doctorum vocantur honorem, aurea ob id sunt eloquentia præditi; nec omnes, qui appellantur Ioannes, gratia abundant; nec denique, vt Platonis vtamur exemplo, omnes Theophili dicti Deum amore prosequuntur. Quæ cum ita sint, perspicuum est nomina secundario imposita non semper cum fundamento alicuius cum rebus suis conuenientiæ, & similitudinis significare. Ac propterea nòn dixit ille, conueniunt rebus nomina quæque suis: sed conueniunt rebus nomina sæpè suis.

24 Assero quartò. Multa nomina, tum primitiua, tum deriuatiua, ita instituta sunt, vt habeant fundamentum aliquod in rebus ipsis, idque destinatum, & speciale: haud enim est vspiam in toto hoc capite sermo de fundamento generali, & cuilibet voci de articulatæ, hoc ipso quod talis sit, communi. Suadetur autem assertio quoad nomina primitiua. Ecquis enim non videat, cum dicimus æris tinnitum, boum mugitum, equorum hinnitum, leonum rugitum, ouium balatum, tubarum clangorem, stridorem catenarum, ita has voces primitiuas sonare, sicut res, quæ iis subiiciuntur. Ecquis non videat, has voces radicales, vt sic dixerim, mel, lene, lana, voluptas ea suauitate auditum tangere, qua res ipsæ gustum, tactumque afficiunt; contra verò has, crux, asperum, vepres, acre, & alia id genus ipsomet sono asperitatem exprimere rerum significatarum Præclarè quidem vt solet Plato in Cratylo; *si voce & lingua caruissemus, voluissem vsque res inuicem declarare, nonnè, perindè ac nunc muti, manibus, capiteque, ac cæteris membris significare tentauissemus. Ergò supernum quippiam, ac leue demonstraturi cælum versus manum extulissemus, ipsam rei naturam imitantes: inferiora verò, & grauia deiectione quadam humi innuissemus. Quin etiam currentem equum, vel aliud quicquam animalium indicaturi corporum nostrorum gestus, figurasque ad illorum similitudinem quam proximè quisque finxisset. Postquam verò voce, lingua, & ore declarare voluimus, nonnè ita demum per hæc ostensio fiet, si per ea circà quodlibet facta fuerit imitatio. Nomen itaque est, vt apparet, imitatio vocis, qua quisquis aliquid imitatur, per vocem imitatur, & nominat.* Et indidem inferius. *An picturam aliquis quandoque rei cuiusquam similem effinxisset, nisi colores ipsi, quibus constat imago, essent natura rei illius similes, quam pictoris studium imitatur? Eadem ratione nomina ipsa nunquam alienius similia fierent, nisi illa, quibus nomina componuntur, similitudinem aliquam haberent earum rerum, quarum nomina imitationes sunt. An rectè tibi dicere visi sumus, quod ipsum R. lationi, motui, asperitati congruit, ipsum autem L. leni, & molli, & cæteris quæ narrauimus.* Huc faciunt etiam quæ ex P. Nigidio affert Aulus Gellius lib. 10. noctium atticarum cap. 4. *Vos cum dicimus motu quodam oris conueniente cum ipsius verbi demonstratione vtimur, & labias sensim primores emouemus, ac spiritum atque animam porrò versum, & ad eos, quibuscum sermocinamur, intendimus. At contrà cum dicimus, nos neque profuso, intentoque statu vocis, neque proiectis labiis pronuntiamus, sed & spiritum, & labias quasi intra nos metipsos coercemus. Hoc idem fit & in eo quod dicimus, tu, & ego, & tibi, & mihi: Nam sicuti cum adnuimus, & abnuimus, motus quidem ille, vel capitis vel oculorum à natura rei, quam significat, non abhorret, ita in his vocibus quasi gestus quidam oris, & spiritus naturalis est.*

Quod attinet ad nomina aliundè ducta, nostra 25
quidem assertio haud est minus perspicua: Probaturque inprimis ex Augustino in dialect. cap. 6. Hæc verba, si quæ alia, sunt deriuatiua; vinculum, vincio, vinco, violentum &c. Eorum autem cum sono res ipsæ aliqua similitudine concinunt, congruuntque: v, namque locum in eis habens consonantis validum, crassumque sonum edit; nec tantum in illis, eorumque radice, *vi*, sed vbiuis aliàs: quo fit, vt libentiùs dicamus, amasti, quam amauisti, abiit, quam abiuit, &c. euphoniæ scilicet gratia. Idem suadetur ex Platone in Cratylo toties citato: ait enim ibi Hectorem rectè, & cum fundamento ita nominatum, quoniam ἕκτωρ Græcè perindè est, atque possessor. Hector autem Troiam, quam tamdiu seruauit, hoc ipso possedit, ab eiusque possessione Græcos arcuit. Deinde Astianacta congruè ita appellatum: anax enim perinde est ac rex, &, asti, idem quod vrbs: *Decet ergo* (ait Plato) *vt videtur protectoris filium nominare Astianacta, id est regem vrbis, vrbis inquam eius, quam pater ipsius seruauit.* Ibidem etiam inquit, Orestem ita dictum non ineptè à ferina eius natura, agrestique, & montana: Agamemnona ab eius tolerantia, & apud Troiam perduratione, tanto cum exercitu: Atreum à moribus noxiis, & quod, vt patuit in nece Chrysippi, & crudelitate aduersus Thyestem, indomitus fuerit, contumeliosus, inexorabilis, & pernicios: Pelopen à pelos, id est propè, & opsis, quod ad visionem pertinet, eò quod in Mirtili cæde prouidere nihil potuerit, neque eminus prospicere, quanta toti generi ex hoc calamitas immineret: *Quæ enim* (ait Plato) *ante pedes erant, & ad præsentia respiciebat: hoc autem est propè aspicere, quod & fecit, cum Hippodamiæ coniugium omni conatu inire contendit*: Denique Tantalum ita meritò vocatum, quasi talantaton, id est infœliciſſimum: nullus enim eo viuo, nullus mortuo infœlicior est creditus.

Assero quintò, & vltimò. Aliquod institui po- 26
test idioma, cuius nullum vocabulum non habeat fundamentum in rebus, & aliqua cum eis destinata similitudine non conueniat. Quando enim idiomatum, quibus nunc vtimur, plura sunt verba ita comparata, quid est quapropter aliquod esse nequeat id genus verbis omninò coalescens? Et quidem Plato in Cratylo doctissimè, & elegantissimè rectam rationem præcipuorum nominum reddit; plerorumque videlicet heroum, deindè hominis in commune, tum quoad eius corpus, & animam figillatim, tum quoad illius essentiam, ac totalitatem: rursus Iouis, Neptuni, Plutonis, Saturni, Ve-

ſtæ, Rheæ, Cereris, Dianæ, Liberi, Mercurij, Apollinis, Mineruæ, Vulcani, Martis, Proſerpinæ, aliorumque numinum, aut potius de aſtrorum; necnon etiam Muſarum, & quæ ab eis deriuatur muſicæ; præterea ſolis, lunæ, aſtrorum, ignis, aëris, aquæ, terræ, virtutis, prauitatis, iuſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ, intelligentiæ, cogitationis, ſcientiæ, opinionis: doloris, voluptatis, cupiditatis, neceſſarij, voluntarij, boni, pulchri, noxij ac damnoſi, noctis, diei, hilaritatis, mendacij, veritatis, entis, nominis ipſius, innumerabiliumque aliarum vocum: vt facile hinc coniicere liceat, aliquam inſtitui poſſe linguam, quæ omninò, & ex toto fundamentum habeat aliquod in rerum ipſarum verborumque naturis? Hactenus noſtra opinio.

27 Pythagorici contra apud Dexippum 1. Periherm. cap. 6. opinantur, voces neutiquam ad placitum, ſed omninò naturaliter ſignificare. Idem etiam docent Heraclitus, & Cratylus apud Ammonium Perihermenias libro nuper citato: & quod attinet ad Cratylum hoc de eo teſtatur Plato in Dialogo de eius nomine inſcripto, vbi hæc habet verba: *Cratylus rebus ſingulis ait natura ineſſe rectam nominis rationem, neque id eſſe nomen, quod quidam ex conſtitutione vocant, dum vocis ſuæ particulam quandam pronunciant, ſed rectam rationem aliquam nominum, & Græcis, & Barbaris eandem eſſe innatam.* Pro qua ſententia, & aduerſus noſtram obiici poteſt.

28 Primò negari non poſſe, quin, vt docent Ariſtoteles 1. politicor. cap. 2. & Philo Iudæus in lib. de ſomniis, homini ſermo ſit naturalis, ſicut & naturalis equo hinnitus, cani latratus, &c. Reſpondeo, eſſe naturalem non quod natura ſola, & non arte, & inſtitutione conſtet, ſed quia ad eius inuentionem, & vſum ſuapte natura procliuis eſt homo: quo pacto ſocietas vitæ ciuilis ei dicitur eſſe naturalis, id eſt eius naturæ, & inclinationi conſentanea. Obiici poteſt ſecundò pro eadem ſententia. Aliæ animantes affectuum, & conceptuum ſuorum voces ſortiuntur naturaliter ſignificatiuas: quid ni ergo & homo eis longo præſtantior interuallo? Antecedentis veritas multis experimentis eſt teſtatiſſima. Gallus gallinaceus inuento cibo dat ſignum vocis gallinæ, vt accurrat. Columbus gemitu columbam vocat, & ab ea vocatur viciſſim. Eo reſpexit Virgil. ecloga 1.

Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes,
Nec gemere aërea ceſſabit turtur ab vlmo.

Idem belle deſcribit Chryſoſtomus tom. 5. homil. de turture in hæc verba: *turtur amatrix eremi, quando in deſertis degit locis, delectabilibus blandimentis accerſit comparem vocis ſuæ: connallia penetrans, & ſuum maſculum in amœna, & nemoroſa paſcentem conuocat, & hinc auolare prouocans, hortatur aſcenſionem ſui celerem.* Id ipſum breuiter, ac ſtrictim tangit Auguſtin. lib. 2. de doctr. Chriſtiana cap. 2. Ac ne longum faciam ſerpens etiam creditur ſibilo vocare murænam, de quo præclara Oppiani carmina à Laurentio Lippio latine reddita, apud Hippolitum Saluianum de hiſtoria aquatilium hiſtor. 2.

Ardet amans ſerpens, & multo exæſtuat igne,
Concitus in rabiem furibundus quærit amores,
Et curuum ſubitò ſaxum ſpeculatur, & omne
Læthiferum ponit virus, quod geſtat in atris
Dentibus, & bilem ſaxo deponit amaram,
Vt tædas capiat tranquillo pectore mites.
Littore conſiſtens horrendum ſibilat ore,
Concubituſque petit: ſubitò muræna profundo
Excita voce furens, ruit ocior illa ſagitta:
Ex terra ſerpens ponti deſcendit in æſtum:
In venerem prompti gaudent complexibus ambo.

Reſpondeo, ſicut brutis animalibus conceſſæ ſunt voces naturaliter ſignificatiuæ ſuorum affectuum, necnon conceptuum id genus affectibus correſpondentium, ita & homini quamuis pauciores, idque non immeritò, propterea quod homo rationis compos, & artis, ac diſciplinæ capax imperfectis eiuſmodi ſignis adeo non indigeat, eorumque loco vocibus ex inſtituto repræſentatiuis vti, ſi velit, poſſit.

Tertiò obiici ſolet, Atyn, cum videret hoſtilem gladium paterno imminentem iugulo, has effudiſſe voces, miles ne occide Cræſum; eum autem, cum eſſet à natiuitate mutus, &, quod conſequens exinde eſt, ſurdus, haud potuiſſe diſcere vocum illarum ſignificationem: Eam ergò naturaliter, & abſque diſciplina vlla percepit: percipere autem non poſſet, ſi ea eſſet arbitraria, & fortuita, neque à natura vocibus ipſis inſita: qua ratione, ſi fumus v. g. naturaliter non ſignificaret ignem, ſolius rationis ductu, & abſque alterius magiſterio, altero eorum viſo nemo in alterius deueniret notitiam. 29

Reſpondeo inprimis, hiſtoria illa ſi forte vera eſt, non ſine aliquo Dei miraculo, aut mali dæmonis arte, & ope accidiſſe, quod in ea refertur. Præſertim cum Rauiſius in Officina, & alij tradat, Atyn ſemeſtrem, &, dum adhuc eſſet inprimis incunabulis, locutum fuiſſe. Secundò dici poteſt, Atyn haud fuiſſe ſurdum, haudvè intellexiſſe vocum earum ſignificationem ſine diſciplina aliqua, vel quin illis vtentes audiret eos, quibuſcum viuebat. Etenim eſto plerumque, qui mutus eſt ſit etiam ſurdus, eò quod nerui auditorij, & locutiuæ facultatis proprij anteaquam diſiungantur, vnum veluti funem propè cerebrum. à quo prodeunt, efficiant, ibique haud rarò ſoleant lædi: Cæterùm aliquandò poteſt contingere, vt læſio fiat in ipſa lingua; & organo audiendi non ſit communis, nec illud impediat: Quid ni ergo tum quis alicuius paſſionis vi, & vehementia ſoluere poſſit vincula linguæ, & in voces, quas didicit, & audiuit, prorumpere? aut quidni tale quid piam accidere potuerit Aty? 30

Obiici etiam quarto ſolet illud Geneſ. 2. *Omne quod vocauit Adam anima viuentis, ipſum eſt nomen eius.* Quid enim eſſe poteſt, eſſe nomen eius, niſi ei ſuapte natura congruere, illudque naturaliter repræſentare. Nil minus. Primo namque ſenſus eius loci eſſe poteſt, pleriſque nominibus animalium ab Adamo inſtitutis, aut diuinitus illi datis fundamentum aliquod inextitiſſe, merito cuius ad hæc potius quam ad illa ſignificanda impoſita fuerint, cum tamen potuerint aliter imponi. Aut ſecundò intelligi poteſt locus ille, vt nihil aliud eo adſtruatur, quam animantes omnes ea retinuiſſe Hebræorum tempore nomina, quibus illas Adamus appellauit. 31

Quintò tandem obiici ſolet, exponi non poſſe, quo pacto inchoare potuerit ſignificatio arbitraria vocum. An enim Adamus voluntatem ſuam, qua voluit, vt hæ voces tales res, taléſque conceptus ſignificarent ad placitum, ſine vllo ſigno Euæ, & filiis, ac nepotibus manifeſtauit? at hoc adeo eſt manifeſtè repugnans, & impoſſibile, vt nihil ſupra: an beneficio aliquarum vocum, eam naturaliter ſignificantium? atque ita conficitur inſtitutum: an denique per alias voces ex arbitrio, & ad placitum ſignificatiuas? & ſic ibitur in infinitum. 32

Reſponde ri

33 Responderi potest primò, & satis probabiliter, primorum nominum impositionem à Deo optimo maximo fluxisse, ac notitiam eorum, ad quæ erant imposita, siue significationis eis ita impertitæ, diuinitus etiam fuisse primis parentibus infusam. Ita Conimbricenses 1.de interpret.cap.1.quæst.4.art.2. ad 3. & ab eis relati Augustinus lib.8. de Genesi ad litteram cap. 16. & Abulensis in 13. cap. Genes. quæst.341. quod idem docent Caiet. & alij de idiomatis in turri Babel concessis, quæ fuisse creduntur septuaginta duo Quin etiam de omnibus linguis, quæ simpliciter diuersæ sunt, id ipsum tradunt haud pauci, quibus videtur adstipulari Plato in Cratylo his verbis: *Decens enim, consentaneumque maximè, reperire nos quæ in rebus sempiternis, & naturæ ordine constitutis rectè sunt posita: nam circà ista in condendis nominibus studuisse maximè decet: forte verò ipsorum nonnulla diuiniore quadam potentia, quam humana sunt constituta.* Quamuis autem eodem libro contrariam sententiam docere videatur sic inquiens: *ridiculum visum tri ô Hermogenes arbitror, quod res ipsæ imitatione per litteras syllabasque factæ manifestæ fiant: necessarium tamen: Neque enim melius hoc habemus quicquam, ad quod respicientes de veritate primorum nominum iudicemus: Nisi fortè quemadmodum tragici, quoties ambigunt, commentitiis quibusdam machinamentis ad Deos confugiunt, ita & nos ocius rem expediamus, dicentes, Deos prima nomina posuisse, & idcirco rectè instituta fuisse*: ac paucis interciss, *tergiuersationes hæ sunt, & bellissimæ quidem illorum, quicunque nolint de recta impositione primorum nominum reddere rationem.* Cæterum his verbis tantum vult, non sine aliquo fundamento in rebus ipsis prima nomina à Deo, aut angelis eius iussu, quos fortasse deos appellat, imposita.

34 Secundo respondeo aliter, ac permitto, Adamum ipsum fuisse primum authorem sermonis, quo cum vxore, ac liberis, & nepotibus vtebatur, & quem ad Hebræos, vt creditur, longa posterorum serie incorruptum transmisit: id quod accidisse reipsa indicant verba illa Genes. cap. 2. *Formatis igitur Dominus Deus in humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, & adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Sed quid hinc? Sanè dici potest, Adamum iis, quos ad communionem, & societatem eiusdem linguæ erudierat, voluntatem, qua nomina instituebat, non manifestasse per ipsam, aut per signa aliqua ad placitum, quæ eam expresse, & infallibiliter denotarent, sed per ambiguos nutus, & obscura indicia coniecturalem quandam eius cognitionem in audientibus excitasse: posteaque eam voluntatem ipso vocum institutarum vsu auditoribus certissimè innotuisse. Vbi autem ita cum difficultate, aliqua signa ad placitum instituerat Adamus, iis ad aliorum institutionem vsum fuisse, & aliis ad alia instituenda, atque hoc demum pacto integrum idioma omnibus suis numeris absoluisse. Quod si verum fuit, vt certe esse potuit, haud ita intelligendum est, quasi Adamus solus fuerit primarum vocum author potissimus fuerit: atqui credibile, nullas in earum inuentione partes habuisse Euam, eiusque ex Adamo liberos, & nepotes? Et quidem institutionem idiomatum & impositionem vocum haud esse adscribendam soli numini & ab hominibus ipsis inchoare potuisse, vt hac secunda responsione nostra volumus, antiquorum plerisque placuit. Ita, vt alios taceam, Socrates apud Muretum lib.1.variar.c.5. Ita Horat.Satyra.3.

Cum prorepserunt primis animalia terris
Mutum & turpe pecus, glandem cubilia propter
Vnguibus & pugnis dein fustibus atque ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricauerat vsus.
Donec verba quibus voces sensusque notarent,
Nominaque inuenere: dehinc absistere bello
Oppida cœperunt munire & ponere leges.

Hactenus soluta à nobis, & qua potuimus breuitate, & claritate eorum argumenta qui voces nullatenus ad placitum significare docent. Creduntur autem esse qui è contrario censent eas omnino ad arbitrium, & sine vlla cum rebus proportione significare: Ita certe Hermogenes apud Platonem in Cratillo his verbis: *Nonaum tamen persuaderi mihi potest, aliam esse nominis rectitudinem, quam conuentionem ipsam, consensionemque. Mihi quidem videtur rectum quodcunque nomen, quis cuique imponet: nihilominus primum etiam, quod illi succedit nomen, rectum existere, quemadmodum seruis nomina commutare solemus: nulli quippè rei natura nomen inesse, sed lege, & vsu illorum, qui sic vocare consueuerunt.* Hactenus ille. Sed quæ pro hoc placito adduci possunt, in præsenti placet omittere, propterea quod exdictis facilem habeant solutionem. 35

CAPVT III.

Signa arbitraria quid, & quo pacto significent.

VOces nostræ, quæ, vt nuper visum, signis arbitrariis sunt annumerandæ, in eisque principem locum obtinent, & res, & etiam conceptus rerum significant. Quod suadetur: tum quia plerique Philosophi, ac Theologi eius sunt sententiæ: tum quia eas audiens in notitiam rerum, nec non etiam in cognitionem conceptuum loquentis illarum vi peruenit: tam ergò res, quam conceptus significant, cum significare quidpiam perinde sit, atque in eius ducere notitiam. Ac certè quod attinet ad res, eis imponuntur nomina: Quid notius aut magis tritum? id autem, cui nomen aliquod imponitur, eo nomine significatur haud dubiè: Dein ab eo quod res est, vel non est, oratio seu propositio vocalis, & exterior dicitur vera, vel falsa iuxtà Aristotelem, ac scholasticos omnes: at oratio non dicitur vera, vel falsa, nisi ab eo quod significat; sicut cognitio interna minimè censetur vera, vel falsa, nisi respectu eius obiecti, quod cognoscit: voces ergo rem significant. Quod autem ad conceptus spectat, nisi vocibus significentur, nullum erit mendacium: quid enim est mentiri, nisi contrà mentem ire, seu mentalem aliquem conceptum verbis exprimere, & significare, quem tamen reipsa in intellectu non habes, sed contrarium. Profectò vocibus nostris vim significandorum conceptuum tribuunt Augustinus lib.15.de Trinitate cap.11 *Verbum*, inquiens, *quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet.* Damascen. lib.1. fidei orthodoxæ c.17. Gregor.Nyssenus de hominis creatione cap.9. Basilius homil. in 1. Ioh: Ambrosius in Examer. cap.9. Philo Iudæus, Plotinus, Alexander Aprodisiensis, Albertus Magnus, Auerroes, B.Thomas, quos erudite referunt, ac sequuntur nostri Conimbricenses 1. de interpret. capite 1. quæst 3. art 1. Quamobrem, quod docent Scotus in 1.dist.27.quæst.3. & Gabriel in 1. dist.22. quæst. vnica art.3. vocibus minimè significari conceptus; quod item è contrario tradit Boetius lib.1. 36

periherm.

periherm. editione secunda voces haud esse signa rerum, vtrumque iam à scholis, & meritò exulat.

37 Adiicio, tam res, quam earum conceptus directè, immediatè, & ex primaria intentione vocibus nostris significari. Ita Bassolis in 2. dist. 22. quæst. 1. art. 1. Sotus lib. 1. Summul. cap. 2. Iandun. 1. de interp. quæst. 1. Henricus in summa art. 37. quæst. 6. & Conimb. citato lib. 1. de interpret. c. 1. q. 3. art. 2. & alij complures. Probatur hæc sententia, quoad priorem eius partem. Propositio vocalis, hæc v. g homo est animal, id primario, directè, & immediatè significat, quod primaria, directa, & immediata ratione affirmat; quando quidem affirmare aliquid est illud procul dubio significare: atqui præfata propositio affirmat primario, directè, & immediatè hominem à parte rei esse animal: rem igitur ipsam, hominisque animalitatem, & animal in humanitate inclusionem, earumque rationum perfectam, ac realem identitatem quibus dictum est modis significat. Probatio maioris breuiter est insinuata: Minor etiam in transcursu probatur: ea enuntiatio aliquid primario, directè, & immediatè significat; at non conceptum hominis esse conceptum animalis; alioqui falsa esset, & non vera, cum alio conceptu hominem, & alio animal apprehendamus. Item secundò principaliter: voces directè, immediatè, & ex primaria intentione significare, & exprimere res est ad eas manifestandas independenter à conceptibus institutas fuisse: ast ita sunt institutæ: notitia nāque rerum independenter à conceptibus loquentis, ac propter se est expetibilis: quis neget, cognitionem mysterij triados esse per se vtilem, & expeti dignam, esto ignores fidem, & notitiam eius mysterij in exterius illud docente præexistere? imo esto scias certiorque sis, magistrum fidei tuæ infidelem esse, & eum qui mysterio dissentiri non veretur. Voces ergò ad notitiam rerum, harum gratia, & independenter à conceptibus loquentis, in audiente excitandam institui potuerunt, ac debuerunt.

38 Suadetur eadem sententia quoad posteriorem eius partem. Voces primariò, & directè, ac immediatè sunt institutæ ciuilis societatis ergo, & propter commercium inter homines, vt Aristot. in politicis, & Plato in Cratylo, cæterique omnes docent: at eiusmodi commercium consistit maximè in mutua communicatione, & manifestatione conceptuum: voces igitur primariò, directè, & immediatè introductæ sunt ad communicandos, & manifestandos conceptus. Vlterius secundò notitia conceptuum latentium mentis propter se, & non tantum propter notitiam rerum, cum qua cohæret, est valde expetibilis: voces ergò ad eam notitiam in audiente expergiscendam primariò, & directè, atque immediatè sunt adinuentæ, ac in vsu positæ.

39 Verumenimverò aliter, alitérque vox significat rem, & conceptum: illam namque vt quod; hunc verò vt quò repræsentat: quod patet in hac oratione externa, & vocali, homo est animal, qua id quod affirmatur est solummodò hominem esse animal, cum interim vtriusque conceptus tantum significetur velut id, quo eorum affirmatur identitas, ne, vti suprà adnotatum est, fallatur intellectus, quoties id iudicij profert, eiusque extrema obiectiua, ac realia diuersis realiter actibus concipit. Rursus, quod eodem fermè redit, sola res est significatum doctrinale, vt aiunt, vocis, siue id quod per eam disertè, & expresè adstruitur negaturuè, & quod docetur alter: conceptus verò non est significatum doctrinale vocis, sed per eam innuitur, & insinuatur duntaxat. Quid multa? voces, quatenus significatiuæ conceptuum, oriuntur ex pacto, aut aliquo instar pacti, quo receperunt homines, tales se præhabituros cognitiones rerum, si tales de rebus voces ediderint, protulerintve? vnde qui aliud sentit, aliud loquitur, infidelis dicitur, eò quod fidem suam non liberet; contra verò sermo menti conformis fidelis dicitur 1. ad Timoth. 3. At voces, quatenus significatiuæ rerum, proficiscuntur ex quodam veluti pacto, quo voluerunt primi illi homines, vt talium auditores vocum talem rerum notitiam habeant, atque in se excitent, nisi oppositum de eiusmodi rebus iudicium aliæ rationes suadeant: quamobrem conceptum suum verbis eius, qui secum loquitur, non accommodans infidelis, & incredulus dicitur, nisi nè ita concipiat, & sentiat, bonæ eum coniecturæ retrahant: qui verò in se conceptum excitat verbis secum loquentis conformem, is dici solet fidelis, credens, docilis. Porrò, vt hoc etiam breuiter animaduertam, sicut vox omnis diuerso modo rem, & conceptum rei significat, ita etiam dissimiliter, ac non eodem modo pro eis supponit, aut (iuxtà aliorum phrasim) supponitur potius.

Ex hactenus dictis colligitur primò, alia, & alia 40
impositione, seu pacto voces institutas esse ad significandos conceptus, & res, quas concipimus: siquidem pactum, quo significant conceptus nostros, loquentem obligat; id autem, vi cuius significant res conceptibus subiectas, solum deuincit audientem: ac prius pactum est à posteriori independens; haud secus ac pacta, quibus vox canis ex.g. sydus piscem, & animal latrabile repræsentat, multum inter se differunt, & sunt independentia inuicem. Colligitur secundò ex dictis suprà, voces, quatenus rebus impositas, indirectè, virtualiter, & secundariò significare conceptus: eo enim ipso, quod hæ voces toties in exemplum adductæ, homo est animal, rem ita se habere directè, formaliter, ac primariò significent, indirecta, virtuali, ac secundaria ratione repræsentant iudicium loquentis ipsius, quo rem sic esse interius existimat, propterea quod verba seriò prolata semper præsumantur, nisi quidpiam aliud per accidens obstet, ab eodem iudicio, ex eius parte qui loquitur, proficisci, quod in audiente sunt elicitura: præsertim cum circumscripto quouis pacto, & lege, quilibet benè moratus conceptum rei quem ipse habeat, aliis communicare studeat, quē admodum agens omne naturale eam formam, qua ipsum est præditum, in subiecto illius capaci producere nititur, omnique ope contendit. Econuerso autem voces, quatenus conceptibus impositæ, indirectè, virtualiter, & secundario res significant, iuxtà celebrem illam regulam Scoti, signum signi est signum significati, nimirum in sensu proximè indicato.

Colligitur tertiò, falsam esse sententiam B. Thomæ 1. part. quæst. 13. art. 1. & quæst. 8. de post. art. 1. Petri de Bruxelis 1. de interpret. quæst. 1. art. 1. Bonauenturæ in 1. dist. 22. art. 1. Durandi, Ægidij, Ricardi de Media-Villa ibidem quæst. 1. Vallij 1. periherm. q. 1. Fassoli 1. part. q. 13. art. 1. dubit. 1. Alberti tract. 2. cap. 1. Dominici de Flandria 4. metaph. quæst. 7. art. 4. & aliorum plurium existimantium solos conceptus directè immediatè & ex primaria intentione vocibus significari. Colligitur quartò haud magis veram esse opinionem Petri de Hurtado disput. 9. log. sect. 3. Roderici de Arriaga disp. 13. log. sect. 2. Francisci Alfonsi in Summulis lib. 1. cap. 6. numer. 14. Francisci de Ouiedo controuers. 8. log. punct. 3. 41

punct. 3. num. 7. Smigletij disp. 12. q. 1. Vasquij 1. p. disp. 57. num. 8. & disp. 55. c. 3. Fonsecæ 2. met. c. 1. q. 2. sect. 4. Soarij. 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 31. n. 6. Okami in 1. dist. 22. q. vnica & aliorum non paucorum, quibus magis placet, solas res directè, immediatè, & ex primaria intentione vocibus subesse.

41 Colligitur quintò, multas voces doctrinaliter, vt quod, & pacto audientes obligante significare conceptus nostros: tales sunt hæ: cognitio, intellectio, verbum mentis, iudicium aliæque similes: nec id mirum: plura siquidem vocabula ad affectus voluntatis eadem ratione manifestandos sunt imposita. Colligitur sextò aduersus Recentiores aliquos, voces nullatenus significare conceptus illos, quos in audiente excitant, nisi fortè sint hæ voces, cognitio, conceptus, &c. de quibus paulo suprà. Nam significare est in alterius ducere notitiam: hæc autem verba, homo est animal, non trahunt audientem in notitiam conceptus de eo obiecto, sed solummodò in cognitionem ipsiusmet obiecti: conceptum ergò in audiente elicitum non significant: Maior est in explorato: Minor suadetur: qui voces eas auscultat, in notitiam solius hominis, & animalis, & mutuæ inter vtrumque identatis earum vi rapitur: quod si notitiæ suæ aliam habet notitiam reflexam id neque semper, aut necessariò euenit, neque vnquam immediata vi prædictarum vocum. Et quidem PP. & antiqui scolastici, vbi conceptus vocibus significari tradunt, de iis qui in loquente, non verò in audiente sunt, sermonem habent.

42 Ex quibus consectariis facilè solui possunt, quæ contrà nostram adsolent opponi sententiam. Illud tantum difficultatem ingerit aliquam, quatenus nimirum omnis vox æquiuoca non euadit cum nulla non directè, immediatè, & ex primaria intentione plura vt plura rem scilicet, & conceptum significet. Cæterùm inprimis hæc obiectio retorqueri potest in aduersarios: siquidem iuxtà eos omnis vox ex duplici intentione primaria videlicet, & secundaria plura, ac diuersa obiecta, siue extrema repræsentat rem nimirum, & rei conceptum: omnem ergò vocem oportet eos fateri esse analogam, quod tamen non minus absonum est, quam si omnis esset æquiuoca: sic risus v.g. est nomen analogum, quia ex duplici impositione, altera priori, altera posteriori risum hominis, risumque prati significat. Præcisè respondeo ad æquiuocationem nominis opus esse, vt illud plura, quatenus plura, vt quo, nec non etiam vt plura, quatenus plura, vt quod repræsentet, non satis esse, si vnum vt quo, & aliud vt quod, nec aliam, aut alio modo quam hanc pluralitatem exprimat.

43 Ad voces proximè scriptura accedit. De qua non sine distinctione loquendum est. Siquidem aliqua scriptura solas voces immediatè, & directè significat, mediatè verò, & indirectè conceptus, & res vocibus subiectas. Huiusmodi est idioma Græcum, Latinum, Hispanicum, Hibernicum, & alia similia, quibus Europæi communiter vtimur. Etenim qui scit rectè legere characteres latinos v. g. perspectum habet, quid ij significent immediatè, & directè: at non eo ipso res, & conceptus iis characteribus consignatos assequitur; alioqui idem esset latinè legere, & intelligere; quod tamen est falsum, & aduersus experientiam: haud ergo characteres illi, alij ve id genus res, rerumque conceptus directa, atque immediata ratione significant. Deindè secundò. Eatenus scripta nostra à Hieroglyphicis, & nutibus differunt, quod hæc immediatè, & directè res, & cognitiones rerum, secus verò illa repræsenteret. Cæterum numeri scripti, guarismi communiter nuncupati, res, & conceptus immediata, & directa repræsentatione significant: Quod idem de litteris Sinensium, & aliarum gentium affinium dicendum est: mediatè namque, & indirectè tantum referunt voces, quo fit, vt eas legere sciens, quantumuis eo ipso sciat quas res, & quales conceptus significent, quarum tamen vocum alibi, & extrà patriam suam signa sint, omnino possit ignorare, ac sæpissimè ignoret, propterea quod eædem litteræ scriptæ, vel potius depictæ versus eos tractus gentibus diuersa lingua vtentibus sint communes, vt noster Trigausius memoriæ prodidit.

Superest disputandum, an voces (par autem est ratio scripturæ) clariùs, explicatiùs & distinctius rem significare possint eas audienti, quam illas imponenti, aut proferenti? Posse negant S. Thomas 1. p. q. 13. art. 1. & ibid. Caietan. Bañez, Zumel, Nazarius & alij: item 1. contra gentes cap. 30. & cum eo ibid. Ferrariensis: Id etiam negant Durandus, Argentina, Capreol. Bonauentura, Ricardus de Media-villa, Bassolis, Marsilius & alij in 1. dist. 22. Item Henric. in summa art. 73. q. 9. Alensis 1. p. q. 48. memb 1. Altisiodorens. lib. 1. sum. cap. 3. Suarez disp. 30. metaph. sect. 13. & 1. p. tract. 1. lib. 2. cap. 31. Fonseca 2. met. cap. 1. q. 2. sect. 4. Valentia punct. 1. q. 13. Fasolus vbi supra. Hurtad. disp. 8. log. sect. 2. §. 11. & Franciscus de Ouiedo controuers. 8. log. punct. 3. n. 5. & sequentibus. Affirmatiuam autem & contrariam sententiam amplectuntur Okamus, Gabriel, Scotus & communiter eius asseclæ in 1. dist. 22. Vasquez tom. 1. in 1. p. disp. 57. Molina 1. p. q. 13. art. 1. disp. 2. Tannerus tom. 1. disp. 2. q. 7. dub. 6. num. 5. & ex Thomistis Siluester apud nostrum Fasolum, loco superius memorato. 44

Pro decisione quæstionis noto primò, voces, quà significatiuas, ex vi suæ in positionis non tantum rem picere certum, ac determinatum obiectum, sed etiam certam quandam claritatem, ac destinatum modum cognoscendi: quod in causa est, vt hæc vox, homo & hæc, animal rationale, neutiquam sint synonimæ, sed potius diuersimodè significent; nimirum enim iuxtà iamiam insinuatam doctrinam ex primæua sua institutione vtvt idem obiectum, non tamen eandem eius cognitionem. & lucem respiciunt. Noto secundò, voces significare per se in ordine ad solam illam cognitionem, quam merito suæ impositionis spectant: si quando verò aliam perfectiorem excitant in ordine ad illam per accidens tantum esse significatiuas. 45

Noto tertio, voces munere suæ impositionis respicere solum illum cognoscendi modum, quem imponens exteriùs manifestarit, quemvè audita voce excitari voluerit, & ita se velle docuerit. Siquidem voces non ab occulta, & tacita intentione instituentis, sed ab expressa, & cognita significationem sortiuntur suam: duntaxat igitur erunt significatiuæ in ordine ad destinatum illum cognoscendi modum, quem imponens expresserit, atque propalauerit. Noto quartò, neminem posse exteriùs velle, & docere vt alius audita voce aliqua certam, ac determinatam cognitionem rei concipiat, quæ sit perfectior ea quam ipse vocis institutor præhabet, esto id occultè, & mentaliter intendere possit. Sicut enim nemo potest docere cognitionem obiecti, cuius ipse nullam habet cognitionem, iuxtà illud Aristotelis. 1. metaph. cap. 1. *signum scientis est posse docere*; ita non potest exteriùs docere perfectiorem cognitionem 46

nem

nem obiecti, quàm ipse habeat: imponens autem vocem, exteriùs docet, quem cognoscendi modum ea respectura sit: modum ergò cognoscendi eiusdem perfectionis, & non minoris ipse præhabere debet; aliàs eum quo pacto docere, & exteriùs præcipere posset? Quamobrem fieri non potest, vt cognitionem obiecti in audientibus eliciendam voci annectat perfectiorem ea, quam ipse priùs mente sua perfecit.

48 Quibus constitutis dicendum est primò, voces non posse significare per se, & ex vi suæ impositionis rem perfectius audienti, quam imponenti, aut proferenti. Etenim voces significatiuæ ad placitum per se, ac ratione suæ impositionis eam solùm cognitionem excitare in audiente possunt, quam imponens exteriùs manifestarit, seu manifestari exterius voluerit, & decreuerit: atqui imponens, siue institutor vocum nequit exterius docere, & præcipere perfectiorem rerum cognitionem, quàm sit ea, quam ipse præhabet, eamque vocibus aliquo pacto illigare: voces igitur significatiuæ ad placitum nequeunt, per se loquendo, perfectiorem rerum notitiam in audiente parere, quam sit ea, qua imponens gaudet, atque adeò rem perfectius audienti, quam imponenti nequeunt per se significare.

49 Dicendum est secundò, voces per accidens rem significare posse perfectiùs audienti, quam imponenti, vel proferenti. Siquidem significare est ducere in alterius cognitionem: atqui voces per accidens ducere possunt in perfectiorem rei cognitionem, quàm sit illa, quam institutor in se præhabet: Vt si Rex Philippus imponat nomen regioni alicui de nouo detectæ, quam nunquam lustrauit, aut vidit; sane nomen illud prolatum coram nouæ telluris accola perfectiorem in eo cognitionem excitabit, quam est ea qua rex est præditus: aliquam enim in eo excitat: non aliam quam perfectiorem, cum in eo duplicem cognitionem eius prouinciæ nec vtile nec necesse sit excitari: Quod autem ea cognitio non beneficio eius solius nominis à rege prolati, & impositi sed insuper vi specierum, & cognitionis habitualis in noui orbis accola priùs existentium excitetur, non obest quominùs nomen in ordine ad perfectiorem illam cognitionem significet, aliàs nulla vox quicquam significaret, cum nulla se sola significet, nulla non in consortio habituum, & specierum, quæ simul cum illa ad cognitionem concurrant. Quod vero nomen illud per accidens, & non per se, ac de exigentia suæ impositionis perfectiùs significet regionem illam ei, qui nomen audiuit, quam ei, qui illud instituit, non tollit, nec prohibet, nè verè, & propriè ita significet: sicut quod per accidens, inopinatò, ac præter sententiam cernitur, censetur nihilominus verè, ac propriè cerni, & videri.

TRACTATVS III.

De nomine, verbo, & oratione.

CAPVT I.

Explicatur quidditas nominis.

1 ARISTOTELES 1. de interpret. nomen ita definit: *Nomen est vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat finita, & recta.* Eum sequuntur antiquiores omnes interpretes, & ex neoteris scholasticis Franciscus Alfonsi. lib. 1. institut. Dialecticarum cap. 2. Franciscus de Ouiedo in summul. controuers. 3. punct. 1. Sotus lib. 2. Summul. cap. 3. Fonseca lib. 1. institut. Dialecticar. cap. 12. Petrus Hispanus lib. 1. Summul. cap. 3. Auersa institut. Logicarum tract. 2. cap. 4. Collegium Conimbricense lib. 1. de interpret. cap. 4. q. 2. art. 3. & sequent. & plures alij, quos referre longum esset.

Enimverò contrà Aristotelicam hanc, adeoque receptam nominis definitionem eius aduersarij, aduersantur autem ei non multi sed tamen aliqui, obiiciunt primò, illam haud conuenire nomini mentali: secundò vocem non significatiuam ex instituto, cuiusmodi est blitiri, habere rationem subiecti, & consequenter nominis in hac propositione, *blitiri est vox dearticulata*, aut in alia simili: & tamen ei non congruere præfatam definitionem. Arguunt tertiò: hæc nomina, cœna, dies, & alia id genus non significant sine tempore: ea ergò particula, *sine tempore*, est expungenda à definitione nominis. Item quartò: in hoc nomine proconsul, & aliis similibus, partes eorum separatæ significant: particula ergo illa, cuius nulla pars separata significat, inter definiendum nomen est omittenda. Quintò casus obliquus est nomen, cum sit aliqua orationis pars, & non alia nisi nomen, vt per omnes discurrenti constabit: vocula ergò, *recta*, perperam in definitione nominis adhibetur. Tandem nomen infinitum vere nomen est, sicut terminus infinitus iuxtà omnes dialecticos est propriè terminus; finitas ergo non est de essentia, & quidditate nominis: adeoque in huius definitione nullo iure fit illius mentio.

Verum non oportet Aristotelem deseri, cum facile possit defendi. Ad primum respondeo. Nomen trifariam sumi potest: primo latissimè qua ratione conceptus mentis comprehendit, iuxtà illud psalm. 146. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*: vbi nomina stellarum certam, ac distinctam cuiuslibet cognitionem esse communiter docent interpretes, ac præsertim Cardinal. Bellarminus in expositione eius psalmi vers. illo 4. Secundò latè pro quauis voce significatiua ad placitum: quo pacto verba, coniunctiones, omnésque omninò orationis partes complectitur: verba enim aliqua vniuoca, alia æquiuoca, & alia analoga sunt; quod autem vniuocum est, æquiuocum, aut analogum, id eo ipso est nomen, cum trium illorum definitiones sic incipiant, *quorum nomen est commune*, &c. Atque hoc secundo modo videtur accepisse nomen Plato, cum dixit in Cratylo: *nomen itaque rerum substantias docendi, discernendique instrumentum est, sicut pecten, & radius ipse tela*: Tertiò strictè, & vt in præsenti definitur: Quamobrem non mirum, quod ea definitio nomini mentali non conueniat, cum latissimè nomen sit, & in præsenti nomen definiatur. Quod vel ex eo constat, quod nomen alicuius tum ignorare dicamur, cum vocem, qua appellatur, ignoramus, licet alioqui eum ipsum cognoscamus. 2

Ad secundum respondeo: Quod Blitiri in propositione aliqua sit subiectum, arguit esse terminum, non verò nomen. Terminus enim à nomine multipliciter dissidet: primò, in eo quod casus obliquus est terminus, non verò nomen: secundò, in eo quod verbum sit terminus, secùs verò nomen: tertiò, in eo quod nomen infinitum sit verè terminus, sed 3

sed non nomen: quartò, in eo quod vox non significatiua ex instituto, termini, haud tamen nominis rationem obtineat: tandem, in eo quod terminus habere queat partes, quæ separatæ significant, secus verò nomen, vt in præsenti: quæ omnia ex dicendis constabunt.

4 Ad tertium respondeo. Aliud est significare tempus; aliud significare cum tempore: significare tempus est significare rem, & simul tempus, cum indifferentia tamen, vt tempus illud in quo res sit, præsens sit, præteritum, aut futurum: significare cum tempore est significare rem, & simul consignificare destinatè differentiam aliquam temporis præsentem præteritam, aut futuram, in qua sit res. Nomen ergò cœna, & aliud quoduis simile significat tempus: cæterum non significat eam tempore, vt definitio flagitat, quoniam esto rem, & simul tempus ea vox repræsentet, qualis tamen sit ea differentia temporis non determinat, sed in medio relinquit, an cœna sit modò, fuerit antea, vel sit futura posteà. Qua de causa participia, tametsi alia præsentis temporis, alia præteriti, & alia futuri sint, nihilominus reuocantur ad nomina, & horum participant essentiam: siquidem prolata hac voce, amans v. g. haud exprimitur, nec deliberatur, an quis modo sit amans, vel fuerit amans, vel potius futurus sit.

5 Ad quartum respondeo: Nomen compositum habet quidem partes, quæ separatæ significant; sed non sicut in toto: quippè in quo significationem mutant, haud secus atque elementa pristinum esse deperdunt, cum in mixtum coalescunt. Ad quintum respondeo: Casus obliquus nomen grammaticum est eò quod alia pars orationis esse non sustineat. vt obiicitur in argumento: Cæterum nõ est nomen dialecticum strictè sumptum: huius enim de ratione est, vt se solo velut subiectum, aut prædicatum constituere possit orationem veram, & falsam, quam præcipuè dialectica considerat: at casus obliquus se solo subiectum, aut prædicatum propositionis esse nequit, idque solum recto suo quasi iure conuenit. Ad vltimum respondeo, Nomen propriè sumptum declarare debet quid cuiusque rei: cuius indicium, ac signum est, quod quærenti quis sit aliquis, responderi oporteat; est Petrus, aut Ignatius, aut alius: Nomen autem infinitum; quale est v. g. non homo, non tam quid sit res, quam quid non sit explanat.

6 Cui tamen superior definitio displicuerit ita definiat nomen: est vox declinata per casus: cum Petro Hurtado in summul. disp. 3. sect. 1. Arriaga disp. 2. summul. sect. 1. Ælio Antonio lib. 3. de erotematis nominum c. 4. & arte regia excusa iussu Philippi tertij Catholici regis Hispaniarum lib. 3. nec non Martiano Mineo, Capella de septem artibus liberal. lib. 4. fol. 77.

CAPVT II.

Essentia verbi exponitur.

7 VErbum iuxtà Aristotelem 1. de interpret. cap. 3. quem plerique interpretes, & scolastici præsertim verò memorati suprà ad initium capitis præcedentis sequuntur, *est quod insuper tempus significat, atque semper eorum, quæ de altero dicuntur, nota est.* Vocula, *insuper*, denotat alias particulas in definitione nominis adhibitas videlicet, *vox significatiua ad placitum cuius nulla pars separata significat* & *finita*, in hac etiam esse definitione subaudiendas. Quod autem verbum dicitur nota eorum, quæ de altero dicuntur denotat verbum dialecticè sumptum, vt in præsenti sumitur, significare suapte natura quidpiam de alio dici, hoc est affirmari, aut negari: Verba autem affirmationem, aut negationem non significantia, qualia sunt omnia optatiui, subiunctiui, & imperatiui modi, verba grammatica, rhetorica, aut poëtica sunt, non verò dialectica, vt Aristoteles hic cap. 4. disertè tradit.

Scisciteberis primò, an verbum, quo de agimus, 8
in propositione possit infinitari? Posse censent Franciscus Alfons. lib. 1. instit cap. 3. Conimbricens. 1. de interpret. cap. 4. q. 2. art. 4. Auersa tract. 2. instit. logicarum cap. 5. & alij recentiores, quibus subscribo. Primò, quoniam nomen infinitari potest: quidni ergo & verbum. Secundo, quia hoc expressè docet Aristoteles cap. 3. paulo suprà citato; *non valet autem* (inquiens) *non ægrotat, non dico verbum esse, nam insuper quidem tempus significat, semperque de aliquo dicitur; at differentiæ nullum nomen est positum, sed verbum infinitum vocetur.* Tertiò, quoniam alioqui particula illa, *finita*, in definitione verbi; si hoc non sustinet infinitari, superfluet, & hoc solo quod verbum exprimatur cum tempore significare, illico intelligetur quod sit finitum. Tandem quia hæc propositio ex. g. Petrus non amat, aut æquiualet huic, Petrus non est amans, & ita quidem verbum eius negatur; aut huic, Petrus est non amans; & ita infinitatur, cum participium, *amans*, in eo delitescens, ac virtualiter, & per identitatem inclusum haud dubie subeat infinitationem: Vtri autem æquipolleat, ex circunstantiis est colligendũ. Cæterum vti nomen infinitatum non vocatur ab Aristotele nomen simpliciter, sed secundum quid tantum, ita iuxtà eum, quandocunque verbum infinitatem induit, eo ipso non erit simpliciter verbum, vt eius verba nuper allegata demonstrant.

Verbum sed enim infinitari nequire in propositione 9
vlla docent Hurtadus disp. 3. summul sect 2. §. 12. Arriaga disp. 2. summul. sect. 1. n. 7. Albertus Magnus tract. de nom. cap 5. & tract. de verbo cap. 2 Boëtius, B. Thomas, & Alexander Aphrodis. 2. de interpret cap. 2. Pro quibus sic obiicies. Negatio cadens suprà nomen infinitat, & cadens suprà verbum negat, vt est in communi, ac recepta Dialecticorum paræmia: verbum ergo negari, non vero infinitari potest, cum aliter infinitari nequeat, quam per negationem, seu particulam inficialem, *non*, quæ supra illud cadat, quo tamen casu siue appellatione magis negatur, quam infinitatur. Respondeo: verbum duplex est: aliud, quod solam coniunctionem subiecti cum prædicato denotat, quale est verbum, *est*; & particula, *non*, recidens supra hoc verbum, illud negat, ac propositionem negatiuam efficit, vt constat: aliud, quod prædicatum, & eius coniunctionem cum subiecto indigitat, vt valet, amat, & similia; & negatio appellans suprà huiusmodi verbum, illud infinitat, vt claret ex dictis.

Scisciteberis secundò, an verbum omne, seu co- 10
pula sit prædicatum? Respondeo esse: tum quia titulo prædicati est terminus propositionis, vt ostensum est suprà lib. 3. tract. 1. cap. 1. n. 6. tum etiam quia nota eius, quod in mente subiicitur est in voce subiectum: nota ergò eius, quod interiùs prædicatur, est exterius prædicatum: verbum autem, seu copula semper est nota eorum, quæ de altero dicuntur, & prædicantur, vt liquet ex Aristotelica verbi definitione, in qua versamur: tum quia idem Aristoteles hic cap. 2. hanc propositionem, Homerus est poëta, vocat de prædicato coniuncto: quasi in ea duo prædicata

dicata partialia, videlicet *est*, & *poëta*, in vnum prædicatum totale coalescant: tum denique, quia in propositionibus de est secundo adiacente copula est prædicatum; aliàs in eis nullum erit formale prædicatum, quo quid magis absonum? similiter ergò & in aliis, in quibus vocula, *est*, suam significationem non amittit. Et quidem hanc sententiam veteres omnes Græcos, & Latinos tenuisse, testis est Cardinal. Toletus hic cap. 3. q. 1.

11 Scisciteberis tertiò, quo pacto omne verbum sit præsentis temporis? Esse enim aliquo pacto cum vltima superioris definitionis particula indicat, nempè *eorum quæ de alio dicuntur*, tum etiam plerique scolastici docent, cum Aristotele non verba, sed casus verbi reliquorum temporum verba appellantes. Respondeo, verbum duplex est: aliud grammaticum, quod nullum tempus non amplectitur: aliud dialecticum, quod solius temporis præsentis est, nimirum quia dialectica, velut modus sciendi, ea solum verba considerat, quæ cum maiori ex parte sempiternæ sint veritatis verbis præsentis temporis constant; non quia vnam solam differentiam temporis veritas sempiterna respicit, sed quia ita intuetur omnem, vt in omni, quasi actu & de præsenti, sit: vnde cum talis veritas, aut propositio de ea absolui dicitur à tempore, sensus est à tempore destinato absolui, cum aliàs omnem omnino temporis differentiam, in qua veluti actu & de præsenti sit, connotet: Propositio ergò scientifica, & doctrinalis, quæ potissimè dialectici negotij est, verbo præsentis temporis semper constat, vt vel à posteriori constat: vndè verbum dialecticum est eius solius temporis. Verba autem cæterorum temporum verba grammatica, non verò dialectica, & ad summum casus verbi dialectici dicenda sunt, vt suprà sumus de nomine philosophati.

12 Si cui tamen superior verbi definitio magnopere non placuerit, is verbum latius, & magis grammaticaliter definiat, hunc in modum: verbum est vox coniugata per tempora: cum Hurtado, Martiano, Mineo, & aliis ad finem capitis præteriti memoratis.

CAPVT III.

Explicatur quid sit oratio, & aliqua circa eam dubia enodantur.

13 ORatio ab Aristotele lib. 1. de interpret cap. 4. & his, qui eum sequuntur, interpretibus, & scolasticis, horum autem sequuntur eum non pauci, vt visum est ad initium duorum capitum præcedentium, sic definitur: *Oratio est vox significatiua ad placitum, cuius aliqua pars per se separata significat, non vt affirmatio, sed vt dictio.* Cui definitioni, deptis iis difficultatibus, quæ illi cum nomine, & verbo sunt communes, ac superius solutæ manent, ea duntaxat obstare potest, quod termino complexo, cuiusmodi est, homo iustus v. g. conuenire videatur, adeoq; alij à definito suo. Verùm cur terminus complexus oratio imperfecta esse nequeat? esto nec terminus incomplexus oratio imperfecta, nec complexus oratio perfecta esse possit: Atque terminum incomplexum orationem quandam esse tuentur cum antiquis authoribus nostri Conimbricenses 1. de interpret. cap. 4. quæst. 3. art. 1. & Fonseca lib. 3. institut. dialecticarum cap. 1.

14 Oratio hic à Boëtio, & reliquis in perfectã, & imperfectam diuiditur. Imperfecta est, cuius partes aliquo nexu imperfecto, & grammaticali cohærent, vt vir sapiens, regia solis, & alia id genus. Perfecta est, quæ perfectiori nexu, verbo scilicet, & non solis nominibus, constat, adeoque perfectum sensum in animo audientis generat, cum tamen illa prior nonnisi imperfectum in eo pariat. Atque de hac posteriori orationis specie sermonem habuit Plato cum dixit in Theæteto: *Primum esse arbitror, cogitatione per verba, nominaque exprimere opinionem propriam in voce, perinde ac in speculo, & aqua monstrantem: nonnè tale quid oratio tibi esse videtur?* Et in Sophista; *omnis penitus oratio deleretur, si vnumquodque ab omnibus segregatur; nam propter mutuam specierum copulam oratio consistit:* & ibidem paulo infra: *ex solis nominibus ordine prolatis oratio nunquam efficitur, neque rursus ex verbis absque nominibus pronuntiatis, vt vadit, currit, dormit, & alia verba, quæcunque actiones significant, quæ si quis subiungat omnia, nihilo magis orationem facit: Rursusque, cum dicitur leo, ceruus, equus, cæteraque nomina, quæ ipsos agentes significant nondum hac continuatione oratio vlla conficitur: nam quæ proferuntur, haud ante actionem, vel actionis impedimentũ, aut essentiam siuè existentis reisiue non existentis ostendunt quam verba nominibus misceantur: Tunc verò primùm conueniunt, statimque fit oratio, & prima horum complexio prima oratio est etiamsi sit breuissima:* Ac denique in Cratylo; *oratio quippè, vt arbitror, est verborum, & nominum compositio.*

15 Oratio perfecta dissecatur à B. Thoma, Ammonio, & aliis comuniter in enuntiatiuam, interrogatiuam, imperatiuam, deprecatiuam, & optatiuam: ex quibus omnibus sola, quæ enuntiat, præsentis est instituti. Eam circa dubitabis primò, an ita ad placitum significet, vt nullo signo naturali, quale est blitiri, intrinsecè & immediatè velut subiecto, aut prædicato constitui possit? Id genus signo illam non repugnare constitui sentiunt Hurtadus in summul. disp. 1. sect. 2. & 4. Compton. disp. 1. introduct. sect. 2. num. 3. Franciscus Alfonsus lib. 2. instit. cap. 2. num. 4. Franciscus de Ouiedo in summul. controuers. 1. punct. 2. num. 5. Arriaga disp. 1. summul. sect. 2. num. 10. quibus assentior: tum quia hæc propositio, blitiri est terminus, verè propositio est: atqui signo naturali velut subiecto constituitur: tum etiam, quia propositio mentalis terminis non ad libitum, sed naturaliter significantibus adæquatè, & ex toto constat: cur ergò propositio externa signo aliquo naturali inadæquatè saltem, & ex parte nequeat constitui?

16 Contrariam sententiam tuentur quidam Recentiores cum Fonseca lib. 1. instit. dialecticarum cap. 16. ac sic obiiciunt primò. In hac propositione omne blitiri est terminus, blitiri non habet rationem subiecti, sed solius obiecti: eam ergò propositionem formaliter non constituit: Antecedens probatur: id habet rationem subiecti, suprà quod illud syncathegorema, *omne*, appellat: atqui non appellat suprà blitiri, sed supra particulam, *vocabulum, aut vox*, ibi subintellectam hunc in modum: omne vocabulum, siuè omnis vox blitiri est terminus: ergo, &c. Minor suadetur, quia blitiri illud singulare est, ac proinde vniuersalitatis incapax, adeoque syncathegorema, *omne*, suprà illud appellare non sustinet. Respondeo, voculam, *omne*, supra blitiri appellare, non hoc numero tamen, sed suprà rationem communem ab hoc, & illo abstrahentem: Quod enim ea abstractio fieri possit dubium non est, cum hoc, & illud blitiri conueniant, & assimilia sint:

sint : illa ergò ratio communis ei voculæ vniuersali, *omne*, supponi, & subintelligi poterit, non minus quam hæc particula, *vocabulum*, aut *vox*, quantumcunque vnum, & singulare blitiri efformetur.

17 Vrgebis tamen. Syncathegorema, *omne*, non potest appellare immediatè suprà rationem communem blitiri : siquidem appellare debet suprà id, quod actu eam propositionem constituit : ast ea singularis propositio nulla ratione communi constitui potest, sicut hic numero homo anima singulari non communi constare debet. Tum sic : particula, *omne*, non appellat suprà hoc numero blitiri : nullo ergo modo suprà illud appellat, ac proinde in ea propositione neutiquam subiicitur. Antecedens probatur : quoniam vocula illa, *omne*, denotat vniuersalitatem in essendo, aut repræsentando ; qua ratione ineptè dicitur omnis Deus, propterea quod Deus vtraque vniuersalitate careat : at blitiri hoc numero est singulare, & nec est vniuersale in essendo, vt perspicuum est, nec etiam in repræsentando, aut significando, quia eius partes non sunt hoc aut illud blitiri significare, aliàs quidem signum arbitrarium, & ad placitum foret.

18 Verum inprimis particula, *omne*, suprà *vocabulum*, aut *vox* appellat iuxtà aduersarios : & tamen vox, aut vocabulum non constituit actu propositionem, qua de agimus, sed tantum in ea subauditur quamuis igitur ratio communis blitiri actualiter propositionem non constituat, adhuc suprà illam appellare, & recidere potest syncathegorema omne. Deinde secundò hic numero homo iuxtà aduersariorum aliquos hac vel illa materia indeterminatè sumpta constituitur : hoc igitur vel illud blitiri, siue ratio communis blitiri hanc numero propositionem poterit constituere. Tertiò dici potest, particulam, *omne*, in propositione illa nostræ controuersiæ subiecta cadere suprà hoc numero blitiri, quia licet non sit vniuersale in significando ad placitum, vt obiectio conuincit, est tamen vniuersale in significando naturaliter, siquidem est quædam imago naturalis omnium blitiri, quibus assimilatur ; quod sufficit, vt pro iis in propositione poni possit, præsertim adiuncto syncathegoremate, *omne*, quod eam repræsentationem non solum indicat, verùm etiam promouet. Tandem dici potest in allata propositione blitiri fortasse terminum esse : quo vltrò, ac liberaliter admisso, nihilominùs haud sequitur id in aliis enuntiationibus euenire, in quibus illud syncathegorema non adiicitur. Cuius ratio est, quia blitiri est ex se indifferens ad rationem subiecti, vel solius obiecti, & per adiectionem, aut amotionem particulæ illius, *omne*, aut alterius similis ad alterutrum determinatur. Sic animal v.g. per adiectionem particulæ, *hoc*, ad rationem indiuidui, & per additionem particulæ, *rationale*, ad rationem speciei, & per vtriusque amotionem ad rationem generis determinatur.

19 Obiiciunt secundò aduersarij ex nostra sententia fieri, quemuis motum localem, quamuis lineam scriptam, quoduis inordinatum delineamentum, vestigium pedis pulueri impressum, sculpturam monetæ terminos esse posse, nimirum si iis hæ voces, *est terminus*, addantur, haud aliter ac voculæ illi blitiri adiiciuntur. Sed inprimis contendet fortasse aliquis, propositionem vocalem non posse non constare solis vocibus, quales quales tandem sint, sicut propositio mentalis iuxtà omnes ex solis actibus intellectus existit : Quandoquidem ergò paulo suprà congesta voces non sunt, quid mirum, si propositionem vocalem terminare, aut constituere nequeant. Ast blitiri vox demum est. Deinde secundò verosimilius est absolutè, propositionem externam hetherogeneam esse posse, & partim vocalem, partim scriptam, partim significatiuam naturaliter, partim verò ex instituto ; sicut etiam alia continua physica partibus hetherogeneis, & specie distinctis coalescunt : vnde nihil est incommodi in eo, quod superius obiecta sint termini.

Obiiciunt tertiò : Sicut propositio omnis est expressiua alterius à se distincti, ita & eius terminus omnis exprimere debet aliquid à se distinctum : Blitiri autem nihil, quod à se distinguatur, repræsentat. Leue argumentum. Nam primo subiectum, & prædicatum obiectiuum termini sunt, cum tamen nihil à se distinctum referant : quamuis ergò blitiri alterius non sit expressiuum, nihilominus terminare poterit propositionem. Rursus secundò & absolutè : plura toti sæpè conueniunt, quæ cadere nequeunt in eius partes : vnde expressio alicuius à se distincti enunciationis propria non debet in quamlibet eius partem conuenire. Obiiciunt quartò. Terminus omnis pro aliquo supponere debet : Blitiri autem pro nullo alio supponit. Sed antecedens est falsum ; vt claret in hac propositione, homo est vox dissylaba. Deinde, si Blitiri pro se supponit, terminus ergo est, cum suppositio sit affectio termini. Tandem obiiciunt, Blitiri ad loquutionem, & sermocinationem humanam non spectat, cum nihil ad libitum significet : ergò nec ad logicam, quod scientia sermocinatrix est, vt ex eius constat ethymo : terminus ergo esse nequit vllius propositionis, aliàs spectaret ad Logicam Huius etiam argumenti antecedens est falsum, vt semel, & iterum edoctum est. Consequentia etiam iuxtà nonnullos nulla, cum non omnes termini ad logicam attineant, nec eius sint, termini aliarum facultatum, provt sunt aliarum. 20

Circa orationem enunciatiuam, ac perfectam siue enunciatiuam externam dubitabis secundò, an sit propriè enuntiatio, veraque ac stricta ratione rationem propositionis obtineat ? Non obtinere putant Hurtadus disp. 1. summul. sect. 3. §. 14. Quiedo controuers. 1. summul. punct. 2. num. 1. Arriaga disput. 1 summul. sect. 2. num. 9. & alij (quos existimo in hac controuersia, quæ solius est verbi, non rei, rectè loqui. Etenim quod præcisè dicitur propositio, quia propositionem refert, & significat, est impropriè tantum, ac secundum quid propositio : at exterior, & vocalis propositio talis præcisè dicitur, quia mentalem refert, ac significat : ergo, &c. Maior est in aperto : homo namque pictus ob id dicitur impropriè homo, quoniam hoc solo nomine nuncupatur homo, quod verum hominem significet, ac repræsentet : similiter ergò quod tantum appellatur propositio, quia est propositionis imago quædam, & simulachrum, procul erit à veritate, ac proprietate eius quod imitatur. Confirmatur : homo pictus intrinsecè, & naturaliter repræsentat hominem : & tamen metaphoricè, & secundum quid dicitur homo : propositio igitur exterior à fortiori, vt aiunt, est impropriè, & secundum quid propositio, cum mentalem extrinsecè solum, & ex solo hominum libito repræsentet. 21

Obiicies tamen primò cum doctissimis Recentioribus tuentibus contrarium. Denominatio non solum intrinseca, sed etiam extrinseca haud rarò vera, & propria est. Sic obiectum verè, & propriè cognoscitur, & amatur, esto amor, & cognitio nihil intrinsecum ei importent : sic cognitio propriè, & strictè vera est, & amor propria, ac stricta ratione bonus 22

bonus moraliter, licet veritas, & bonitas, aut semper, aut multoties actibus intellectus, & voluntatis ex parte sint extrinsecæ : sic deinde vna res dicitur alteri strictè, ac rigorosè similis, æqualis, &c. tum etsi hæ relationes non sint omninò saltim intrinsecæ : quamuis igitur propositio vocalis dicatur propositio per denominationem extrinsecam à mentali, quam refert, non ex hoc censenda erit impropriè, & adumbratè duntaxat propositio. Respondeo : duplex est denominatio extrinseca : altera qua vnum ad aliud referri dicitur ; & hæc vera ac propria est: vt exempla adducta suadent : altera, qua beneficio eius relationis vnum dicitur esse aliud ; & hæc impropria, & lata est, vt nostrum persuadet argumentum.

23 Obiicies secundo : significare hominem v.g. esse animal rationale est affirmare vnum de alio : sed propositio externa, & vocalis verè significat, hominem esse animal rationale iuxtà omnes, verè igitur vnum de alio affirmat, adeoque strictè est propositio. Respondeo distincta maiori : Significare hominem esse animal rationale ad placitum vtique & arbitrariò est affirmare vnum de alio verè, & propriè : nego maiorem ; impropriè, & secundum quid concedo. Obiicies tertiò, actus intellectus sunt verè & propriè subiectum & prædicatum formale: non alia ratione, nisi quia subiectum, & prædicatum obiectiuum repræsentant : similiter ergò quamuis subiectum, & prædicatum vocale ita dicantur, eo præcisè quod subiectum, & prædicatum interius, ac mentale repræsentent, tamen vera, ac propria ratione subiectum erunt, ac prædicatum : ac proinde eadem veritate, & proprietate erit enuntiatio, quæ ex eis oratio coalescit. Respondeo : actus intellectus dicuntur subiectum, ac prædicatum in ordine ad subiectum, ac prædicatum obiectiuum, quod denominant, & constituunt, quodvè subiiciunt, & prædicant, vt est à nobis in loco expositum : quod autem formaliter constituit subiectum, & prædicatum, quid mirum, si verè subiectum, & prædicatum formale dicatur : sicuti quod formaliter facit album, id ex vero dicitur album formale, siue albedo. At subiectum vocale (par autem est ratio prædicati seruata proportione) tale dicitur in ordine ad interius, & mentale, non quod constituat, sed quod constitutum significet, ac repræsentet, haud secus ac hominis effigies, siue homo pictus hominem refert, non constituit.

24 Obiicies vltimò : hæc vox, *signum ad placitum*, est verè, & propriè signum ad placitum : non alia ratione, nisi quia significat hoc, & illud signum ad placitum : similiter ergò propositio vocalis vere talis censenda est, quamuis præcisè propositio sit, eò quod mentalem, aut obiectiuam ex instituto significet. Antecedens quoad primam partem est compertum : quoad secundam suadetur : nam ea vox est signum ad placitum, quia aliquid repræsentat ad placitum : nihil autem est quod ita repræsentat, nisi hoc, & illud signum ad placitum sub ea ratione communi contentum. Respondeo : quod ad placitum significat signum, siue sit vox nobis obiecta, siue quidpiam aliud, verè signum est : verum tamen id non habet à signo ad quod habitudinem dicit, quia si aliud quoduis obiectum significaret, eodem modo foret signum, sed ab ipsa habitudine, quam dicit, quæ habitudo, vt euidens est, signum facit. Ast habitudo ad propositionem, & eius expressio propositionem non constituit, sicut habitudo ad hominem, & eius expressio pictum hominem, non tamen verum efficit.

Hæc quamuis ita se habeant diffiteri tamen nequeo, quin sit valdè probabile, propositionem externam, & vocalem strictè, ac propriè rationem propositionis adipisci. Etenim signum instrumentale verè, ac rigorosè signum est, etsi non alia de causa sit signum, quam quia cognitionem, siue signum formale in nobis excitat, & gignit : similiter ergò propositio vocalis propria, ac vera ratione erit propositio, licet talis tantum dicatur, quia mentalem, scilicet conceptum mentis, excitat, aut supponit. Rursus omne ens creatum dicitur ens à similitudine, & participatione primi entis, quod tamen non prohibet, quominus sit simpliciter, ac proprie ens : similiter ergò in præsenti, &c. Dupliciter ergò vnum potest repræsentare aliud: primò ita vt ab vtroque ratio communis vtrique verè, & simpliciter conueniens abstrahi nequeat: qua ratione homo pictus verum repræsentat : secundò ita vt ab vtroque talis ratio communis non sustineat abstrahi : Atque hoc posteriori modo propositio interior, & exterior comparantur inuicem: vtraque enim est in genere signi : quidni autem à signo interno, & externo non minus quam à formali, & instrumentali queat abstrahi ratio communis signi vtrique verè & vniuocè conueniens? quod si signi cur non etiam propositionis? 25

Atque hæc sint satis de oratione, nisi quod prætermittere non possum, vt nomen, & verbum sic eam aliter quam ab Aristotele, & minus quidem salebrosè, definiri posse ; hunc scilicet in modum: oratio nihil aliud est, quàm plures dictiones congrue se habentes: quo pacto eam definiunt Villalpandus, Sotus, Toletus, & alij authores probati: Nec obest quod noster Aluarus Semmedus refert lib. de imperij Sinensis euangelica cultura 2. parte cap. 3. apud Sinenses Rio significare pedem humanum, chua pedem volucris, ac thi pedem animalis, adeóque quamlibet earum vocum, cum vna tantum sit, nihilominus esse orationem, & sic hanc videri perperam definitam, plures dictiones congruè se habentes: Nihil inquam hoc obest : namque earum dictionum nulla non est virtute multiplex, nulla non plurium pondus, & instar habet: huiusmodi autem multiplicitas, ac pluralitas sola, & non maior à nobis, & authoribus nuper memoratis exigitur ad orationem.

LIBER

LIBER SEPTIMVS

De Modo sciendi veritatem.

TRACTATVS I.

De quidditate, & speciebus modi sciendi.

CAPVT I.

Quid sit modus sciendi.

1 MODVS sciendi, siue oratio ignoti manifestatiua nihil aliud est, quam ea qua clarè exprimitur ac significatur quod ante illam, vel nullo modo, vel certè obscurè tantum innotescebat. Censent autem plerique neoterici, modum sciendi esse rationem quãdam communem definitioni, vtique strictæ, & essentiali, cuiusmodi est hæc ex. g. *homo est animal rationale*, diuisioni, & argumentationi, nec extra has species ampliùs portigi. Arbitror tamen eos falli. Siquidem modus sciendi ab illis met, & omnibus definitur oratio ignoti manifestatiua: sed ignoti manifestatio, patefactio, ac perspicuitas non solum in definitionem, diuisionem, & argumentationem, sed in quamuis propositionem euidentem, & claram v. g. in hanc, *Petrus currit*, conuenit: impossibilis ergò & commentitia est ea ratio communis modi sciendi, quæ præfatis tribus speciebus propositionis, aut orationis solùm conueniat, eisque ita sit astricta, vt non possit latiùs euagari.

2 Respondent aduersariorum aliqui primò, definitionem illam ita intelligendam esse, vt modus sciendi sit oratio, aut propositio explicitè manifestatiua eius, quod implicitè in alio latebat: quod quidem hæc propositio, *Petrus currit*, minimè præstat; secùs verò hæc definitio, *homo est animal rationale*, cuius prædicatum in eius subiecto implicitè delitescit: idemque dicendum est de hac diuisione, animal aliud est rationale, aliud irrationale; & à fortiori de argumentatione, cuius conclusio identitatem immediatam extremorum in præmissis implicitam explicat. Sed, vt alias huius responsionis impugnationes desinam, hæ propositiones, homo est animal, homo est substantia, homo est risibilis aliæque similes explicitè manifestant, quod in alio implicitè latebat: & tamen nulla earum definitio stricta diuisio, aut argumentatio est.

3 Respondent alij secundò, modum sciendi provt à definitione stricta, diuisione similiter sumpta, & argumentatione abstrahitur, & omni propositioni communis non est, esse ignoti manifestationem, quæ regulis dialecticæ conformis sit, siuè in qua artificium logicum eluceat. Cæterum non magis placet hæc solutio, quam superior: ignoti namque manifestatio, provt in ea explicata, etiam aliis propositionibus à triplici illa specie distinctis conuenit: cum aliæ plures regulis dialecticæ sint artificiosa ratione conformes, videlicet eæ, quibus aut quid describimus, aut aliquam obscuram per clariorem conuertimus, aut oppositam oppositæ æquipollentem reddimus, & id genus plures, quas enumerare superuacat.

Tertio alij cum Auersa ferme quæst. 4. log. sect. 4
2. § *tertio præcipuè hæc instrumenta* respondent, modum sciendi in communi, provt definitioni strictæ, diuisioni propriæ & argumentationi conuenit, & aliis non conuenit, esse ignoti manifestationem, per modum obiectiui exemplaris, siuè ideæ per se vtilis, & appetibilis ad alias scientias comparandas. Pro quo notant primò, rationem exemplaris primariò reperiri in obiecto, ad cuius intuitum artifex id quod destinabat, efficit, vt Molina 1. p. quæst. 15. art. 1. disp. 2. & Vasquez 1. p. disp. 71. expressè perhibent. Secundò, omnes definitiones, quatenùs hui cactui, *definitio constat genere, & differentia*, immediatè ex parte obiecti subsunt esse exẽplar obiectiuum ad definiendum; idemque de diuisione, & argumentatione dicendum. Tertiò, licet propositio vt sic sit etiam exemplar obiectiuum ad propositiones efficiendas quodammodo conducens, tale tamen exemplar non esse per se appetibile ad propositiones in aliis scientiis eliciendas: quandoquidem nemo ad efformandam hanc enuntiationem v. g. *Petrus currit*, essentiam, & naturam propositionis in communi sibi vnquam proposuerit, aut nisi frustrà potuerit: deindè, licet interdum essentia propositionis in communi ad alias scientias acquirendas scitu vtilis sit, non tamen propter se, sed in ordine ad argumentationem, quæ propositionibus constat, aut definitionem, vel diuisionem propriè, & perfectè tales. Ex quibus colligunt primò hanc definitionem, *homo est animal rationale*, esse modum sciendi, quia, provt simul cum aliis per actum cognoscentem essentiam definitionis in communi confusè cognoscitur, est exẽplar obiectiuum vtile &c. idemque de quauis propria diuisione, & argumentatione in particulari dicendum esse. Alterum, quod colligunt, est, rationem illam modi sciendi in communi ita definitioni essentiali, diuisionique strictæ, & argumentationi conuenire, vt in alias propositiones, aut apprehensiones non conueniat, quoniam ad has efficiendas nullum exemplar est per se vtile, aut expetibile.

Verum vt ratio exemplaris non in actu, sed in 5
obiecto reperiatur, quod adeò constans non est, quin à Patre Suarez disp. 25 metaph. sect. 2. & aliis negetur, &, vt cognitioni definitionis in communi omnes definitiones in particulari immediatè respondeant, quod falsum esse inferiùs lib. 8. ostende-

mus, vt inquam hæc, & similia, quæ solutio supponit, vera sint, certè ad veritatem accedere nequit, quod ratio illa exemplaris obiectiui per se vtilis, & expetibilis ad alias scientias soli definitioni, diuisioni, & argumentationi conueniat: siquidem, quoties regula formalis est vtilis, & appetibilis ad alicuius executionem operis, regula etiam obiectiua, siue exemplar obiectiuum eidem operi exequendo vtile, & expetibile non esse nequit: at plures regulæ formales distinctæ à definitione, diuisione, & argumentatione ad actus aliarum scientiarum comparandos per se, ac sponte sua sunt vtiles, atque expetibiles; nimirum eæ quæ de æquipollentia, conuersione, & oppositione circumferuntur, aliæque similes, quæ per se, ac seorsim à quouis alio deseruiunt, vt quis aliis scientiis incumbens in earum materia, relicta propositione falsa, veram assumat, erroremque præcaueat, vt latè demonstratum est lib. 2. huius operis, cum esset nobis sermo de obiecto attributionis dialecticæ.

CAPVT II.

Quid sit definitio, quæ eius leges, & quæ species.

6 TAmetsi iuxtà disputata cap. superiori modus sciendi latius pateat, quam definitio, diuisio, & argumentatio, negari tamen nequit, quin hæ sint potissimæ eius species, ac partes subiectiuæ: quæ causa mihi est, vt eis solis in præsenti libeat insistere. Vt ergo à definitione ordiar, ea sumi solet: primò latè, ac magis rhetoricè, quam dialecticè; quo sensu nihil aliud est, quam quæcunque, & qualiscunque rei explanatio, & siue quoad an est, siue quoad quid, cur, aut quale, aut fortassis quotuplex illius. Atque ita eam accepisse videtur Clemens Alexandrin. lib. 8. Stromatum sic inquiens; *eius autem quod animo cogitatur, explicatio est definitio*: Necnon Fabius lib. 7. instit. oratoriar. c. 4. sic edisserens, *Finitio est rei propositæ propria, dilucida, & breuiter comprehensa verbis enuntiatio*: Ac Cicero lib. 1. de orat. *Est enim* (inquiens) *definitio earum rerum, quæ sunt eius rei propriæ, quam definire volumus, breuis, & circumscripta quædam explicatio*: & in topicis, *Definitio est, quæ quasi inuolutum euoluit id, de quo quæritur*. Quæ & similia in omnem ferè modum sciendi conueniunt, si, vt verba sonant, accipiantur.

Secundò vsurpari consueuit definitio dialecticè, 7 ac magis presè, & propriè: atque ita eam definit Arist. lib. 1. topic. cap. 4. & lib. 5. metaph. cap. 8. & alibi sæpè, hunc in modum; definitio est oratio explicans naturam, seu quidditatem rei. Quò etiam recidit eius à Cicerone tradita definitio lib. 2. de finibus parum ab initio vbi sic habet, *Patefactio quasi rerum opertarum, cum, quid quidque sit aperitur, definitio est*: nec non illa, quam tradidit in topicis: *Definitio est oratio, quæ id, quod definitur, explicat, quid sit*. Aristotelem, ac Ciceronem sequuntur plerique alij.

Enimuerò, quò magis innotescat definitionis finitio hæc, obiicies aduersus illam, id primum, ac 8 potissimum in ea supponi, quod aliquid possit reuera definiri: tum quia ab actu ad potentiam valet consecutio: tum etiam, quia, si nulla res potest definiri, si cuiusuis rei definitio est impossibilis, & chimærica, & non quidditate aliqua prædita, sed omnino nihil, quî fieri potest, vt definitio rerum definiri possit aut quoad suam quidditatem, quæ nulla planè est, explicetur? Atqui istud, quod supponitur, falsum videtur esse, duabus de causis. Altera est, quia sequitur, admissa semel definitione rerum, processus in infinitum, dum v.g. homo definitur per animal, & rationale, & horum alterutrum per aliud prædicatum aliquod, & sic nullo fine. Altera verò est, fore, vt ab intellectu nostro cognoscantur omnes omninò res, nullaque nos lateat: definiri namque nihil potest, nisi, præter eius genus, illius etiam differentia ab omnibus aliis rebus nobis innotescat: at cognoscere non possumus, quo tenus, & per quid homo v. g. à cæteris omnibus rebus dissentiat, nisi eas omnes cognoscamus: omnium ergò cognitione quamlibet definientibus opus est. Atque his de causis negant, definiri rem placere Antisthenis sectatores apud Aristotelem 8. metaph. text. 9. Speusippus apud Themistium 2. posterior. cap. 24. Epicurus apud Ciceronem lib. 2. de finibus aliique antiquorum.

Obiicies secundò: si definitio formalis esset ora- 9
tio explicans naturam, & quidditatem rei, sicut vna est vniuscuiusque rei, quidditas, ita & vna eius esset explicatio genuina, & propria, adeóque vna definitio, & non plures: quod propterea absolutè necessarium esse docent Aristoteles 6. topic. 2. & 7. topic. 2. ac cæteri, qui definitionem rerum admittunt. At sic est, quod vnius rei multiplex esse possit, & soleat definitio: hæc ergò aliter quam suprà definienda est.

Obiicies tertiò: Definitio iuxtà Aristotelem, & 10
omnes eius sectatores est oratio constans genere, & differentia: qua etiam in sententia est Plato in Theætheto in hæc verba: *Si differentiam cuiusque accipias, qua ab aliis est distinctum, definitionem, vt quidam tradunt, acceperis: quamdiu verò commune aliquid attigeris, illorum definitionem, quorum communitas est, non habebis*: Necnon Damascenus c. 13. dialect. *dicitur autem definitio seu à metaphora finium, seu termini positionum terra: quemadmodum enim finis, seu termini positio separat proprium vniuscuiusque, sic & definitio, seu terminus naturam vniuscuiusque, separat ab alterius natura*. Damascenus ergo, & Plato, vt ex prædictis eorum verbis liquet, tum definiri rem putant, cum non solum eius genus, & cum aliis conuenientia apparet, sed multo maximè, quandò generi eius à cæteris differentia superuenit. Hæc ergo definitionis finitio, cum sit admittenda, certè prior à nobis tradita videtur esse neganda.

Ad primam obiectionem harum dicendum est, 11
cum plerisque, ac melioribus Philosophis, præsertim Aristotele, tum locis superioribus, tum etiam 3. metaph. tex. 3. tum 7. metaph. tex. 4. tum denique 2. poster. cap. 2. ac Platone vbi suprà necnon dialog. 7. de republica, plures res posse, ac debere definiri. Quod autem Epicuri grex, quod Speusippei, & Antisthenei contrarium senserint, quid refert? Processus in infinitum non sequitur: sicut enim sine illo argumentamur, & discurrimus, quia non est necesse ad argumentandum, & discurrendum, vt præmissæ, quibus vtimur, discursu, & argumentatione alia nobis innotescant, sed sæpè satis est, vt sint per se notæ, aut euidenter, aut certè probabiliter, imò fieri nequit, quin primæ præmissæ sint tales, ita similiter, cum hominem v. g. definimus, non oportet eius essentialia prædicata, animal scilicet, & rationale definiri, sed, quin definiantur per alia, hominem definiunt; idemque esset, esto non possent definiri, sicut suprema genera, esto sint vt aliqui in loco refellendi existimant, definitionis incapacia, subiectas tamen sibi species definiunt.

Porrò

Porrò nec sequitur, omnes res à nobis, cum quidpiam definimus, oportere cognosci in actu secundo, & absolutè: satis enim est, si tantum in actu primo, ac veluti conditionatè; hoc nimirum sensu, vt, postquam sumimus rei definitæ quædam capita, ac summa, vt sic dixerim, fastigia, genus scilicet, & differentiam, illud faciat apparere conuenientiam eius à cum non paucis aliis rebus, si repræsententur intellectui, hæc verò apparere contrà faciat eius differentiam à quacunque alia re menti repræsentata, quin opus sit, vt absolutè, & proxime eam disiungat ab iis, quarum intellectus est immemor.

12 Ad secundam obiectionem dicendum est, tametsi vnius rei vna tantum sit obiectiua definitio (quod tantum argumento contrario conuincitur, quod etiam & non aliud ab Aristotele in topicis adstruitur) cæterùm vnius rei multiplicem esse definitionem formalem. Ita Seneca de vita beata cap. 4. *Potest aliter quoque definiri bonum nostrum, id est eadem sententia non iisdem comprehendi verbis. Quemadmodum idem exercitus modo latius panditur, modo in angustum coarctatur, & aut in cornua sinuata media parte curuatur, aut recta fronte explicatur: vis illi, vt cunque ordinatus est, eadem est, & voluntas pro iisdem partibus standi; ita definitio summi boni aliàs diffundi potest, & exporrigi, aliàs colligi, & in se cogi.* Et ibidem paulò infrà: *licet, si euagari velis, idem in aliam, atque aliam faciem salua, atque integra potestate tranferre.* Idipsum docet Fab. lib 7. cap. 4. *nec vno tantum modo definitur res eadem, sed latiore, varioque tractatu.* Vide nostrum Nicolaum Causinum eloquentiæ suæ lib. 4 cap. 17. vbi, propterea quod intimas rerum formas multa obscuritate humanis ingeniis natura vallauerit, varios definiendi modos vnius eiusdemque rei nobis ait esse necessarios. Vide etiam Fonsecam lib. 4. institut. dialecticar. cap. 4. ad medium. vbi nobiscum sentit. Hinc ad tertiam obiectionem dicendum est, quod posterior definitionis definitio bene habeat, *oratio* scilicet *constans genere, & differentia*, haud obstare, quominus prior etiam sit retinenda: id enim quid, nisi eam more plurium aliarum rerum plures definitiones sortiri.

13 Porro leges definitionis sunt hæ. Prima, vt sit propria definiti, hoc est, vt cum ea recurrat, ac reciprocetur, nihilque sit, de quo definitio dicatur, quin de eodem dici possit, ac debeat definitum, & hoc de nullo dicatur, cui definitio non competat. Id dialectici communiter his duabus exprimunt propositionibus: definitio aliis à definito suo conuenire non debet, definitio omni suo definito conuenire debet. Breuius idipsum iam olim Iohan. Damascen. in dialect. cap. 14. *Perfecta autem definitio, quæ conuertitur cum definito: imperfecta autem, quæ non conuertitur.* Idemque non minus breuiter, quam eleganter Augustin. tom. 1 lib. de quant. animæ cap. 25. *Definitio nil minus, nihil amplius continet, quam id quod suscepta est explicandum: aliter omninò vitiosa est: vtrum autem huiusmodi vitiis careat, conuersione exploratur.* Legis superioris priorem partem non obseruat qui, vt cum Cicerone lib. 1 de inuentione loquar, *rei communia describit hoc modo: seditiosus est, qui malus, atque inutilis est ciuis: nam hoc non magis seditiosi, quam ambitiosi, quam calumniatoris, quam alicuius improbi hominis vim describit.* Eiusdem legis posteriorem partem non obseruat, qui substantiam spiritualem, omnisque corporeæ concretionis expertem sic definit: est quæ corpori semel vnita ab eo separari, & separata conseruari potest: hoc enim animo rationali conuenit, non tamen Angelo, non Deo, quorum tamen alteruter est substantia spiritualis. Cæterum in hac hominis definitione, *homo est animal rationale* vtramque legis illius partem videas impleri: nullus enim homo non animal rationale, nullum animal rationale non homo.

Secunda definitionis bonæ lex est, vt sit clarior definito, siuè, vt sit ex notioribus. 14 Contra quam peccant inprimis, qui ænigmatis, translationibusque obscuris, & remotis vtuntur: vt si quis hominem definiat, arborem inuersum; aut eunuchum, hominem non hominem; aut luscum, videntem non videntem; aut vinum, iuxtà Aristotelis phrasim, in quadam ad Alexandrum epistola, sanguinem terræ; aut terram ipsam, magnam matrem; aut lapides, telluris ossa, cum Ouidio lib. 2. Metamorphoseos, vbi Themis Deucalioni, & Pirrhæ quærentibus, qua arte humanum genus aquis extinctum posset reparari, sic respondet.

Discedite templo,
Et velate caput, cinctasque resoluite vestes,
Ossaque post tergum magnæ iactate parentis.

Quam fatidicæ deæ sortem ita interpretatur Deucalion.

Magna parens terra est, lapidos in corpore terræ
Ossa reor dici, iacere hos post terga iubemur.

Aduersus eandem etiam legem offendunt, qui idem per idem definiunt, vel quod perinde est, quorum definitiones definita saltem implicitè, ac latenter ingrediuntur: vt si quis definiat solem diei parentem: dies enim, cum definienda sit per solem, eiusque in hoc nostro hæmisphærio præsentiam, fit, vt in prædicta solis definitione ipse sol, sin minus apertè, tacitè saltem ponatur, ac tota res maneat inexplicata. Vel si quis definiat patrem, eum qui habet filium: quando namque filius eodem iure definiendus est, qui habet patrem, hic illam sui definitionem intrat, nec eius vi clariùs, aut luculentius quam antea cognoscitur. Sed de his satis.

Tertia lex definitionis est, vt nihil in ea deficiat, 15 aut redundet. Deest autem aliquid in ea, quandò (contrà quam præscribit Aristoteles 7. topicor. c. 3.) res non definitur per genus proximum, sed per remotum: hunc in modum, homo est substantia rationalis, vbi omnes differentiæ à substantia ad rationale omittuntur, quæ tamen non essent omissæ definito homine per animal, quippè in hoc inclusæ. Superfluit autem in definitione id, quo sublato ea nihilominus satis explicat definitum: nam, si hominem definias, est animal rationale risibile, exempta risibilitate, reliqua, quæ manent, hominis essentiam optimè explanant. Quarta denique regula est, vt definitio, quantum fieri potest sine dispendio claritatis, sit breuis. Nescio autem, an ad eam, vel ad superiorem, cui affinis est, vel potiùs ad vtramque respexit Damascen. in Dialect. sua cap. 14. inquiens, *Bonitas autem definitionis est, neque superabundare, neque deficere dictionibus: malitia autem, seu defectus definitionum est, deficere, & superabundare.*

Quod ad species definitionis attinet, prima ea- 16 rum est definitio quid nominis, vt loquitur dialecticorum vulgus, aut vt Aristoteles 2. posterior. c. 10. interpretatio nominis. Per illam nempè non tam res explicatur, quam nomen; vt, si interroganti, quæ sit vis huius vocis, *homo*, respondeas, significare verum, & realem hominem, animal scilicet rationale, aut subiectum istorum accidentium communium, quibus à belluis, ac cæteris omnibus rebus dissidemus. Huc faciunt orationes originem

vocabuli explanantes, à Cicerone in topicis notationes, à Græcis, & non paucis etiam latinorum ethimologiæ dici solitæ: vt abstemius est, qui abstinet à temeto; sol, qui inter astra solus lucet, consul, qui reipublicæ consulit; fides, qua quod dicitur fit, senatus seniorum, ac patrum consessus.

17 Secunda species definitionis est definitio descriptiua, quæ strictè sumpta rem per genus, & proprium quarto modo definit, vt homo est animal risibile, aut est animal bipes implume. Huc quodam modo reducuntur definitiones per similia, & metaphoras, aut longos quosuis verborum circuitus, tametsi cum definito sæpe non reciprocentur. Eiusmodi est illa Chrysostomi tom. 4. homil. 14. qua iram, ac tranquillitatem animi depingit; *Mens*, inquiens, *irati forum est plenum tumultu, vbi multus, & euntium, & redeuntium clamor, camelorum, ac asinorum fremitus, argentariorum, & ærariorum vtrinque cudentium strepitus. Contra mens tranquilla & mitis vertex est quispiam montis, qui clementiorem cœli auram nactus est, puros solis radios, limpidas fontium scaturigines, multasque florum amœnitates.* Talis etiam est illa populi fame pereuntis apud. Quintilianum declam. 12. *Vnius deficientis speciem tota ciuitas habet, cauum macie caput, & conditos penitus oculos, & laxam cutem, nudos labris trementibus dentes, rigentem vultum, & destitutas genas, & inanes faucium sinus. Prona est ceruix, tergum ossibus inæquale, infernis imaginibus simile.* Talis denique & illa discordiæ apud Petron. Arbitrum in satyrico.

Scisso discordia crine
Extulit ad superos stygium caput, huius in ore
Concretus sanguis, contusaque lumina flebant,
Stabant ærati scabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora,
Atque inter torto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.

18 Quarta definitionis species est causalis, quæ nimirum rem per causas externas explicat. Per finalem, vt homo est animal à Deo creatum, vt diuino aspectu, & æterna fælicitate perfruatur. Per efficientem, vt ira est ebullitio sanguinis circa cor, id est affectus ex eo sanguinis ardore effici, & excitari solitus. Per exemplarem, vt homo est animal ad similitudinem diuinæ mentis factum. Postrema species definitionis est definitio essentialis quæ scilicet rem per genus, vel quasi genus & differentiam essentialem explanat, vt homo est animal rationale; aut quæ per partes physicas, si quæ rei inexistunt, materiam nempè & formam primariam, vt homo est compositum ex corpore, & anima rationali.

CAPVT III.

Diuisionis quidditas, species legesque.

19 Diuisio est oratio totum in suas partes distribuens. Ita ex Aristotele Ouiedus in Summul. controuers. 2. punct 2. num. 1. Fonseca lib. 4. instit. Dialecticar. cap. 1. Arriaga disp. 3. Summul. sect. 2. Franciscus Alfonsus lib. 1. institut. Dialect. cap. 6. num. 1. Auersa tract. 1. etiam institut. Logicar. cap. 4. & quæst. 4. log. sect 5. & communiter cæteri dialectici. Prima autem species diuisionis est, ea qua nominis vnius aut multiplicis sensus visque distinguitur: vnde distinctio communiter solet appellari; vt huius vocis adiectiuæ fuscus, fusca, fuscum, alia est significatio, per quam denotat colorem quendam nigredini vicinum, alia, qua vocem non claram, neque canoram: quo pacto eam vsurpauit Cicero lib. 2. de nat. deorum, qualemque alibi fuisse dixit vocem Antonij summi oratoris. Et huius orationis laterem lauas alia est significatio, quod laterem vndis abluas, alia quod operam ludas. At denique sortis huius, *aiote Æacida Romanos vincere posse* Pyrrho bellum cum Romanis gesturo ab Apolline Delphico datæ, ambigua, & non vna, sed multiplex fuit significatio, estque etiamnum.

Secunda diuisionis species est rei in partes integrales, siuè homogeneas, cognatas, similares, & eiusdem nominis, & rationis cum toto, cuiusmodi sunt intuitu aquæ v. g. vel carnis, eæ quæ alterutram integrant; siuè heterogeneas, multigenas, dissimilares, & diuersæ rationis, ac nominis à toto, quales sunt respectu corporis humani eius membra; aut anni, quatuor eius tempora, ver, scilicet, æstas, autumnus, hyems, vt describit ille. 20

Verque nouum stabat cinctum florente corona,
Stabat nuda æstas, & spicea serta gerebat:
Stabat & autumnus calcatis sordidus vuis,
Et glacialis hyems canos hirsuta capillos.

Tertia diuisionis species est rei in partes essentiales, siuè realiter distinctas, vt hominis in corpus, & animam, siue sola ratione distinctas, vt eiusdem hominis in animal, & rationale. Quarta diuisionis species est in rei non in partes actuales; vt sunt hactenùs enumeratæ, sed in partes potestatiuas siuè subiectiuas, veluti animalis in hominis, & belluam: huiusmodi enim inferiora explicitè, formaliter, & actu non sunt in toto vniuersali, quippè quod ab eis per intellectum, ac ratione nostra abstrahitur, sed tantum implicitè, virtualiter, ac potestatiuè, propter realem eius cum illis identitatem, & contractionem per illa saltem aptitudinalem. Quinta diuisionis species est, non substantialis vt hucusque, sed accidentalis, nimirum, vel subiecti in accidentia, vt homo alius albus, alius niger, vel accidentis in subiecta, vt album aliud lac, aliud nix.

Prima lex diuisionis est, vt nec diuisum latiùs 21
pateat quam membra diuidentia collectim sumpta, nec è conuerso, sed potiùs inuicem se adæquent, vt disertè præscribit Aristoteles 2. post. 5. Quamobrem hæc diuisio, animal aliud est cornutum, aliud alatum, non valet: inferiora nempè non sunt toti, quod diuidunt, adæquata, sinuntque illud latius fundi, & non pauca animalia complecti, quæ nec alas habeant, neque cornua. Similiter hæc partitio, animal aliud homo, aliud bellua, aliud angelus, non est proba? quippè diuisum non adæquat collectionem inferiorum, & hæc latius excurrit, quam illud, cohibetque plura non animalia, substantias nimirum angelicas, intellectu non sensu præditas adeoque in animalibus haudquaquam reponendas. Vtramque partem huius regulæ acutè obseruauit Plato in Ciuili, insinuans toti diuiso omnes suas differentias nulla dempta subiiciendas esse, & contrà differentiis assignandum esse totum, quod eas omnes, & solas comprehendat: En eius verba loco citato: *Oportet, vbi quis primo multorum percipit communionem, non prius desistere quam differentias omnes in ea, quæ speciebus clauduntur, inspexerit: Atque iterum, quoties dissimilitudines plurimas in similitudine sentit, & ægrè sentit, non prius ab hac aspectus molestia desistere posse, quam cuncta, quæ cognata sunt, intra cognationem vnam proprietatemque*

temque concludens, vnius generis essentia vestiat. Hæc ille.

23 Secunda diuisionis lex est, vt diuisum latiùs pateat, quam quodlibet membrorum diuidentium, eorumque nullam per se illius amplitudinem possit adæquare. Vnde prouenit, vt hæc diuisio tanquam mala sit reiicienda, animal aliud est sensitiuum, aliud rationale: nam sensu præditum æque late funditur, atque animal; nullumque omnino animal est quod sensu non polleat, esto non pauca sint ratione destituta. Nec refert, si quis obiiciat, in his diuisionibus; hominis pars Metaphysica alia est animal, alia rationale; album aliud est molle, aliud durum; partem hominis non latius patere quam animal, imo hoc è contrario fusius excurrere quam hominem, atque adeò quam eius partem, album item non latiùs patere quam durum, sed è conuerso videri rem se habere; cum durum ita de albis non paucis marmore nimirum, ebore, ossibusque dicatur, vt ea præter alia, quæ non sunt albitudine prædita, complectatur vt ebenum, & similia.

24 Hoc, inquam, si quis obiiciat, nihil refert: respondeo enim, & satis ex facili, quamuis animal, vt est totum potestatiuum, & à suis inferioribus abstractum, ad eaque indifferens, latius pateat quam eorum quodlibet, ac proinde quam homo; cæterum illud, vt est pars actualis hominis, eumque explicitè, & formaliter constituit, & ad eum contrahitur, ita quidem eo minùs latè patere, propterea quod homo, præter animal, aliam partem rationale scilicet includat. Hæc circà vide à nobis dicenda inferiùs lib. 8. tract. 1. cap. 5. ad 3. Porrò quod attinet ad diuisionem albi in durum & molle, in alterutro horum inferiorum, totum, quod diuiditur, debet subaudiri: quæ regula locum vendicat in partitione cuiusuis alterius totius potestatiui: durum ergò in quod dissecatur album, perindè est atque durum album: ecquis autem non videat, durum album haud latius euagari, quam album, nec de ebeno, aut alio, quod non sit album, posse prædicari.

25 Tertia diuisionis lex est, vt eius membra diuidentia sint opposita, & repugnantia, hoc est, vt distinguantur inuicem, neutrumque in altero includatur. Ita Aristotel. 1. de partibus animal. 3. Boëtius de diuisione, ac Cicero lib. 1. de inuent. ibi: *Paucitas in partitione seruatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permistè cum partibus implicantur*: Et paulò infrà, *hoc igitur vitandum est, ne cuius genus posueris, eius sicuti diuersam aliquam ac dissimilem partem ponas in eadem partitione.* Et lib 2. de finib. ibi: *vitiosum est in diuidendo, partem in genere numerare.* Hac de causa malè diuiseris viuens in plantam, animal, & hominem; aut corpus humanum in caput, oculos, collum, pectus, manus, digitos, pedes, &c. animal siquidem in homine includitur formaliter, & explicitè, & homo in animali virtualiter, & implicitè; siuè, quod perinde est, homo continet in se animal, & animal continet sub se hominem: digiti quoque in manu; & in capite includuntur oculi. Eadem de causa perperàm diuidas corpora in alba, & dulcia; cum non pauca contingat esse alba simul, & dulcia, adeoque hæc membra sese non excludant: nec non animalia in rationalia, & duos pedes habentia, propterea quod multa sint animalia, homines scilicet, simul cum ratione binos habentia pedes, nec rationalitas, ac ratio bipedis opponantur inuicem.

26 Porrò, si diuisio sit physica, & realis, qualis est supradictarum quælibet, oportebit eius membra sese realiter excludere. Quod si fuerit metaphysica, ac solius rationis, tantundem, & non amplius distingui eius membra requiretur. Atque ita hominis pars metaphysica benè distribuitur in animal, & rationale; ob id quod animalitas, & rationalitas rationis præsidio distinguantur, vt vt reipsa sint indistinctæ. Sic etiam obiectum rectè dissecatur in materiale, & formale, quia esto eadem res per eundem realiter actum simul esse possit obiectum formale, & materiale, ac propter se & propter aliud cognosci, & amari, alia tamen formalitas cognitionis, & amoris eam facit obiectum formale, & alia ratione, & cogitatione nostra eam constituit obiectum materiale: de quo vide dicenda à nobis in metaph. lib. 7. tract. 10. cap. 4. Ita denique diuiditur bonum non malè in honestum, vtile, & delectabile, propterea quod sic vni eidemque rei per seipsam conueniant honestas, vtilitas, & delectabilitas, vt harum trium formalitatum nulla non sit à quauis alia considerationis nostræ beneficio distincta.

Ad hæc, esto diuisio sit realis, & physica, fieri 27
potest, vt membra sua sinat quodam sensu realiter non distingui, dummodò realiter non distinguantur alio. Ita quantum optimè diuidi solet in longum, latum, & profundum; quia licet hæc tria in concreto non sint realiter distincta, eidemque corpori conueniant, eiusque merito de se dicantur inuicem; & in abstracto distinguuntur realiter, & nec longitudo, siuè linea est latitudo, aut superficies, nec alterutra est profunditas: quantum autem diuisum vt suprà, non concretè, sed abstractè sumi debet, vt perindè sit atque quantitas: quam quis non cernat, non vitiosè diuidi in tres illas quantitates inter se realiter distinctas, & non clusas inuicem, estò omnes eidem substantiæ & in ea claudantur? Similiter benè habet diuisio illa physicà, & realis tradita à Seneca lib. 7. de benef. cap. 26. *alius libidine insanit, alius abdomini seruit, alius lucri totus est, alius inuidia laborat, alius cæca ambitione, & in gladios ruente.* Nam estò sæpissimè contingat, vnum eundemque hominem omnibus his vitiis esse obnoxium; cæterùm si ita interpreteris diuisionem, vt non sit vitiosi hominis qualiscunque, sed hominis speciali quodam laborantis vitio; ita quidem ne in concreto vnum membrum diuidens includitur in alio deve eo prædicatur: eorum enim; in quibus vnum aliquod dominatur vitium, & non plura, alius est libidinosus, sed non gulæ deditus; aut huic seruit, sed non est auarus: vel si auaritia non inuidia; aut si hac, non ambitione laborat.

Quarta diuisionis lex est, vt non sit prolixa, sed 2
breuis quoad eius fieri poterit. Ita Aristoteles 2. poster. 5. & 14. Boëtius de diuision. Cicero citato l. 2. de finibus, vbi inquit in plura quam oportet genera quidpiam tribuere, *esse non diuidere, sed frangere rem.* Et Seneca epist. 89. *comprehendere*, inquiens, *quemadmodum maxima, ita minima difficile est. Describitur in tribus populus, in centurias, exercitus. Quidquid in maius creuit facilius agnoscitur, si discessit in partes, quas innumerabiles esse, & paruas non oportet. Idem enim vitij habet nimia, quod nulla diuisio. Simile confuso est, quidquid vsque in puluerem sectum est.* Ac Damascenus cap. 2. dialect. *omnis diuisio à genere in species facta fit in duo, vel tria, raro autem quatuor attingit, impossibile est enim diuidi genus in quinque species, & suprà: homo autem diuiditur in omnes homines, qui infiniti sunt numero. Propterea aiunt, diuisionem non rectè dici eam, qua*

fit

fit à specie in individua sed enumerationem. Plato in ciuili his verbis: *caterùm haud satis, amice, tutum est, ad extremum, nimisque tenuiter omnia persequi partiendo: præstat autem per media prosequi: sic enim facilius meliusque ideas inuenimus.* Ac demùm Martianus Mineus Capella in dialect. hisce verbis; *Diuidere vsque eo debemus donec ad individuum veniatur: & hoc fit, cum per differentias ad paucitatem genera redigimus.* Et paulo infrà; *diuisionis quidem ratio inesse, & tractari debet: sed multum apparere non debet.*

29 Hanc regulam non obseruant, qui rei immediatas, proximas, & magis vniuersales species (quas semper pauciores oportet esse) transiliunt; ac per mediatas, remotas, & magis particulares (quarum numerum necesse est maiorem esse) propositam sibi rem dispescunt: veluti si viuens, non in sensibile, & in non sensibile, aut insensibile, sed in hominem, belluam, arborem, fruticem, & herbam diuidas; aut si animal diuidas, non in rationale, & irrationale, sed in animal rationale, siue hominem, & canem, simiam, leonem, taurum, &c. Quamuis autem, cum partes subiectiuæ proximæ nominibus negatiuis possunt explicari, fieri debeat in eas diuisio, vt ex nuper dictis liquet; cæterùm, si positiua sortiantur nomina, iisque vti possimus absque breuitatis dispendio, tum haud est vtendum negatione vlla: quamobrem vitiosum esset magnitudinem diuidere, non in lineam, superficiem & profunditatem, sed in lineam, & non lineam.

TRACTATVS II.

De quibusdam dubiis circa definitionem, & diuisionem.

CAPVT I.

Enodantur quatuor priora dubia de definitione, & diuisione.

1 PRIMVM dubium circa eas esto; an definitio, & diuisio sint modus sciendi propriè loquendo? Quod attinet ad definitionem, qui eam esse negant, hi soli negant illam esse propriè modum sciendi: quandò ergò certum est, eam esse, vt liquet ex dictis cap. 2. tract. præcedentis nemini ambiguum esse debet, quin sit propria ratione modus sciendi. Quod vero spectat ad diuisionem Faber theorem. 7. absolutè ei negat propriam, ac germanam quidditatem modi sciendi. At Zabarella lib. 3. de methodis cap. 6. tantum negat, diuisionem actualem esse propriè modum sciendi, solique diuisioni in partes potestatiuas hanc proprietatem concedit. Quod argumentum Fabro fauere possit, haud comperio: quamobrem eius sententiam cum vniuersa scola defero. Et quidem, siue modus sciendi sit oratio ignoti manifestatiua, quæcunque, & qualiscunque; siue id genus oratio, & præterea talis, vt in ea artificium logicum eluceat; siue denique sit exemplar obiectiuum vtile ad alias scientias comparandas; non est profectò cur diuisio omnis excludatur à vero, & proprio conceptu modi sciendi. Eadem etiam de causa censeo cum Raphaële Auersa quæst. 4. log. sect. 5. post medium, & plerisque aliis, aduersus Zabarellam, diuisionem totius actualis in suas partes esse propriè modum sciendi.

Dubitabis secundò, quænam definitiones, & diuisiones sint propriè & rigorosè tales? Respondeo inprimis, nullam definitionem non essentialem esse strictè definitionem: quoniam hæc secundum omnes est oratio, vel propositio, vel modus sciendi explicans naturam, & essentiam rei: eam autem explicat sola definitio essentialis, partes scilicet metaphysicas rei, cuiusmodi sunt genus, aut quasi genus, & differentia, vel saltem physicas proponens: nec enim aliæ præter has sunt, quod aiunt, de essentia definiti. 2

Dices tamen. Definitio descriptiua rei per genus, & proprium quarto modo ei realiter identificata eius essentiam saltem physicam explicat: quidni ergò sit definitio propriè talis, eiusmodi si sit ea, quæ partes physicas rei repræsentat; vt ista, homo est compositum ex corpore, & anima? Eadem ratione videtur, respectus essentiales rei ad causas extrinsecas, nempe finalem, efficientem, & exemplarem esse non impropriè, & adumbratè definitiones, sed verè, & propriè, huiusque adeò veritatis, & proprietatis in definiendo expertes esse solas illas descriptiones, quibus Poëtæ & oratores vtuntur, quibusque per metaphoras, & similia, & aliquandò sine illis, rei accidentia quædam realiter distincta longo sermone prosequuntur: nec non illas, merito quarum Dialectici, & Grammatici varios nominum vsus explanant. 3

Nullo tamen negotio repellitur hæc obiectio. Oratio namque, qua dicitur hominem, v.g. componi ex corpore, & anima, eius essentiam physicam, & realem attingit, idque non vtcunque, sed instar essentiæ, & primæ radicis, siue conceptus primarij: qui enim sic definit hominem, nihil in eo prius concipit, aut iure potest, integritate illa, & compositione ex corpore, & anima: quid mirum ergò, si talis oratio hominem proprie definit? Cæterùm hæc v.g. homo est animal risibile, aut quæcunque alia per proprietatem, aut respectum ad causas rem definiens, essentiam quidem eius realem & physicam attingit, non tamen instar essentiæ, sed potius accidentis logici, & conceptus cuiusdam secundarij, propterea quod proprietas rei, & eius respectus ad causas ratione nostra supponat eius essentiam logicam, ac respectum ad præcipuas suas, ac magis nobiles orationes: nulla ergò descriptio, nulla definitio causalis strictam definitionis indolem & essentiam sortietur. Vide inferius dicenda lib. 8. tract. 6. c. 5. circa medium. 4

Data opera, tum ad finem capitis secundi, tum hoc ipso cap. tertio paulo suprà adieci particulam illam, *genus, aut quasi genus*, cum sermo esset vtrobique de definitione essentiali & stricta. Arbitror enim aduersus Fonsecam lib. 5. instit. Dialecticarum cap. 3. Conimbricenses tom. 1. log. in cap. 5. de substant. quæst. 1. §. 1. & 2. & alios neotericos definitiones supremorum generum quibusve non sit aliud superius genus, ea tamen propriè & rigorosè definire, esto per genus presse tale ea non explicent, eo videlicet quod illorum essentiam & quidditatem etiam logicam proponant, quo quid amplius requiri potest ad strictè definiendum? Respondent aduersarij proponere quidem, sed non explicare, sicuti, vt pressa, & vera ratione definiant, opus est: propterea autem non explicare, sed primis veluti lineamentis adumbrare, quia genera ipsa, circa quæ sunt ob maximam eorum vniuersalitatem vix aut 5

ne

ne vix quidem ustinent clarius reipsa repræsentari, quam primò cognoscebantur: proindè, inquiunt, hæ orationes, ens est quod potest esse, substantia ens per se, accidens ens in alio, bonum quod omnia appetunt, vnum indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, & similes, magis esse videntur nominum, quam rerum explicationes. Hæc illi: sed hallucinantur egregiè: etenim identitatem realem (cuius conceptus est vniuersalissimus, nec ipso inferior ente, cuiusque, quod ad præsens attinet, & cæterorum transcendentium eadem est ratio) reipsa tamen, & non solo nomine, & vocabulo tenus posse explicari, & clarius quam ante innotescere demonstrabitur in meth l 2. tract. 2. cap 1. & quidem non video quidni. Atque vt alios præteream hac in sententia perspicuè nobis adstipulantur Franciscus Alfonsl. lib. 1. instit. Dialecticarum cap 5. nuner. 19. difficult. 4 Hurtadus disp. 10. log. sect. 2. §. 5. & Arriaga disp. 3. summul. sect. 1. num. 5. ad finem. Ex his liquet, estò suprà maioris claritatis gratia distribuerimus definitionem in quatuor species, scilicet quid nominis, causalem, descriptiuam, & essentialem; tamen magis pressam, ac dialecticam eius diuisionem ita esse faciendam; definitio alia est propria, nimirum essentialis, alia impropria: rursus impropria alia est descriptiua, alia causalis, alia solius nominis, & non quid rei ipsius.

6 Quod spectat ad diuisionem, omnibus in explorato est, diuisionem totius potestatiui in partes subiectiuas, seu species realiter distinctas propriè esse diuisionem. Cæterum verius arbitror, eam, si fiat in partes sola ratione distinctas, hunc in modum; pars hominis metaphysica alia est animal, alia rationale, haud esse propriè diuisionem: diuidi enim, ac distingui sola ratione nequaquam est propriè distinctum, aut diuisum esse quid. Parique ratione nec diuisionem vocis in solos sensus diuersos, nec rei in varia accidentia esse strictè diuisionem, cum diuidi, aut distingui in nomine aliquo plures significationes, aut in re aliqua plura accidentia, haud sit reapse ac verè entitatem materialem vocis, reivè subesse alicui diuisioni, aut distinctioni, vt per se claret. Maior difficultas est, an diuisio totius actualis non in partes sola ratione distinctas (ita enim quid de ea dicendum sit, nuper in simili deliberatum est) sed in partes realiter distinctas, sit proprie diuisio?

7 Negant recentiores ingenio nobiles: quia leges omnis veræ diuisionis sunt, tum quod à negatione partium omnium diuidentium ad negationem diuisi valet consequentia, tum quod valet ab affirmatione diuisi ad affirmationem alicuius partis diuidentis: atqui hæ leges tenent in diuisione totius potestatiui in suas partes: sequitur enim; non est homo, nec bellua; ergo non est animal; necnon sequitur, est animal; ergò vel homo, vel bellua. Cæterum non tenent in diuisione totius actualis; haud enim deducitur; equus non est corpus, nec est anima sensibilis; ergo non est animal, seu viuens sensibile: haud etiam ritè deducitur; equus est animal; ergò vel est corpus, vel est anima sensitiua. Signum ergò est solam diuisionem potestatiuam: non verò actualem esse propriè diuisionem, ac modum sciendi. Respondeo tamen, leges omnis veræ diuisionis esse assignatas à nobis suprà: duas autem in præsenti obiectas, non omnis diuisionis, sed solius potestatiuæ esse proprias: nec contrarium ab

8 aduersariis probari, aut posse.

Alia quoque ratione recentiorum firmari potest opinio: totum aliquod diuidi propriè est propriè, ac realiter illud distingui, ac multiplicari: sed in sola diuisione potestatiua v.g. animalis in hominem, & belluam id, quod diuiditur, realiter multiplex, ac diuersum est in suis partibus & inferioribus; cum interim homo v.g. non ob id quod diuidatur in corpus, & animam, merito vnius, & alterius realem vllam sortiatur multiplicitatem; alioqui certè illam habebit Petrus & quoduis aliud indiuiduum ex partibus actualibus coalescens. Respondeo tamen, vti lignum hoc, quod perspicuitatis gratia nominetur A, physicè diuiditur, cum serra separantur inuicem eius partes, absque eo quod in eis multiplicetur, ita intentionalem diuisionem alicuius totius, eamque veram, & propriam contingere posse, sine vera multiplicitate eius, quod diuiditur.

Quamobrem censeo, diuisionem totius actualis, 9
ac physici in partes suas, non minus quam partitionem totius potestatiui, esse verè, & propriè diuisionem, cum nullum sit argumentum, quod oppositum suadeat vt ex dictis perspicuum est. Alij nostram hac in re opinionem confirmabunt, hunc in modum: diuisio totius actualis est propriè modus sciendi iuxtà statuta à nobis dubitatione superiori: at non est definitio, nec argumentatio; ergò diuisio. Sed malè: tum quia vt demonstratum est suprà cap. 1. tractatus superioris, fieri potest, vt propositio aliqua, aut oratio sit propriè modus sciendi, quin tamen propriè, aut strictè obtineat rationem definitionis, diuisionis, aut argumentationis: tum etiam, quia diuisio actualis metaphysica neutiquam dicenda, aut censenda est presse, ac rigorosè diuisio; esset autem non minus quam actualis physica, si cuius esset momenti quod respuimus argumentum.

Ex hactenus adductis de diuisione constat, esto 10
eius species latè tradi, & explicari soleant, vt à nobis suprà ad initium capitis superioris; cæterum ita ens oportere secerni, si diuisionis partitio est exigenda ad dialecticum rigorem: diuisio alia est propria, alia impropria: propria iterum alia est totius in partes potentiales realiter distinctas, alia est eius in partes actuales reali etiam distinctione seclusas inuicem: impropria verò rursus alia est rei, aut in partes sola ratione distinctas, quæ demum illæ cunque sint, siue eius in accidentia sua physica, siue denique nominis in suos sensus. Diuisio autem accidentis in subiecta ad diuisionem potestatiuam reuocatur, cum perinde sit dicere, album aliud nix, aliud lac, atque album aliud est album tali subiecto constans, aliud est album alio subiecto coalescens. Quin etiam diuisiones impropriæ subiecti in accidentia, & nominis in suas significationes proprietatem induere, & ad diuisionem potestatiuam reduci sustinent: nimirum si eas commodè interpreteris: duas autem eius genij suprà positas in cæterarum exemplum sic poteris interpretari: homo coloratus, vt talis, alius est albus, alius niger: significatio fusci alia est, qua colorem; alia, qua vocem indigitat.

Dubitabis tertiò circà definitionem, & diuisio- 11
nem, an differentiæ tam diuidant genus, quam definiunt, & constituunt speciem? Affirmat Arriaga disput. 3. summul. sect. 2. & quidam alij: quoniam differentiæ vt quod, & velut partes simul cum generibus constituunt, definiuntque speciem. Atqui etiam vt quod, ac velut partes quædam diuidunt genus, siue, quod perinde est, quælibet earum est id, in quod diuiditur genus; cum v.g. animalis diuisio sic se habeat: animal aliud est rationale, aliud irrationale. Et quidem, si species sunt membra

diuidentia

diuidentia generis, quia animal v. g. diuiditur hoc modo; animal aliud est homo, aliud brutum, negari haud posse videtur, quin eadem de causa differentiæ sint membra diuidentia generis, & non tantum rationes diuidendi genus in membra alia.

Enimverò oppositam sententiam tuetur Boëtius in lib. de diuisione, Porphyrius in cap. de differentia, Fonseca lib. 4. instit. dialecticar. cap. 8. Franciscus Alfonsus lib. 1. etiam instit. dial. cap. 6. n. 15. Hurtad. disp. 10. log. sect. 8. §. 35. aiunt enim, etsi differentia quæuis sit id in quod species, quam componit, resoluitur, velut in partem, non tamen esse id, in quod diuiditur genus, sed per quod, aut quo diuiditur genus, & hoc in solas diuidi species. Ratio autem potissima, qua mouentur plerique huius sententiæ authores, est, quia ens naturale completum non diuiditur physicè in formam telluris, aeris, lapidis, hominis &c. sed in hos ipsos per ipsorum formas: marmor item non diuiditur in formam statuæ, mensæ, cathedræ &c. sed in hæc artefacta per eorum formas: similiter ergò genus non diuiditur in differentias specierum, sed in species per differentias. Parum est in hac quæstione momenti: nihilque refert, quam eius partem sequaris, quouè vtaris loquendi modo. Si secundus placet, dicito ad argumentum, quo probatur primus, subaudiri animal ex parte differentiarum, cum in eas diuiditur genus, & hoc non in illas secundum se sed simul cum genere sumptas adeoque magis in species, quam in ipsas distribui: aut vno verbo; animal aliud est rationale, aliud irrationale, idem esse, atque animal aliud est animal rationale, aliud est animal irrationale, siue aliud homo, aliud brutum: ex quo quid potest effici aduersariis fauorabile? Sin autem primus loquendi modus tibi magis arridet; dic ad fundamentum, cui secundus innititur, ens naturale completum haud diuidi in formas physicas substantiales, ita vt de eis prædicetur; at absolutè in eas diuidi, velut in partes actuales; marmorque similiter dissecari in formas artificiales statuæ, mensæ, cathedræ, velut subiectum in accidentia, non tam in quibus sit, quam quæ sint in illo. Similiter ergò, licet non possit genus, ex. g. animal, de rationali, & irrationali prædicari, poterit tamen in illa diuidi, veluti in formas, quæ de ipso possunt, ac debent prædicari.

12 Quartò dubitabis, an diuisio totius actualis in suas partes sit formaliter distincta à definitione? Quod enim attinet ad diuisionem totius potestatiui in partes subiectiuas, v. g. animalis in rationale, & irrationale, eam haud esse proprie definitionem omnes supponunt, nemoque non censet, animal definiendum esse per viuens sensibile, aut compositum ex corpore, & anima sensitiua. Pari ratione siue nomen in varios sensus, siue rem in accidentia physica, siue accidens in varia subiecta dispescas, luce clarius est, nullam harum sectionem strictè definire, aut essentia tenus explicare rem; quandoquidem neque significatio est nomini essentialis, neque accidens physicum subiecto, aut subiectum accidenti. His constitutis diuisionem totius actualis in partes suas essentiales esse formaliter definitionem, ab eaque non distingui censeo: idque etiam censent Hurtad. disp. 10. log. sect. 6. Arriaga disp. 3. summul. sect. 2. Atque ideo forsan Aristotel. lib. 1. metaph. cap. 7. text. 48. Albertus in Porphyrium tract. 1. & alij non pauci antiquorum duos tantum differendi modos adstruunt, videlicet argumentationem, & definitionem: quia, nempe putant, diuisionem in partes actuales, & essentiales ad definitionem strictam, & simpliciter talem reuocari; diuisionem autem totius in partes potestatiuas, aut subiecti in accidentia, aut accidentis in subiecta, aut nominis in varios sensus ad definitionem secundum quid, siue descriptionem quandam reduci. Quanquam autem Plato in Sophista, Phædro, & Ciuili, Cicero lib. 1. de finibus, Augustinus agens de origine artium tres differendi modos adstruant, ac diuisionem à definitione non minus, quam hanc ab argumentatione, distinguant, intelligendi tamen sunt, non de diuisione totius in partes actuales, sed de cæteris speciebus diuisionis, illisque comparatis ad solam definitionem essentialem, ac propriè, & simpliciter talem.

Causa autem quapropter persuasum habeo, diuisionem actualem, ac definitionem strictam non distingui est, quia illa partes essentiales suapte natura explicat; ergò & rei essentiam sicuti oportet, vt non tantum diuisio sit, sed etiam definitio: hæc etiam rei proponit, & exponit essentiam, ergo & partes essentiales; quidni ergo sit diuisio, & non definitio tantum? Atque, vt hi actus, homo constat corpore, & anima, hominis pars alia est corpus, alia est anima, quandam habeant in modo repræsentandi diuersitatem, quæ quam exigua sit, nemo non videat paulo iudex æquior; cæternm nescio, cur nam alteruter non sit simul definitio, & diuisio, eo scilicet titulo, quem nuper perstrinximus. Quocirca diuersitatem eorum actuum frustrà quidam nobis obiiciunt. Qui autem opponunt, definitionem ex peculiari suo genio veluti componere, & copulare partes rei, ac diuisionem eas potius separare, nil nisi meras nugas adferunt: etenim qui ait, hominem esse compositum ex corpore, & anima, partes eius intentionaliter separat, cum eas vt distinctas repræsentet: qui verò hominis partem aliam esse corpus, aliam animam, partes hominis intentionaliter componit, cum adstruat partes componentes hominem esse duas illas, scilicet corpus, & animam. 13

Tertiò denique qui obiiciunt, diuisionem rei eam distinguere à quauis alia, secus vero definitionem, hi quidem splendidè falluntur: namque definitio præter genus, differentiam etiam importat; rem ergò à quacunque alia distinguit, ac secernit in actu primo. Quod si sermo sit de actu secundo absolutam aliarum rerum cognitionem concernente, ita certe nec definitio, nec diuisio rem ab omni alia distinguunt suapte natura, cum res quæuis absque aliarum expressa notitia possit diuidi, ac definiri. Video huic sententiæ contrarios esse Franciscum Alfonsum supra cap. 6. & Ouiedum controuers. 2. summul. punct. 2. n. 7. nec non idem quod ambos sin minus exprimere, at certe insinuare Conimbricenses tom. 1. log. q. 6. procemial. art. 1. §. *tertio si ita res esset*. Sed & video nihil ab eis adferri, quod ex dictis aut non sit solutum, aut non sit facile solui. 14

CAPVT II.

Duo alia dubia de definitione, & diuisione diluuntur.

ALterum eorum est, an definitio & diuisio mentales sint in intellectu duntaxat possibili, seu passibili, nec definiamus, aut diuidamus mentaliter, donec cognoscamus, & formaliter percipiamus, quæ sit natura rei, & quidditas, & quæ eius partes. Plerique 15

que affirmant adeoque certum, & exploratum ſupponunt, quod affirmant, vt id ne in controuerſiam aut dubium reuocent. Probabile tamen duco, definitionem, & diuiſionem, nec eas modò, ſed quemuis ſciendi modum reperiri poſſe in intellectu agente, eo videlicet, quo ſpecies impreſſas abſtrahere conſueuimus à phanthaſmatis.

16 Moueor autem, quia hæ voces, homo eſt animal rationale, ſunt definitio (quod & ita eſſe dubitat. ſequenti clarebit; &, ſi ita non eſt, parum intereſt, quando euidens quidem eſt, idem argumentum fieri poſſe in his vocibus, animal rationale, eas ſi quis ſolas putet eſſe definitionem vocalem hominis.) Atqui formaliter affirmant de homine eius quidditatem, non intrinſecè, ac ſuaptè natura, ſed arbitrariè, & per ordinem, quem ex hominum libito ſortiuntur ad iudicium mentale animal rationale de homine affirmans. A fortiori ergò ſpecies impreſſæ cauſatiuæ talis iudicij idem formaliter affirmabunt, ſicut ad definiendum, aut oportet aut ſatis eſt; per ordinem ſcilicet, non arbitrarium, ſed naturalem, & intrinſecum ad cognitionem illam, cui potiſſimè conuenit eſſe definitionem hominis, deque eo quod ſit animal rationale affirmare. Rurſus ſecundò, ſpecies impreſſæ ſiue diſtinguantur ab habitibus intellectualibus, ſiue ſecùs (vtrum enim horum eligatur, nihil refert ad præſentem quæſtionem) inſtrumentaliter ſignificant, vt expreſsè tuentur Conimbricenſes, & Arriaga à nobis laudati ſuprà tract. 1. libri ſexti cap. 2. dubit. 7. vtque colligitur ex Ariſtotele, Auguſtino, Thoma, Ferrarienſi, Caietano & Rhodigino ibidem citatis, ac denique vt conuincunt rationes, quas ſuper authoritatis tantæ præſidium hac pro ſententia eodem in loco adduximus. Species ergò impreſſæ, quæ reſpondent his vocibus, homo eſt animal rationale, hoc inſtrumentaliter ſignificant obiectum, hominem ergo eſſe animal rationale affirmant, adeoque eum definiunt, cum non alio nomine ipſæ illæ voces hominem definiant, deque eo quod ſit animal rationale affirment, niſi quia inſtrumentaliter ſignificant hominem eſſe animal rationale.

17 Tertio denique aut ſpecies impreſſæ immediatè, & per ſe habent, quod etiam formaliter repræſentent, vti neotericorum Thomiſtarum haud paucis libet; & ita non eſt, cur non affirment formaliter, hominem v. g. eſſe animal rationale, eumque proinde non definiant: aut ſpecies impreſſæ tantum intrinſecè, ac ſuapte natura habent, quod repræſentent virtualiter, vt noſtris communiter placet authoribus; atque ita haud comperio, cur formaliter non repræſentent, mediatè ſaltem, ac denominatione hauſta ab ea cognitione, quam cauſant; ſicut ſpecies hominis iuxtà omnes eſt vniuerſalis per denominationem à conceptu vniuerſali hominis, quem nomine cauſat obiecti, aut alio, ſi mauis, aliquo. Quocunque autem modo ſpecies formaliter repræſentent hominem verbi gratia eſſe animal rationale, id neceſſe eſt, vt affirment, & conſequenter humanæ definitionis rationem ſortiantur. Qui probationes has rectè expenderit facilè comperiet, eas nullo negotio applicari poſſe, tum diuiſioni, & argumentationi, tum cuicunque orationi ignoti manifeſtatiuæ, atque quod omnes, non minus quam definitio eſſe poſſint, & ſoleant in intellectu agente, demonſtrare. Quæ autem rationes afferri poſſunt pro contraria ſententia, leues admodum ſunt, eaſque adeò omitto, ne cum Virgiliano Ænea tenues perſequi videar ſine corpore vitas.

Alterum dubium cuius enodationem pollicitus ſum ad initium huius capitis, eſt ad quam facultatem intellectus poſſibilis pertineant definitio & diuiſio, an ſcilicet ad eius vim apprehenſiuam, vel duntaxat iudicatiuam? Definitionem (par autem eſt diuiſionis ratio) ad ſolam illam priorem vim pectare, & non ad poſteriorem hominemque v. g. tum duntaxat definiri, quando ſine illo apprehenditur animal rationale, non quando hoc de homine prædicatur perſpicuè docet Ariſtotel. lib. 1. de interpret. cap. 4. & lib. 2. poſter. cap 3 & lib. 6. topic. cap. 2. prædictiſque cum eo locis Auerroës, B. Thomas plureſque alij interpretes antiqui: Item Ouiedus controuerſ. 2. ſummul. punct. 1. num. 2. & Franciſcus Alfonſius lib. 1. inſtit. dialecticarum cap. 6. difficult. 6. num. 26. Contra verò ſolum iudicium eſſe definitionem, & hanc minimè pertinere ad facultatem apprehenſiuam intellectus poſſibilis, aut paſſibilis tuentur ab. lib. 7 cap. 3. ſi fortè ibi de definitione ſtricta ſermonem habet, vt aliqui exiſtimant, & cum Fabio Hurtad. diſp. 10. log. ſect. 6. num. 26. clarius infra ſect. 12. §. 58. Eidemque ſententiæ nec minus quam priori fauere videtur Ariſtotel. lib. 1. poſter. cap. 2. text. 14. & eiuſdem lib. cap. 7. & lib. 2. poſter. cap. 10. Tertia ſententia, & quæ mihi magis arridet, eſt definitionem ita ſumi poſſe, vt ad ſolam partem apprehenſiuam intellectus poſſibilis attineat; nec non ita eam vſurpari poſſe vt in iudicio conſiſtat, & ad eam intellectus poſſibilis partem ſpectet, cuius eſt apprehenſa componere, aut diuidere inuicem. Ita Arriaga diſp. 3. ſummul. ſect. 1. num. 8. Auerſa q. 4. log. ſect. 4. §. *hæc tota diuerſitas*. In eadem ſententia quod caput eſt, videtur eſſe Ariſtoteles ipſe, vt colligitur ex variis eius locis paulo ſuprà adductis: nam ſi conferantur inuicem, non contrariarum ſententiarum alterutram, ſed noſtræ vtramque partem confirmant: quòbrem opinionem noſtram eſſe Ariſtotelicam fatetur Fonſeca lib. 5. inſtitut. dialecticarum cap. 1. quanquam ipſe in primam ſententiam ſuperius relatam magis inclinet.

Porrò autem prior noſtræ ſententiæ ſuadetur aſſertio. 19 Nam definitio eſt clarior ſuapte natura definito: ſola autem apprehenſio animalis rationalis v. g. eſt clarior apprehenſione hominis cum hæc haud ſit clarior ſeipſa: prior ergò illa duntaxat eſt definitio hominis, nec definitionem hominis poſterior conſtituit: conſtitueret autem, ſi definitio præfata eſſet duntaxat iudicium, quippe de cuius ratione eſt, vt prædicati & etiam ſubiecti conceptum complectatur. Quod ſi quis reſpondeat, conceptum, tum hominis, tum animalis rationalis, quo ſcilicet vterque componitur, & alter affirmatur de altero, haud dubie eſſe clariorem ſola hominis apprehenſione, perperamque adeo à nobis ſupponi, ſolius animalis rationalis conceptum eſſe clariorem conceptu hominis, ſicut ad definitionem oportet; in contrarium eſt, quod iudicium prædicans animal rationale de homine eatenus tantum ſit clarius apprehenſione hominis, quatenus fertur in animal rationale: hoc ergò ſolo ex titulo eſt definitio, vt priori modo hæc ſumitur, neque niſi materialiter ſe habet reſpectu illius, vt ita definit hominem, quod hunc concipiat.

Rurſus ſecundò: definitio obiectiua ita ſumi poteſt, vt ſit ſolum animal rationale v. g. non verò homo, & animal rationale, atque vtriuſque identitas: ergò & formalis ſimiliter ita poterit, ac debebit vſurpari, vt ſit non cognitio trium illorum conceptuum obiectiuorum, iudiciumvè omnes ex æquo complectens, ſed cognitio ſolius animalis rationalis, ſeorſim à quocunque alio. Antecedens (haud 20

enim consequentia verti potest in dubium) suadetur: nam definitio obiectiua conuerti potest, ac debet cum definito: solum autem animal rationale est, quod cum homine conuertitur, idemque est de quouis alio prædicato quoduis definiente subiectum definitio ergò obiectiua hominis est solum animal rationale, & similiter rei cuiuscunque alterius id quod de ipsa prædicatur quidditatiuè. Nec momenti quidpiam est in eo, qnod aliqui proculdubio obiicient, ita hoc argumento primam nostræ sententiæ partem confirmari, vt eius posterior pars destruatur, eo quod definitionis omnis videatur lex esse, quod conuertatur cum definito; vnde videtur confici, totam hanc propositionem obiectiuam, scilicet homo est animal rationale, neutiquam cum homine definito conuerti, aut esse definitionem. Nihil inquam est in hac obiectione momenti. Verius enim est, definitionis omnis incomplexæ, non vero complexæ conditionem esse, vt debeat cum definito reciprocali. Quod suadeo ad homines: namque vel aduersarij debent concedere definitionem formalem non conuerti cum definito, soliusque definitionis obiectiuæ proprietatem esse eiusmodi conuersionem: haud ergo lex illa est absolutè omnis definitionis, sed certæ cuiusdam, sed tamen illius, vt hoc interim fatear, in omni materia.

21 Præterea tertiò lex quædam definitionis est, vt eam non ingrediatur definitum: at ea locum non habet in definitione complexa, & enuntiatiua, de qua postea: hanc enim definitum ingreditur, vt luce clarius: fatendum ergò est, dari definitiones quasdam incomplexas, & apprehensiuas, quæ id habent omnes, & singulæ, vt definitum sit prorsus extra illarum fines. Non me fugit, regulam illam quodam sensu tenere in definitionibus etiam complexis: nullam enim harum prædicato tenus intrat definitum, quod solum sufficit ad vitandam repetitionem inutilem, & eiusdem per seipsum explicationem. Cæterum video etiam expeditiorem eius regulæ sensum, magisque planum esse, quod nullo pacto definitum ingrediatur definitionem: quod si ita est sanè locum habet in sola definitione incomplexa: hæc ergo est admittenda.

22 Posterior iam nostræ pars hoc vno probatur argumento. Definitio est oratio explicans naturam rei: at certo certius est, hanc propositionem, *homo est animal rationale*, hominis explicare naturam, eamque suis figurare coloribus: hominis igitur erit definitio: quæ autem est huius propositionis ratio, eadem est cuiusque alterius similis.

23 Dices, id in hac probatione vitij esse, vt priorem improbet nostræ sententiæ partem, aut certè eius improbandæ præbeat occasionem. Etenim qui negat hominem v. g. esse animal rationale, hominem non definit, eiusque naturam non explicat, sed implicat vt sic dixerim, eamque non tam pandit, & manifestat, quàm occultat: sed sic enuntians & iudicans apprehendit animal rationale: sola igitur apprehensio animalis rationalis haud est definitio hominis.

24 Respondeo: quodditas, & natura rei est eius definitio obiectiua: & formalis rei definitio est oratio, seu cognitio explicans, & exprimens eam quidditatem: cognitio autem negans animal rationale de homine, esto attingat quidditatem hominis, non tamen vt est in se, sed aliter quam est in se, adeoque eam non explicat, nec exprimit: nil mirum ergò si haud sit definitio hominis. Atqui apprehensio animalis rationalis, illud nec negans nec affirmans de homine, quidditatem hominis, vt est in se, attingit; id est non aliter, quam se habet illa à parte rei: haud enim alio modo particulam illam *vt est in se*, oportet accipi. Eiusmodi ergò apprehensio quidditatem hominis exprimit, & explicat: proindeque definitionis sortietur essentiam. Aut paulo aliter: ita ea apprehensio proponit quidditatẽ hominis, vt vi ac luce illius scire, & iudicare possimus, quid sit homo? explicat ergò quidditatem hominis. At vis illa directiua ad iudicandum quid sit homo, eave quidditatis humanæ lux præuia haud visitur in propositione negante animal rationale de homine, cum negatio haudquaquam dirigat ad oppositam affirmationem, nec ei facem præferat. Potior ergò ratio est, vt mera apprehensio animalis rationalis sit hominis definitio, quam animalis rationalis de homine negatio.

Dices iterum, definitionem hominis v. g. explicare debere hominem, absque conceptu respondente huic voci, *homo*, quod non præstat hæc propositio, homo est animal rationale. Et quod ita sit explicandus homo per suam definitionem patet, quia alioqui ea similis erit picturis, & imaginibus seu adeo obsoletis, & attritis, seu adeo rudi, & imperita manu deformatis, vt discerni facile non possit, an hominem v. g. vel leonem figurent, nisi superscriptus sit titulus, hic homo, aut hic leo. Sed nego antecedens, &, qua probatur, sequelam. Non enim ex eo quod hæc propositio, homo est animal rationale, quidditatem hominis attingat conceptu respondente huic voci, homo, & non huic soli, animal rationale, quidditatem illam minus perfectè exprimit, & repræsentat; imò multis partibus perfectius, vt visum est. Nulla ergò eius esse potest comparatio ad picturas inscriptionis indigas, vtpotè quæ non alia de causa titulo sic egent nisi quia res illas, quarum sunt imagines, haud satis ad viuum exprimunt, ac delineant. 25

Ex hactenus disputatis animaduertes, definitionem definitionis supra cap. 2. traditam, scilicet quod sit oratio explicans naturam rei, aut esse solius definitionis incomplexæ, & in sola apprehensione interna, aut externa sitæ: ita enim erit proba, & per genus proximum: aut, si velis eam accommodare definitioni complexæ, & in enuntiatione consistenti, voculam illam, *oratio*, restringendam esse ad solam perfectam, & iudicatiuam; restringendam, inquam vel expresse, vel certè tacitè, & subaudiendo quod non exprimitur; alioqui enim definitio erit mala, & per genus remotum. Quod autem dico de definitione definitionis, id etiam dictum puta de definitione diuisionis seruata proportione, ea nimirum, qua explicata est per hoc quod sit oratio totum in suas partes distribuens. 26

Vt autem eò regrediamur, vndè digressi sumus, supereſt aliud argumentum, quo non diuisim, & per partes, vt suprà, sed simul, ac iunctim probari potest nostra sententia duplicem statuens definitionis nec non diuisionis acceptionem. Id autem argumenti commodè non possumus proponere, nisi prius explicemus, an argumentatio, & syllogismus consistant in solis præmissis, vel in iis, ac simul assensu conclusionis. Qua in re quatuor inuenio sententias. Prima est syllogismum complecti præmissas simul & conclusionem. Ita Hurtadus disp. 10. log. sect. 12. §. 61. Arriaga disp. 15. log. sect. 2. Franciscus Alfons. lib 5. dialect. instit. cap. 2. num. 2. & communiter Recentiores. Secunda sententia, in quam teste Hurtado inclinant Philoponus & Burana, est, 27

solam

ſolam concluſionem eſſe ſyllogiſmum, & argumentationem, ſiue diſcurſum. Tertia ſententia eſt, ſolas præmiſſas eſſe ſyllogiſmum. Ita Auerroës 1. periherm. cap. 1. & 2. priorum cap. 4. & in epitome priorum in princip. Albert. 1. prior. tract. 1. cap. 5. Nimphus 2. poſter. comment. 2. dub. 2 Quarta ſententia eſt, ſyllogiſmum vno modo ſumptum eſſe præmiſſas & ſimul concluſionem: cæterum aliter etiam ſumi poſſe, & ſolere, vt ſit vel ſolæ præmiſſæ, vel etiam ſola concluſio. Ita abſolutè Auerſa quæſt. 25. log. ſect. 6. & quod attinet ad præmiſſas ſyllogiſticas Conimbricenſ. 1. prior. cap. 1. q. 2. a. 2. & Ouiedus controu. 9. log. punct. 1.

28 Poſtrema ſententia præcisè ſumpta ac nulla ei adhibita moderatione mihi magis arridet. Atque quod aliquando ſyllogiſmus intrinſecè, & eſſentialiter comprehendat tam præmiſſas, quam concluſionem, ſuadetur. Primò quia, iuxtà Ariſtotelem, & cæteros philoſophos, ſyllogiſmus eſt, in quo quibusdam poſitis aliud ſequi neceſſe eſt: qua definitione admiſſa quis nõ videat ſyllogiſmum claudere intra ſe, & aſſenſum præmiſſarum, & ſimul concluſionem, quæ ex eis neceſſario ſequitur? Secundò, quia ſyllogiſmus eſt compoſitum per accidens, & artificiale quamuis ergò phyſicè, & per ſe non vniantur inuicem concluſio &, præmiſſæ, tamen poterunt conſtituere ſyllogiſmum. Rurſus tertiò Ariſtotel. 2. phyſicor. text. 31. ait, præmiſſas, ſeu ſuppoſitiones eſſe materiam ſyllogiſmi, & concluſionem eius veluti formam. At materia, & forma conſtituunt intrinſecè totum, ac ſunt de illius conceptu.

29 Quod autem ſolæ præmiſſæ dici poſſint aliquandò ſyllogiſmus nec poſſint, ſed ſoleant etiam, hunc in modum probatur. Ariſtoteles 2. prior. cap. 1. docet, eundem ſyllogiſmum inferre concluſiones diuerſas, vt claret in Celarent v. g. & Celantes: & 1. poſterior cap. 2. demonſtrationem definit, eſſe ſyllogiſmum facientem ſcire. Solæ autem præmiſſæ inferunt concluſionem, ſeu ſcientiam, neque hæc eſt illatiua ſuimet ipſius: præmiſſæ ergò duntaxat ſunt ſyllogiſmus, aut certè hic perperam dicitur ab Ariſtotele inferre concluſionem. Præterea Philoſophus 1. prior. cap. 25. ſyllogiſmum ait, conſtare ex duabus propoſitionibus: at, ſi eſſet, provt ibi accipitur, complexio quædam præmiſſarum, & concluſionis, non duabus ſed tribus coaleſceret propoſitionibus; & ne duabus quidem, ſi eſſet ſola concluſio. Quanquam fateor hunc locum aliter poſſe exponi, vt ſcilicet duæ enunciationes concluſioni præuiæ dicantur vna propoſitio, & ſimul cum concluſione duas efficiant. Atque ita interpretatur eum Ariſtotelis textum Auerſa cum aliis. Quod ſi quis opponat aduerſus hanc noſtræ ſententiæ partem, fore ex ea vt vna tantum enunciatio quandoque dici poſſit formaliter enthymema, concedo conſequentiam, ſi ſumatur enunciatio illa non ſine ordine ad aliam, quam valet inferre, ſiuè vt capax illius inferendæ.

Quod etiam concluſio ſola, ac per ſe interdum 30
dici mereatur ſyllogiſmus probatur. Primò quia ſyllogiſmus haud rarò accipitur pro tertia mentis operatione, hæc autem perinde eſt atque concluſio, nec ab ea differt. Secundò quia Ariſtoteles 1. de anima text. 48. ſic ait *demonſtrationes habent pro fine ſyllogiſmum, aut concluſionem*; vbi pro eodem vtrumque. Hinc ergò noſtram de definitione & diuiſione ſententiam ſuprà traditam ſuadeo. Syllogiſmus interdum eſt aſſenſus præmiſſarum, ac ſimul aſſenſus concluſionis, interdum verò alter duntaxat eorum aſſenſuum. Similiter ergò definitio quandoque erit ſubiectum & prædicatum, totave propoſitio, quandoque ſolum prædicatum: nec definitio tantùm, ſed & diuiſio eodem iure, eodemque modo id ipſum ſibi vendicabit. Atque hactenus de modo ſciendi, eiuſque tribus potiſſimis ſpeciebus, nempè definitione, diuiſione & argumentatione: de duabus quidem prioribus latè & ex profeſſo: at de hac poſtrema obiter, & quoad paucula, eaque duntaxat quæ ad finem huiuſmet capitis paulo ſuperius ſunt perſtricta. Nec vero pluribus opus erat; cum locos omnes argumentandi dederimus libro primo, ummula ſeptima: cætera vero quæ ad argumentationem, provt logici inſtituti eſt, ſpectant, lib. 5. noſtri operis.

LIBER OCTAVVS

De Vniuerſalitate veritatis.

TRACTATVS I.

De Ratione communi vniuerſalitatis.

CAPVT I.

Quidnam ſit vniuerſale in communi præſentis inſtituti proprium?

1 VNIVERSALE, aliud eſt in cauſando, quod plurium virtus productiua eſt: qua ratione Deus rerum creatarum vniuerſalis cauſa dici conſueuit, quia omnes de nihilo condidit: eodem etiam ex titulo Sol, & ſydera, ſine quorum influxu res inferiores ſub lunæ cauo contentæ illicò eſſent perituræ, harum dici adſolent cauſæ vniuerſales. Rurſus vniuerſale, aliud eſt in ſignificando: quod videlicet plura refert, ſeu repræſentat: hoc pacto ſpecies impreſſa Angeli plura ei diſtinctè proponens, eſtò ipſamet ſit in ſe indiſtincta, & indiuiſibilis, dici ſolet vniuerſalis, & non more noſtrarum quarundam ſingularis: eo etiam pacto vox homo, & conceptus ei in mente reſpondens dicitur vniuerſalis, quia non vnum hominem, velut Ignatius ſignificat: eo denique Cometæ veluti ſigna quædam vniuerſalia portendunt regnorum euerſiones, Principum mortes, aliaſque clades imminentes.

2 Neutrum horum vniuersalium est propriè vniuersale: quis enim Deum summe vnum, & singularem, quis singulos orbes cælestes, quis item editas à nobis voces destinatas, & particulares, nec minus singulares conceptus eis in mentium nostrarum penetralibus respondentes, quis tandem portenta desuper mortalibus minitantia, & quæ est eorum singularitas, sensibus obuia in vniuersalibus ausit proprie numerare? Deinde neutrum eorum vniuersalium est huius instituti, saltem qua alterutrum latissimè funditur, sed potius physicæ, metaphysicæ, Theologiæ: & aliarum facultatum, vt intuenti palam erit.

3 Quod ergò est propria ratione vniuersale, quod ad præsentem spectat materiam, est vniuersale in essendo, seu prædicando, veluti natura humana v. g. quæ est vna in multis, & in iis multiplicabilis, deque iis prædicabilis. Quocirca id definiri communiter adsolet, *vnum in multis*: Ita Aristoteles 1. posterior. cap. 1. text. 81. & 7. metaphys. text. 45. B. Thom. Scotus, & vtriusque sectatores: nostri etiam omnes: & vt breui expediam, cæteri scholastici, si fortè Nominales excipias. Porrò autem tertium hoc vniuersale, vt ex proposita eius definitione liquet, tria complectitur, nempe vnitatem, multitudinem, ac modum essendi vnius in multis: de quibus ex ordine disputandum huius decursu tractatus.

CAPVT II.

Vnitas rei vniuersalis propria.

4 VNiuersale vnum esse, vel ipsa vniuersalis notio apertè indicat: Porrò vnitas triplex est, nimirum accidentalis, quæ in aggregatione plurium sita est, & non tam vnitas est, quam multitudo: physica, quæ in modo physico partes interiecto ad intrinsecam, & mutuam earum perfectionem consistit: metaphysica, quæ in identitate aliquorum conceptuum est posita. Vnitas ergò metaphysica inferius explicanda omnium consensu ad vniuersale sufficit, quidquid sit, an esse debeat realis, vel rationis, virtualis, vel formalis, de quo in tempore. Vnitas autem physica aut accidentalis ad vniuersale non sufficiunt: Nam, si vnitas physica in modo vnionis sita vniuersale constitueret, hoc compositum ex corpore, & anima, Petrus v. g. & quoduis aliud eiusmodi indiuiduum, ac singulare, esset nihilominus vnum vnitate vniuersali, quo quid magis absurdum? Rursus si vnitas accidentalis, siue aggregatio plurium rerum minimè vnitarum satis esset ad constitutionem vniuersalis, quodcunque ens per accidens, mundus hic v. g foret vnus vnitate vniuersali, quod omnes negant, & meritò: cum enim mundus hic singularis sit, vnitas autem singularis vnitati vniuersali opponatur, qui fieri potest, vt sit vniuersaliter vnus?

5 Deinde vnitas physica iterum alia est physica per se, alia physica per accidens: illa postulat vnionem subsantiarum, hæc vero vnionem accidentis cum subsantia. Priorem illam Caietanus, Villalpandus, & quidam alij ad vniuersalis essentiam exigunt, illiusque defectu concreta accidentalia, cuiusmodi sunt album v. g. aut nigrum, vniuersalia esse negant contemplatione suorum inferiorum. Cæterum apertè falluntur: tum, quia vnitas per intellectum ad vniuersale formaliter constituendum sufficit omnium ferè confessione, estò iuxtà omnes non requiratur: quidni ergo ad illud fundandum instar materialis, ac subsrati sufficiat vnitas per accidens, cum hæc sit physica, & realis, illa verò tantum logica, & rationis, ac proinde minor: tum, quia carentia in communi ad hanc, & illam est vniuersale quoddam, cum tamen nullam entitatem, ac per consequens, nec vnitatem veram, etiam per accidens habeat: tum, quia vnitas formaliter constitutiua vniuersalis est, vel solius rationis, vel virtualis, aut formalis; & omnis alia ad id muneris est impertinens, vt vel ipsi, quibuscum lis est, habent in confesso: quamuis igitur vnitas albi v. g. sit per accidens, vniuersali tamen non obstabit: quod enim vnitas physica per se esse debeat fundamentum vniuersalis, quo id fundamento dicitur? tum demum, quia accidens quintum prædicabile, & vniuersale de medio tollunt aduersarij: haud ergo iniuria duximus, eos esse explodendos.

6 Præterea vnitas, alia est præcisiua, qua res aliqua, ratione, seu consideratione nostra, aut quodammodò re ipsa, à multitudine præscinditur: alia positiua, quæ in positiua indiuisione sita est, & negationem omnem, aut præcisionem à multitudine anteuertit, & fundat. Vnitas ergò vniuersalis cõstitutiua debet esse positiua, & non merè præcisiua, tametsi recentiores contrarium profiteantur. Assertum probatur: quoniã, vt mox videbimus, multitudo præcisiua, & in mera præcisione ab vnitate sita ad vniuersale nõ sufficit: igitur nec vnitas præcisiua. Deinde si quis efformaret hunc conceptum: *essentia vel existentia* de vtriusque distinctione reali, & etiam rationis omninò dubius, is proculdubio nullum ab essentia, & existentia abstraheret vniuersale, nec essentia, & existentia per eum conceptum disiunctiuum vnitatem vniuersalem haberent: & tamen ab vtriusque distinctione, & multiplicitate is conceptus præscindit, cum neque eam affirmet, nec eam neget, sed ab ea quodammodo abstrahat: vnitas igitur vniuersalis neutiquam esse potest mere præcisiua. Quod autem obiiciunt aduersarij, vniuersale esse vnum, non alia de causa, nisi, quia per conceptum eius effectiuum à multitudine, & distinctione inferiorum præscinditur, omni, vt sic dicam, falsitate est falsius: quin potius vnum est, quoniam ille conceptus inferiora tanquam positiuè vna quodammodo concipit, de quo inferius.

CAPVT III.

Multiplicitas rei vniuersalis propria.

7 QVod ad multiplicitatem attinet: aliquam ad essentiam vniuersalis requiri, nemo est, qui ambigat. Porro duplex est, realis, & rationis solius. Realem necessariam esse, & rationis non sufficere plerique doctores extrà scholam Thomisticam affirmant. Quam tamen immeritò, suadetur primò, quoniam vniuersale non magis multiplicitatem, quam vnitatem deposcit: at sola vnitas rationis ad illud sufficit: ergo, & id genus multiplicitas. Deinde secundò: *pars metaphysica hominis* est vniuersale comparatione, animalis, & rationalis, quæ tamen sola ratione distinguuntur: assumptum est in aperto: nam hæc prædicatio, *animal est pars metaphysica hominis*, est directa: hæc vero

vero indirecta; *pars metaphysica hominis est animal*, vt ex ipsis terminis patet: ergò quia in prima prædicatum est superius, & vniuersale respectu subiecti, in secunda verò è conuerso: aut cedo, quid sit prædicationem esse directam, & indirectam?

8 Rursus tertiò, numerus in communi est ratio vniuersalis, ac superior contemplatione binarij, ternarij, ac reliquorum: at binarius, & ternarius realiter non distinguuntur, cum vterque omnes vnitates possibiles complectatur ex æquo: quod si rationem vniuersalem numeri, seu quantitatis discretæ neges, id ipsum de quantitate continua pari libertate asserere potero. Quartò: entis vt sic passio est ratio communis, & vniuersalis ad vnum, verum, bonum vt omnes in metaphysica supponunt; dum proprietatem entis in illa tria velut rationem communem in inferiora dissecant: sed vnum, & bonum reipsa non distinguntur inuicem, soliusque rationis beneficio sunt distincta. Quintò ad homines: obiectum vt sic est ratio vniuersalis, & communis ad obiectum partiale, & totale, in eaque finditur: at obiectum partiale, & totale sola ratione distinguntur, cum vtrumlibet omnia obiecta, seu cognoscibilia, tum possibilia, tum etiam impossibilia claudat. Denique vt indicat Auicenna lib. 5. metph. c. 1. est quoddam vniuersale, quod ex toto, & tam pro formali, quam pro materiali sumptum in intellectu duntaxat est, eique debetur soli: hoc autem aliud esse non potest, quam vniuersale, quod modo adstruimus, & cuius non tantum vnitas sit intellectualis; verum etiam multiplicitas, ratione nimirum vnam, eandemque rem in diuersas scindente formalitates, eisque postea per alium actum tribuente vnionem, & confusionem quandam. Atque ex dictis facilè solui possunt, quæ in contrarium obiici solent.

9 Multitudo iterum duplex est. alia positiua; quæ in cumulo vnitatum consistit: alia præcisiua, quæ in mera præcisione ab vnitate, & indiuiduatione sita est, siue ea præcisio fiat beneficio intellectus, siue munere rei ipsius, quæ suapte natura à singularitate quodammodo distinguitur, & est formalissimè non singularis. Multorum ergò sententia est, vniuersale non oportere esse ex conceptu suo positiuè: in inferioribus multiplex, sed satis esse, vt eiusmodi in iis sit, seu positiue, seu præcisiuè: quarè naturam Gabrielis Angeli v. g. esse speciem: eò, quod à sua singularitate sit præscindibilis, ac per consequens præcisiuè multiplex, non aliter, atque è conuerso quod à multiplicitate præscinditur, eo ipso est ratione nostra, & præcisiuè vnum. Atque hinc emergit prima huius sententiæ probatio: nihil aliud requiritur ad vniuersale, quam præter vnitatem multiplicitas inferiorum aliqua: sed quæ est præcisiua, est multiplicitas quædam, vt explicatum manet, eaque naturæ conuenit Angelicæ; quid ni ergò ad hanc, & quamuis aliam vniuersalem efficiendam sufficiat.

10 Secundò probari solet eadem opinio: Gabriel Angelus, & Michaël specie differunt: quoniam ergò vterque est species, esto neuter sit positiue multiplicabilis. Tertia eiusdem sententiæ probatio sic habet: natura illa Gabrielis Angeli, provt abstracta à sua singularitate non est singularis: ergò est vniuersalis, cum tamen non positiuè multiplex, sed præcisiuè tantum. Quartò probari solet ea sententia: quia si per impossibile nullum esset animal præter hominem, hæc propositio, *homo est animal*, esset alicuius vniuersalis: haud autem speciei, quia eius prædicatum esset incompletum sicut modò, & non tota subiecti essentia: haud etiam differentiæ, proprij, vel accidentis, vt palam est: ergò generis. dè huius ergò conceptu non sunt plures species: ac per consequens nec de conceptu speciei positiua pluralitas indiuiduorum. Ita de vniuersali quoad eius immultiplicabilitatem positiuam sentiunt Caietanus 1. part. quæst. 13. art. 9. & in log. cap. de specie & in tract. de ente, & essentia cap. 4. Iauellus 12. metaph. quæst. 14. Ferrara 2. contra gent. cap. 63. Sanchez tom. 1. log. q. 56. Ioannes à S. Thoma 2. p. log. q. 8. art 3. & communiter alij Thomistæ.

Enimverò positiuam multitudinem inferiorum ad 11
quoduis vniuersale requiri tuentur Scotus in 2. distinct. 3. quæst. 1. & omnes eius assectæ. Item Alexander, Alensis, Albertus, Argentin. Bonauentura, Carthusianus, & ex neotericis Auersa quæst. 8. log. sect. 4. parum ab initio & plerique alij extra scholam Thomisticam: præsertim nostri, vt Suarez in metaph. disp. 5. sect. 2. Rub cap. despe. q. 4. Conimbric. tom. 1. log. quæst. 8. in præfat. Porphyrij art. 3. Hurtado in log. disput. 5. sect. 3. Arriaga disput. 7. sect. 3. Molina 1. part. quæst. 50. art. 4. in comment. Balthazar Tellez in log. disp. 5. sect. 3. Franciscus Amicus in cursu Theologico. tom. 2. d. 3. & 6. atque apud eum alij plures.

Quorum ego sententiam certam arbitror, ac 12
manifestam. Namque inprimis ex opposita sequitur, Deum esse vniuersalem, quippe cuius essentia ab vnitate, & singularitate velut attributo quodam ratione nostra posteriori præscindi potest, atque adeo ita est vna, vt sit præcisiuè multiplex. Secundò ad homines: quia alias Gabriel Angelus non magis species, quam genus erit, cum non magis à pluribus indiuiduis, quam à pluribus præscindatur speciebus, nec magis illa, quam hæ sub eo fingi possint. Tertiò demum; quia vniuersale est vnum in multis, quæ, aut re, aut certè ratione non fingente talia sint: at natura Gabrielis non est in multis Angelis re ipsa, vt constat, nec ratione etiam non fingente: nequaquam ergo est vniuersalis. Minor probatur, quia nunquam aliqua res ratione nostra non fingente in duas res diuiditur, sed solum in duas formalitates, aliàs Deus ratione nostra non comminiscente in plures Deos diuidi posset, & ita plures Dij verè essent, sicut ob solam distinctionem, & diuisionem rationis nihil fingentis plura attributa, nimirum immensitas, æternitas, &c. in Deo vere esse dicuntur. Maior probatur: quoniam ad vniuersale multiplicabilitas rationis confingentis plura sub ratione communi, quæ quidem sub ea esse nequeunt, prorsus est insufficiens; alias singularitas etiam Gabrielis vniuersalis esset, siquidem sub ea plura comminisci possumus inferiora: vniuersale ergo est vnum in multis, quæ reipsa, aut ratione non fingente positiuè sint multa.

Ad primum argumentum aduersariorum cum 13
Hurtado plures respondent, naturam Gabrielis ab eius singularitate præcindi non posse, eò quod hæc sit de essentia illius. At perperam, quia singularitas est de sola essentia physica, aut iuxtà aliorum phrasim methaphysica naturæ Gabrielis, quippè cum qua realiter, non verò virtualiter, aut ratione nostra, seu logicè identificatur: poterit ergò natura Gabrielis ab eius singularitate præscindi, sicut homo præscindi potest ab indiuiduis, quæ per realem identitatem, & essentialiter physicè cohibet, & sicut vna formalitas Dei ab alia præscindibilis est, æternitas v. g. ab immensitate, cum tamen singulæ earum omnes physicè includant, & solum logicè excludant. Admissa igitur præcisione illa naturæ

turæ Gabrielis à sua vnitate, & singularitate, merito cuius præcisiuè multiplex, haud propterea est vniuersalis, eo quod vniuersale suopte ingenio multa positiue sub se, non vero præcisiuè postulet, vt nostræ rationes conuincunt.

14 Ad secundum respondeo: Vt duo specie differant, opus non est, vt species sint: tum, quia Petrus, & Buchephalus specie differunt, quin tamen sint species: tum à pari, vt aiunt: quia Petrus, & Paulus numero differunt, quin eorum alteruter numerus sit, & etiam accidentaliter dissident, quin eo ipso sint accidentia. Quamobrem ad differentiam specificam duorum satis, superque est, vt sub diuersis contineantur speciebus, sicut Gabrielem, & Michaelem contineri perspicuum est.

15 Cæterum aduersus hanc solutionem illa statim emergit difficultas, Angelos nequaquam multiplicari posse solo numero, adeóque in eis nullas esse species prædicabiles, & proprias, cum hæ respiciant suaptè natura inferiora omnino similia, ac tantum numericè diuersa, atque eatenus dissideant à generibus: Quæ cum ita sint, quî fieri potest, vt Gabriel Angelus, & Michael contineantur sub diuersis speciebus, quemadmodum ad eorum specificam differentiam oportet? Verum, etsi ita sentiant de Angelis B. Thomas 1. part. quæst. 50 art. 4. Capreolus in 2. dist. 3. quæst. 1. Ægidius quodlibet. 2. part. 2. Soncinas 12. metaph. quæst. 51. & reliqui fermè Thomistæ, atque cum eis Abulensis in c. 29. numerorum, oppositum tamen est longè probabilius, illudque tenent auctores omnes, quos paulo suprà laudauimus pro nostra sententia de multiplicitate positiua inferiorum ad vniuersale requisita. Quamuis autem huius loci non sit verioris, & hac tempestate magis receptæ opinionis probatio, vnam tamen, vel alteram breuiter perstringo. Materia prima non est vnica radix indiuiduationis, vnitatisque, ac multiplicitatis numericæ, vt clarebit in metaphysica: quidni ergo Angeli quantumuis materiæ expertes possint solo numero multiplicari? nam non, nisi ex falso illo principio oppositum huius consequentis inferunt Thomistæ. Rursus secundò: animi rationales, eorumque plures cognitiones, & amores, quantumuis spirituales, similes sunt, ac solo numero differunt: quidni ergò ita differre, & non ampliùs possint Angeli spiritus?

16 Atque hinc respondebis cuidam aduersus nos instantiæ, quæ sic se habet: Gabriel, & Michael Angeli specie differunt: aut ergò, quia vterque est species positiuè immultiplex: & sic aduersariis conceditur, quod tantopere intendunt: aut quia continentur sub diuersis speciebus, quarum alterutra fortiatur inferiora positiuè distincta, & plura instar speciei humanæ, & equinæ: atque hoc admitti nequit: nam si qua inferiora positiuè multa, ac distincta inuicem speciebus Angelorum concedantur, maximè solo numero differentia, & similia prorsus: hæc enim, vel certè nulla ad quamuis requiruntur speciem: at huiusmodi inferiora locum non habent in Angelis. Verum inprimis huiusmodi multiplicitatem numericam, eamque puram putam in Angelis reperiri supponendum est cum communiori Theologorum sententia, cuius vnam, vel aliam probationem breuiter, & in transitu delibauimus suprà. Deinde estò contrarium sit verum; quid inde? Certè dici potest Angelos differre specie, non formaliter, sed æquiualenter, quoniam ita sunt dissimiles, ac res diuersarum formaliter specierum. Ex hoc autem haud sequitur, eorum aliquem etiam provt præcisum à sua singularitate esse speciem veram, & formalem, qua de agitur. Hinc suspicor B. Thomam, & quosdam etiam Thomistas antiquiorum, qui aduersus nostram de multiplicitate vniuersali sententiam referuntur, ei fortassis haud refragari. Hoc enim duntaxat asserunt, Angelos nequaquam differre solo numero, sed esse necessario dissimiles, & quodammodò specie diuersos. Exindè autem, vt visum est, haud benè infertur, singulorum naturas esse species.

Ad tertium argumentum respondeo: natura Gabrielis Angeli, provt ab eius singularitate præcisa, 17
nec singularis, nec vniuersalis est, sed media inter vtrumque statum: in qua natura media ne ipsorum aduersariorum plerique repugnantiam agnoscunt vllam. Verum de hoc latius infrà. Ad 4. argumentum, quo pro oppositu sententia nullum melius, fiet satis lib. 9. tract. 2. cap. 2.

CAPVT IV.

Vlterior explicatio multiplicitatis illius quæ rei vniuersali proprie conuenit.

MVltitudo iterum, alia est creata, alia increata: Hanc ad vniuersale non sufficere, illam requiri censet B. Thomas 1. part. quæst. 30. art. 4. & in primum dist. 19 quæst. 4. art. 2. & non pauci eius sectatores. Item ex nostris Molina 1. quæst. 28. art. 4. disput. 2. per totam, Vasquez tom. 2. in 2. p. disp. 158. cap. 8. num. 32. ad medium, Valentia tom. 1. disp. 2. quæst. 4. puncto 3. Balthazar Tellez in log. disp. 6. sect. 2. Cæterum oppositum est Durandi in 1. dist. 25. quæst. 2. Torrez 1. p. quæst 29. art. 1. Henrici quodlib. 5. quæst. 6. Bonauent. in d. 25. art. 2. quæst. 1. Alonsis 1. part. quæst. 26. memb. 4. art 2. Capreoli in 1. distinct. 25. quæst. 1. art. 1. Marsilij ibid. quæst. 28. art. 2. concluf. 2. Suar. lib 1. de Trinit. cap. 3. & Rubij in log. cap. 3. de spec. num. 142. & 143. Posterior hæc sententia mihi magis placet. Primò, quia maior est distinctio realis trium personarum diuinarum, quamuis sint eædem vni tertio, quam duorum conceptuum sola ratione distinctorum: at hæc multitudo, ac distinctio ad vniuersale sufficit, vt superius vidimus: ergò & illa. Secundò, quia personæ diuinæ verè plures, ac distinctæ realiter sunt: ea igitur distinctio non minus, quam quæuis alia ad vniuersale sufficiet.

Tertio, quoniam omnis multitudo vniuersalis 18
vnitati commixta est, aliàs vniuersalis non futura: quamuis ergò personæ diuinæ vnitatem habeant in tertio, adhuc ab iis abstrahi poterit vniuersale quoddam. Quartò, quia eadem ratione inter multitudinem spiritualem, & materialem, substantialem, & accidentalem, completam, & incompletam distinguere, & alias vniuersali diseruire, alias ei pares non esse, quis arbitrari posset: quo tamen commento quod maius? Quapropter non video, cur ratio personæ diuinæ vt sic comparatione trium non sit vniuersalis.

Tandem multitudo, alia est entium, alia non en- 19
tium, cuiusmodi sunt entia rationis ficta, vt hircoceruus, homo, equus, &c. nec non negationes, vt non homo, non equus, non audiens, atque etiam esse cæcum, surdum, &c. Solamque priorem sufficere ad vniuersale, posteriorem verò esse ad illud insufficiétem, indicant aliqui Neoterici apud nostros Conimbricenses tom. 1. log. in cap. de genere q. 2. art. 1. Pro quorum sententia ita potest argui. Vniuersale

sale est vnum in multis: ad illud ergò necessaria est vnitas, & multitudo: at neutra visitur in eo, quod à non entibus abstrahi fingitur. talis ergò abstractio & vniuersalitas omninò repugnat; adeoque nulla esse potest, nisi in entibus, nulla in non entibus fundata. Quod vnitas, & multitudo deficiat vniuersale abstractum a non entibus, liquet: siquidem alterutra est affectio solius entis, illudque prior indiuisum denominat, & posterior diuisum, ac multiplex. Deinde secundò: ad vniuersale quoduis requiruntur inferiora similia: at non entia sunt expertia similitudinis: hæc enim est relatio prædicamentalis, quæ genus quoddam entis est, & cum non ente nihil habet commercij: multitudo igitur non entium haud sufficit ad rationem vniuersalis.

20 Præterea tertiò: si plurium non entium respectu esse potest aliquod non ens in communi vniuersale, maximè non homo intuitu huius non hominis, videlicet eius, quod est in cœlo, & alterius non hominis, illius nimirum, quod reperitur in Angelo, aliorumque id genus: quæ enim alterius conceptus negatiui maior ratio, aut quod maius ius ad vniuersale, quam eius, quod in exemplum adhibuimus, nempe non hominis? Aſt hic conceptus negatiuus nequit esse ratio vniuersalis contemplatione huius siquidem non datur hic, & ille propriè loquendo; neque non homo cœli, & non homo Angeli realiter distinguuntur, aut plurificantur: negationes enim multiplicitatem vendicant à formis, quas tollunt: homo autem est idem siue negetur de cœlo, siue de Angelo: proindè non homo vtriusque est prorsus idem: fieri igitur nequit, vt non homo in communi sit vtriusque respectu vniuersale, cum ad hoc necessaria sit inferiorum multiplicitas qualis qualis.

21 Rursus quartò: si non homo in communi esset vniuersale, comprehenderet sub se velut rationes inferiores non Socratem, & non Platonem ad modum quo homo, quia est vniuersalis sub se cohibet Socratem, & Platonem: Hoc autem est falsum: nam inde fieret, conuenire posse alicui rationem inferiorem & non superiorem in ea clusam, sicut si de aliquo diceretur esse animal, & non esse substantiam. Sequela est in aperto: siquidem de Platone ex vero enuntiatur esse non Socratem, non tamen esse non hominem.

Item quintò: si non ens esse posset vniuersale, sane non Socrates, contrà quam disputatum est paulo suprà, esset ratio superior, & vniuersalis intuitu non hominis, & non homo ratio inferior, ac particularis comparatione non Socratis: nam omne non homo est non Socrates, sed è conuerso omne non Socrates neutiquam est ob id non homo, cum Plato sit non Socrates, & tamen haud sit non homo. Hoc pacto homo est ratio inferior gratia animalis, & hoc contemplatione illius ratio superior, & vniuersalis, quia omnis homo est animal, & è contrario omne animal non est homo. Consequens autem est absurdum, quia eadem ratione, aut potius irrationabilitate non Plato esset ratio superior & species quædam respectu non hominis. item non Callias, non Protagoras &c. quo fieret non hominem contineri sub infinitis rationibus superioribus, & veluti speciebus inter se inuicem non subordinatis, sed potius inuicem disparatis, quod tamen adeò repugnat ac si aliquod indiuiduum esset simul sub specie hominis, & specie equi, ac cæteris omnibus, quæ, vel creatæ sunt, vel sine fine cluduntur in omnipotentia creatoris.

22 Denique sextò: non ens, siuè sit positiuum quoddam intellectus figmentum, siuè negatio aut carentia aliqua, est omni quidditate, & carentia destitutum, propterea quod essentia sit abstractum entis, & cui cõcretum repugnat, eidem haud possit conuenire abstractum; quo pacto sine albedine nusquam admitti potest album. vndè nequit non ens in quid prædicari, adeovè genus esse, species, aut differentia. Deinde defectu entitatis & qualitatis haud etiam potest in quale prædicari, ac proinde haud sustinet esse proprium, & accidens: nullum ergò ex quinque prædicabilibus esse potest: prorsus igitur non est prædicabile, aut vniuersale.

Cæterum longe probabilius est, multitudinem 23
non entium, qualemqualem ad vniuersale sufficere, nec maiorem requiri. Suadetur autem primò, quia vnitas secundum quid, & extrinseca ad vniuersale satis est, vt supponunt communiter Doctores: cur non ergò multiplicitas non entium, quamuis ea sit secundum quid, & impropria? Secundò, quia non magis propria est, multitudo formalitatum, ola ratione distinctarum, quam non entium: licet enim illa sit entium; at non simpliciter distinctorum hæc verò, tametsi sit non entium; at simpliciter distinctorum ac separabilium: quocirca mutuò se excedunt, & exceduntur inuicem: adeoque sunt pares quodammodo: atqui prior ad vniuersale sufficit, vt visum est huius initio capitis: ergo & posterior. Tertia, eaque efficacissima sententiæ nobis placitæ coniectura est, quod argumenta in probationem contrariæ adducta non ita sint difficilia ad soluendum, vt statim ostendo, si prius tamen aduertam, opinionem nostram esse, tum Conimbricensium loco superius memorato tum etiam Scoti in 1. dist. 25. q. 1. Gabrielis ibidem q. vnica dub. 1. Aureoli in 1. etiam dist. 23. & fusius dist. 25 quatenus asserunt negationem quandam communicabilitatis ab omni alienam positione, esse tamen conceptum vniuersalem, & communem tribus personis.

Ad primum igitur argumentum eorum, quæ sunt 24
obiecta superius, respondeo, vniuersale esse terminum supertranscedentem, sicut esse cognitum, vel amatum: proinde ad illud haud esse necessariam vnitatem, & multitudinem transcendentalem, & entitatiuam, sed sufficere supertranscendentalem, & communem entibus, ac non entibus. Ad secundum respondeo similiter, quæ est supertranscendentia vniuersalis, ad illud latissimè fusum haud requiri similitudinem prædicamentalem, & veram, realemque; sed satis esse minorem, eamque quæ possit esse secundum quid interdum.

Ad tertium respondeo in primis, tametsi non ho- 25
mo cæli, & non homo Angeli non differant ex parte formæ, vel quasi formæ, videlicet negationis: cæterum distingui penes subiecta, quibus illa superadditur negatio: atque hoc satis esse, vt non homo ab eis abstrahatur, eorumque respectu sit vniuersale quoddam. Quo pacto, cum Deus vna, eademque indiuisibili cognitione plura cognoscit obiecta creata, pluraveodem complectitur amore, abstrahi potest ratio communis cogniti ab hoc, & illo, & amati similiter ab omnibus amatis: videlicet, quia eiusmodi concreta differunt, sin minus penes formas, at certè quoad subiecta extrinsecus informata, ac denominata: Alio quoque exemplo declarari potest solutio: nam constituta diuinitus eadem albedine in tribus subiectis, album esset vniuersale ad tria albea hypothesi futura, vt suo loco constabit: at inferiora tantum differrent ratione subiectorum, non verò formis tenus: similiter ergò in præsenti, &c.

Secundò etiam respondeo, negationem formæ ab 26
hac specificari, & pro eius vnitate vnam numero esse, quandocunque eiusmodi negatio non est essen-

tialis subiecto. Atque ea de causa negatio formæ ligni in materia hominis, & in materia equi, & quacunque alia eius experte, aut etiam ad eam recipiendam proximè inhabili est omnino eadem. Cæterum si negatio sit essentialis subiecto, eam ab hoc specificari, vnamque, aut multiplicem esse provt subiectum multiplicatur, aut multiplicitati oppositam habet vnitatem. Non homo autem, siue negatio hominis Angelo, & cœlo essentialiter conuenit, quid mirum ergò, si talis negatio sit in vtroque diuersa, ac multiplex?

27 Ad quartum respondeo: vocula, *non*, Socratem, & Platonem infinitat, & alterutram adeo à sua extrahit singularitate, atque ad supremum quendam vniuersalitatis gradum euehit: quis enim terminus esse potest magis vniuersalis, quam infinitus? Eius ergò infinitatis, & cum infinitate coniunctæ vniuersalitatis, cum sit non Socrates, & non Plato, mirandum non est, si eorum contemplatione non sit ratio superior, aut magis vniuersalis, non homo. Ad quintum respondeo irreciprocationem illam, qua quidquid est non homo est non Socrates, quin tamen quidquid est non Socrates, sit non homo, nequaquam arguere negationem Socratis esse rationem vniuersalem, & superiorem intuitu negationis hominis, sed potius eas esse duas quasdam negationes, quarum altera, nempe quæ est Socratis, latius funditur, quam altera homini opposita: Hoc pacto omne amatum est cognitum, non tamen omne cognitum est amatum: tamen inde non fit rationem cogniti esse vniuersalem respectu huius, & illius amati, provt talium, vt palam est, sed tantum esse eis priorem in subsistendi consequentia: similiter ergo in præsenti, &c.

28 Ad sextum respondeo non ens respectu suorum inferiorum neutiquam esse genus, speciem &c. tum ob rationem in argumento adductam, tum etiam ob adducendas infra lib. 9. tract. 1. cap. 8. & tract. 3. cap. 3. at non propterea desinere esse vniuersale, & prædicabile, nam præter illa quinque prædicabilia esse alia haud pauca, vt explicabitur citato lib. 9. tract. 7. cap. vltimo; vbi nihilominus prædicabilia strictissime, & dialectice sumpta merito distributa esse in quinque, declarabitur ex professo. At contra instabis: sufficit ad vniuersale vnitas, & multitudo secundum quid, item similitudo, & conuenientia impropria: atque hac de causa non entia esse vniuersalia paulo supra statuimus; cur non ergo sufficiat ad genus, & speciem quidditas secundum quid, & impropria, & ad reliqna prædicabilia qualitas eiusdem moris? ita autem esse poterunt non entia, species, & genera, &c. Respondeo, quinque prædicabilia esse à Porphyrio, & cæteris tradita ad explicanda, & intelligenda decem prædicamenta, horumque adeò normam sequi: cum ergò prædicamenta sint entia vera quidditate, & qualitate prædita, inde esse, vt prædicabilia logice, ac rigorose sumpta, nempe genus, species, &c. nequeant non prædicari in quid, & in quale quid, & in quale: idque proprie, ac stricte, & seorsim à quauis translatione, ac metaphora.

29 Hactenus soluta argumenta aduersus posteriorem huius capitis assertionem. Contra priorem sunt non pauca, quæ tamen hìc omisimus de industria, quod magna ex parte non sint huius loci. Aliis enim hoc tantum contenditur, rationem personæ diuinæ respectu trium haud esse genus, speciem aliudvè quinque prædicabilium. Cæterum & hoc falsum esse, & quamuis à vero non esset alienum, nihil inde sequi aduersus vniuersalitatem personæ diuinæ, propterea nimirum, quod præter illa quinque vniuersalia à Porphyrio tradita sint alia quædam ab eis diuersa, suique iuris, constabit ex professo infra lib. 9. tract. vltimo per totum. Aliis vero id potissimè tenditur, ac fouetur, haud posse dari rationem communem, & vniuersalem indiuidui: proinde admittendam non esse communitatem vllam, aut vniuersalitatem personæ diuinæ, cum hæc sit naturæ diuinæ, & perfectissimè intellectualis indiuidua substantia; ad modum, quo persona vt sic, & latius fusa definiri solet à Boëtio, & cæteris Theologis, rationalis naturæ indiuidua substantia.

Sed concedendum est, nullam esse posse rationem communem indiuidui propter ea, quæ late disputanda sunt citato libro 9. huius operis tract. 4. cap. 3. & 4. Hinc autem duntaxat fit, personam diuinam, provt concernit indiuiduationem, minimè esse rationem communem, & vniuersalem respectu trium in quas manat, at non, quod nequaquam sit ratio ita eis communis, & vniuersalis, provt est relatio: Quo fortè alluſit Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 4. *Propterea dicimus tres personas diuinas, quia commune est eis id, quod persona est*: quasi diceret, personam diuinam penes id relatiuum, quod est persona, quodque superadditur essentiæ, esse communem, & vniuersalem tribus personis, secus vero penes vltimum constitutiuum personæ, nempe singularitatem. Et quidem vti cum dicitur, personam diuinam esse rationem communem, & vniuersalem contemplatione trium, à nullo intelligitur, diuinitatem ob id esse communitati rationis, aut vniuersalitati vlli obnoxiam, ita neque colligi potest ex nostra assertione, singularitatem, siue indiuiduationem relationibus more diuinitatis virtualiter superadditam, & ab eis distinctam, esse rationem communem, & vniuersalem. Ita, quod hoc capite asseruimus, personam diuinam vniuersalitatem sortiri respectu trium; quod etiam, lib. 9. tract. septimo cap. 1. asseremus, eam esse genus quoddam, accipiendum est specificatiuè, & in priori sensu explicato, non vero reduplicatiuè & in posteriori, iuxtà quem sumitur persona diuina, provt est singularis, & indiuidua more earum in quibus subsistunt naturæ creatæ. 30

CAPVT V.

Modus essendi in multis rei vniuersalis proprius.

QVod ad modum essendi vnius in multis rei vniuersalis proprium attinet; in primis vniuersale est vnum in multis, non localiter: alias Angelus Gabriel, non solum in statu præcisionis à sua singularitate, verum etiam vt contractus per illam esset vniuersalis: si quidem est vnum quid in multis spatiis, quorum singula totus occupat. Deinde vniuersale non est vnum in multis temporaliter, vt sic dixerim: alias Deus esset vniuersalis; quippe qui in pluribus temporis interuallis est, aut simul, si præsentia rerum omnium in æternitate admittatur; aut (quod satis est) successiuè, si ea præsentia reiiciatur. Præterea vniuersale non est vnum in multis subiectiue: aliàs hæc anima rationalis Ignatij v. g. foret vniuersalis; nimirum quæ tota est in pluribus subiectis, nempe corporis partibus, quarum singulas se tota informat: Est ergò vniuersale vnum in multis per veram identitatem cum illis; quasi vniuersale 31

uersale sit vnum multa, vt recte B. Thomas opuscul. 56. disputat.

32 Porrò vniuersale ita est vnum in multis, siue vnum multa, vt idem secundum idem debeat esse vnum, & multiplex: siue, quod iuxtà est, eadem formalissime ratio, quæ est vna in statu abstractionis, postea contracta per inferiora vi eorum multiplicari debet. Hac de causa homo v. g. est vniuersalis intuitu Petri, & Pauli, eo nimirum, quod non sola Petreitas, & Pauleitas, vel etiam Petrus, & Paulus plures sint, verum etiam homo ipse reduplicatiue sumptus multiplex sit; ita ſ, vt qui ante contractionem vnus homo dicebatur, post illam plures homines dicatur. Deus autem vniuersalis non est, tametsi pluribus relationibus realiter distinctis per identitatem insit, & de iisdem sit prædicabilis, quia non quemadmodum vnum Deum, ita plures Deos re, aut ratione nostra admittere possumus. Vndè vniuersale ita est vnum multiplex, vt vnum, & multa, quibus constat eiusdem nominis, & rationis esse debeant vt iam explicuimus haud ita suprà.

33 Non leuis autem difficultas hic occurrit, num scilicet vniuersale sit duntaxat vnum in multis, neutiquam vero multa in vno? Quidam enim recentiores ingenio nobiles negant, vniuersale esse posse multa in vno. Eorum autem sententia hisce potest argumentis probari. Vniuersale definitur vnum in multis, non vero multa in vno: quorsum autem, nisi, quia suapte natura est duntaxat illud prius, non vero hoc posterius? Rursus secundo: si vniuersale constans vno, & multis eiusdem nominis, & rationis esse potest multa in vno, quidni hæc totalis aqua respectu suarum partium sit vniuersalis, & species, contra quam omnes, & merito sentiunt? nam & tota aqua, & quæuis eius pars est aqua, ac proinde eodem nomine, & ratione gaudent: aliunde vero partes omnes, & singulæ sunt in toto illo, quod ex iis in vnum confluit. Quod autem aliqui respondent, aquam cum singulis suis partibus inadæquatè tantum identificari, friuolum est, atque ad remouendam vniuersalitatem insufficiens: siquidem homo etiam inadæquate tantum identificatur, cum Petro, ac Paulo, quorum tamen intuitu est vniuersalis.

34 Tertiò, quoniam siqua ratione vniuersale esse posset, non dumtaxat vnum in multis, sed etiam multa in vno, maximè, quia est totum potestatiuum respectu suorum inferiorum, & hæc eius partes subiectiuæ: de conceptu autem partium est vt sint in toto. At hæc ratio est nulla: haud enim vniuersale dici potest totum intuitu multorum, in quæ patet, & quæ sub se cohibet. Inprimis, quia omne totum est maius quauis sua parte, adeoque in ea esse nequit: maius enim esse nequit in minori: ast vniuersale est in quouis inferiori suo. v. g. homo in Petro, & Paulo: eorum ergo contemplatione totum esse non sustinet. Deinde, quia alioqui animal v. g. esset infinitæ perfectionis: quippe quod instar totius complecteretur infinitas species; nullam suo perfectionis gradu non præditam. Vlterius, quia cum sententiam illam constituentem genus esse totum, & speciem eius partem (par autem est ratio aliorum vniuersalium) proposuisset August. ex Ticonio semi Donatista lib. 3. de doct. Christiana c. 34. in hæc verba; *quarta vero Ticonij regula est de specie, & genere, sic enim eam vocat, volens intelligi speciem partem, genus autem totum, cuius ea pars est, quam nuncupat speciem, sicut vnaquæque ciuitas pars est vtique vniuersitatis gentium, hanc ille vocat speciem, genus autem omnes gentes*; statim eam refellit, aitque à dialecticis acutissime disputari, ac subtilissime discerni solere quid inter partem, & speciem intersit. Et lib. 8. de Trinit. cap 6. sic in eandem loquitur sententiam; *ex eodem auro si fierent tres statuæ, diceremus tres statuas vnum aurum, nec tamen diceremus genus aurum, species autem statuas, nec aurum speciem, statuas vero indiuidua.*

Tandem vniuersale. v. g. genus, est pars inferiorum quarumuis specierum: non ergò totum: consequentia videtur perspicua: suadetur antecedens inprimis, quoniam iuxtà Aristotelem 9. metaphysicæ text. 6. 9. 10. & 16. quem sequuntur omnes, species constat genere, & differentia: genus ergò iuxtà cum differentia est eius pars, ac velut talis de ea ita potest, ac debet prædicari. Secundò (& eodem redit) in hac apprehensione composita *animal rationale*, particula, *animal*, cum differentia rationalis speciem hominis actu constituit: at animal per eam apprehensionem verè genus est, & vniuersale: genus ergò prout genus, & vniuersale est pars actualis speciei de ea prædicabilis: minor recentioribus minimè placitura in hunc modum suadetur: quia magis, aut perfectius vnitur anima cum rationali per actum iudicij, quo rationale esse animal affirmamus, quam per apprehensionem compositam, qua animal rationale mente concipimus: at in hoc iudicio, *rationale est animal*, animal genus est, & vniuersalitatem retinet suam, vt etiam aduersariis est in confesso: ergò & à fortiori, vt aiunt, in hac apprehensione composita, *animal rationale*: maior sponte sua est perspicua: quò enim iudicium apprehensione composita perfectius est, eò vnionem extremorum perfectius repræsentat, ac perinde extrema præstantius vnit, atque componit. Vlterius materia, cum qua genus proportionem seruat, & vnde sumi dicitur, sicut etiam differentia à forma, materia, inquam, contracta per vnam formam adhuc in actu primo est indifferens ad quamuis aliam: animal ergò contractum per rationale adhuc retinet suam vniuersalitatem, & indifferentiam in actu primo ad quamuis aliam differentiam, vt positum est. 35

Verius tamen duco, vniuersale non tantum esse vnum in multis, sed etiam quodammodo multa in vno: vnum quidem in multis explicitè, quo pacto animal. v. g. est in homine, & equo, & cæteris eius speciebus; multa verò in vno implicitè, quo pacto dixit Aristoteles, in genere latere æquiuocationes, id est latenter, & confusè in eo esse species diuersas. Suadetur primò ex Damasceno cap. 22. dialect. *in aliquo vndecim modis dicitur: vt genus in specie, velut animal in definitione hominis; vt species in genere velut homo in definitione animalis, &c.* Ecquid autem est speciem quamuis esse in genere, quam in vniuersali veluti in vno esse multa inferiora? Id ipsum sentiunt Aristoteles 4. physic. cap. 3. Petrus Hispanus in antepræd icam. Amnonius, & Simplicius ibidem, Iauellus tract. 5. log. p. 1. §. *Tu igitur aduerte* Conimbricenses tom. 1. log. c. 4. de decem prædicamentis q. 1. a. 3. 36

Siquidem eis, & cæteris Philosophis familiare est, assignare octo modos existendi in alio, quorum vnus est ille, quo species sunt in genere, adeoque multa inferiora in vniuersali tanquam vno. Comprehendi autem solent prædicti existenti modi his versiculis memoriæ gratia. 37

Insunt pars, totum, species, genus, vtraque forma
Et quæ producens, meta, locusque tenent.

Quæ

Quocirca primus modus essendi, vt sic dixerim, in alio est partis, vel integralis, vel essentialis in toto: qua ratione dicitur brachium esse in corpore, & materia in ente naturali. Secundus è conuerso totius in partibus: cum enim corpus humanum dicatur communiter, & meritò consistere in suis membris, & ens naturale in materia, & forma, qua constat; quidni etiam in eis esse dici queant? consistere enim in aliquo, est in eo quodammodo esse, vt luce clarius? Tertius est speciei in genere, siuè cuiusuis inferioris in superiori, & vniuersali ratione. Quartus est generis in suis speciebus, &, quod consequens est, cuiusuis vniuersalis in suis inferioribus, ac partibus subiectiuis. Quintus est, quo forma substantialis esse dicitur in materia prima, vt anima nostro in corpore, aut accidentalis in materia secunda, vt calor in manu. Sextus est, quo effectus in causa sua efficienti, aut quasi efficienti esse censetur, vt flos in radice, lumen in sole, populus in potestate principis, creaturæ in Deo iuxtà illud Pauli in Act. Apostolorum *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Septimus est, quo aliquid est in fine suo, vt auarus in diuitiis, quo spectat illud Euang. *vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Octauus est, quo aliquid est in loco, vt Plato in lycæo, aqua in vrceo: quo etiam reduci solet modus existendi in tempore.

38 Vt autem eò, vnde aliquantulum digressi sumus, reuertamur, secundò suadetur nostra sententia, & quæ recentioribus insedit confutatur. Partes omnes sunt in toto suo: at multa, de quibus prædicatur vniuersale, sunt eius partes subiectiuæ: igitur sunt in illo: maior, & consequentia sunt perspicuæ: minor suadetur; vniuersale est totum quoddam potestatiuum, respectu suorum inferiorum, de quibus prædicatur: ergò & hæ partes intuitu illius: antecedens est Aristotelis 1. physic. text. 4. ibi *vniuersale est totum quoddam multa comprehendens, vt partes:* necnon B. Thomæ, Scoti, Toleti, Hurtadi, Bartholomæi Amici, Masij, ac cæterorum omnium dialecticorum: & quidem per se, ac sponte sua videtur manifestum; namque animal v. g. continet in se hominem, equum, & cæteras species, & homo Petrum, Paulum, Ignatium, & cætera indiuidua: At proprium totius est continere partes.

39 Argumenta contraria non vrgent admodum. Ad primum respondeo, definiri vniuersale vnum in multis: non multa in vno, non, quod vtrumque non sit, sed quod prius illud sit eius essentia logica, posterius verò sola proprietas: Illam autem aptitudinem vnius, vt sit in multis, esse essentiam vniuersalis est communis doctorum sententia teste Fonseca in Isagoge philosophica, quam sequitur, tum ipse, tum etiam cum eo Balthasar Tellez in log. titul. 1. disp. 1. sect 1. n. 4.

40 Ad secundum respondeo, aquam etiam esse, siuè consistere, in suis partibus eiusdem secum nominis, & rationis: nec tantum esse multa in vno, sed etiam vnum quodammodo in multis: hoc ergo ex titulo immeritò excludi à ratione vniuersalis suarum intuitu partium. Idcircò igitur ad eas vniuersale non est, quia tametsi sit in illis quodammodo non tamen ita, vt possit de singulis prædicari hoc pacto, hæc pars aquæ est tota aqua, illa est tota aqua, &c. vti dici consueuit, Petrus v. g. est homo, Paulus est homo, & sic in reliquis. Vno verbo: aqua tota est in suis partibus physicè, non tamen logicè, siue, vt loquuntur alij, metaphysicè; proindè non mirum, si vniuersalis cuiusdam rationem, haud obtineat.

Ad tertium Respondeo, vniuersale esse totum 41
potestatiuum, vti dictum est. Prima autem probatio contraria nullius est momenti: nam vniuersale. v. g. animal, est potestatiuè, siue implicitè, ac virtualiter totum respectu inferiorum suarum specierum: adeoque ita illis maius. Hinc autem fit, ita sumptum haud esse in illis: non autem, quod non sit in illis aliter sumptum, & provt est pars eorum actualis, & explicita, siue formalis, vtique ea cum differentiis componens: qua certe ratione est eis minus. Sequens probatio haud est magis momentosa: nihil enim incommodi est in eo, quod animal v. g. aliudvè genus, aut vniuersale sit infinitæ perfectionis meritò innumerabilium specierum, quas in se cohibet: tota enim infinitas illa est, non simpliciter, & in omni genere talis, sed secundum quid, & in aliquo: deinde qualis, qualis est haud est categorematica, & tota actu, sed syncategorematica, & in potentia, sin minus integrè, at certè maiore sui parte.

Tertia probatio contraria haud plus facessit negotij: quod enim duntaxat contendit Augustinus contra Ticonium est, vniuersale non esse totum actuale, & physicum comparatione specierum sibi subiectarum; neque has è contrario partes eius actuales, & physicas; vt exemplis in contextu argumenti propositis liquet: cæterum nos contrà hoc solum asserimus, & cum omnibus tuemur scholasticis, vniuersale esse totum potestatiuum, & metaphysicum, siue logicum; & species ei subiectas esse partes potestatiuas, & implicitas, ac ratione magis, quam reuera in vnum coalitas, atque confusas. Quarta, & postrema probatio facilis est infringi: nam vniuersale est pars actualis suorum inferiorum, quippe quæ simul cum differentiis sui contractiuis logice, seu metaphysice componit: idque tantum conuincitur argumento aduersario; estque planè Aristotelis, & cæterorum philosophorum sententia: Cæterum inde tantum sequitur illud haud esse totum actuale contemplatione suorum inferiorum; secus verò quod non potestatiuum, & virtuale, vt iterum, atque iterum est perstrictum. 42

CAPVT VI.

Amplior declaratio modi illius essendi in multis, Qui rei vniuersali propriè congruit.

NAm circa eum duæ adhuc supersunt difficultates, quarum prima est, eaque varia, & multiplex, quo pacto se habeat relatio vniuersalis ad multa inferiora, in quibus existit, ad relationem particularitatis, siue subiicibilitatis, merito cuius idem sub alia ratione superiori, & magis vniuersali cohibetur? Claritatis autem gratia exemplum esto in relatione, qua species est prædicabilis de indiuiduis, eaque, per quam eadem species subiicitur generi; quanquam etiam generis infimi, modò ad genus supremum comparati, modò ad species, & quorumuis aliorum vniuersalium, & particularium par sit ratio. 43

Inprimis ergò censeo, speciem quatenus prædicabilem, & subiicibilem, seu quatenus refertur ad genus, & ad indiuidua duplicem inuoluere respectum, seu relationem. Ita Scotus in prædicab. q. 21. Caietanus, Soncinas, Antonius, Andreas, Sotus, & Colonienses. Suadetur autem, quia refertur proximè

ximè species ad indiuidua per notitiam comparatiuam, qua Petrus v.g. &, Paulus &c. homo apprehenditur, aut iudicatur; ad genus verò per actum, quo idem homo animal esse censetur: ast hæ duæ notitiæ comparatiuæ sunt diuersæ: ergo, &c. Si autem de prædicabilitate, & subiicibilitate remota sit sermo, haud minus exploratum est, eas oportere ratione nostra distingui: quoties enim duo actus, aut relationes proximè distinguuntur, necessum est distingui actus, aut relationes remotas iis respondentes: quo pacto, quia intelligere, & velle in actu secundo distinguuntur realiter, eo ipso intelligere & velle in actu primo, siue intellectus, & voluntas distinguuntur ratione saltem: subiicibilitas autem, & prædicabilitas proximæ realiter distinguuntur, vt visum est: ergo & remotæ, rationis nostræ beneficio.

44 Qualis autem relatio superius memoratum sit prior, valdè inter authores dubitatur: Auicenna cap. de specie. Toletus quæst. 1. de specie ad primum censent, relationem speciei ad indiuidua esse priorem eius relatione ad genus: Albertus vero tract. 4. cap. 2. & Caietanus dub. 2. circa 3. censent, è contrario relationem speciei ad indiuidua esse posteriorem ratione, quam relationem eius ad genus. Posterior sententia mihi magis probatur: quia medium prius refertur ad prius, quam ad posterius: sed genus est prius; quam indiuiduum, & hoc genere posterius: ergò species intermedia, & in vtriusque confinio posita prius per subiicibilitatem ad genus, quam per prædicabilitatem ad indiuidua refertur: maior syllogismi, quæ sola probationis indiga est, ita suadetur: id, quod prius est, prius respicit medium, quam postremum: at pro illo priori rationis, siue naturæ signo medium etiam respicit prius, cum terminare re pectum hoc ipso sit respicere, nec certè de alia respicientia sermo sit inpræsentiarum: ergò medium prius respicit prius, quam posterius. Rursus secundò probatur, ac declaratur eadem sententia: quoniam in creatura prius est produci à Deo, eique hoc nomine subiici, quam aliam producere, eique hoc ex titulo præesse, & illud ad hoc prærequiritur, vt palam est, & omnibus in concesso: similiter ergò in præsenti, &c.

45 Quod si non de subiicibilitate sermo sit, sed de specie subiicibili, & hæc ita sumatur, vt debeat esse species prædicabilis pro eo, ac aliqui satis probabiliter autumant, vt videbimus infra lib. 9. tract. 2. cap. 5. ad finem, aut, quod perinde est, si sermo sit, non de relatione sola, sed de prædicto fundamento, & relatione simul, sanè prior est ratione species prædicabilis, quam subiicibilis, siquidem ita species subiicibilis, formaliter importat, tum relationem subiicibilitatis, tum etiam relationem prædicabilitatis: illam, quà subiicibilis, hanc, qua species: haud ergo concipi potest species subiicibilis penes id quo adæquatè & formaliter constituitur, quin eo ipso concipiatur provt species prædicabilis: at optimè cognosci potest species prædicabilis, vt talis, quin cognoscatur subiicibilis, tametsi re ipsa sit subiicibilis: prior ergò est species prædicabilis quam subiicibilis ratione nostra, & in subsistendi consequentia: quo pacto, quia concipi potest animal sine homine, non è conuerso, animal est homine prius ordine rationis, siue illationis.

46 Præterea inter authores dubitari solet, an species abstrahi possit à subiicibili, esse ve vniuersalis comparatione vtriusque? Respondeo, negandam esse eiusmodi abstractionem, & vniuersalitatem: nam species ita abstracta esset formaliter, & non esset species prædicabilis: esset, quia, & esset species, vt constat, & etiam prædicabilis, quippe ad quinque prædicabilium vnum aliquod pertinens: deinde non esset species prædicabilis, tum, quia supponitur ab ea esse abstractam, nihil autem est formaliter id, à quo abstrahitur: tum etiam, quia, cum respiceret inferiora dimissilia, cuiusmodi sunt species prædicabilis, & subiicibilis, qui esse posset species infima, & prædicabilis.

Aliud quoque dubium est circa prædictas relationes, an species subiicibilis, vt subiicibilis, sit prædicabilis? Partem affirmantem equitur Toletus; negantem Amicus, & plures, quos refert. Sed respondeo breuiter: si reduplicatio cadat, vt potest, suprà solam relationem subiicibilitatis, speciem subiicibilem, vt subiicibilem non esse prædicabilem: vtraque enim relatio est diuersa, vt visum: sin autem recidat, vt sæpe aliàs vsuuenit, suprà totam denominationem subiicibilis, ac tum pro formali, tum etiam pro materiali sumptam, eaque petat necessario instar materialis, ac subiecti speciem prædicabilem, ita quidem fieri non posse, quin species subiicibilis provt talis siet prædicabilis. Neque in hoc est, quod amplius debeamus inmorari. 47

Postrema difficultas circa modum essendi vniuersalis in multis hucusque explicatum, est an vniuersale non quodcunque sed genus, & species esse debeat actu in multis? Multi enim, grauesque Doctores inter hæc duo prædicabilia non mediocre discrimen agnoscunt, cẽsentque, genus non posse actu reperiri sine actuali existentia plurium specierum: at speciem conseruari posse in vno duntaxat indiuiduo. Ita D. Thomas in 1. distinct. 19. quæst. 4. art. 2. & 1. poster. lect. 12. Boet. in lib. de diuis. Albertus Magnus tract. 4 prædicab. cap. 6. Alexander lib. 1. natural. Quæstionum cap. 11. Dominicus Sotus quæst. de specie ad 2. Cardinal Toletus ibidem ad tertium. Idem sentiunt tametsi quibusdam adhibitis distinctionibus Fonsec. lib. 5. metaph. cap. 28. quæst. 15. Masius sect. 2. de gen. quæst. 1. Auersa q. 10. log. sect. 4. Hurtad. disput. 1. log. sect. 4. Contra verò Ægidius, Romanus ad Isagogem Porphyrij, & complures recentiores, quos tacitis nominibus laudat Fonseca, id discriminis superius positum omnino negant. 48

Quid mihi videatur duplici assertione declaro. Prima est talis: si verbum, *existit*, aut, *datur actu*, appellet suprà solum formale generis, & speciei, tam hæc, quam illud potest existere, actuvè dari sine vllius inferioris existentia: Atque hoc fortassis voluere Ægidius, & sequaces. Suadetur autem primò: quoniam vniuersale, præsertim magis receptum, ac vulgare, & quo de loquimur potissimè in præsenti, perindè est, atque obiectum multiplex confusè, & instar vnius ab intellectu cognitum: atqui actu dari, & existere potest denominatio illa cogniti, quin multitudo, in quam recidit, vllavè eius pars existat: ergò & denominatio vniuersalis, cuiusmodi est genus, & species. Secundò, quoniam verba in definitionibus magis potentiam, quam actum significant: quandò ergò definitur vniuersale esse vnum in multis, haud sensus est, vniuersale esse actu in multis, sed sola aptitudine, & potentia: quid ni ergò vniuersale sensu saltem proximè explicato existere possit, actuque dari quin sit actu, sed sola aptitudine in inferioribus eius? Tertiò, quia, vt fiat vniuersale, quo 49

de

de agimus, genus nimirum, & species, non requiritur multitudo facta, & creata, sed sufficit increata: vt ergò vniuersale sensu nuper proposito actu detur, & existat, non est opus multitudine inferiorum existente, & suas. extrà causas posita.

50 Assero secundò: si verbum, *existit*, aut *actu datur* appellet pro eo, ac potest supra genus, & speciem, tam quoad eorum formale, quam etiam penes materiale v.g. animal, hominem &c. ita quidem locum habet differentia superior inter primum, & secundum prædicabile, si tamen recte explicetur. Explicari autem, & suaderi potest primò hunc in modum quanquam vnus duntaxat homo existat, cæterum speciei humanæ tota perfectio essentialis quasi intensiua censetur existere, tametsi non extensiua tota: non hæc; quoniam sita est in Petro, & Paulo, & cæteris omnibus indiuiduis hominis, quæ constat tum non existere: ast illa existet tum quoad formale speciei, videlicet actum abstrahentem; quippè cuius supponitur existentia, tum etiam quoad materiale speciei: hoc enim est animal, & rationale duntaxat, cum hi duo gradus solum constituant, ac veluti intendant essentiam logicam hominis, quomodolibet considerati, & sive in abstractionis, sive in contractionis statu: Petreitas verò, & Pauleitas nunquam, & nusquam sunt de eius essentia logica, vt communiter est in confesso apud omnes, vtque infra explicandum est lib. 9. tract. 3. cum sermo fuerit de definitione speciei: at animal, & rationale eo in euentu absolutè existent. Cæterum existente vna sola specie non tantum non existeret tota perfectio essentialis veluti extensiua generis, sed neque intensiua: hæc enim coalescit non tantum ex viuenti, & sensibili, quibus definitur animal, sed etiam ex differentiis specificis; quippè quæ animali in statu saltem contractionis tunc essentiales logicæ, & cum ea speciem constituunt. Ast tunc minime existerent differentiæ specificæ omnes animali subiectæ: ac proinde nec tota essentia logica animalis in quouis statu considerati.

51 Secundò eadem differentia explicari potest, ac breuius, & dilucidius: species definitur à Porphyrio in Isagoge cap. 2. quæ componitur ex genere, & differentia: huiusmodi autem species existeret in vno solo indiuiduo, tum quoad formale, vt constat, tum etiam quoad materiale, siquidem supposita vnius duntaxat indiuidui existentia, & productione, nihilominus tum existeret absolute animal, & rationale, quibus duobus clauditur speciei humanæ v. g. provt definitæ superius materiale, sive substratum. Cæterum vna sola specie animalis existente existeret quidem genus animalis quoad formale, non tamen quoad materiale: ecquid enim esset illud materiale tum extiturum? non plures species, vt supponitur: non vna sola, cum hæc non sit sufficiens generis materia: non denique viuens, & sensibile, queis constat animal; provt enim his coalescit gradibus, non tam est materiale generis, quam speciei à Porphyrio definitæ vti suprà.

52 Tertiò differentia illa generis, & speciei inter tot, tantosque authores recepta eorum in gratiam ita potest explanari. Genus tum quoad formale, tum etiam quoad materiale (nisi enim vtroque modo sumatur inter illud, & speciem vestigare discrimen haud aliud erit, quam, vt aiunt, nodum in scirpo quærere) nequit existere in vna sola specie, quin depereat vniuerso ea pulchritudo, quæ ex varietate, & dissimilitudine exurgit: Quæ, quanta sit, longus sim, si in omnibus generibus explicem: satis sit eam in vno perstringere, eoque sat abiecto, & vili, flosculo nimirum mox tabescente: Quam enim admirabilis, & pulchra eius infinita illa propemodum varietas? Sunt, vt Lessij nostri de prouidentia numinis lib. 1. verbis vtar, continui, dissecti, profundi, repandi, in cymbam cauati, in crinem surrecti, in lanam carminati, alati, rostrati, cornuti, caudati, apiformes, spicati, in sphæram radiatim dispositi, racematim stipati, vmbellatim diffusi, circinatim digesti, folio simplici, triplici, quadruplici, multiplici constipato in orbem, extrorsum conuoluto, introrsum replicato, falcato, crispante, explanato, striato, crenato, fimbriato: Nec minor colorum variatio: candidi, flaui, gilui, luteoli, sanguinei, punicei, cyanei, purpurei, ianthini, colore simplici, miscello, multiplici, saturo, diluto, ex rubro pallescente, ex croceo rubescente, ex puniceo purpurascente, aurato, vel purpureo interpuncti, virgati, stellati, segmentati, fundo gemmato, vmbone medio apicibus è centro decore prodeuntibus, &c. Quod si floris genus harum specierum dūtaxat vnam sortiretur, haud dubie vniuersum ea varietate destitutum coniunctæ cum ea pulchritudinis iacturam pateretur non modicam: idem autē contingeret in quocunque alio genere, nō, nisi in vnius speciei angustiis sese oftētante.

At species aliqua potest existere in vno solo indiuiduo, quin ob id vlla desit vniuersitati rerum dissimilitudo ad eius splendorem necessaria: id, quod constat, tum à priori, quoniam indiuidua vnius speciei, cum sint omnino similia, nullam, etiam si plura existant, dissimilitudinem propriè dictam pariunt magis, quam si vnum solum producatur in lucem vniuersi: tum à posteriori, quia de facto, vt aiunt, credendum non est, vllam mundo aut summæ rerum abesse dissimilitudinem, seu varietatem eius pulchritudini necessariam: & tamen species solis in vno solo indiuiduo producta est; necnon species lunæ, & cæterorum syderum errantium, & plerorumque, aut fortasse, omnium fixorum: conseruatur etiam species Phœnicis in vno solo indiuiduo, non perenniter quidē existente, at perpetua quadā successione restituto, de qua inter alios Poëtas bellè Claudianus. 53

Par volucer superis, stellas qui viuidus æquat
Durando, membrisque terit redeuntibus ænum

Et paulo infrà.

Hic neque concepto fœtu, nec semine surgit,
Sed pater est, prolesque sui, nulloque creante
Emeritos artus fœcunda morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera vitam.

Quod autem Poëtæ passim decantant Phœnicem nidulo à se ex casia, & surculis thuris, odoribusque variis structo super emori, & mox suis ex reliquiis eum renasci, & cum illo totam speciem prius extinctam; hoc inquam non velut poëticam fabulam, sed vti veram referunt historiam Plinius lib. 10. natural. hist. cap. 2. B. Ambros. in morte fratris de fide resurrectionis orat. 2. & alij graues authores.

TRACTATVS II.

De vniuersalitate reali.

CAPVT I.

An ex vnitate, sive identitate reali, & distinctione opposita vniuersale ex parte rei de facto inferatur? vbi sententia Platonis examinatur.

AVREOLVS in 2. dist. 9. quæst. 2. art. 1. & alij plures vniuersale quoddam à parte rei ex identitate, 1

identitate, siue vnitate reali, & multiplicitate ei oppositа coalescens attribuunt Platoni; eiusque ideas separatas, immortales, incorruptibiles ita explicant, vt sint naturæ vniuersales, quæ cum vnitate reali distinctionem realem coniunctam habent, & à singularibus, de quibus prædicantur, separatæ sunt non tempore, aut loco: sed quia ab iis realiter distinguuntur.

2 Hæc sententia ita explicata nequaquam potest sustineri; est enim ab omni verisimilitudine, ac probabilitatis specie aliena; quod suadeo. Primò, quia nihil affirmari potest de aliquo à se realiter distincto: alias Deus posset de lapide prædicari: sed homo de Petro, & Paulo v. g. prædicatur: ergo ab eis realiter non distinguitur; vt rectè arguit contrà hanc sententiam Aristoteles 1. Metaphys. text. 33. Secundò quia Petrus, & Paulus essent vnus, & idem realiter homo, siquidem eadem realiter humanitate in hac sententia gaudent, quantumuis diuersa singularitate eam contrahant. Quâ ratione tres personæ diuinæ ob vnam deitatem, non obstante multiplici personalitate, vnus Deus, non tres Dij sunt. Tertiò quia æternitas, immortalitas, siue incorruptibilitas solius Dei proprietates sunt: falso ergo humanitas illa separata adstruitur immortalis, & æterna.

3 Rursus quartò: quia iuxtà sententiam illam eadem realiter natura humana posset simul assentiri, & dissentiri eidem obiecto; idem etiam amore, & odio prosequi: nec non vnà peccare, & mereri; Deo beatificè frui, & in inferno cruciari: quæ quis falsa, & blasphema non videat? sequela probatur: quoniam prædicata illa opposita de diuersis indiuiduis simul verificari possunt, vt est luce meridiana clarius: at non nisi ratione naturæ de iis verificantur: ergo si eadem realiter natura humana omnibus indiuiduis inest, eadem humanitas oppositа illa prædicata, & non absimilia subibit: minor, quæ sola eget probamento, suadetur, quia passiones & actiones illi oppositæ modo commemoratæ ratione animalitatis, & rationalitatis indiuiduis conueniunt: nam quà rationales peccamus, meremur, odimus, amamus, assentimur, & dissentimur: qua animales, & rationales cruciamur, & beamur: at animalitas, & rationalitas est humanitas: huius ergò ratione, & merito in diuersa indiuidua diuersa illa, & opposita prædicata congruunt. Tandem, quia in Eucharistia tota substantia panis in substantiam corporis Christi iuxta oppositam commentationem minimè conuerteretur: quod Patribus, & Cócilijs apertè contradicit: sequela autem est in aperto: nihil enim in seipsum conuerti potest: at secundum doctrinam contrariam substantia, seu natura panis à substantia corporis Christi non distinguitur: altera ergò in alteram est inconuertibilis.

4 Adduci ægrè possum, vt Platonem eximium philosophum in hac fuisse sententia, vel potius amentia existimem: quocircà cum aliis non paucis eum mitius explico, & ideas ab illo adinuentas, non alias esse, quam cogitationes Dei vniuersales in repræsentando, nec non in causando instar cautarum exemplarium, aut certè formalium extrinsecarum autumo; nempè, quia in cogitationes diuinæ mentis omnia conueniunt, quæ de ideis Plato philosophatur. Quò autem hæc eius explicatio, ac defensio probabilior esse appareat, nonnullæ aduersus eam obiectiones sunt repellendæ.

5 Obiicis igitur primò, ideam hominis v. g. humanitatem, ac hominem à Platone appellari, vt testis est Seneca epist. 66. & apud Eusebium Cæsa-

rienſem cap. 11. Didymus Platonicus: at diuina scientia de homine homo nequaquam est ergo ideæ Platonicæ à diuinis notionibus sunt distinctæ. Respondeo: idea hominis à Platone homo intelligibilis siue in esse intelligibili appellatur ea ratione, qua modo à non paucis Thomistis omne obiectum esse idem in esse intelligibili cum cognitione, & è conuerso existimatur, idque vsque adeo, vt hanc identitatem veram, & strictam esse reantur; eaque ratione, qua imago exterior Cæsaris v. g. Cæsar appellatur: at hoc pacto scientia Dei de homine homo est, nec in hoc aliquid incommodi apparet. Quam responsionem hunc in modum suadeo Plato ideam mundi cum mundo comparans hunc mundum sensibilem, illam verò mundum intelligibilem, siuè, quod perinde est, in esse intelligibili appellat, vt apertè testatur Augustinus lib. 1. retractationum cap. 3. & Clemens Alexandrin. lib. 1. Stromatum.

Obiicies secundo, Platonem solarum specierum, 6
non generum, aut indiuiduorum ideas posuisse: at scientia Dei non magis est generum, quam specierum, deque indiuiduis clare distinguit, ac secernit: eiusmodi ergò ideæ à scientia Dei sunt distinctæ. Respondeo: Plato lib. 6. de republica & alibi passim ideas suas species nuncupat eò quod cuncta repræsentent: ex quo minimè infertur ideas illas esse specierum potius, quam indiuiduorum, aut generum. aliud enim est, ideas esse species intentionales, & vniuersales in repræsentando, quod solum Plato edocuit, aliud esse species vniuersales in essendo, & inter genera, & indiuidua medias, quod Scotus nominis amphibolia deluſus, & alij ei imponunt.

Et quidem haud solarum specierum, sed etiam 7
generum esse ideas illas Platonicas ab eo species nuncupatas ex multis eius testimoniis constat. Nam in Parmenide sic habet: *at si quis eorum, quæ paulo ante dixi, primum species ipsas secundum se ipsas seorsum distingueret veluti similitudinem, dissimilitudinem, multitudinem, vnum, statum, motum, cæteraque huiusmodi; deinde in seipsis ista comminisceri, secernique posse asseret*, &c. Et paulo infrà: *videntur ne tibi, vt aiebas, species quædam existere, & ea, quæ illis participant, illarum cognomenta sortiri? veluti similitudine participantia similia, magnitudine magna, pulchritudine, atque iustitia pulchra, & iusta vocari? & maximè quidem inquit Socrates.* Porrò Socrates personam Platonis gerit. Inferius etiam: *ignotum itaque nobis ipsum pulchrum, & ipsum bonum est, & omnia denique, quæ, vt ideas esse supponimus.* Rursus idem habet in Phœdone: *siquidem sunt ea, quæ quotidie prædicamus, pulchrum scilicet, atque bonum, & omnis eiusmodi essentia, ad quam omnia sensibus percepta referimus.* Vnde sic arguo: motus, status, similitudo, dissimilitudo, vnitas, multitudo, pulchrum, bonum, iustum magnum sunt genera quædam, & non species infimæ, & prædicabiles: at in eis suas collocat ideas Plato: ideæ ergò haud magis pertinent de sententia Platonis ad species infimas, & prædicabiles, quam ad genera: Quod autem ex superioribus inferri testimoniis videtur, ideas vocari à Platone res ipsas, adeóque perperam collocari in actibus diuinæ scientiæ, id solutum est paulo suprà.

Obiicies tertio, ideas ideo à Platone positas esse, 8
quia alioqui nullę essent scientiæ, aut disciplinæ: Ita ille multis in locis præsertim verò in Parmenide: *verumtamen si quis prædictis rationibus motus species rerum existentium auferat, nec speciem ipsam vniuscuiusque distinguat, haud sanè reperiet, quo conuertat intelligentiam, cum non permiserit ideam vniuscuiusque*

cuiusque rerum existentium eandem semper existere, & in hunc modum differendi etiam facultatem funditus subuertet. Talem quandam rationem tu quoque (puta Socrates Platonis personam gerens) *præcipue sensisse mihi videris.* Innuit ergò scientiam nostram esse de ideis : at ea , vt non est de singularibus , vt plurimum , ita nec est de diuinis notionibus : ideæ igitur , vt non sunt res singulares , & existentes, ita nec sunt notiones diuinæ , sed vniuersalia separata.

9 Respondeo, naturas vniuersales, & abstractas ab existētia in sentētia Platonis reddi verè intelligibiles antea, quam existant : quare sicut non possumus producere ea, quæ non existunt, quin ea prius natura à potentia Dei vere possibilia sint , & denominentur , ita non possumus cognoscere vniuersalia, & ab existentia abstracta , quin ea prius natura ab actibus diuinæ scientiæ , & ideis verè cognoscibilia sint, & denominentur : Vnde ex scientia nostra vniuersalium non existentium colligit Plato ideas in Deo, nō quod nostra scientia de ideis sit, sed, quod ab iis dependeat : sicut optimè ex nostra potentia, potentia Dei colligitur , non, quod nostra potentia Dei posse producat , sed , quod à Dei posse dependeat. Porrò ex notitia indiuiduorum , quæ existunt ideas colligere non potuit , eo quod existentiam actualem , ac per consequens veritatem , & intelligibilitatem in se ipsis implicitè habeant , quare, vt cognoscantur , haud opus est recursu ad diuinas ideas.

10 Enimvero instabis, haud videri posse negari iuxtà Platonem scientiam nostram esse de ideis. Ita enim habet in Parmenide : *at forsitan quælibet harum specierum notio quædam est , nec alibi esse , quam in animis potest : sic enim vnaquæque vna erit , nec continget , quæ tu dicebas ; quid ergo* (inquit hocrefellens) *quælibet notio vna est notio autem nullius notio? at hoc impossibile, sed cuiusdam : cuiusdam sanè existentis, vel non existentis? existentis. Nam vniuscuiusdam quod notio illa in omnibus sequens intelligit ideam vnam.* Et inferius eodem lib. *Nonnè scientia est illius ipsius , quod est veritas, scientia ? omnino quidem : Quælibet rursus scientiarum , quæ est , quod est, alicuius existentium est scientia , an non ? profectò. Scientia , verò nostra non nè veritatis , quæ circa nos scientia erit ? & rursus vnaquæque nostra scientia vniuscuiusque eorum , quæ circa nos sunt scientia. Necesse, est. Verumtamen ipsas species , neque nos habere, neque circa nos esse posse assentiris ? non profectò. Nunquid scientia specie genera singula noscuntur ? certè. Quam speciem nos haud habemus ? Non certè : nulla igitur species à nobis cognoscitur , cum ipsius scientia participes minimè simus. Non apparet : Ignotum itaque nobis ipsum pulchrum , & ipsum bonum est, & omnia denique , quæ vt ideas esse supponimus.* Vtique si ideæ à nobis non cognoscuntur, nec de illis est nostra scientia.

11 Respondeo ideas à Platone adinuentas bifariam sumi posse, etiam si sint quas suptà edocuimus. Primò pro actibus diuini intellectus in abstracto sumptis , & provt condistinctis à varietate illa obiectorum , in quæ feruntur : atque ita quidem scientiam nostram, non tam de eis esse , quam ab eis ita pendere , vt eis sublatis haud possimus reperire , quo conuertamus intelligentiam : secundò pro cognitionibus diuinis in concreto sumptis , & provt denominantibus cognita obiecta creata: quo pacto hominis idea erit homo cognitus à Deo , siue quatenus hanc denominationem subit , similiter idea leonis leo cognitus à Deo , & sic in reliquis: ita verò planum esse nostram scientiam esse de ideis diuinis : est enim haud dubiè de rebus æternum à Deo cognitis. Porrò ideas diuinæ mentis proprias duplici illa ratione iuxtà Platonem sumi testatur Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromatum, inquiens ; *In Phædro autem Plato veritatem declarauit esse ideam : Idea autem est de intelligentia , seu, quæ à mente diuina intelligitur : quod quidem barbari dixerunt logon Theu , id est Dei verbum.* En ideas in obiectis à Deo cognitis , provt talibus , sitas. Et eodem lib. paulò infrà : *Est enim Dei regio captu difficilis , quam appellauit Plato Xoram ideon , hoc est idearum regionem , seu campum , & receptaculum.* Ecce ideas etiam in actibus diuinæ mentis seorsim ab obiectis positas , haud enim nisi actus suos ea proprie recipit.

Aliter etiam Platonem explicari posse arbitror, 12
vt nihil aliud voluerit quam distinctionem realem essentiæ potentialis siue possibilitatis rerum ab harum existentia , merito cuius vt à nobis ostendetur in Metaphysica lib. 2. tract. 1. separabilis est essentia præfata ab existentia, suoque modo est æterna, quin existentia sit nisi in tempore. Nam primò quod asserit Plato , ideas suas esse naturas incorruptibiles, ingenerabiles, æternas , necessarias cum tamen sensibiles omnes , & existentes earum participationes è conuersò se habeant , id in essentiam , & existentiam , quatenus , vti paulò supra explicatum est, distinctas , ac separabiles, optimè quadrat. Rursus secundò , quod ideas illas à sensibilibus separatas , ab iis tamen participari docet , id in essentiam potentialem siue aptitudinalem , & existentiam conuenit : quippe quarum vna ab alia per distinctionem realem separatur , & vna ab alia per identitatem realem participatur. Etenim essentia potentialis in abstracto sumpta , & quatenus est ipsamet rerum possibilitas & aptitudo ad esse distinguitur realiter adæquatè ab existentia , quæ est apta esse: cæterùm sumpta in concreto essentia aptitudinalis, siue vt perinde est ac quid aptum esse , profecto est idem realiter inadæquatè saltem cum existentia : id enim est aptum esse quod existit & habet esse : quis autem non videat existentiam ipsam existere & sortiri esse ? Ea ergo est quid aptum esse , ac proinde & essentia aptitudinalis siue potentialis in concreto: hanc igitur per identitatem participat : alia vero ex parte vt dictum est ab eadem abstractè sumpta siue à possibilitate per distinctionem realem separatur & è conuersò. Tertiò quod ex scientia , quæ vniuersalium , non verò indiuiduorum existentium est , ideæ colligantur , id ad distinctionem essentiæ & existentiæ pertinet , quæ sane ex propositionibus scientificis & æternæ veritatis argui & non malè consueuit.

Et quidem ideas iuxta Platonem esse essentias 13
rerum provt ab earum existentiis distinctas ac separabiles suaderi potest multis eius testimoniis. Siquidem in Parmenide sic ait. *Nonnè igitur quotcumque ex ideis inuicem respiciunt quæ sunt ipsa ad se ipsas essentiam habent , non autem ad ea quæ circa nos sunt, seu simulachra,* siue quomodocumque illa quispiam nominet , quibus nos participantes singula esse denominamus. Vbi pende , quod ait ideas ad seipsas essentias habere , non vero ad simulachra & res hasce sensibiles, quasi ipsæmet ideæ sitæ sint totæ in essentiis, secus vero idearum participationes quæ à nobis solent existentiæ nuncupari. Rursus eodem libro quem nuper allegaui sic habet , *Ipsum esse autem quid aliud est quam essentia cum præsenti tempore participatio , quemadmodum ipsum erat cum præterito,*

præterito, & ipsum erit cum futuro, essentiæ ipsius communicatio. Vnde sic arguo: esse, siue existentia sensibilis iuxta Platonem est quædam duntaxat participatio essentiæ: at de eius sententia solum est, quædam participatio, & imago, siue vmbra ideæ, vt infra late constabit, vtque omnibus est in confesso: ideam ergo cum essentia confundit.

13 Idem vlterius docet Plato, & manifestissime in Phœdone: *Siquidem sunt ea, quæ quotidie prædicamus, pulchrum scilicet, atque bonum, & omnu eiusmodi essentia, ad quam omnia sensibus percepta referimus, quæ & prius erant nostra, & tanquam nostrum quærentes inuenimus, atque ad ipsius exemplar referimus* &c. Infra etiam in Phœdone sic habet: *quid vero si vni addatur vnum, additamentum ipsam esse causam vt duo fiant, vel, si diuidatur, diuisionem ipsam duorum esse causam dicere non formidares, altiusque exclamares, nescire te, quo nam alio pacto quicquam fiat, nisi participatione quadam essentiæ vniuscuiusque propriæ, cuius fit particeps, atque in his nullam aliam habere te causam, cur duo fiant præter duitatis ipsius participationem, sed oportere huius participia fore, quæcunque sunt, duo, & similiter vnitatis quodcumque futurum est vnum.* Quibus in locis ideam, cuius participatione fit quodcunque cernimus, vocat essentiam.

14 Ad hæc dial. 7. de republ. sic fatur. *Enim vero computandi, & numerandi scientia omnis circa numerum: Hæc itaque disciplina ex earum numero erit, quas quærimus. Militi quidem cognitu maxime necessaria, Philosopho autem, vt è fluctibus generationis emergat, essentiamque attingat:* Et paulò inferius: *reor equidem nullam aliam disciplinam ad superiorum inspectionem animum excitare, nisi eam, quæ circa essentiam, & id, quod videri non potest, versatur.* Ecce quatenus ideas, de quibus est omnis scientia nostra, essentias semel, atque iterum appellat. Rursus in Timæo sic loquitur *Fateri oportet, esse speciem, quæ semper eadem sit, sine ortu, atque interitu, quæ, nec in se accipiat quicquam aliud aliunde, nec ipsa procedat ad aliud quicquam, sensuque corporis nullo percipiatur: atque hoc est quod ad solam intelligentiam pertinet, eiusque intentionis est proprium. Sed est aliquid post hoc, quod cum ipso, non ratione, sed nomine conuenit, eiusque similitudinem gerit, genitum sensibus manifestum, quod fertur, & sustentatur ab alio semper, & in aliquo loco gignitur, rursusque inde recedit opinione per sensus comprehendendum.* Eodem spectant verba Ciceronis, quo ne Platonem ipsum magis Platonicum dixeris: sic ergò inquit lib. . academ. quæst. *Mentem volebant* (scilicet Platonici) *rerum esse iudicem, solam censebant idoneam, cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex, & vniusmodi, & tale, quale esset, hanc illi ideam appellabant iam à Platone ita nominatam, nos recte speciem, possumus dicere.* An non autem esse semper idem ortum, interitumque nescire, nullo corporis sensu percipi, ad solam pertinere intelligentiam, esse vniusmodi, & tale quidpiam, quale est, ad essentiam spectant? Nihil aliud ergò quam essentiam nomine speciei intellexit Plato, & qui eius assequuti sunt mentem.

15 Tandem Plato aiebat, principium materiale, idearum esse magnum, & paruum, formale verò vnitatem, nempè, quia vt interpretatur Fonseca lib. 1. metaph. cap. 6. magnum, & paruum significat genus desumptum suapte natura à materia, multum, parumvè diuisibili, atque composita vnitas verò differentiam, quia hæc provt condistincta à genere est indiuisibilis perfectionis, alioqui esset ipsa quædam species constituta ex genere, & differentia: quo fit, haud rarò Platonem ideas appellare numeros, nimirum, quia hi constituuntur vnitate. Tum sic: essentia rei est complexio generis, & differentiæ, vt omnibus exploratum est: atqui lato hanc complexionem non distinguit ab idea: ergo nec essentiam.

16 At contrà hunc posteriorem modum explicandi Platonem obiicies, primò, eum appellare suas illas intelligibiles ideas naturas vniuersales, necnon sensibilia è contrario indiuidua, & singularia. Sed essentia haud magis vniuersalis est, quam existentia: nam interdum est singularis, vt, si sit Petri v. g. interdum verò vniuersalis, vt, si hominis: quo etiam, pacto existentia, modo vniuersalitatem sortitur, modò vero singularitatem.

17 Respondeo primò, ideas vocari à Platone, non naturas vniuersales, sed species: quarum autem vocabulum eis magis indidit, quia sunt imagines quædam obiectiuæ, in quas scientia nostra fertur, neque nostra, sed & diuina, quam quia sunt species prædicabiles, & in essendo vniuersales. Non me latet Platonem vbi loquitur de suis ideis, vtplurimum vti nominibus pulchri, boni, motus, similitudinis aliarumque rerum vniuersalium: quæ forte fuit causa vt Aristoteles 1. metaphysicæ c. 6. & lib 7. etiam metaph. cap. 6. & 8. ideas Platonicas quasdam naturas in essendo vniuersales putaret. Fallitur tamen, quia vocabulis illis vsus est Plato, non quod ideas ad sola restringeret vniuersalia, & singularium esse negaret, sed quod sermonem haberet de ideis illis, de quibus esse solet omnis scientia nostra: hæc autem est rebus vniuersalibus plerumque.

18 Respondeo secundo, suppositis principiis Thomistarum distinguentum realiter modaliter essentiam non quancunque sed actualem ab existentia, commodè, & satis ex facili explicari posse, quod ideæ Platonis sint iuxta ipsum naturæ vniuersales quodammodo, & sensibiles earum participationes sint ex consequenti naturæ singulares, tametsi haud aliud intellexerit nomine idearum quàm essentiam, & participationem sensibilium ideas imitantium quam existentiam. Ratio est quia iuxta eos, quos dixi, authores essentia actualis est indifferens ad hanc aut illam existentiam habendam, vtpote res absoluta, existentia verò est determinata ad hanc essentiam actualem, quippe modus quidam illius: quare essentia vt proximè vsurpata tametsi eadem numero sit quodammodo vniuersalis est: nam in pluribus existentiis per identitatem realem absolutam reperibilis est: existentia autem ea ratione vniuersalis non est, eo quod in pluribus essentiis nequeat reperiri, sed potius ei sit essentialiter illigata cuius est modus suapte natura.

19 Respondeo tertiò, quanquam sola essentia aptitudinalis siue potentialis distinguatur realiter ab existentia, & hæc essentia aptitudinalis siue possibilitas rerum sit determinata ad hanc existentiam, & hæc existentia ad hanc possibilitatem siue potentialem essentiam; at nihilominus distinctionem realem essentiæ & existentiæ provt iamiam explicatarum sufficere ad Platonem in bono sensu exponendum. Siquidem vti non valet consequentia ab vniuersali ad singulare, at est valida ab hoc ad illud; vt v. g. est Petrus: ergo homo, non tamen è conuerso: ita similiter ab essentia aptitudinali ad existentiam non valet consequutio, valet tamen è diuerso: cum scilicet suo modo detur ab æterno essentia aptitudinalis siue possibilitas rerum sine existentia,

hæc tamen nunquam sit in rerum natura sine præfata essentia,& quin eam participet. Aut paulo aliter sicut homo est indifferens vt sit Petrus, vel Paulus, nec magis per hunc, quam per illum contrahi, siue, quod perinde est vt hunc magis qam vt illum concipi postulat,ita essentia potentialis in concreto sumpta, siue quid aptum esse est indifferens vt existat vel non existat,existentia vero vtique exercita, est determinata, vt essentiam afficiat, eique suam nequit non tribuere denominationem. His ergo de causis est in essentia vt nuper accepta & existentia vniuersalitatis & singularitatis vestigium quoddam,earumque, sin minus proprietas, at certè imitatio nonnulla.

20 Obiicies secundo: Ideæ iuxta Platonem vere, & simpliciter ab æterno existunt: at essentiæ rerum propriè, & simpliciter non habent esse ab æterno, sed sunt tota retro æternitate in potentia:haud ergo potuit Plato nomine idearum essentias rerum intelligere. Minor est indubia: haud enim vlla res à Deo distincta potest vere,& simpliciter esse, nisi per creationem. Deus autem nihil creauit, aut molitus est, nisi in temporis initio, ac principio aliquo, vt constat ex cap. 1. Genes. & mille aliis scripturæ locis. Maior suadetur:nam epistola 7. ad Dionysij propinquos sic ait: *Vnicuique ipsorum,quæ sunt,tria sunt, ex quibus scientiam fieri necessarium sit: quartum ipsa scientia est: quintum vero oportet ipsum ponere, quo, quid est cognoscibile, id est quod agnosci potest, atque vere existit: horum vnum est nomen, secundum oratio, siue ratio quædam: tertium simulacrum: scientia quartum*: Hactenus ille; vbi ideam à simulacro eam participante, & scientia eam cognoscente distinctam vere existere docet.

21 Rursus in Timæo sic habet. *Omnis sanè natura fictioni subiecta est,agitataque ab ingredientibus, & figurata quodammodo, aliàs aliter se habere videtur: quæ vero ingrediuntur,& exeunt:vere, ac semper existentium rerum simulacra sunt miro, & vix explicabili modo ab ipsis rebus, quæ verè sunt figurata.* Ecce ideas docet vere, & semper existere, contra vero res hasce sensibiles fictioni esse subiectas, & non tam res, quam rerum esse simulacra quædam. Quod eodem lib. paulò ante latius explicat: *hoc,quod semper alias aliter formatum videtur, & plerumque iuxtà ignis effigiem, non est vtique ignis hoc aliquid, sed tale quid, id est, igneum quiddam: neque aqua hoc aliquid, sed tale quid, id est aqueum: nec aliud quicquam, velut vllam habens stabilitatem: denique nec pronominibus quidem vllis hæc signanda sunt,quibus in rei cuiuslibet, demonstratione, cum hoc vel illud dicimus,vti solemus: fugiunt enim, nec expectant, vel eam demonstrationem, quæ hoc & huius, & huic designat, vel appellationem, quæ de his tanquam de existentibus, & stabilibus habeatur. Igitur huiusmodi omnia, neque hoc,neque illud,sed tale potius, & tale propter similitudinem aliquam apellare debemus:& ignem quidem vbique tale, ac de cæteris, quæ gignuntur eodem pacto. At vero illud in quo fieri singula hæc videntur, ac deinde dissolui, solum his pronominibus,quibus,hoc, vel illud signamus appellandum puto.* Hæc ille: vbi elementalem,ac sensibilem ignem, non tam ignem appellandum esse censet, quam effigiem ignis,siue igneum quoddam,nec hoc aliquid,aut illud,sed tale quidpiam: eamdemque esse rationem aquæ, & cæterarum rerum,quas cernimus,videlicet ob crebram omnium mutationem, & perpetuum contrariorum in eas incursum: Vnde tantum abest, vt ideæ iuxtà Platonem non sint vere, & simpliciter, vt solæ illæ sint veræ res,hæc verò,quæ sunt oculis subiecta nostris,tantum sint imagunculæ rerum, ac tenues entium vmbellæ: id, quod eum censuisse testis est Aristoteles lib.1. met. cap. 6. & ibi communiter interpretes.

Respondeo: Platonem non tàm negasse essentias rerum esse ideas, quam fortassis censuisse essentias, in quibus collocauit ideas, esse quasdam existentias æternas,immutabiles, necessarias, improductas, & sensibus imperuias,atque intelligibiles tantum:existentias autem sensibiles (quæ, quia tales, solæ dici solent existentiæ,sicut & illæ, non tam existentiæ, quam essentiæ) existentias,inquam, sensibiles comparatione illarum, esse adeo imperfectas, vt non res veræ, sed rerum simulacra mereantur appellari:quo pacto creaturæ omnes, siue sensibiles, siue etiam spirituales, & solius mentis oculis accessæ, si contendantur cum Deo, entia tantum, secundum quid dici possunt, & solent à multis Patrum, & Theologorum:Porrò mirum non est,Platonem ita de ideis, quas in essentiis constituit hallucinatum fuisse, cum plures Thomistæ,hodieque censeant,essentias habere ab æterno verum esse, non existentiale, at essentiale,putentque particulam,*essentiale*, non esse alienationem,nec transferre esse,suprà quod appellat, à propria ad impropriam significationem. 22

Respondeo secundò,vti suprà constituimus,ideas in notionibus diuinæ mentis bifariam vsurpatis, nempè, & in abstracto, & etiam non in abstracto, sed in concreto cum obiectis suis; ita similiter modò nobis id placere,vt existimemus, ideas interdum sumi à Platone pro essentiis seorsum,& secundum se sumptis,interdum vero pro essentiis, vt sunt à Deo cognitæ,siue, quod perinde, pro complexione quadam essentiarum, & actuum, quibus à Deo cognoscuntur. Esse ergo illud tam perfectum, & præ quo quidquid cernimus est prope nihil, ideis à Platone attributum, est esse essentiæ, non intrinsecum, sed potius extrinsecum, quod situm est in cognitione creatoris, quæ quidem est immutabilis, æterna, necessaria, increata, & infinities perfectior sensibilibus existentiis. Hinc patet, duos modos explicandi Platonem à nobis traditos haud sibi contrariari, sed potius cohærere inuicem: quod argumento esse potest vtrique veritatem constare: verum enim, vt aiunt, vero consonat. Atque hæc habui dicere de mente tanti Philosophi;quam si non assecutus sum, certè; vt assequerer,omnia eius scripta, quanto potui studio, peruolutaui: quo magis æquum est coniecturis meis,vel fidem haberi, vel veniam. 23

CAPVT II.

An ex identitate, & multiplicitate reali vniuersale à parte rei, saltem de potentia Dei absoluta sequatur?

NOnnulli existimant possibilem esse naturam creatam vnam realiter,& duabus,aut pluribus naturis inter se realiter distinctis realiter indistinctam,& eandem;talemque naturam vniuersalem esse ex parte rei,eo videlicet, quod illa tenus vna sit, ac simul multiplex: in quod commentum inclinat Okamus in 2. dist. 2. q. 3. illudque solum probat, quia in eo nulla videtur apparere contradictio, aut implicantia terminorum. 24

Cæterum commentum est, vt aiebam. Siquidem nulla quantitas terminos infinitè distantes immediatè attingere per vbicationem potest, absque infinitate 25

finitate molis: nulla ergò natura creata immediatè attingere per identitatem potest terminos infinitè distantes absque infinitate entitatis, & perfectionis: nulla ergò potest identificari duobus contradictoriis virtualiter talibus, ac proindè infinitè distantibus: oppositio enim contradictoria ex genere suo est oppositio summa, & qua alia maior reperiri nequit, atque adeo infinita simpliciter oppositio est: quò autem magis aliqua extrema opposita sunt, eò magis distant, cum oppositio distantia sit: quare contradictoriè opposita simpliciter infinitè distant: Tum sic. nulla natura creata absque eo, quod simpliciter infinita sit identificari potest duobus contradictoriis formaliter, aut virtualiter talibus, cum hæc simpliciter infinite distent: at si aliqua natura creata duabus naturis, aut pluribus realiter inter se distinctis identificari posset, duobus contradictoriis identificaretur; nulla igitur natura creata duabus, aut pluribus naturis realiter distinctis identificari sustinet. Maior vnà proposita est; atque probata. Minor suadetur, quoniam omnis natura virtualiter contradicit cuiuis alteri à se realiter distinctæ, cum eius negationem sibi formaliter contradicentem inferat, & Petrus v. g. sit virtualiter, & illatiuè non Paulus, contradictio autem virtualis in illatione, seu virtute contradictionis formalis sita est. Ratio autem hæc in diuinis minimè procedit, vbi videlicet natura diuina quia simpliciter infinita est, tribus personis realiter distinctis, ac virtualiter contradictoriis identificari potest, ac debet.

26 Quò autem huius rationis efficacitas magis eluceſcat, dices aduersus eam primo, terminos etiam formaliter contradictorios non distare simpliciter infinite: non enim magis distat Petrus v. g. à non Petro, quam Petrus sit in se: aut paulò aliter, Petrus à non Petro tantum distat iuxtà mensuram suæ perfectionis: cum ergò Petrus sit finitæ perfectionis, & entitatis, tantum finitè à suo contradictorio formali distabit. Verum contradictoria non dicuntur simpliciter infinitè distare, eò quod vnius perfectio simpliciter infinite superet perfectionem alterius, sed ob infinitam eorum intercapedinem, & quasi extensionem, cui omnia possibilia, & existentia creata, & increata, entia, & non entia, quæ quidem simpliciter infinita sunt commensurantur, propterea, quod eorum nihil sit, quod Petrus, aut non Petrus minime sit: hoc autem sine infinitate simpliciter concipi nequit: quemadmodum intelligi etiam nequit spatium aliquod non esse infinitum, cui corpus infinitum commensuratur. Dices secundò, & præcedentem vrgebis instantiam: Contradictoria saltem virtualiter eiusmodi, siue distincta realiter nequaquam habent eam infinitam extensionem, & intercapedinem, quam contradictoria formaliter talia sortiuntur, vt liquet ex nuper dictis: Quam ob rem haud videtur nostro argumento conuinci eandem rem creatam neutiquam identificari posse cum contradictoriis prioris generis, de quibus solis est quæstio. Sed respondeo, contradictoria hæc, de quibus est potissime controuersia, habere extensionem illam, & intercapedinem infinitam virtualiter, & eminenter, ac proinde longe perfectius, quod ad nostrum satis est argumentum.

27 Dices tertiò esse virtualiter, siue ratione ratiocinata animal, & non esse virtualiter animal infinite distant, quandoquidem nihil excogitari potest, quod non sit, vel virtualiter animal, vel virtualiter non animal: & tamen eidem rei conueniunt: similiter ergo in præsenti &c. maior semel proposita est, atque probata: minor suadetur: namque animal est virtualiter animal, & rationale non est virtualiter animal, siue, quod iuxtà, est virtualiter non animal: at animal, & rationale est vna, eademque res, quæ est eorum identitas siue indistinctio realis supra dicta: ergo prædicata infinite distantia, eidem nihilominus rei conueniunt. Respondeo, ea nequaquam distare infinitè, quia non distinguuntur realiter: ita enim comparatum est, vt ad distantiam infinitam præter intercapedinem, & extensionem illimitatam, quam vltro largior inter esse virtualiter, & non esse virtualiter animal vlterius requiratur distinctio realis: absque hac etenim quâ potest concipi distantia vlla, ne dum infinita: quando igitur inter esse virtualiter animal, & non esse virtualiter animal, sed potius rationale non sit distinctio realis, vt dictum est, quid mirum, si huiusmodi prædicata non distent infinite inuicem? Cæterum de hoc fortasse latius alibi.

Dices quartò: homo, quem abstrahimus per intellectum à Petro v. g & Paulo identificatur realiter cum illis; aliâs quo pacto posset de alterutro prædicari? Nihilominus non est simpliciter infinitus: quanquam ergo singularis aliqua natura creata, aut potius creabilis identificetur realiter cum pluribus inter se distinctis, non ob id euadet merito illius identitatis simpliciter infinita: Proinde cur nam est repugnare censenda? Respondeo, hominem intellectus nostri beneficio abstractum à Petro v. g. & Paulo tantum imperfectè identificari cum alterutro, quæ est eius ab eorum quolibet distinctio realis inadæquata quid mirum ergo, si talis identitas haud perinde arguat infinitatem in ratione communi hominis, atque eam arguit in natura creabili, de qua est quæstio, eius adæquata, & penes se totam identitas cum pluribus rebus inuicem realiter distinctis, &, quod hinc sequitur, distantibus inter se infinito simpliciter interstitio. Paulò aliter etiam respondeo: Infinitas iuxtà nos inde tantum colligitur, quod vna, & eadem res sit coniuncta per identitatem extremis inter se realiter distinctis: homo autem in communi non est simpliciter vna, & eadem res, sed secundum quid, & per extrinsecam quandam denominationem intellectus nostri confundentis, quæ reipsa nullam habent confusionem, & identitatem: nihil enim est homo, vt sic, quam collectio humanitatum Petri, & Pauli, & cæterorum indiuiduorum ab indiuiduationibus abstracta, & confuse cognita: At natura, qua de loquimur, est simpliciter, & reipsa vna, & eadem: eius ergo identitas cum distinctis realiter extremis argumentum esse potest infinitatis, quamuis in homine vt sic respectu Petri, & Pauli secus accidat. 28

Dices quinto: Petrus, & Paulus identificantur realiter secum ipsis: & tamen ambo sunt finiti, & infinitatis simpliciter talis prorsus expertes: quanquã ergo aliqua natura singularis creata cũ duabus, vel naturis, vel personis, quarum vna, perspicuitatis gratia vocetur Petrus, & altera Paulus, sit realiter identificata, non propterea erit simpliciter infinita. Respondeo: extendi quidpiam per vnionem informatiuam ad plura subiecta, idque penes vnum idemque sui maioris perfectionis argumentum est, quam si quid penes aliud, aliudque sui ad plura extendatur subiecta: Hoc pacto anima humana perfectior est multis partibus quauis forma materiali, & diuisibili: illa enim indiuisibiliter, & penes vnam, eandemque simplicem, qua pollet, entitatem ad cuncta nostri corporis extenditur membra, atque informat, & viuificat; cum tamen 29

forma materialis, & diuisibilis, quæ ea cunque fiet, non, nisi penes vnam sui partem perficiat vnam subiecti sibi corporis partem, & penes alias: Similiter ergò in præsenti maior longe perfectio, & excellentia est, si natura aliqua creata penes vnum, & idem sui identificetur cum rebus realiter distinctis, quam, si complexio aliqua rerum realiter distinctarum, cuiusmodi sunt Petrus, & Paulus penes aliam, aliamque sui partem sortiatur identitatem cum extremis realiter distinctis, iis nimirum, quibus coalescit: Prior ergo identitas poterit esse cum infinitate coniuncta, secus verò hæc posterior. Solutiones etiam præcedentis instantiæ ad hanc alleuandam possunt accommodari.

30 Dices sextò: natura aliqua creata identificata cum Petro v.g. & Paulo non haberet, nisi perfectionem horum: sed horum perfectio est finita: talis ergo foret, & illius. Respondeo secutum iri ex ea hypothesi vtrumque: videlicet eiusmodi naturam fore finitam ob finitatem extremorum, quibus cum identificaretur, & tum hæc, tum etiam illam habitura infinitatem propter argumentum nostrum.

31 Dices septimò, & vltimò, infinitatem rerum realiter distinctarum vt talium esse per modum extensionis, & nnmeri, sin minus formaliter, at certe virtualiter, & ex æquiualenti, quia Petrus, v.g. & Paulus, siue non Petrus comprehendunt totam perfectionem per omnia entia dispersam, ac multiplicatam: sed huiusmodi infinitatem, non habet natura, cum vtroque identificata: ergo nullam: si enim aliquam: eam certe, quam habent formaliter, aut æquiualenter res ipsæ, quibuscum identificatur. Respondeo, infinitatem naturæ creatæ identificatæ cum duobus extremis realiter distinctis fore non extensiuam, & numericam æquialenter, sed potius veluti intensiuam, ac neutiquam per plura dispersam: quo pacto, natura diuina propter identitatem, cum tribus personis posteriorem illam, non priorem habet infinitatem. Itaque extensio illa numericè infinita, quæ est quodammodo in rebus realiter distinctis, quæque facit in toto rerum Deo perspectarum numero, nihil esse, quod non sit, alterutra earum, vel non illa, haud dubie infert infinitam simpliciter perfectionem, tum in natura cum illis identificata, tum etiam, quod consequens est, in ipsismet, vt nostro videtur argumento conuinci.

32 Alio quoque argumento probari potest nostra sententia, & refelli Nominalium commentum. Totum in rebus creatis est maius, & perfectius sua parte, vt velut principium mathematicum omnibus est in explorato: sed oppositum vsueniret in Trinitate, aut quaternitate, illa creata: siquidem vna natura includeret totam perfectionem alterius à se realiter distinctæ beneficio tertij, in quo vniuntur, & identificantur: quocirca tres, aut quatuor illæ naturæ creatæ, non essent maioris perfectionis simpliciter, & intensiuè, quam vna sola. In diuinis hæc ratio non obstat: nam ob infinitatem, cuiuslibet partis, aut quasi partis, quælibet est æqualis suo toti, & vna persona omnibus tribus: nihil enim est, quod infinitum simpliciter superare sustineat.

33 Enimvero aduersus hoc argumentum duæ sunt instantiæ. Prima est talis: Qui trinitatem creatam, cum Ochamo, & Nominalibus admittunt, hi consequenter edocent hoc principium, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se, in rebus creatis non semper valere, sed potius ei subesse falsum aliquando: nam iuxtà eos duæ, vel tres entitates creatæ Deo possibiles sunt idem vni naturæ, & non sunt idem inter se, sed potius distinctæ: Haud ergo verebuntur reiicere in rebus creatis hoc principium: omne totum est maius sua parte: quippe cuius euidentia haud est maior, quam, quæ elucet in illo altero, quod non semper admittunt: Perperam igitur eos hoc secundo principio vrgemus. Sed inprimis negantes principia non, nisi aliis principiis possunt vrgeri: quod autem secunda non sint magis euidentia prioribus negatis, nihil refert; nam quæ seorsim non conuincunt, forsan turba valebunt. Rursus respondeo principium illud: quæ sunt eadem vni tertio, &c in Metaphysica lib. 2. tract. 4. cap. 17. exponendum, vt valeat etiam in Deo: quid mirum ergò, si similiter in rebus creatis? iam ergo ex huius oppositi perperam infertur illud principium: omne totum est sua parte maius; haud esse semper verum in rebus finitis.

Secunda instantia aduersus secundum nostrum 34
argumentum est, non sequi totum creatum non esse maius, quauis sua parte, tametsi admittatur vna natura creata realiter identificata duabus, vel tribus entitatibus re vera distinctis inuicem: videlicet, quia vna entitas eorum non haberet inprimis formaliter perfectionem trium, quibus cum identificatur in tertio propter eius ab eis immediatam distinctionem; nec etiam æquiualenter, quia non esset infinita: ideo namque in diuinis quæuis persona habet æquialenter perfectionem trium, quia est simpliciter infinita, quid enim est, quod simpliciter infinitum superet? quid consequenter est, cui hoc non æquialeat? Respondeo: vna entitas earum haberet naturam communem tribus: sed ea natura esset æqualis perfectionis cum tribus, saltem negatiue, id est non maioris, nec minoris, videlicet propter identitatem cum illis: haberet ergò aliquid adeo perfectum, ac omnes tres, ac proinde earum perfectionem æquialenter.

Tertium aduersus Okamum, & Nominales ar- 35
gumentum esto: Non mirabilius mysterium diuinæ libertatis, quam Trinitatis: at illud in creatis nequit etiam diuinitus admitti: ergo nec hoc posterius: maior videtur citrà dubium: minor probatur: mysterium diuinæ libertatis in eo positum est, quod Deus velle, & non velle, nolle, & non nolle possit, absque eo, quod eius volitio, aut nolitio simpliciter mutari, vel deficere queat: ast hæc concordia libertatis cum immutabilitate operationis liberæ in creatis repugnat: Siquidem omnis creatura est mutabilis in suo esse, iuxtà illud sacræ paginæ: *Ego Deus, & non mutor*: omnis ergo creatura in operando mutabilis est, ac proinde libertas creata cum immutabilitate operationis liberæ numquam poterit cohærere: probatur antecedens, quia omne esse creatum à Deo produci, & fortassis etiam omne ab eo destrui potest: at productio, & destructio rei eius est mutatio: ergo omnis creatura est in suo esse mutabilis: consequentia probatur: quia duplex immutabilitas, in esse videlicet, & operari sunt in Deo coniunctæ necessariò: duplex ergò mutabilitas oppositа erunt in creatura necessario coniunctæ: atque adeò, cum omnis creatura sit in esse mutabilis, omnis etiam erit in operando mutationi subiecta.

Tandem; si Trinitas, aut quaternitas creata non 36
repugnarent, sanè aliqua natura creata infinitis prædicatis realiter distinctis, & non tot, quin pluribus, posset identificari, quod nemo sanæ mentis admittat: Sequela probatur, quia ideo præcisè hic

processus

processus in infinitum personarum in Trinitate summa, & ineffabili minimè sequitur, quia duplicis processionis diuinæ termini, videlicet Verbum, & Spiritus sunt infiniti, adeoque vterque totam fœcunditatem Dei ad intrà exhaurit, vt late in materia de Trinitate explicari consueuit: at hac infinitate creaturæ carent.

37 Verumenimuerò satis probabile est, ens à se esse vniuersale ex parte rei de facto, vt aiunt, si in duplici statu mox explicando consideretur: quare non video, cur auctores superioris sententiæ ad defendendum vniuersale ex parte rei ad ignotam illam, & commentitiam naturam confugerint. Etenim *ens à se* absolutum, & præcisum à relationibus est vnum realiter, & provt contractum identice ad relationes, seu provt relatiuum est realiter multiplex, cum tres relationes diuinæ tria entia à se relatiua sint vt docet P. Suarez de Trinit. l. 3. cap. 6. At hæc vnitas, & multiplicitas realis entis à se in duplici illo statu est ad vniuersale sufficiens: igitur ens à se in duplici illo statu consideratum ex parte rei vniuersale erit. Maior argumenti iam probata est. Minor suadetur, quia alioqui homo vniuersalis per intellectum non esset, cum tantum sit vnus & multiplex in duplici statu; vnus nimirum provt absolutus, seu præcisus à singularitatibus, & multiplex provt ab iis contractus. Confirmatur: si cum vnitate Dei Deorum multiplicitas cohæreret, omnes Deum vniuersalem ex parte rei faterentur, cum nemo non ex oppositio fundamento vniuersalitatem Dei impugnet: at ens à se ex parte rei est vnum ens absolutum, & plura entia relatiua: igitur ens à se est ex parte rei vniuersale, si non in vno solo, sed in duplici statu consideretur.

TRACTATVS III.

De Vniuersalitate formali, & virtuali.

CAPVT I.

An ex vnitate, siue identitate, & distinctione formali, aut ex natura rei sequatur vniuersale à parte rei?

1 IN statuenda vnitate formali, & non tantum distinctione eiusdem ordinis consentiunt Scotistæ omnes, præsertim Lichetus in 2. dist. 3. q. 1. Trombeta q. 38. met. Rada tom. 2. controuers. 3. art. 1. Antonius Andreas l. 7. met. quæst. 17. Ioan. Monlorius disp. vniuersal. c. 5. & 6. At cuiusmodi sit talis vnitas formalis, & quo pacto ex ea, & coniuncta cum ea distinctione formali sequatur vniuersale à parte rei, haud ita concordant.

2 Aliqui, naturam humanam v. g. eatenus esse formaliter vnam, & vniuersalem à parte rei censent quia est omnino eadem in suis inferioribus, & nullo modo multiplex: sic, vt quamuis sint plures homines, hoc tamen in singularitatum magis, quam naturæ humanæ pluralitatem referendum sit. Verum hic modus vnitatis formalis in loco à nobis satis reiicietur. Eo verò disputandi gratia permisso, quantum mea opinio est, sequitur vniuersale à parte rei; quippè, quia homo, vt sic; est vnus, & est multiplex: & sequitur etiam per locum intrinsecum, haud dari posse vniuersale à parte rei: cum enim natura humana sit omninò eadem, & nullatenus multiplicata, quî fieri potest, vt sint plures homines, sicut ad hominis vniuersalitatem oportet?

Secundo alij Scotistarum tuentur, vniuersale à 3
parte rei, quia natura humana v. g quatenus omnes comprehendit, re ipsa est vna formaliter, & ex natura rei, ac rursus eadem est multiplex numericè, & veluti materialiter beneficio singularitatum, per quas contrahitur. Sed cum vnitas illa formalis humanitum omnium, quæ per indiuidua speciei humanæ sunt longè lateque dispersæ, prorsus repugnet, vt demonstrabitur in in metaph. lib 2. tract. 3. cap. 6. sanè, &, quod ex ea infertur vniuersale à parte rei, reiiciendum est: haud enim ex antecedenti omnino falso existit absolute consequens verum. Enim vero permissa dispurandi gratia id genus vnitate, & distinctione formali, siue ex natura rei, sequi vniuersale à parte rei arbitror cum P. Suarez & non paucis aliis nostrorum. Dices tamen primò cum Hurtado, Arriaga, & Conimbricensibus, qui tuentur oppositum: natura diuina non est vniuersalis, & tamen ita est vna, vt simul habeat secum identificatas personalitates realiter distinctas: quanquam ergo natura humana admittatur vna formaliter in omnibus hominibus, & habeat in eis singularitates realiter distinctas haud propterea euadet vniuersalis à parte rei. Sed ratio discriminis est in promptu: namque natura diuina, siue essentia Dei absoluta haud fit multiplex per personalitates, quippe quarum officium est, non multiplicare, sed supponere, vt aiunt: cæterum natura humana pluralitatem per singularitates: harum enim partes sunt, non solum se ipsas numericè distinguere, ac multiplicare sed naturæ, cui realiter identificantur, eandem impertire multiplicitatem, siue quod perinde est, illam denominare numero multiplicem, haud secus, atque effectus formalis candoris est reddere subiectum album: quanquam ergo natura diuina non sit vniuersalis à parte rei, quid inde ad humanam, aliamve creati ordinis?

Dices secundo: collectio humanitatum, provt est 4
vna humanitas, sin minus numerice, at saltem ex natura rei, & formaliter, haud est re ipsa in Petro v. g. & Paulo, & cæteris indiuiduis speciei humanæ diuisiue sumptis, sed in quouis est tua, & non alterius. Atqui ad vniuersale, non tantum requiritur vnitas, & multitudo, sed etiam communitas, merito cuius ratio vniuersalis, & vna sit tota in quouis inferiori seorsim sumpto: quo pacto homo v. g. per intellectum factus vniuersalis prædicatur instar totius poreſtatiui de Petro. v. g. nec non de Paulo, &c. Quanquam ergò in Scotistarum sententia natura humana sit vna, & multiplex beneficio vnitatis formalis, id satis non erit ad eius vniuersalitatem: perperam ergo hanc à parte rei tuentur inueniri. Respondeo collectionem illam humanitatum omnium esse tamen à parte rei in quouis indiuiduo speciei humanæ diuisiue; sigillatimque sumpto; esse, inquam, non determinatè, & copulatim vsurpatam sed disiunctim, & indeterminatè: nam à parte rei Petrus est hic, vel ille homo, & Paulus similiter: & sic in reliquis: quamuis autem indeterminatio mera repugnet à parte rei, ac sit in solo intellectu, at indeterminatio coniuncta cum aliqua determinatione à parte rei inuenitur, vt sæpissimè dictum huius decursu operis. Atque nisi munere

cuiusdam indeterminationis homo per intellectum factus vniuersalis totus de quolibet prædicatur indiuiduo: indeterminatio igitur aliqua à parte rei sufficiet ad modum existendi vnius in multis diuisiuè sumptis vniuersalis proprium.

5 Tertiò aliqui Scotistæ tuentur, vniuersale à parte rei, quia humanitas, v. g. formalis est vna in omnibus hominibus, & tamen humanitas numeralis est in eis multiplex. Principium vnde deducitur huiusmodi vniuersale à parte rei falsum est, & insufficiens ad explicandam vnitatem formalem eiusque ab vnitate numerali seu reali distinctionem constabit in Metaphysica: at eo admisso sequelam esse bonam arbitror: sicut enim ens à se est vniuersale à parte rei iuxtà doctrinam traditam tractatu 2. huius libri cap. vltimo, quia provt absolutum est vnum, & provt relatiuum re vera multiplex; ita etiam non video, cur humanitas non fiet vniuersalis à parte rei, quia ita est vna, provt formalis, & multiplex, provt numeralis: Nec verò opus est hic sicuti superius, indeterminatione vlla formali, quam scio non paucos à parte rei negaturos: seorsim enim ab illa tota humanitas formalis est in Petro, tota in Paulo, & in cæteris: haud ergo vnitas, haud multiplicitas, haud modus existendi vnius in omnibus, & singulis inferioribus proprius vniuersalitatis obest, quominus hæc possit humanitati vt nuper à Scotistis explicatæ conuenire.

6 Quartò eorum alij ex vnitate, & distinctione formali inferunt vniuersale à parte rei, quod non tam sit collectio omnium humanitatum, v. g. quæ vna humanitas ex natura rei, ac formaliter sit; sed, quod sit natura solius Petri v g. quæ in pluribus indiuiduis in sensu diuiso esse, & aliter, ac aliter contrahi potuit. Cæterum natura Petri proprie, ac positiuè vniuersalis esse nequit, vt hi Scotistæ contendunt, cum natura Petri essentialiter immultiplicabilis sit, ac necessariò vna, esto per hanc, aut illam singularitatem indifferenter esse possit vna, & alterutri, quod hæc numero sit, acceptum referre: atque alioqui certè natura diuina vniuersalis erit, quando, non solum in sensu diuiso, verum etiam in sensu compositio reperitur per identitatem in tribus personis. Natura ergo Petri ad summum negatiuè, & impropriè admissa distinctione, & vnitate formali vniuersalis est, vt perspicuè docet ipse Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 1. inquiens; *illud quidem commune non est ita commune, vt sit prædicabile de multis, licet sit ita commune, quod non repugnet sciri esse in alio, quam in eo, in quo est.*

7 Tandem P. Fonseca 5. metaph. cap. 28. quæst. 3. sect. 2. ex distinctione ex natura rei graduum inæqualium colligit vniuersale à parte rei, ac naturam humanam, v.g. in triplici statu considerat: primus est, in quo naturæ ordine anteuertit singularitates, per quas contrahitur; nec mirandum, si distinctionem naturæ ordo etiam naturæ comitetur: pro illo ergò priori natura humana est vna à parte rei, non vnitate formali, quam in indiuiduis multiplicari, iisque communicari censet, sed vnitate præcisionis, quam in solo præcisionis, & anteceſſionis statu natura habet, indiuiduisque nunquam actu communicare potest: eam etiam numeralem vocat, non numeralem indiuidualem, sed numeralem communem, quia sicut ex induiduis, ita ex naturis communibus conflatur numerus, & sicut Petrus, & Paulus sunt duo numero homines, ita humanitas, & equinitas sunt duæ numero species: mixtam etiam ex numerali, & formali eam appellat, eo quod immultiplicabilitas illius eam quodammodò numeralem reddat, & aliundè, quod sit vnitas naturæ communis, quæ veluti forma, & essentia indiuiduorum est, eam quodammodo formalem efficiat: conditionalem etiam eam nuncupat, & esse censet, vt inferius constabit. In hoc ergo statu natura humana iuxta eum vniuersalis est propterea, quod in eo vna sit, & multiplicabilis, ac ad plura indifferens. Secundus est, in quo per singularitates natura humana contrahitur, & numericè multiplicatur: quo in statu non est vniuersalis, eò quod in illo vna non sit, sed potius numericè, & etiam formaliter multiplex. Tertius est in esse obiectiuo, quo videlicet natura humana à singularitatibus præcisa per intellectum consideratur, & in hoc statu iuxtà eum est etiam vniuersalis.

Hanc sententiam iure merito ferè omnes deserunt. 8 Atque inprimis distinctione ex natura rei graduum toties labefactata innititur. Deinde falsò, & inconsequenter vnitatem illam præcisionis ex formali, & numerali mixtam, & inter vtramque mediam adstruit: namque vnitas, seu identitas, indistinctio, seu indiuisio sit, non plura genera vnitatum, siue identitatum, quam distinctionum admitti debent: at ipse triplicem solum distinctionem admittit, videlicet realem, rationis, & ex natura rei in humanitate v.g. siue eius formalitates inter se, siue cum alia natura humana comparentur: falsò igitur, ac parum consequenter præter identitatem, siue vnitatem realem, rationis & formalem, aliam quartam, & mixtam hìc nobis obtrudit. Rursus sicut humanitas, & equinitas duæ numero species, ita exercitus Catholicus, & Francicus sunt duo numero exercitus: & tamen exercitus, hoc non obstante, neutiquam habet aliam vnitatem ab vnitate partium distinctam: ergo nec humanitas habet aliam vnitatem numericam communem distinctam ab vnitate numerica, & formali inferiorum, vt hic author asserit.

Præterea lib. & cap. supra citatis quæst. 4. sect. 2. 9 ad medium vnitatem illam vniuersalem naturæ communis, siue, quod perinde fermè est, eius indifferentiam, & aptitudinem ad inferiora adstruit esse modum quendam potentialem à natura separabilem realiter, & actu separatum, quoties ea ad sua contrahitur inferiora. In quo nouis impugnationibus scaturiginem exhibet: Nam in primis eum modum in aliquo instanti temporis, aut æternitatis haberet natura; aliàs per eum in potentia indifferenti minimè futura: deinde in nullo instanti temporis, aut æternitatis eum haberet, cum nunquam non sit contracta, & in quouis momento temporis, siue æternitatis Socrates sit hic homo, vt ipse q. 3. sect. 4. disertè fatetur. Secundò infiniti modi possent, ac deberent multiplicari in natura v.g. humana: namque cum ea contrahitur ad singularitatem A, modus illam solum respiciens amittitur, cum interim in potentia ad alias singularitates remaneat, sicut materia contracta, per vnam formam substantialem, & physicam, adhuc est in potentia ad alias: modus igitur, quo est in potentia ad singularitatem A, distinguitur ab eo, quo ad aliam quamuis sponte sua indifferens est, siquidem separabiles sunt: at eo ipso, quod specialem modum habeat respectu singularitatis A, non est, quapropter intuitu cuiusuis alterius peculiarem non habeat modum: quandoquidem, igitur natura humana contracta ad singularitatem A simpliciter est indifferens, & in potentia ad infinitas alias singularitates, certè in ea infiniti reperientur modi: quo nihil absurdius. Vide quæ aduersus huiusmodi modos

naturam

naturarum vniuersalium, & sententiam Fonsecæ, quatenus eos adstruit peracutè, & doctè disputant Conimbricenses 1. p. log. in præfat. Porphyrij q. 3. art. 2.

10 At inquies, quænam est aptitudo illa, quam habet quodpiam vniuersale, vt sit in multis? Respondeo nil aliud esse, quam ipsum vniuersale provt per suam essentiam, siue hæc ei conueniat ex parte rei, siuè per intellectum est non repugnans esse in pluribus: Aut aliis verbis; est negatio repugnantiæ realiter indistincta à natura communi, & ipsis inferioribus, ad quæ est indifferens. Ita B. Thom. opusc. 56. Scotus lib. 1. met. q. 6. & lib. 7. q. 18. & in 2. dist. 3. q. 1. Caiet. de ente, & essentia cap. 4. q. 6. Conimbricenses loco superius citato, vbi citant hanc esse communem authorum sententiam: suadetur autem, quia præter illam non repugnantiam explicatam, quoduis aliud superfluit: Deinde nequit ea aptitudo esse modus, vt nuper probatum, haud etiam potest esse qualitas aliqua superaddita, vt enim optime disputat P. Fonseca vbi suprà in prædicam. substantiæ, quantitatis, ac relationis, vbicationis, & cæteris, quatenus distinctis à prædicamento qualitatis, visuntur genera, & species: horum ergo vniuersalium aptitudo & indifferentia nequaquam consistit in qualitate distincta, ac rebus denuò superueniente: ea ergò est negatio superius exposita.

11 Tandem, vt aliis impugnationibus, quæ videri possunt apud Patres Suarez, Hurtadum, & Arriagam in præsenti, supersedeam; Author hic supra sect. 4. vnitatem præcisionis merè conditionatum ait esse, & nec dari vnquam absolutè in rerum natura, nec dari etiam posse, sed tantum dandam esse sub conditione quadam: videlicet si per impossibile ab indiuiduis realiter auelleretur. Ex quo sic argumentor: vnitas merè conditionalis, & quæ sub conditione omninò impossibili daretur, ad vniuersale iuxtà aduersarium sufficiens est: ergo etiam multiplicitas conditionalis, & quæ sub conditione merè impossibili daretur, ad vniuersale ufficit: vnde Deus verè vniuersalis erit: siquidem ita vnus est, vt sub conditione merè impossibili multiplex siet: si enim imperfectus esset, multiplex esset: consequens autem est omni, vt sic dicam, falsitate falsius.

CAPVT II.

An ex vnitate, siue identitate, ac distinctione virtuali intrinseca sequatur vniuersale à parte rei?

12 CAietanus de ent. & essent. cap. 4. defendit, dari à parte rei vniuersale quoddam negatiuum: eò, quod natura Petri v. g. de se non repugnet contrahi per quamuis aliam singularitatem, esto sic contrahi non sit positiuè apta. Porrò ad hanc non repugnantiam, quam à positiua aptitudine Scotistarum distinctam vult, distinctionem virtualem intrinsecam postulasse videtur.

13 Audiendus tamen non est primò, quoniam repugnantia cum singularitate Pauli oritur in natura Petri ab eius identitate cum suamet singularitate, quæ Petreitas vocari consueuit, & carentia superioris repugnantiæ à carentia identitatis iam iam memoratæ: sed eiusmodi identitatem, & carentiam non habet natura Petri de se, siue pro priori: ergo nec carentiam repugnantiæ, siue non repugnantiam negatiuam, sed potius, tum ab ea, tum etiam à repugnantia opposita pro anteriori rationis signo præscindit. Secundò, quia negatio negationis est affirmatio, & positio: ergò non repugnantia, siuè non ineptitudo est positiua aptitudo: malè ergò dicit, dari pro priori non repugnantiam, siuè negationem repugnantiæ, & tum non dari reuera positiuam aptitudinem: quocircà, vel inuitus recidit in sententiam Scotistarum.

14 Tertiò, quia singularitas Pauli, aut non repugnat naturam Petri contrahere, & sic positiua aptitudo in hac ad illam est admittenda, cum nunquam mutua non repugnantia duum extremorum ad inuicem absque eorum positiua aliqua aptitudine reperiatur: aut repugnat ea singularitas, vel Petri, vel alterius suppositi contrahere naturam, vt Caietanus voluisse videtur; & ita natura Petri non habet de se non repugnantiam ad talem contractionem, quippe quæ est impossibilis fieri: Cur enim natura Petri de se, ac sponte sua habere censenda est magis carentiam repugnantiæ, quam repugnantiam, cum ea contractione, quæ ratione suæ impossibilitatis potius repugnantiam, quam eius carentiam terminare deberet, si alterutram terminaret. Quartò tandem natura Petri iuxtà hunc sentiendi modum non potest propriè esse in multis, etiam diuisiuè, sed tantum secundum quid, & non repugnanter: neqnit ergo esse vniuersalis.

15 Alij aliter secundò Caietanum explicant de positiua aptitudine, non absoluta, sed conditionata, quia natura Petri de se cum singularitate Pauli, & quauis alia identificari posset, si per impossibile singularitates illæ possent eam contrahere. Verum nec ita explicata huius sententia authoris placet. Namque ea aptitudo conditionata, si fortè ad vniuersale sufficit, Deus etiam erit vniuersalis, cum sub aliqua hypothesi, & conditione impossibili queat multiplicari, & vnus esse in pluribus, vt suprà aduersus Fonsecam in simili arguebamus. Rursus vniuersale est vnum in multis absolutè & simpliciter, vt fatentur omnes: at aptitudo illa conditionata tantum efficere potest vnum in multis conditionatè. Contrà hunc etiam, necnon etiam superiorem Caietanicæ opinionis explicandæ modum facit, vniuersale debere esse vnum in multis, non diuisiuè tantum, verum etiam collectiuè, cæterum natura Petri iuxtà Caietanum quocunque modò intellectum duntaxat esse potest in pluribus indiuiduis diuisiuè, hoc est in eorum quouis in sensu diuiso alterius, siuè, si non reperiatur in alio.

16 Quidam etiam neoterici ex distinctione virtuali ita censent, equi vniuersali à parte rei: si enim, inquiunt collectio, & cumulus omnium humanitatum à singularibus virtualiter præcisus consideretur sanè vnitatem quandam præcisiuam, seu negatiuam habet, cum in eo præcisionis statu multiplex non sit propter id quod præscindit tunc à singularitatibus, ex quibus omnis distinctio & multiplicitas oboritur, aliundè vero ea natura per singularitates est multiplex: nihil ergò ei deest ad vniuersalitatem quæ in vnitate multiplici, siue multiplicitate quodammodò vnita consistit. Confirmatur, & declaratur: quoniam vnitas per intellectum vniuersalis constitutiua non est positiua, sed merè præcisiua, qua videlicet natura humana à multiplicitate abstrahitur: ast hæc vnitas præcisiua admissa distinctione virtuali, reperitur à parte rei, & quidem cum multiplicitate coniuncta: ergo &c.

17 Verùm ad vniuersale non sufficere vnitatem præcisiuam, siuè negatiuam, sed reperiri positiuam, hoc

hoc est cuius fundamentum sit aliquis positiuus actus intellectus, plura vt radicaliter vna, ac similia respiciens, & ab eis vnitatem hauriens formalem, & proximam, quam postea in illa reiiciat, ostensum est supra tract. 1. huius libri cap. 2. ad finem vtque latius ostendendum infra, cum egerimus de vniuersali per intellectum, & modo, ac ratione, qua per hunc constituitur: Ruit ergò contrariæ doctrinæ fundamentum, ac basis, cui potissimè innitur.

18 Rursus eius assertores, quod aiunt, ad homines impugno. Ipsi siquidem omnem indeterminationem, ac disiunctionem à parte rei reiiciunt, nullamque non ab intellectu proficisci existimant. Quo supposito, sic argumentor; vniuersale debet esse in pluribus diuisiuè, nec sufficit, si in pluribus inferioribus collectiuè sumptis reperiatur, aliàs aqua erit vniuersale respectu suarum partium actualium, cum per veram identitatem sit in eis collectiuè sumptis, vt nemo possit inficiari: sed cumulus ille humanitatum, nec est; nec esse potest iuxtà aduersarios in Petro, & Paulo diuisiuè sumptis, hoc est in eorum quolibet seorsim, & independenter ab alio non enim indeterminatè, & disiunctiuè vsurpatus, cum ipsi disiunctionem, & indeterminationem quamuis à parte rei refutent, eique statui prorsus contrariam censent; non etiam determinatè, & copulatim acceptus; qui enim fieri potest, vt ea ratione indiuiduum aliquod hominis totam naturam humanam à parte rei complectatur, cum ea sit essentialiter per plura dispersa? Cumulus igitur ille à parte rei non est vniuersalis. Alia est eius ratio, provt est obiectum intellectus: nam quatenus tale in singulis indiuiduis reperibile est, & de singulis prædicabile, quod à natura intellectus nostri proficiscitur, qui collectionem illam formaliter, aut æquiualenter disiungere, & indeterminare valet, sicut oportet vt ea possit tota de singulis indiuiduis prædicari, eisque inesse.

TRACTATVS IV.

De aliis speciebus vniuersalitatis physicæ, & à parte rei.

CAPVT I.

De vniuersalitate denominatiua.

1 HOc est ea, quæ visitur: vbi forma aliqua denominans est in pluribus subiectis vna: Porrò, vt eam exponam, & defendam, in primis est notandum, posse Deum vnam eandemque albedinem in pluribus subiectis collocare. Ita Caietanus 3.p.q.3.art.6. & Conimbricenses tom.1. log.q.8.art.4.vbi etiam aiunt, neminem id inficiari: & quidem merito; haud enim est in eo maior repugnantia, quam in hoc, quod Deus absoluat albedinem ab omni subiecto, quod posse euenire, constat ex Eucharistiæ mysterio. Notandum est secundò, tum futura plura alba, vt latè à nobis probatum est supra lib. 3. huius operis tract. 3. cap. 6.

2 Quibus positis, sic argumentor: Vna, eademque albedo in multis albis v. g. tribus per veram identitatem reperiri potest, nimirum, si Deus per miraculum eam in tribus constituat subiectis; ea ergo albedo à parte rei vniuersalis esse potest. Quod enim per inadæquatam tantum identitatem in tribus albis reperiretur, non obstat: nam etiam animal in communi tantum inadæquatè cum homine, & equo identificatur, & tamen eorum intuitu est vniuersale. Rursus quod non essent tunc tres albedines, sicuti foret vna, haud magis obest: nam essent tres albedines in concreto, cum albedo in concreto sit album, ac tunc darentur tria alba: aliundè verò esset tunc vna albedo in abstracto; hoc autem ad ad vniuersalitatem albedinis eo in euentu sufficeret, alioqui homo v. g. non erit vniuersale per intellectum, siquidem tantum est vnus in abstracto, seu provt abstractus à singularitatibus, multiplex vero solum in concreto, siue provt singularitates concernit. Demum, quod albedo non posset tunc prædicari de pluribus albis, falsumque dictu foret, aliquod album trium esse albedinem, non obstat: etenim albedo per modum vnius cum subiecto de pluribus albis prædicari posset, hoc pacto, hoc album est album, & illud, illudque album est album, quod ad vniuersalitatem albedinis sufficeret, eo in euentu: Tum, quia particula, *omnis*, est syntagorema vniuersale, cum tamen se solo prædicari, aut subiici non possit, sed solum in consortio alterius, quod saltem subintelligatur: tum etiam, quia aliàs species non erit vniuersale, cum numquam prædicari possit absque eo, quod simul cum illa genus, saltem implicitè, prædicetur,

Cæterum id genus vniuersale, quod modò ex- 3
plicatum est, negant Balthasar Tellez 1. p. summæ philosophicæ disp. 5. in logicam sect. 3. & Conimbricenses q. illa 8. in præfationem Porphyrij art. 4. paulò suprà citatis, vbi etiam allegant Scotum in 1. dist. 1. q. 2. a. 2. & Bargium super eundem Scoti locum. Pro quibus oppones primò, ex nostra sententia sequi, vniuersale à parte rei, non tantum de possibili, vt aiunt, & in alia, eaque miraculosa rerum serie, sed de facto, ac citra miraculum. Sequela probatur: namque, si posita diuinitus vna numero albedine in multis subiectis, ea, aut, si mauis, album esset vniuersale, quidni etiam modò, actio cognitio, vnio, forma, sint vniuersales à parte rei, & ante omnem considerationem intellectus; quandoquidem earum quæuis vna existens, nihilominus plures tribuit denominationes pluribus subiectis, vt cum per eandem actionem, aut plures causæ dicuntur agentes, vel plures effectus producti; aut per eandem cognitionem plura obiecta cognita; aut per vnionem vnam, & eandem plura extrema vnita; aut denique per eandem formam v. g. animam rationalem omnia corporis membra informata, & animata. Consequens autem est absurdum: namque vniuersale haud dari à parte rei, saltem in hac rerum serie, tuentur Aristoteles lib. 1. de anima textu 8. *Vniuersale* inquiens *nihil est, aut posterius est*, subaudi actibus intellectus: Auerroës lib. 12. metaph. comment. 27. *Vniuersalia*, aiens, *non habent esse extra animam*: Auicenna lib. 5. metaph. his verbis, equinitas secundum se, (id est à parte rei) *tantum est equinitas, non vna vel plures*: quod, si non vna, eo in statu, certè, nec vniuersalis: B. Thomas opusculo de ente, & essentia cap 4. & 1. p. q. 85. a. 1. & 7. metaph. lect. 13. eiusque sectatores omnes, præsertim verò Caiet. citato loco de ente, & essentia, Capreolus in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. Sotus q. 2. vniuersalium, Soncinas 7. metaph. q. 40. Ægidius in 1. q. 2. prologi, & dist. 12. p. 2. item extra scolam B. Thomæ,

Durandus

Durandus in 1 dist. 3. q. 5. & passim alij: Ex nostris quoque Suarez tom. 1. met. disp. 6. sect. 5. Rubius q. 4. vniuersalium, Cardinalis Toletus de vniuersal. Conimbricenses, Hurtadus, Arriaga, Tellez, & plerique alij: Quamuis autem Antonius Andræas 7. met. q. 18. & Ioannes Monlorius speciali disp. de hac re cap. 5. & 6. aliique Scotistæ vniuersale à parte rei admittant, id parum nobis prodesse videtur: hi namque authores non sine distinctione aliqua graduum formali, siuè ex natura rei ex huius parte concedunt vniuersale: nos verò illud concedimus à parte rei, circumscripta omni distinctione ex natura rei, imò etiam virtuali. Respondeo tamen concessa sequela. Consequens autem haud est absurdum, haud aduersus tot, tantosque scolasticos, quippe quibus negant vniuersale à parte rei, vel absolutè, vel saltem, nisi admissa prius aliqua distinctione graduum, sermo est, non de vniuersali denominatiuo coalescente ex forma vna, & multis subiectis, sed de aliis, qualia sunt homo v. g. respectu Petri, & Pauli, animal intuitu hominis, & equi, albedo contemplatione huius, & illius, aliaque id genus.

4 Obiicies secundò ad vniuersale quodlibet requiri inferiorum multiplicitatem: atqui albedo posita in multis subiectis haud propterea esset in se multiplex: ergò nec vniuersalis. Respondeo, albedinem multiplicatum iri in concreto, siuè, vt loquuntur alij, adiectiuè, si collocaretur in tribus subiectis: tunc enim forent tria alba: Quanquam autem hæc multiplicitas albedinis in concreto sumpti siue albi esset tunc realis inadæquata, & cum aliqua identitate coniuncta, nihil obstaret: tum, quia diuinarum personarum distinctio haud est sine earum identitate aliqua in tertio; & tamen persona vt sic earum respectu est vniuersale: tum, quia intuitu formalitatum sola ratione distinctarum, ac realiter prorsus earundem potest esse aliquod vniuersale: quorum alterum ostensum est à nobis supra tr. 1. c. 3. & alterum c. 4.

5 Et quidem iuxtà Conimbricenses, & Balthasarem Tellez vbi suprà creator est vniuersale contemplatione huius, & illius, quamuis non sit, nisi vnus creator, Deus scilicet optimus maximus, eò videlicet, quod concretum istiusmodi sit pro formali, videlicet penes relationem creatoris haud dubie multiplicem, multiplex, vt vt pro materiali sit vnum: A fortiori ergò, si diuinitus plura subiecta per eandem albedinem essent alba, hæc multitudo sufficeret ad vniuersale: tum enim album esset multiplex absolutè, & nulla sine adiectione, cum tamen fateantur aduersarij creatorem modò non esse multiplicem, nisi cum hoc additamento, *formaliter*, aliove simili: esset quoque in eo euentu multiplicitas in vniuersali à pluribus albis abstracto penes id, quod album, aut semper, vt plures putant, aut certè sæpius importare solet in recto, cũ tamẽ creator de obliquo duntaxat multiplicetur in aduersariorum principiis.

6 Obiicies tertiò: albedo est singularis, vtcunque in multis collocata subiectis diuinitus, ac per miraculum: non ergò vniuersalis. Consequentia liquet, quia vniuersale, & singulare opponuntur. Antecedens etiam: quia id est, quod supponitur à nobis, vnam scilicet numero, adeoque singularem albedinem multis subiectis à Deo posse donari. Respondeo, eam fore tum singularem, & vniuersalem, sed diuersimodè: esset namque singularis sumpta in abstracto tantum, siuè provt albedo, vniuersalis verò, quatenus accepta in concreto, simul, & abstracto, siue provt album, & albedo.

Obiicies quartò: album importat intrinsecè, & essentialiter solam albedinem, extrinsecè verò, & duntaxat connotatiuè subiectum: cum enim hoc sit substantia, quæ potest pertinere quidditatiuè ad album, quod est in prædicamento qualitatis? nisi verò eadem res possit esse simul in duobus prædicamentis, quo tamen nihil dici posse videtur absurdius: iam ergò fieri nequit, vt album sit vniuersale, ea facta hypothesi, de qua sermo hactenus: nam quod est vniuersale, debet intrinsecè, & in se esse quodammodò multiplex: alioqui, si extrinseca multiplicitas, ac tantum connotata ad id sufficiens est, quidni Deus sit vniuersalis merito vnitatis suæ, nec non multiplicitatis creaturarum quam connotat, ac respicit? 7

Sed inprimis album includere intrinsecè, & essentialiter, non tantum albedinem, sed etiam subiectum: à nobis suprà demonstratum est lib. 3. huius operis tract. 3. cap. 3. Quod autem obiicitur in contrarium, ita fore, vt album pertineret quadantenus ad prædicamentum substantiæ, soluendum est à nobis in metaph. lib. 3. tract. 1. cap. 2. ad eius finem. Rursus permitto, album haud includere intrinsecè subiectum: at certè includit, tum albedinem, tum eius inhærentiam, vt nemo non fatetur, & meritò quoniam albedo separata ab omni subiecto, & nulli inhærens haud esset propriè album. Ast in hypothesi, qua de agimus, albedo multiplicem haberet inhærentiam, pro multiplicitate subiectorum, quibus ineesset: iam ergò esset album multiplex, sicut ad vniuersale oportet, intrinsecè scilicet, & essentialiter, & non extrinsecè tantum, & connotatiuè. 8

CAPVT II.

De vniuersalitate causali & relatiua.

VNiuersalitas causalis ab aliquibus adinuenta neotericis est, ea quam causa quæuis, præsertim verò prima, & omnipotens suis tribuit effectibus. Cur enim, inquiunt, cognitio vna confusè repræsentans plura, ea vnum, & vniuersale denominet, & omnipotentia Dei maximè vna, omnesque res creatas, & creabiles continens eas vnum, & vniuersale nequeat denominare? Et quidem creaturas denominari quodammodò ab omnipotentia creatoris innuisse videtur B. Dionysius cap. 15. de diuinis nominibus in hæc verba; *sicut lineæ à centro in circumferentiam egrediuntur, & in centro sunt vnum & quo magis à centro distant, eò plus distinguuntur, ita creata omnia, quæ à Deo prodierunt, in Deo vniuntur, & sunt vnum: quo vero plus à Deo recedunt multiplicatione quarundam ex aliis, eò plus diuiduntur quoad esse, quod habent in ipsis.* Hoc autem ipso, quod creaturæ sint vnum per denominationem ab omnipotentia creatoris, non est, cur in vniuersale quoddam vi huius vnitatis non coalescant: ex se namque multiplicitatem habent: præter hanc autem, & vnitatem nihil aliud ad vniuersale requiritur, quippè quod definiri solet, vnum multa. Atque de hoc vniuersalis genere locutum fuisse censent hi recentiores Platonem, cum asseruit reperiri vniuersalia quædam separata à parte rei, & ante omnem intellectus nostri considerationem. 9

Cæterum hanc opinionem paucis arbitror placituram: mihi certe haud arridet. Primum, quia cognitio, per quam distinctè, & clarè cognosco Petrum 10

Petrum v.g.& Paulum, non facit eos vniuersale:& tamen est vna in se, & eos continet intentionaliter: estò igitur omnipotentia Dei sit in se vna realiter, & creaturas omnes distinctè contineat, haud propterea vllam eis tribuet vniuersalitatem. Secundò, quia cognitio confusa, vt obiter exemplum, quo potissimè nituntur aduersarij, demoliar, ideo confert vnitatem, & cum ea vniuersalitatem rebus sibi obiectis, quia inter eas non distinguit, siuè, quia nullam earum provt ab altera condistinctam, ac sine illa repræsentat. Atqui omnipotentia Dei, & quæuis alia causa distinguit suos inter effectus,estque cuiusuis provt condistincti à quocunque alio, ac sine illo productiua: haud ergo eis vnitatem vllam, aut vniuersalitatem impertit. Tertiò, & paulò aliter: Cognitio confusa est rerum, in quas fertur duntaxat repræsentatiua sub ratione aliqua communi, cum tamen causa, quæ ea cunque sit haud sit productiua effectuum suorum, nisi in particulari, ad easque ita sumptas, & non tantum ad aliquam rationem eis communem referatur: haud ergo in præsenti recte arguitur à cognitione ad causam physicam.

29 Quartò, vt constet, quam parum profit aduersariis testimonium Dionysij, lineæ omnes dicuntur quodammodò vniri in centro suo: at non propterea quispiam dicet centrum lineis à se exeuntibus vniuersalitatem tribuere vllam; quamuis ergò creata omnia dicantur veluti vnita in Deo reperiri,non ob id vlla eis vniuersalitas ab omnipotentia creatoris proueniet. Quintò, vt quidpiam tribuat vnitatem vniuersalem, opus est id, cui tribuitur dici absolutè vnum, & sine vlla limitatione: quo pacto cognitio confusa, & vniuersalis, vt obiectum multiplex denominat absolutè cognitum aliqua cum confusione, sic etiam illud absolutè denominat vnum. At creata omnia haud denominantur vnum quid absolutè propter eorum in Deo continentiam, sed cum additamento quodam,videlicet *vnum in omnipotentia creatoris*: quod quidem non tam est ea esse absolutè vnum, quam omnipotentiam esse vnam: vti, cum dicitur creaturas omnes, anteà, quam fierent, in Deo extitisse, & vixisse iuxtà illud Ioan.*quod factum est in ipso vita erat*, haud sensus est, eis vitam aliquam, aut existentiam conuenisse,sed potius soli Deo earum creatori.

30 Tandem quod huius vniuersalis haud vnquam venerit in mentem Platoni, neminem reor negaturum, nisi, qui in eius scriptis parum sit versatus: certè in eis nè vnum reperies testimonium, quod huic commento faueat. Quid autem tantus Philosophus intellexerit nomine idearum vniuersalium à singularibus quodammodo separatarum, supra tractatu secundo, capite primo explicuimus, quantum ex variis eius locis coniectura potuimus assequi.

31 Quod attinet ad vniuersale relatiuum, aliqui Doctores censent, possibile esse vniuersale à parte rei sine vlla distinctione graduum, eò quod humanitas Petri v.g. & humanitas Pauli à parte rei sit vna, & multiplex: multiplex, vt exploratum est, vna, eò, quod similitudo sit vnitas saltem impropria,teste Aristotele 5. metaph. vtraque autem humanitas fiet inuicem similis: quod, si hæc vnitas positiua, licet impropria ad vniuersale non sufficiat, certè nè per intellectum fieri poterit vniuersale: nam per eum res distinctæ haud fiunt, nisi impropriè vnum: quis enim dicat, Deum, & lapidem esse propriè, ac strictè vnum, eo quod intellectus ab eis rationem communem substantiæ, vel entis abstrahat? Porro hæc vniuersalitas à parte rei merito dici potest relatiua propter id, quod eius forma, videlicet vnitas sit relatio prædicamentalis similitudinis. Verum displicet hæc etiam sententia: Primum, quia vnitas formalis ad vniuersale requiritur, & fundamentalis non sufficit, vt per se patet, vtque omnibus est in confesso: & quidem alias vniuersale, non per vnum in multis, sed per multa breuius definiri posset, & deberet, siquidem multitudo omnis vnitatem aliquam fundamentalem continet, & essentialiter includit: at similitudo est vnitas fundamentalis, non formalis, & actualis.

Alia quoque de causa mihi non probatur ea opi- 32
nio: quoniam aggregatio illa humanitatum vi similitudinis physicæ ad vnitatem quandam coacta haud est de aduersariorum sententia in omnibus indiuiduis speciei humanæ, nisi collectiuè sumptis,haud est in eorum quolibet seorsim ab alio, sicut ad vniuersale oportet. Quæro enim, vt sit à parte rei? certè non disiunctiuè, & indeterminatè vsurpata: hi enim, quibuscum lis, nullam à parte rei indeterminationem, aut distinctionem agnoscunt: non etiam copulatiuè, ac determinatè accepta: id enim esset, nullam humanitatem esse extrà Petrum, nullam non in illo, idque destinatè, quo tamen, quid magis stultum? Tertiò aduersarij hominem in communi negant esse vniuersale respectu veri, & picti: at ambo sunt à parte rei similes analogicè in ratione hominis, adeoque vnum quodammodo: vnitas ergò secundum quid, & impropria haud semper sufficit ad vniuersale. Quartò tandem similitudo, & dissimilitudo semper cohærent cum distinctione graduum, vt superius visum: perperam ergò docent aduersarij, non distinctis gradibus metaphysicis, vi tamen solius similitudinis reperiri vniuersale à parte rei.

Atque ex dictis constat primò, nullam esse ratio- 33
nem, qua nituntur aduersarij: nam inter actum intellectus, & similitudinem physicam hoc interest,quod actus intellectus faciens vniuersale,rebus illis, quas confusè cognoscit vnitatem formalem tribuit, & non fundamentalem, cum potius hanc in eis supponat. Ast similitudo prædicamentalis haud facit similia vnum formaliter, haud, nisi fundamentaliter tantum. Quid mirum ergò, si more actus intellectus ad vniuersale non sufficiat? Constat secundò, nullam esse replicam eiusdem argumenti, quam sic quidam instaurant:maior est similitudo physica, quam intentionalis: illa enim est intrinseca, & vera similitudo, hæc extrinseca, & adumbrata: posterior ergò, cum ad vniuersale sufficiat, quidni, & prior? constat', inquam, nihil esse in hac replica nomenti: siquidem ad vniuersale attendi magis debet ad vnitatem, quam ad similitudinem; vnitas autem profecta ab intellectus actu, & similitudine intentionali maior est,quam, quæ proficiscitur à similitudine physica: quid ergo interest, ſhanc similitudinem esse maiorem illa in ratione similitudinis?Denique constat,aliam etiam esse rationem dissimilitudinis inter vtranque similitudinem, quod ad præsens attinet: namque de aduersariorum principiis similitudo physica à parte rei haud est coniuncta cum indeterminatione, ac disiunctione ad vniuersale, vt toties dictum superius est requisita; cum tamen intentionalis similitudo, actusque intellectus nostri confusus possit, ac soleat distinguere, atque, vt sic dixerim, indeterminare.

TRACTA

TRACTVS V.

De vniuersalitate Intentionali.

CAPVT I.

An res fiant vniuersales per intellectum.

1 NTIQVI Nominales, quorum est mentio apud B. Thomam 1. part. quæst. 14. art. 15. & Albertum Magnum tract. 1. vniuersalium cap. 1. communiter censentur negasse res fieri vniuersales per intellectum, & non agnouisse vllum vniuersale, quod non esset nomen exterius, aut certè interius. Idem postea secuti videntur nuperi Nominales insistentes vestigiis Okami 1 part. log. cap. 14. & 15. & in primum sent. distinct. 2. quæst. 4. & quodlib. 5. & quæst. 12. & 13. id ipsum ante vtrosque edocuerunt Heraclitus, & Cratyllus, necnon Epicurei, atque nouæ Academiæ professores.

2 Primum huius sententiæ fundamentum esto, Quidquid est in rerum natura, si solum Deum excipias, est in certo, ac definito tempore, & loco: sed homo vniuersalis, siue in communi sumptus haud est in aliquo destinato tempore, aut loco, videlicet hic magis, quam albi, aut nunc magis, quam postea, vel antea, sed potius ab his conditionibus abstrahit, easque tantum sortitur, provt est Petrus, v. g. aut, Paulus, aliudvè indiuiduum: repugnat igitur in rerum natura homo vniuersalis per intellectum factus, & non in singulari, sed potius in communi vsurpatus: quæ autem est hominis, ea etiam est, quod ad præsens attinet, quarumuis aliarum rerum conditio.

3 Secundum eius opinionis argumentum esto, ex contraria sequi, Petrum, v.g. & Paulum esse, & non esse idem inter se, idque realiter, & verè: non esse quidem, vt per se, ac sponte sua patet: esse verò, quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se in creatis: Petrus autem, & Paulus nequeunt non esse idem vni tertio, videlicet homini vniuersali per intellectum facto, huiusmodi si semel admittatur vniuersalitas. Declaratur, & confirmatur, animal, & Petrus sunt idem inter se, quia sunt idem in homine, vt cernere est in hoc syllogismo in modo Regis Darij: omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal: At Petrus, & Paulus sunt idem in homine, huius respectu vtriusque, communitate, atque vniuersalitate admissa, vt constat ex hoc syllogismo, sin minus in modo Darij, aliovè primæ figuræ, at certè ad secundam pertinente figuram; Petrus est homo, sed Paulus est homo, ergò Paulus est Petrus: Quidni igitur ambo sint idem inter se? Atque hinc claret, non satisfacere huic difficultati, quod respondent Conimbricenses quæst. 1. in præfat. Porphyrij art. 2. ad tertium; hominem esse terminum communem, & propterea vi illius Petrum, & Paulum haud esse idem inter se: ita enim si res haberet, nec Petrus, & animal beneficio vnionis cum homine possent esse idem inter se se: quin etiam nullus modorum, quos præscribit Aristoteles, & quos Dialecticorum schola tradit his versibus: Barbara celarent, &c. esset vtilis: omnes enim colligunt, aut negant identitatem extremorum inter se se propter eorum identitatem, vel distinctionem in tertio, quod sit terminus communis, siue vniuersalis.

4 Tertium eiusdem sententiæ fundamentum sic habet: Quidquid est in rebus, est singulare: nihil enim est in eis, quod, aut non sit improductum, & à se, aut productum, & ab alio: illud autem est summè singulare, & vnum, Deus videlicet Optimus Maximus: hoc verò, quodcunque sit, nequit etiam non esse singulare, cum iuxtà Aristotelem 1. metaph. cap. 1. & omnes Philosophos, actio omnis, & effectio sit ad singulare, & vnum, atque ignis v. g. (par autem est ratio cuiuscunque alterius causæ) non rationem communem caloris, sed hunc numero producat. Tum sic; singulare, & vniuersale opponuntur, nec potest aliquid vtramque simul habere denominationem: quando quidem igitur omne, quod est in rebus est singulare, vt visum, nihil esse poterit vniuersale, quantumcunque ab intellectu confusè cognoscatur.

5 Cæterum his argumentis facilè potest responderi. Ad primum dices, omnem rem, Deo solo excepto, eo modo, quo est, esse, non semper, & vbique, sed potius alicubi temporis & loci naturam autem vniuersalem hominis v. g. aut alterius speciei, vel generis non esse in mundo penes se totam, ita enim infinitè patet, sed penes aliqua indiuidua sua? atque quoad hæc eam esse in certo aliquo, ac definito tempore, & loco. Hinc claret, ingens esse illius à Deo discrimen: hic etenim nullis temporum, aut locorum finibus circumscribitur se toto sumptus, illa vero fines eos respuit, non se tota, sed inadæquate sumpta cum interim penes aliquas sui partes, sui, inquam, id est in se realiter clusas ita finiri deposcat: hic penes id sui, quod existit ita est incircumscriptus; illa vero circumscribi non patitur; at quatenus infinita inferiora realiter non existentia complectitur: tandem hic nulli loco, aut tempori est illigatus, quia per omnes vtriusque differentias longè, lateque vagatur, idque actu, illa vero sic nusquam, & nunquam adstricta est, quia tantum potest esse vbiuis, & quandocunque. Quæ cum ita sint, ex cuiuscunque creaturæ imperfectione in ordine ad tempus, & locum, Deique quoad vtrumque summa perfectione haud potest colligi, nihil fieri vniuersale per intellectum.

6 Ad secundum argumentum dices, Petrum v.g. & Paulum non esse idem inter se quod autem obiicitur, esse eos idem vni tertio, videlicet homini, hic, si semel sit vniuersalis, friuolum est: nam eum dicitur, Petrum esse hominem, perinde est, ac eum esse aliquem hominem, &, cum Paulum esse hominem, similiter iuxtà est, atque eum esse aliquem hominem neutrum vero significatur esse omnem hominem: at aliquitas, vt sic loquar, importat, non vnitatem, sed potius disiunctionem, aut diuersitatem: ita ergò alteruter est homo vt non propterea sint idem vni tertio, videlicet, quia, vt dictum est, homo neutiquam est vnum quoddam respectu illorum. Et quidem per se patet, non probè inferri, Petrum, & Paulum esse idem inter se ex eo, quod, tum hic, tum ille sit aliquis homo. Hæc autem ratio non procedit in homine respectu animalis, & Petri: haud enim in syllogismo, quo vtrumque nectit, sumitur omnino disiunctiuè, & vagè, sed potius copulatiuè, quemadmodum ad eius vnitatem oportet.

7 Illustratur solutio: Vt aliqua sint idem inter se ex eo, quod sint idem vni tertio, debent ei esse idem in aliqua figura illarum, quæ sunt ab Aristotele traditæ, & à cæteris philosophis receptæ: at Petrus, & Paulus in nulla earum potest esse verè idem cum

homine:quid ergo mirum,si inter se non sint idem, quantumuis sint idem quodammodo in homine, & hic per intellectum fiat vtrique communis, & vniuersalis:maior est perspicua: minor suadetur: haud enim in prima figura rectè vnias Petrum, & Paulum cum homine,hoc pacto:omnis homo est Petrus sed Paulus est homo; ergo est Petrus: haud etiam in tertia figura, hunc in modum: omnis homo est Petrus;omnis etiam est Paulus; ergo Paulus est Petrus: haud denique in secunda figura, de qua maius aliquantulum potest esse dubium: nam in hac omnes modi vtiles concludendi vulgo circumferri soliti constant aliqua præmissa negatiua, non enim sunt, nisi quatuor,videlicet Cæsare,Camestres,Festino,& Baroco: quam ob rem,si dixeris:Petrus est homo, sed Paulus est homo:ergo Paulus est Petrus, nil mirum, si modus hic arguendi sit inutilis. Alia est ratio hominis comparatione Petri, & animalis: siquidem hæc duo extrema probè cum illo vniunturin prima figura.

8 Ad tertium dices,quidquid verè,ac propriè vnum est in mundo,esse singulare, adeoque nihil tale esse vniuersale:at aliquam collectionem plurium rerum à Deo productarum, præsertim iunctis rebus ab eo produci possibilibus esse vniuersalem per intellectum confusè cognoscentem, imò multas:eiusmodi autem collectio haud est singularis propriè loquendo, sed rerum singularium cumulus quidam vel, si mauis,dic iuxtà doctrinam B.Thomæ,Conimbricēsium in præsenti, & aliorum, eam esse singularem: vniuersale autem, & singulare non distingui actu, sed virtute,ac ratione ratiocinata,& perinde vtramque denominationem eidem collectioni posse conuenire.

9 Quapropter certissimè,& indubitanter tenendum est,res fieri vniuersales per intellectum. Ita Aristoteles lib. 1. perihermenias cap. 5.& 1. poster. cap. 2. & lib. 7. metaph. c. 14. & iisdemlocis passim eius interpretes. Ita cum B.Thoma,& Scoto vtriusque assecłæ. Ità etiam nostræ societatis Iesu Doctores. Ita denique scholastici omnes, si initio capitis relatos excipias. Fauent præter alios Patres Damascenus lib. 1. fidei orthodoxæ cap. 11. *operæ pretium autem est nosse, aliud esse re consinerare, & aliud ratione,& intelligentia. In omnibus sanè creaturis distinctio suppositorum reipsa consideratur: re enim Petrus,& Paulus concipitur distinctus:Communio autem naturæ,affinitas,& vnio, ratione, & intelligentia consideratur;mente enim concipimus Petrum, & Paulum eiusdem naturæ esse, & vnionis naturæ communionem habere: Quisque enim eorum est animal rationale mortale:& quisque eorum est caro animata,anima quidem rationali, & intellectualt: hæc igitur communis natura ratione est consideranda: nam suppositа non in se inuicem sunt.* Nec non Augustinus in categoriis cap. 7. nam ibi explicatis genere, specie, & differentia, (quæ quis vniuersalia aut per intellectum, aut certè facultatem elocutiuā fieri neget:) ea docet non esse voces solas,aut conceptus, sed per denominationem ab his res ipsas, his verbis; *genus est animal: differentia bipes,quadrupes: species homo,equus.* Denique Anselmus de incarnat. verbi, & non sine graui oppositæ opinionis censura: *cautissimè*, inquiens, *ad sacra pagina quæstiones accedant,sunt monendi illi vtique nostri temporis Dialectici(imò dialecticæ hæretici) qui quidem non, nisi flatum vocis putant esse vniuersales substantias*, Et mox indidem: *qui enim nondum intelligit, quomodo plures homines in specie sint vnus homo,qualiter inilla secretissima,& altissima natura comprehendet,quo modo plures personæ,quarum singula quæque est perfectus Deus,sint vnus Deus?*

Hæc sententia probatur primò authoritate tot, 10
tantorumque Doctorum, & Patrum. Secundo solutione argumentorum. Tertio, quia intellectus potest ratione distinguere ea quæ sunt realiter idem, vt inferius constabit: ergò & poterit realiter plura & diuersa confundere, & vnum reddere, provt ad vniuersale oportet. Quartò, quoniam alias omnis prædicatio vniuersalis erit falsa,siquidem sola vox vniuersalis de voce à se realiter distincta, aut conceptus de conceptu prædicabuntur; quid autem falsius, quam,cum dicitur homo ex. g. est animal, eam vocem dissyllabam *homo*, esse vocem trisyllabam *animal*, vel apprehensionem distinctam priori interius respondentem esse apprehensionem confusam,quæ posteriori respondet? Quinto, quia nomina vniuoca, & vniuersalia,vel aduersarij concedunt: at vniuoca iuxtà omnes sunt,quorum nomen est commune ratio vero substantiæ nomini accommodata est omninò eadem:at res, siue substantia nomini vniuoco hominis v. g. accommodata non habet identitatem, siue vnitatem singularem, & numericam, vt luce clarius: ergò vniuersalem: sexto tandem: pleræque scientiæ sunt,non de singularibus, sed de vniuersalibus: at non de vocibus.& conceptibus vniuersalibus,aliàs nullæ essent scientiæ reales,nullæ non sermocinales,cuiusmodi sunt v. g. logica, & grammatica: ergo de rebus vniuersalibus:hæ ergo admittendæ: Non me latet Heraclitum, Ephesium, & Cratylum eius discipulum, Epicureos quoque,& nouos academicos huius initio capitis citatos, vt vniuersalia de medio tollunt, sic etiam scientias omnes negare,quo tamen placito nihil inscitius, & stultius esse, & per se liquet,& in loco constabit.

CAPVT II.

Quatenus res fiant per intellectum vniuersales?

PRæmitto primò, naturam humanam Petri, & 11
Pauli, ac cæterorum hominum ratione similitudinis esse vnam à parte rei vnitate fundamentali, ac remota: quod Aristoteles 5. metaph. sæpissimè à nobis citatus docet, & ipsa vnitatis natura demonstrat:cum enim similitudo dissimilitudini, quæ quædam diuersitas, seu distinctio est, opposita sit; sanè indiuisio quædam negari nequit, ac proindè vnitas quam in indiuisione omnes collocant: quando autem vnitas formalis, & proxima non est, solum fundamentalis, & remota esse valet. Præmitto secundò, cognitionem vniuersalem hominis in similitudinem omnium hominum tendere, non in actu signato, siue ita, vt eos similes esse apprehendat, aut iudicet, sed in actu exercito, eò, quod hominis rationem omnibus communem,& in omnibus æquè repertam concipiat.

Præmitto tertiò, cognitionem vniuersalem ho- 12
minis, & eius à suis inferioribus præscisiuam ita tendere in similitudinem omnium hominum, atque eorum vnitatem fundamentalem, vt ab ea vnitatem formalem accipiat, quam posteà in obiectum suum refundat, & quam ei velut acceptam referat: quod in hunc modum declaro à simili, vt aiunt: actus liber voluntatis nostræ tendens in bonitatem obiectiuam & radicalem, seu fundamentalem obiecti externi ab ea bonitatem formalem & proximam

mam haurit, quam pro posteriori in ipsum obiectum externum reiicit, vt in materia humanorum actuum communiter Theologi docent: idem igitur seruata proportione de vnitate actus, & obiecti vniuersalis dicendum est.

13 Præmitto quarto; vt actus ille confusus nostri intellectus ab vnitate fundamentali obiecti vnitatem formalem in obiectum resuam mutuetur, meram, ac solam similitudinem obiecti per ipsum attingi debere: qua ratione vt actus bonitatem radicalis cursus v. g. amplectens cursum formaliter bonum efficiat, in solam eius bonitatem præscisa omni malitia tendere debet: huius ratio est, quia, si multiplicitatem, ac dissimilitudinem obiecti actus considerat, illud ratione multiplicet, ac diuersificet, necesse est: ergò vt illud omninò vnum ratione nostra efficiat, ab omni multiplicitate, ac dissimilitudine præscindere debet. Porrò sicut bonitas moralis actus voluntatis non præcisiua, sed positiua est, estò actus bonus à malitia obiecti præscindere debeat, ita similiter vnitas formalis actus vniuersalis in obiectum refusa esto à multiplicitate, ac diuersitate necessario præscindat, est nihilominus positiua quodammodo, vt in superioribus est non semel à nobis animaduersum

14 Præmitto vltimò, præcisionem rationis communis à suis inferioribus in horum similitudine radicatam duplicem esse, vt notauit B. Thomas 1. part. quæst. 85 art. 1. ad 1 & Boetius in procemio Porphyrij, videlicet, aut per modum compositionis, aut per modum simplicitatis, vel, vt alij loquuntur, negatiuam, aut præcisiuam. Præcisio negatiua, seu per modum compositionis est, cum intellectus rationem communem inferiora esse negat, vt, si quis hominem in communi renuat esse Petrum, Paulum, ac cæterorum indiuiduorum collectionem, conetúrque esse reuera aliud quidpiam; & hæc præscisio est falsa, atque vniuersale non constituit, eo, quod à multiplicitate non præscindat, sicut oportere ex anteriori constat præmisso. Præcisio, vel abstractio præcisiua, seu per modum simplicitatis est, cum intellectus rationē communē sine inferioribus concipit; in quo nulla est falsitas, fictio nulla, cum nō sit iudicare, hoc non esse illud, sed de hoc cogitare, nō de illo: ad quod pertinet illud Aristot. 2. physicorū c. 18. *abstrahentium non est mendacium*: ea quoque ratione Samuel lib. 3. regum cap 16. non fictè, sed verissimè dixit, *ad sacrificandum Domino veni*, cum tamen ad vngendum Dauid veniisset, eò scilicet, quod vnum finem dixerit, alium verò non negarit, sed ab eo præsciderit, seu quod iuxtà est, eo, quod vnum aduentus sui finem sine alio dixerit.

15 Quibus positis cognitio confusa hominem, v g. à suis inferioribus præscindens eum vniuersalem formaliter constituit, & denominat eo, quod in obiectum reipsa multiplex, & fundamentaliter vnum vnitatem formalem ab ipso emendicatam cum fœnore refundat, vt superius explicatum est: ita ergò in eiusmodi vnitate intellectuali, & multiplicitate reali obiecti eius consistit vniuersalitas.

CAPVT III.

Quod fiant res vniuersales ab intellectu per obiectiuam præcisionem rationis communis à suis inferioribus.

16 VT melius innotescat modus ille nuper explicatus, quo fit vniuersale per intellectum, accuratè discutiendum est, num ratio nostra obiectiuè præscindat conceptum communem, & vniuersalem à suis inferioribus, id est, an his incognitis, illum cognoscat, vel potius ab eis tantum formaliter præscindat conceptum communem, illaque non cognoscere dicatur, non, quod ea ignoret, sed, quod confusè, & imperfectè cognoscat.

17 Præcisionem obiectiuam variarum formalitatum ab aliis, & multo maximè communium à particularibus sibi subiectis, & à se reipsa, actuque prorsus indistinctis tuentur omnes authores, quos in metaph. lib. 2. tract. 4. cap. 2. & 3. pro distinctione virtuali in creatis laudabimus: præsertim verò B. Thomas multis in locis, Carthusianus, & apud eum Petrus de Tarantasia in 1. distinct. 2 q. 2. Capreolus etiam in 1. distinct. 8 q. 8 a. 2. Caietanus de ente, & essentia quæst. 12. ad finem, Ferrara lib. 1. contra gent. cap. 35. §. vnde, si quæratur, clypeus Thomistarum quæst. 10. in Porphyrium concluſ. 2. Iauellus 12. metaph. quæst. 19. art. 2. concluſ. 2. Hispalensis in 1. distinct. 8. quæst 4. art. 4. ad 6. & 8. Soncinas quæst. 4. ad 6. Ægidius in 1. dist. 6. 1. p. distinctionis quæst. 3. art. 1. Albertus in 1. dist. 8. art. 3. & 4. Syluester 1 p. conflati, q. 13. art. 7. §. 6. Torrez 1. part. q. 28 art. 2. d. 1. part. 2. Franciscus à Christo in 1. distin. 2. quæst. 3. concluſ. 4. Heruæus quodlib. 3. quæst. 2. Et quodlib. 8. quæst. 1. Bonauentura in 1. distinct 8. art. 1. q. 1. ad vltimum, Richardus dist. 3. art. 2. Baconius in 1. dist. 2. quæst. 2. art. 3. Andreas de Nouo-castro dist. 32. quæst. 1. §. ad confirmationem, Toletanus dist. 8. quæst. vnica art 2 concluſ. 4. Argentinas in 1. dist. 6. quæst. 1. art. 2. ad 4. Henricus in summa. art. 51. quæst. 2. & 3. Gotfredus apud Aureolum in 1. dist. 8. quæst. 3. art. 1. Alensis 1. part. quæst. 23. memb. 4. art. 1. Rubinius in 1. distinct. 8. quæst. 4. art. 1. concluſ. 4. Marsilius quæst. 12. art. 3. 2. part. articuli, Auerroes 12. metaph. comm. 39. Abulensis quæst. 1. ad caput 6. Exodi, Dionysius Cistercienſis in 1. distinct. 22. quæst. vnica art. 2 concluſ. 6. Palacius in 1. dist. 2. disput. 2. versus finem, Niphus 12. metaph. disp. 13. cap. 4. Ex nostris autoribus Molina, Suarez, Toletus, Conimbricenses, Tellez, Rubius Conninch. Martinon, Vallius, & Campton. in Met. citandi, cum erit nobis sermo de distinctione virtuali in rebus creatis. Quamuis autem horum authorum non pauci de Deo tantum sermonem habeant, propterea negari non potest, quin nobis faueant: nam, si prædicata diuina summè vna intellectus noster præscindere potest inuicem ex parte obiecti, à fortiori concedendum est, eam illi vim inesse respectu eorum, quæ nobis conueniunt, præterquam, quod rationes, ob quas præcisionem obiectiuam in Deo adstruunt, respectu nostri eandem vim habeant.

18 Hæc ergo sententia mihi magis placet; eamque suadeo primò hunc in modum: eo ipso, quod vna formalitas obiecti ab alia virtualiter distincta sit, vna ab alia obiectiuè præscindi potest: ast vna obiecti formalitas ab alia; superior videlicet ab inferiori virtualiter distinguitur, vt in Metaph l. 2. tract. 4. constabit: intellectus igitur vnam formalitatem ab alia præscindere poterit obiectiuè. Maior suadetur, tum, quia aptitudo ad prædicata contradictoria intrinseca magis, aut certè non minus in creatis repugnat, quam aptitudo ad prædicata contradictoria extrinseca, qualia sunt cognosci, & non cognosci: sed distinctio virtualis intrinseca reddit eundem realiter conceptum finitum, & creatum aptum ad prædicata contradictoria intrinseca, cuiusmodi sunt terminari, & non terminari; assimilari,

& non assimilari, &c. vt liquebit in metaph. vbi supra: ergo etiam reddere poterit eundem conceptum in nobis secundum diuersas formalitates aptum ad prædicata contradictoria extrinseca, videlicet cognosci, & non cognosci, in quibus præcisio obiectiua consistit: tum etiam, quia de eodem realiter contritionis actu supposita distinctione virtuali affirmat intellectus, eum, quatenus amor est, terminari ad diuinam bonitatem, & quatenus odium est, ad illam non terminari: intellectus igitur ex parte obiecti amorem ab odio secum indentificato præscindit, siquidem ex parte obiecti aliquid de vno affirmat, quidquid sit an vtrumque, saltem apprehensiue ex parte obiecti cognoscat, atque adeò vnum ab altero non perfectè, sed imperfectè præscindat: vbi autem hæc præscisio imperfecta, & inadæquata possibilis sit, nullo iure negari potest perfecta, & adæquata.

19 Rursus secundò suadetur eadem sententia ad homines. In hac propositione, *homo est confusè cognitus*, terminus ille, *homo*, iuxtà aduersarios supponit simpliciter, non personaliter, cum significet, rem prout subest secundis intentionibus, in qua significatione Hurtadus noster obiectiuarũ precisionũ acerrimus insectator, & plerique eius assecłæ suppositionem simplicem collocant. At à termino simpliciter supponente non valet descensus sua ad inferiora, sicut valet ab eo, quì personaliter supponit v. g. ex eo, quod animal sit genus, haud bene infertur, equum esse genus, aut hominem esse genus, vtrumque verò esse viuens, benè colligitur ex eo, quod animal viuentis rationem obtineat: proindè talis descensus est infallibile signum suppositionis, & eius à simplici discrimen ab Hurtado, Toleto, Fonseca, & reliquis concessum: iam igitur ex eo, quod homo sit confusè cognitus, non sequitur, Petrum, & Paulum, ac reliquos inferiores ex parte obiecti confusè cognitos esse, adeoque ex parte obiecti cognitio hominis in communi ab eius inferioribus præscindit.

20 Prætereà tertiò suadetur eadem opinio: Non magis requiritur aliqua distinctio formalitatis A à formalitate B vt prior illa formalitas sine posteriori ex parte obiecti cognoscatur, quam requiritur aliquid esse, vt quid absolutè cognoscatur iuxtà celebre illud Aristotelis pronuntiatum *quod non est, non scitur*: Atqui ad absolute cognoscendum aliquid non requiritur, vt id, quod cognoscitur, habeat simpliciter esse: igitur nec ad cognoscendam ex parte obiecti formalitatem A sine formalitate B haud est opus, vt vtraque formalitas actu, aut plus, quam virtualiter distinguantur inuicem, vtvè sint verè, & simpliciter vna, & altera: Maior est perspicua: minor suadetur, quoniam intellectus merè possibilia immediatè cognoscit: at ea nullum esse simpliciter habent, nullum sunt habitura.

21 Confirmatur, & declaratur. Plura ad tendentiam physicam, quam ad intentionalem requiruntur: qua ratione virtus physica v. g. calefactiua; & ignis propria nequit agere in distans sine medio, aut etiam mediatè in passum, quantumcunque distans, aut denique in passum physicè non existens, cum tamen agere possit intellectus triplici illo modo intentionaliter, & cognoscendo, vt est experientia testatissimum, quamuis igitur disputandi gratia permittamus, potentias physicas formalitatem aliquam obiectiuè ab alia præscindere, & vnam sine alia vnire, producere, aut alio quouis modo physicè attingere non posse absque, eo, quod vtraque formalitas vna, & alia sint, actuque, & simpliciter distinguantur; tamen intellectus vnam formalitatem ab alia obiectiuè præscindere, & vnam sine alia cognoscere poterit absq; eo, quod vtraquè formalitas sint propriè vna, & alia, aut simpliciter distinctæ inuicem: Hæc illa nostri intellectus toties in præsenti materia repetita subtilitas, in quam, provt à nobis explicatam, vis præscindendi obiectiuè, &, quod in se vnum est, diuidendi, optimè refundi potest.

CAPVT IV.

Vlterior probatio præcisionis obiectiuæ.

22 QVando procul hominem conspicio nescius, an homo, vel aliud animal sit, cognosco esse animal, & non cognosco esse rationale, illiusque, & non huius rationem reddere possum: animalitatem igitur sine rationalitate provt tali re ipsa cognosco, & alteram ab altera ex parte obiecti præscindo. Hoc argumentum satis celebre in præsenti materia aduersariorum aliqui contemnunt: nullam tamen ab eis afferri solutionem comperio, quæ ex toto satisfaciat.

23 Quidam respondent, quod viso eminus homine, lateat rationale, & non lateat animal, & animalis, non rationalis à me ratio reddi possit, non ex eo proficisci, quod animal à rationali obiectiuè præscindam secundum quod in recto includunt, & quatenus realiter identificantur, sed ex eo duntaxat, quod connotata animalis, & non connotata rationalis ex parte obiecti attingam, totamque entitatem hominis, qua animal, & qua rationale est in ordine ad sensationes, non vero in ordine ad discursus cognoscam. Contra tamen sic arguo: quod cognoscam ens in communi immemor hominis, & equi, & præscindendo ab vtroque, non oritur ex eo, quod connotata, siue effectus hominis, & equi ex parte obiecti à me neutiquã attingantur: igitur ex eo tantum oritur, quod ratio entis ab homine, & equo obiectiue præscindatur, ac proinde idem à fortiori dicendum est de animali procul viso, & confuse cognito: consequentia est perspicua: suadetur antecedens, quoniam cognitio entis iuxtà aduersarios ex parte obiecti cognoscit quidquid est ens, at connotata, siue effectus proprij hominis, & equi sunt reuera entia, nequit ergo fieri, quin cognitio entis ea ex parte obiecti attingat.

24 Secundò aduersus eandem solutionem sic argumentor: Quando cognoscitur animal in communi, cognoscuntur connotata equi, & effectus eius proprij quod ergo tunc lateat equus, & non lateat animal, sed appareat non oritur ex eo, quod connotata animalis, non connotata equi attingantur ex parte obiecti, sicut aduersarij nituntur: consequentia est in aperto: probatur antecedens: cognito animali in communi, attinguntur ex parte obiecti sensationes in communi: at hinnitus, qui est proprium connotatum equi, est, tum virtualiter, tum realiter sensatio in opposita sententia: cognito igitur animali in communi, connotata propria equi ex parte obiecti dignoscuntur.

25 Tertiò contra eandem solutionem sic arguo: Cum cognosco animal in communi, illud in ordine ad sensationes in communi percipio, non vero respectu sensationum in particulari, aliàs profectò animal in particulari dignoscerem: quod ergò sensationes in communi, non in particulari cognoscam, aut descendit ex eo, quod illas ab his obiectiuè præscindam,

præscindam,& ita intentum adeptus sum, aut ex eo,quod cognoscam sensationes in communi in ordine ad alia connotata in communi, & rursus,quod hæc in communi, non in particulari dignoscantur, refundi debet in alia connotata,& sic in infinitum, quod sanè impossibile est, atque inintelligibile: Enimuero si hunc progressum in infinitū non renuas, eò,quod prima connotata alia secunda, & hæc tertia,& sic in infinitum respiciant, atque adeò intellectu ita ea cognosci nihil habere putes incommodi; in contrarium illud est, quod, licet infinitus is progressus absurdus fortassè non sit in ipsis connotatis,siue effectibus possibilibus, horumque alij ab aliis nullo fine pendere possint; cæterum in intellectu admitti, & ab eo cognosci nequit, eo, quod noster intellectus, quæ sunt eius angustiæ, quæ imperfectio,& finitas, cognoscere actu infinita, atque inter illa distinguere non sustineat. En quam parum conferat aduersariis ad connotata,& effectus rerum confugere: siquidem in his eadem est difficultas, eadem vis nostri argumenti, atque in ipsis principiis effectuum,& connotatorum.

26 Secundò alij respondent, voces significatiuas duplicem habitudinem importare, aliam ad res, aliam ad conceptus: quamobrem, licet vox, *animal*, eandem rem, atque hæc vox *animale*, significet,at conceptum longe diuersum, & magis explicitum indigitat: vnde quod viso procul homine lateat rationale,& appareat animal, ideo est, quia ex parte obiecti attingitur totus homo quatenus animal, & quatenus homo est conceptu correspondente huic voci *animal*, non verò conceptu subiecto huic voci *rationale*; ac proinde animal à rationali, non ex parte obiecti, sed ex parte modi cognoscendi, siue quod in idem recidit,non præcisione obiectiua, sed præcisione formali præscinditur.

27 Prima tamen huius solutionis impugnatio sit ad homines. Cum cognosco hominem definitionis humanæ ignarus, hominem ab eius essentia, ac definitione, videlicet animali rationali, neutiquam à me præscindi censent plures aduersariorum: & tamen hominem non cognosco conceptu, seu claritate respondente huic voci complexæ, *animal rationale*: præscisio igitur animalis à rationali nequit in eo consistere, quod totum obiectum, animal nimirum & rationale cognoscatur ex parte rei ipsius, non tamen conceptu, qui huic voci, *rationale*, respondeat. Secundò eandem solutionem absolutè impugno: nam iuxtà illam eadem facilitate dici posset, cognito Deo, ex parte obiecti cognosci hominem, & equum, & infinitos effectus,quos Deus essentialiter respicit: quod verò effectus in cognito Deo ita lateant, vt nulla eorum ratio reddi possit, indè proficisci, quod non cognoscantur conceptu, seu claritate respondente his vocibus, *homo, equus*, &c. Quin etiam fingi posset,cognito Petro cognosci etiam ex parte obiecti cæteros omnes homines propter eorum cum illo identitatem specificam, & similitudinem: videri tamen eos latere: non quod reuera lateant,sed,quod minimè cognoscantur conceptu correspondente his vocibus, *Petrus*, *Ioannes*, *Ignatius*,&c.sed duntaxat huic, *Petrus*.

28 Tertiò eandem impugno solutionem. Prolata hac voce, *homo*, haudquaquam Deus cognoscit cognouitvè vnquam conceptu correspondente prædictæ voci: ea namque vox simplex,cum talis sit,& non oratio integra, non significat iudicium,cui soli in Deo locus est,sed apprehensionem simplicem, cuius ille est incapax. At propterea quis ausit dicere, Deum absolutè,& simpliciter non cognoscere hominem? Quod ergo viso procul animali rationali, illud esse rationale simpliciter, & absolutè non cognoscam,nequaquam oriri potest ex eo,quod illud non percipiam conceptu respondente huic voci, *rationale*,sed potius inde tantum, quod eiusmodi formalitas prout talis ex parte obiecti meam subterfugiat cognitionem Quarto tandem eam refello solutionem hunc in modum. Ibum, & albedo v. g. diuersis nominibus significantur, ac diuersis etiam cognitionibus: cognitio enim albi est concreta, & albedinis abstracta. At hoc non obstante,haud possumus perfectè præscindere album ab albedine,aut vnius,& non alterius rationem reddere Quod ergò animal, & rationale diuersis nominibus exprimantur, neque non diuersis cognitionibus, altera clara,& altera obscura,hoc erit insufficiens, vt præscindatur animal à rationali, vtve vnius ratio reddi possit,& non alterius.

Tertiò alij ex iis etiam, qui præcisiones obiectiuas nobiscum tuentur argumento proposito parum fidunt, eo quod solos actus abstractiuos præscindere posse obiectiuè existiment, non vero intuitiuos: huiusmodi autem est actus ille, quo hominem procul visum animal esse tantum cognoscimus. Porrò huius cogitationis duplex ab iis ratio adduci consueuit: Prima sic habet: cognitio intuitiua cognoscit obiectum sicuti est in se, vt ex eius definitione perspicuum: cognoscit ergo ex parte obiecti quidquid est in ipso, quin vlla eam formalitas lateat, aliàs obiectum non sicuti est in se cognosceret: Secunda ratio est, quoniam aliqua distinctio rationis fit per actus abstractiuos,quæ non fit per intuitiuos: at ea alia esse nequit, quam præcisiua ex parte obiecti. 29

Cæterum hoc discriminis inter notitiã abstractiuam,& intuitiuam probare nequeo. Namque color à candore, & nigredine obiectiue præscinditur, aut certe nulla ratio communis à suis præscindi poterit inferioribus: sed color intuitiue,& per species proprias cognoscitur,vt exploratum. Ratio à priori est, quia non solum cognitio abstractiua, qua substantiam animalis v.g. per species alienas accidentium, quibus subest,cognosco, verum etiam cognitio intuitiua coloris v.g.per species proprias confusionis, & imperfectionis, capax est: cur ergo ea confusio, & imperfectio ad præcisionem obiectiuam pertingere nequeat? Equidem præterquam quod visionem materialem actui intellectus intuitiuo in modo tendendi valdè similem obiectiue præscindere in met.lib.2. tract 4. ostendemus, cum distinctionem virtualem in rebus creatis probabimus; in schola Scotistica nihil solemnius, quam visionem beatificam obiectiuè præscindere naturam diuinam à relationibus:& extra scholam Scotistarum satis etiam solemne est, eandem visionem beatam præscindere obiectiue naturam diuinam ab actibus liberis,vt videre est apud P.Hurtadum disp.6.metaph sect.6.vbi admissa præcisione obiectiua,de ea nobiscũ ab omnibus philosophandum esse existimat. Ad primam rationem oppositam respondeo,cognitionem intuitiuam attingere obiectum sicuti est, non, quia eius omnes formalitates attingit,sed, quia per imagines & species proprias illud percipit,cum tamen cognitio abstractiua illud percipiat præsidio imaginum, & specierum alienarum. Ad secundum respondeo, nullam distinctionem rationis fieri per actus abstractiuos posse, quæ per intuitiuos fieri nequeat: Nec vero aduersarij oppositum probant aut possunt. 30

Quartò alij respondent, animal latius patere 31

seipsa,quam rationale, ab eoque realiter inadæquatè, siue instar totius à parte sua distingui : animal enim complectitur,tum rationale,tum etiam cæteras differentias : merito igitur huius distinctionis seorsim à virtuali à nobis, vt videtur conficta, conuenire eis prædicata contradictoria, cuiusmodi sunt cognosci, & non cognosci, vnius, & non alterius reddi rationem aliquando.

32 Cæterum tametsi hæc solutio locum habeat, vbi animal in communi cognoscitur, in cognito rationali:at quid valet, vbi hoc animal provt tale scitur, ignorato rationali? hoc autem posterius toties contingere solet,ac illud prius:quãuis ergo præcisio animalis in communi à rationali refundi quodammodò possit in solam eorum distinctionem realem inadæquatam, quæ vero est huius animalis numero à rationali referri debet in virtualem vtriusque distinctionem: adeoque talis præcisio erit obiectiua, siue eiusdem realiter à se ipso. Rursus,etsi pars cognosci possit,non cognito toto, quod constituit,at non è conuerso totum sine parte, ex qua coalescit: vt ergò animal in communi cognoscatur sinè rationali,quid prodest, animal ab eo distingui inadæquatè, seu velut totum à sua parte? Si à nobis obiectum foret rationale cognosci sinè animali aliquid afferrent aduersarij,quod ad rem faceret?cæterum nihil tale obiecimus.

33 Quintò tandem alij respondent,animal quidem, siue in communi,siue in singulari sumptum cognosci,non cognito ex parte obiecti rationali: id tamen non esse,præscindi idem à seipso,sed cognosci vnum obiectum, & aliud realiter inadæquatè distinctum non cognosci:haud enim,inquiunt,animal,haud rationale referuntur essentialiter, siue iuxtà aliorum phrasim transcendentaliter ad suos effectus,id,quod eis commune est cum cæteris omnibus causis creatis: quin potius quod animal sit animal, ac principium sentiendi,est denominatio, partim intrinseca, partim extrinseca,& consistens,tum in ipsa hominis substantia, tum etiam in sensationibus possibilibus: quod item rationale sit tale, ac principium discurrendi,ei partim intrinsecus, partim extrinsecus, ac, tum à substantia sua, tum etiam à discursibus in potentia conuenit: Quo fit,aliud esse, vt dictum est, quod cognoscitur,& aliud quod ignoratur, quoties ex parte, vt aiunt, obiecti notitiam habet intellectus animalis,non verò rationalis, in quo quid mysterij?

34 Hæc postrema solutio ab illa, quæ primo loco posita est in eo differt, quod altera statuat, cognito animali, cognosci etiam ex parte obiecti rationale secundum omne, quod ei est intrinsecum, & essentiale solumque aliquid extrà eius essentiam non cognosci permittat: altera verò contrarium, & omne aliud definiat:ast in eo conueniunt, quod ambæ ad diuersa connotata confugiant, & per respectum ad ea cognitionem animalis sine rationali tueantur quocirca impugnationes omnes huius initio capitis positæ contra primam solutionem aduersus vltimam hanc omninò procedunt. Namque cum ens in communi à rationali,aut etiam animali præscinditur,nihil continent hæc quod in ente realiter non claudatur: tum ergo non vnum sine alio realiter distincto cognoscitur, sed aliquid à seipso præscinditur obiectiuè. Rursus animal in communi,hoc ipso, quod sit aggregatum ex entitate ipsius, & sensationibus possibilibus cohibet realiter hinnitum, rugitum,& cæteras sensationes in particulari; quando ergò cognoscitur sine hinnibili, rugibili &c. eiusdem fit à seipso præscisio. Denique ipsa connotata in communi,cum sine semet in particulari dignoscuntur, idem contingere est necesse, vt intuenti clarebit.

Vlterius secundò, tametsi sit probabile, nullam causam creatam referri transcendentaliter ad suos effectus : at contrarium non est improbabile, imò fortasse probabilius, vt in physica constabit: quidquid autem sit de rebus à Deo productis, certè alias ab illo produci ad suos effectus transcendentaliter, siue essentialiter relatas certissimè tenendum est, vt ostendetur in loco: in iis autem nostrum argumentum proponi potest eadem vi, & energia: quæ ergò ei est adhibita solutio, duplici de causa fragili innitur fundamento. Tertia quoque adiungi potest: nam etiam modo, & in hoc rerum ordine indubitatum est, actus intentionales intellectus, & voluntatis, & sensuum omnium referri essentialiter ad sua obiecta: quandò ergò cognosco visionem Petri v.g. modò terminari ad albedinem,nescius,an eadem visio terminetur ad nigredinem alicubi propositam, eiusdem visionis vnam formalitatem, ac terminationem,vt sic dixerim,ab alia ex parte obiecti præscindo:hic enim haud est recurrere ad distinctionem vllam inadæquatam realem. 35

CAPVT V.

Prosecutio superioris probationis.

CVi solutiones omnes adhiberi solitas, cum reiecerimus suprà, hoc reliquum est vt in præsenti quasdam aduersus illam instantias diluamus: ita enim planè constabit,magis in ea esse momenti, ac plus ponderis, quam arbitrantur aliqui. Prima ergò quorundam instantia est; si quid nostrum valet argumentum non posse animalitatem, & rationalitatem non inuicem virtualiter distingui per formalitatem à se distinctam:& rursus hanc formalitatem ab vtraque virtualiter distingui per aliam formalitatem,& sic in infinitum. Sequela probatur,quoniam idcirco animal à rationali virtualiter distinguitur,& obiectiuè præscinditur, quia possum cognoscere aliquid esse animal nescius, an sit rationale: at possum cognoscere animalitatem,& rationalitatem nescius an distinguantur virtualiter: earum igitur distinctio virtualis est formalitas quædam ab eis distincta:rursus hanc formalitatem cognoscere possum omnino inscius, an distinguatur virtualiter ab animalitate, & rationalitate per seipsam:distinguitur ergo ab eis per aliam formalitatem, & sic absque vllo fine. Verum respondeo, admisso processu illo formalitatum infinito. Quod autem non sit absurdus, sed rationi satis consentaneus,ex professo à nobis ostendendum est in metaph. lib. 2. tract. 4. cap. 17. in solut. vigesimi quinti argumenti. 36

Secunda aliorum instantia sic habet. Possum cognoscere hominem, & nescire eius definitionem, adeoque non cognoscere, quod sit animal rationale : & tamen non propterea præscindo ex parte obiecti hominem ab animali rationali : nihil enim à sua essentia præscindi obiectiue, aut virtualiter distingui sustinet, à sua, inquam, essentia logica: Similiter ergo in præsenti &c. Hæc instantia multos turbauit, & à nostra opinione auul sit. Sed est, quantum opinor, satis leuis. Namque non possum cognoscere hominem quidditatiue sumptum, quin eum esse animal rationale cognoscam, & huius rationem reddere queam, si oportuerit : solum ergò possum 37

possum dignoscere sine animali rationali hominem attributiue, & accidentaliter sumptum, quatenus nimirum est subiectum accidentium externorum, quæ sunt hominis propria, siue provt habet hominis ora, vocemque, coloremque: sed homo provt subiectum connaturale eiuscemodi accidentium, & quatenus animal rationale, siue principium sentiendi, ac discurrendi est virtualiter diuisibilis, ac multiplex: Quid ni enim? haud namque contrarij contrarium aliquo probant argumento: haud etiam illud ex nostra sententia colligunt: etenim qui animal hinc, & illinc rationale respectu sensationum, ac discursuum virtualiter distinguimus, eodem profecto iure hominem provt respicit accidentia externa hominis propria à semetipso, quatenus intuetur sensationes simul, ac discursus virtute distinguemus.

38 Instant tertiò alij, vel potius præcedentem instantiam replicant, atque inculcant. Possum cognoscere hominem quidditatiue sumptum, hoc est possum scire quempiam habere quidditatem hominis, eamque physica euidentia colligere ex collectione proprietatum exteriorum hominis, quæ tota in eum concurrit; & dubitare tamen, quænam sit illa quidditas, adeoque ignorare, an sit animal rationale. Atqui non possum præscindere obiectiuè quidditatem hominis ab animali rationali, aliàs hoc non esset formalissimè quidditas hominis nihil enim omninò est quidditas vlla, quod ab ea virtualiter distinguitur, quo pacto risibilitas non est quidditas hominis, quoniam est ab ea virtualiter distincta.

39 Respondeo, multum esse inter quidditatem hominis implicite sumptam & explicitè vsurpatam: quidditas hominis implicitè sumpta est ea, quatenus cognoscibilis conceptu correspondente huic voci, *quidditas hominis*: quidditas hominis explicitè vsurpata est illa, provt cognoscibilis conceptu correspondente huic voci, *animal rationale*. Prior conceptus est confusus, & imperfectus, & quidditatem hominis refert, non immediatè ad accidentia externa hominis propria, sic enim non esset quidditas, aut conceptus primarius hominis, sed attributum, & conceptus secundarius, at mediate tantum, & immediate ad principium, ac subiectum eorum accidentium, cum quo connectitur, & ex quo colligitur: vel, si mauis, dic eum conceptum referre quidditatem hominis ad solas sensiones, & discursus, confusè tamen, & imperfectè. Posterior conceptus est clarus, & perfectus, quidditatemque hominis refert explicitè, & distinctè ad sensiones, & discursus. Quocirca duplici nomine dissidet vna quidditas ab alia: primum in ordine ad cognitionem claram, & obscuram, quarum vna, & aliam alia terminat: deindè in ordine ad sensationes, & discursiones, quas altera immediatè respicit, & in ordine ad accidētia exteriora, quæ sola fortassis altera mediate cōnotat: aut fortassis etiā tertiò dissidens in ordine, quē vna ad sensiones, & discursiones clare cognitas, & altera ad illas cōfusè repræsentatas importat. huiusmodi autem differentiæ, quibus quidditas hominis implicita secernitur ab explicita, & è conuerso, haud sunt solius rationis ratiocinantis, sed etiam ratiocinatæ, siue virtualis, & omnem intellectus operationem saltem actualem anteuertunt: siquidem, quotiescumque duo quædam respiciunt diuersa connotata, virtualiter differunt, vt in nostris principiis manifestum. His constitutis dicendum est, quidditatem hominis implicitè sumptam præscindi ex parte obiecti ab animali rationali, quo sine cognoscitur, ab eoque adeo virtualiter distingui: Cæterum quidditatem hominis explicitè vsurpatam cognosci non posse sine animali rationali, ac proinde mirandum non esse, quod ab eo sit virtualiter indistincta.

At arbitrabitur fortassè aliquis, ineptè à nobis 40
distingui virtualiter duplicem quidditatem in homine, vnam implicitam, aliam explicitam: tum, quia vni homini cur vna quidditas, & essentia non sit satis? tum etiam, quia, si virtualiter distinguantur, ordinem prioris, & posterioris necessariò habebunt, sicuti risibilitas, & rationalitas: quæ ergò illarum quidditatum posterior fuerit, erit, & non erit quidditas: erit quidem, quia hoc supponitur: non erit, quoniam quidditas est conceptus primarius, & non secundarius, aliove posterior.

Cæterum nego, ineptam, absurdamvè esse virtualem distinctionem duplicis quidditatis humanæ: Quod enim homo sit vnus, nihil obest: in eo enim nihilominùs distingui solet iuxtà omnes duplex essentia, altera logica, per quam sit animal rationale, altera physica, per quam corpore, & animo constet. Rursus in Petro quantumuis vno, & singulari triplex essentia à multis assignari consueuit, prima logica, meritò cuius sit animal rationale, secunda physica, munere cuius corpore, & animo coalescat, tertia metaphysica, siue iuxtà aliorum phrasim, eamque meliorem, indoctrinalis, beneficio cuius sit hoc animal rationale.

Iam in eo, quod posteriori loco obiicitur, haud 41
est plus ponderis, seu momenti. Cur enim vtraque quidditas simul esse nequeant: cur non ita se habeant, sicuti partes continui, quarum neutra est prior ordine naturæ, quam alia, neutra aliùs causa? cur quemadmodum essentia physica & essentia logica sunt simul, & vtralibet in suo genere prima, quin prius sit homo v. g. animal rationale, quam constet corpore, & animo, quin etiam prius coalescat corpore, & animo, quam sit animal rationale; ita similiter quidditas eius implicita, & explicita simultatem sortiri nequeant, planè, vt vna nequaquam sit prior, aliauè posterior? Propterea autem rationalitas, & risibilitas ordinem prioris, ac posterioris mutuò seruant, quoniam altera earum connotat accidentia naturæ ordine priora, & altera accidentia è contrario naturæ ordine posteriora: prius enim natura est, te cognoscere notitia spirituali, & sensitiua, quod rides, quam illud risui habere, eove affectus genere tangi. Quæ quidem ratio non procedit in vtraque quidditate à nobis assignata, nec alteram alteri natura præcedere ostendit: Quinimò oppositum est perquam ostensu facile.

Namque si vtraque quidditas eadem sensiones, 42
ac discursiones connotat, tametsi non eodem modo eademvè claritate, & distinctione; non erit profectò, cur non simul esse debeant. Quod, si altera solum eas connotat, altera verò eas immediatè non connotat, sed, vel proprietatem aliquam physicè essentialem homini, eiusque respectum radicalem ad accidentia externa hominis propria, vel certè solam cognitionem illam confusam, quæ huic voci *quidditas hominis*, respondet, haud etiam est, cur ambæ simul esse non possint, ac non debeant: nec enim quidditatem implicitam posteriorem esse oportet explicita, nisi propterea, quod accidentia aliqua naturæ ordine posteriora respiciat: at nulla eiusmodi intuetur: siue enim respiciat formalitatem aliquam homini intrinsecam, & eandem, id est respectum radicalem ad accidentia externa, hic respectus non est posterior sensionibus, ac discursi-

bus: siue respiciat solam cognitionem confusam huic voci, *quidditas hominis* respondentem, hæc cognitio non est posterior sensionibus, ac discursibus per se loquendo, ac suapte natura, cum prius cognosci possit aliquem habere quidditatem hominis, qualis qualis sit, quam cognoscatur, eum sentire, aut discurrere, aut etiam, quam actu sentiat, vel discurrat. De quidditate autem explicita hominis, quod non debeat esse posterior ea, quam vocamus implicitam, & est sponte sua indubium, nec aduersarios crediderim id negaturos.

44 Ex his, quæ disseruimus colliges primò, quotiescunque idem realiter non eadem, sed diuersis cognitionibus cognoscitur, hoc ipso obiectum huius cognitionis esse distinctum virtualiter ab obiecto alterius: Quare cum nunc cognosco hominem, & postea eum simili cognitione, & non maiori, sed eadem claritate cognosco, mihi aliud, & aliud virtualiter obiectum obuersari: Quatenus autem cum hoc cohæret, quod vna cognitio cognoscat propriè, & simpliciter id ipsum, quod cognoscitur per aliam, media scilicet alia formalitate, in loco exposuimus. Probatur verò sequela: namque quidditas hominis implicita, & provt confusè cognoscibilis eo ipso distinguitur virtualiter à quidditate hominis explicita, & provt clare cognoscibili: quidni ergo quæuis res mundi, quantumlibet indiuisa appareat, virtualem tamen sectionem, & partitionem admittat propter respectum ad diuersas cognitiones, quibus obiicitur.

45 Colliges secundò, nullam omnino præcisionem esse mere formalem, nullam, quæ non sit quodammodo obiectiua. Etenim præcisio obiectiua, tum locum habet, quandò obiectum vnius cognitionis virtualiter distinguitur ab obiecto alterius: formalis verò, siue actualis præcisio, quando obiectum vnius, & alterius cognitionis est virtualiter idem, solæque cognitiones, siue actus distinguuntur ac præscinduntur inuicem. Atqui repugnat obiectum vnius, & alterius cognitionis virtualiter non distingui, vt nuper statuimus: Quocircà haud impunè euadunt aduersarij: sicut enim ipsi nullam præcisionem non formalem concedunt, ita nos nullam non obiectiuam agnoscimus.

46 Colliges tertiò perperam, & absque vllo fundamento distingui ab aduersariis nostris distinctionem rationis, huius vtique operatione factam in eam, quæ habet fundamentum in re, & eam, quę tali caret fundamento: qualis enim cunque distinctio rationis, ac præcisio per intellectum facta habet in re cognita, ac præcisa fundamentum distinctionis virtualis, quo vix aliud maius excogitari potest. Colliges consequenter quartò, malè distingui ab aduersariis distinctionem rationis non sine eius actuali consideratione factam in distinctionem rationis ratiocinantis, & distinctionis ratiocinatæ: namque distinctio, quam intellectus cogitans facit, rationis ratiocinantis non esse non potest, vt vel ex sola terminorum apprehensione liquet. Deinde altera distinctio harum dicitur ab aduersariis habere fundamentum in re cognita, & altera eo carere: hoc autem ex vano dici perspicuum erit ei, qui superiori collectione dicta perpenderit.

47 Colliges quintò, formata interius hac propositione, *homo est homo*, subiectum eius, & prædicatum primò intentionaliter sumpta non distingui vllatenus: eadem enim connotata, tam implicitè, quam explicitè respiciunt: cæterùm secundò intentionaliter sumpta virtualiter dissident: quandoquidem homo, vt subiectum, idemque vt prædicatum aliam, aliamque mentis apprehensionem terminat. Discrimen autem huius propositionis, *homo est homo*, & huius *homo est animal rationale*, ac ratio, cur prior sit identica, secus posterior, est in procliui: nam principiò subiectum, ac prædicatum prioris eadem omninò connotata, eodemque modo respiciunt, nec non etiam similes cognitiones terminant: cæterum subiectum, & prædicatum posterioris fortassis non eadem connotata, aut certè non eodem modo respiciunt; dissimiles etiam valde cognitiones, & non paris, sed inæqualis claritatis terminant: plus ergò differunt termini prioris, quam posterioris, adeóque altera earum identica, & altera formalis dici poterit.

Sextò tandem colliges, nomina synonima ita 48
idem realiter significare, vt aliud, aliudque virtualiter iis correspondeat: cur enim interius diuersimodè cognosci, haud sine obiecti cogniti multiplicitate virtuali eueniat, & significari etiam exterius, ac nominari diuerso sono virtualem pluralitatem in re nominata, ac significata non arguat? Cæterùm hoc non obstante synonimia vocum à nobis de medio non tollitur: ea enim nomina synonima erunt non quæ obiectum etiam virtualiter idem significant, sed quorum obiecta, non aliam habent diuersitatem, quam quæ eis ab ipsis nominibus contingit, seorsim verò ab his sunt omnino indistincta: sic, vt vnum nomen eandem cognitionem, eamdémque rem cognitam significet, quam aliud etiam synonimum refert; eandem, inquam si quæuis alia connotata, præter ipsa nomina respiciamus.

CAPVT VI.

Alia denique probatio præcisionis obiectiuæ.

QVæ sic habet. Distinctio rationis ratiocinatæ, 49
distinctio rationis ratiocinantis diuersæ rationis sunt, & altera ab altera distinguitur: at hęc diuersitas in eo solo collocari potest, quod prior ex parte obiecti præscindat, secùs verò posterior; aut, si, quod probabilius est, iuxta dicta cap. præcedenti, nulla distinctio facta per intellectum non præscindit ex parte obiecti, in eo solo id discriminis situm esse potest, quod distinctio rationis ratiocinantis sit ea, quam intellectus facit præscindendo obiectiuè vnum conceptum ab alio secum identificato, rationis verò ratiocinatæ virtualis intrinseca, siue fundamentum præcisionis obiectiuæ, & quorumuis aliorum prædicatorum contradicentium.

Verum Aureolus in 1. distinct. 8. quæst. 3. Okamus & Gabriel in 1. distinct. 2. quæst. 1. Gregorius in 1. distinct. 8. quæst. 2. art. 2. Maior ibidem quæst. 1. & plures alij nominales respondent, negata prorsus distinctione rationis, adeóque eius in distinctionem rationis ratiocinantis, & distinctionem rationis ratiocinatæ partitione, quippè quam, vt dictum est, putant esse de subiecto non supponente. 50

Sed præter distinctionem realem admittendam 51
etiam esse distinctionem rationis, tuentur B. Thomas in 1. distinct. 2. quæst. 1. art. 2. & 3. & q. 7. de verit. art. 6. & opusculo 9. quæst. 1. 2. & 3. Caietanus in opusculo de ente & essentia cap. 6. quæst. 12. Henricus quodlibeto 5. quæst. 1. & quodlib. 13. quæst 1.

Ni phus

Niphus 12. metaph. diſp. 13. cap. 4. Durandus in 1. diſt. 2. quæſt. 3. num. 9. Marſilius in 1. quæſt. 12. art. 3. 3. Capreolus in 1 diſt. 8. quæſt. 4. art. 1. Canarienſis 1. p. quæſt. 28. art. 2. diſp. 1. p. 2. Auerroës 12. metaph. commento 38. cuius hæc ibi notanda ſunt verba: *intellectus enim natus eſt diuidere adunata in eſſe*, & in fine commenti: *magna eſt differentia inter ea, quæ differunt in intellectu, & in eſſe, & quæ differunt in intellectu tantum.* Noſtræ Societatis idipſum tuentur Doctores omnes: præſertim verò Suarez diſp. 7. metaph. ſect. 1. Vaſquez. tom. 2. in 1. partem quæſt. 28. art. 2. diſp. 117. cap. 1. Molina 1. p. quæſt. 28. diſp. 3. Hurtad. diſp. 6. metaph. ſect. 5. at quid moror, tum in noſtris, tum in exteris recenſendis, quando nobis fauent præter Nominales paulo ſuprà relatos cæteri omnes ſcholaſtici?

52 Probatur autem hæc ſententia primò: quia quoties aliquod obiectum aliter, & aliter à parte rei ſimul ſe habet, à parte rei diſtinctum, ac multiplex eſt, vt fatentur omnes: quoties igitur aliquod obiectum aliter, & aliter ſemel apparet, atque concipitur ratione, & apparentia diſtinguitur: atqui idem realiter obiectum aliter, aliterque apparere, & concipi ſolet, vt compertum eſt: quidni ergo ſit ratione multiplex, ac diſtinctum? Secundò, quia bonitas, & malitia actuum interiorum voluntatis in actiones exteriores deriuantur, & hæ ab illis formaliter bonæ, & malæ in genere moris, ac meritoriæ, & demeritoriæ denominantur, vt certo certius: ſimiliter ergò vnitas, & diſtinctio conceptuum intellectus in obiectum refunditur, & hoc quantumuis vnum à diſtinctis conceptibus ratione multiplex, ſeu diſtinctum, &, quantumlibet in ſe multiplex, à conceptu vno, & confuſo vnum ratione noſtra denominabitur.

53 Tertiò ſuadetur eadem ſententia authoritate ſcripturæ: nam Ioan. 17. *Omnia*, inquit Chriſtus, *quæ dediſti mihi abs te ſunt, & tua mea ſunt omnia*: atqui accepit à patre eſſentiam, & attributa: hæc ergo omnia, adeoque multa, & diſtincta appellat: ſed non diſtincta realiter; ergo ratione: quo fit, vt admittenda ſit diſtinctio rationis in diuinis, ac proinde à fortiori in creatis. Quartò diſtinctionem rationis inter relationes diuinas, & eſſentiam ſtatuit Concilium Florentinum ſect. 18. & 19. adeoque noſtras inter formalitates eam ſupponit. Quintò Damaſcenus lib. 1. fidei Orthodoxæ cap. 11. ſic ait; *ſecundum omnia vnum ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, præter (ſi ita dicamus) ingignentiam, gignentiam, & proceſſionem; ratione autem, & intelligentia diſtinctum*: Ecce iuxtà eum etiam in Deo ſummè ſimplici vnitas, & identitas realis eſt coniuncta cum diſtinctione rationis; quid diceret de nobis, quorum haud eſt tanta ſimplicitas? Fauent etiam Auguſtinus lib. 3. contra Maximum cap. 10. & communiter alij Patres.

54 Sexto tandem: res dicuntur eſſe quodammodo in intellectu præcisè, quia in eo ſunt conceptus rei: pari ergo ratione res diſtinguuntur quodammodo ex hoc ſolo, quod earum conceptus ſint diſtincti: huiuſmodi autem diſtinctio ex noſtris conceptibus in rem cognitam reflua nequit eſſe realis, & intrinſeca, ac proindè debet eſſe rationis, & extrinſeca. Porro primum antecedens argumenti, (ceteræ enim eius partes partes ſunt perſpicuæ) ſuadetur authoritate Magiſtri 1. ſent. diſt. 35. vbi ſuper ea verba Ioannis 1. quod factum eſt in ipſo vita erat, ſic inquit: *Ex hoc ſenſu omnia dicuntur eſſe in Deo vita, & omne, quod factum eſt, dicitur eſſe vita in ipſo, non ideo, quod creatura ſit creator, vel quod iſta temporalia eſſentialiter ſint in Deo, ſed quia in eius ſcientia ſunt, quæ vita eſt*: Item Anſelmi ſuper Ioannem homil. 1. *Cum ſcribimus litteras, facit eas primo cor noſtrum, & deinde manus noſtra: litteræ ſunt primò à corde, deinde à corpore noſtro: eaſdem autem litteras facit cor noſtrum, & manus, non, quod alias cor, alias manus: eaſdem quippè facit, ſed non ſimiliter: cor enim facit eas intelligibiliter, ſed manus viſibiliter.* Et in monolog. cap. 39. *Nullum dubium eſt, creatas ſubſtantias multo aliter eſſe in ſe ipſis, quàm in noſtra ſcientia* &c. Item Commentatoris 7. metaph. comm. 23. *Quidditates ſunt exiſtentes in anima, dicitur enim ſanitas de forma, quæ eſt in anima, & de habitu qui eſt in corpore, & ambo ſunt idem.* Et ibidem inferius: *Manifeſtum eſt, quod forma artis dicitur duobus modis: vnus eſt forma, quæ eſt in anima, & alius eſt illa, quæ eſt extra animam, & ſunt idem, quoniam v. g. ſanitas dicitur de intellectu ſanitatis, qui eſt in anima, & de ſanitate exiſtente in corpore.* Et 12. metaph. comm. 51. *Verè poſſumus dicere, quod ſcientia eſt res ſcita: ſicut de annulo, & artificiali: dicimus enim, quod forma artificialis, quæ eſt in materia, & quæ eſt in mente artificis, eſt eadem.* Hactenus ille.

Negari ergo nequit, quin modus ille loquendi, 55
quo res dicuntur eſſe in intellectu, ſit vſitatus, adeoque admittendus, cum in ſignificatione vocum vſui, & authoritati ſit potiſſimè ſtandum. Verum igitur eſt, antecedens noſtri argumenti. Illud autem, nec non conſequens ex eo deductum, totumque diſcurſum hactenùs factum, inſinuat, breuique ſumma complectitur B. Thomas 4. contra gentes cap. 5. *intellectum, vt eſt in intelligente, eſt intentio intellecta, & verbum, & ideo illa, quæ conueniunt tali intentioni quæ eſt in intellectu, vt intentio eſt, poſſunt dici de re, cuius eſt intentio, ita, quod, ſi intellectus multos conceptus formet de vna re, talis dicitur eſſe plures, & diſtincta, & multiplex ſecundum rationem, hoc eſt ſecundum eſſe, quod habet in intellectu: imò ipſum poteſt dici multæ rationes, ſicut dicitur vita in Deo, vt intelligitur à Deo.* Hucuſque S. Doctor.

At obiicies pro ſententia Nominalium, diſtinctionem rationis de medio eximente Anſelmum in monolog. cap. 16. *Quemadmodum itaque vnum eſt quidquid eſſentialiter de ſumma ſubſtantia dicitur: ita ipſa vna modo vna conſideratione eſt quidquid eſt eſſentialiter*: Et ibidem paulò infra: *illa verò ſumma eſſentia nullo modo ſic eſt aliquid, vt illud idem ſecundum alium modum, aut ſecundum aliam conſiderationem non ſit: quia quidquid aliquomodo eſſentialiter eſt, hoc eſt totum, quod ipſa eſt.* Quibus verbis diſtinctionem conſiderationis, ſeu rationis à Deo ablegat. Obiicies ſecundò: Nihil poteſt ratione, aut conſideratione fieri non ipſum, ratione, inquam, non fingente, de qua ſola ſermo: alias homo v. g. fieri poſſet equus conſideratione noſtra, eaque vera: at diſtingui aliquid ratione non fingente à ſeipſo, eſt fieri non ipſum: nihil ergò ita à ſe diſtingui ſuſtinet. Oppones tertiò. Ratio noſtra eſt extrinſeca rei, quam inadæquatè & imperfectè conſiderat: eam ergo diſtinguere non poteſt: quod enim rei extrinſecum eſt, quod eam non conſtituit, eam diſtinguere nequit; cum conſtitutiuum rei, eiuſque diſtinctiuum iuxtà omnes in idem concurrant. 56

Leuia tamen ſunt hæc fundamenta. Ad primum 57
dicendum eſt, apud Anſelmum nomine conſiderationis haud intelligi rationem noſtram, ſed partem phyſicam: quare quod ait, Deum vna, & alia conſideratione diuerſum, ac multiplicem non eſſe, eò tendit,

tendit, vt non sit in Deo vna, & alia pars physica. Hanc autem esse Anselmi mentem, constat: tum, quia eodem loci tradit, hominem vna consideratione esse corpus, & alia rationalem id est vna parte, & alia: tum etiam, quia ita eum accipiunt P. Vasquez tom.2.in 1.p.q.28.art.2. disp. 116. cap.4. num.14. & communiter alij. Ad secundum dicendum est, nihil ratione nostra non fingente fieri posse non ipsum, per modum vtique compositionis, id est intellectum non posse componere verè rem vllam cum aliqua à se realiter distincta; atque hinc esse, vt homo non possit fieri equus per rationem, quin fingatur, eum esse equum: Cæterùm aliquid fieri posse ratione nostra non commentitia non ipsum per modum simplicitatis, id est intellectum posse concipere aliquam formalitatem sine alia secum realiter identificata, sic, vt vi huius præcisionis prior illa formalitas sit simplex, & vna in se, atque distincta quodammodo à posteriori: hoc autem ipso, quod distinguatur à posteriori secum eadem, erit sanè non posterior, seu non ipsa.

58 Ad tertium dicendum est, inprimis rationem ratiocinantem, & formalem esse extrinsecam rei cognitæ: cæterùm obiectiuam, & ratiocinatam ei esse intrinsecam, & essentialem: quidquid ergò sit de distinctione rationis ratiocinantis, quid est, quapropter negari debeat distinctio rationis ratiocinatæ, siuè virtualis intrinseca? Rursus secundò, ne prior illa distinctio rationis est neganda: nam aliud est obiectum intrinsecè, & realiter distingui: & hoc certè descendere nequit à consideratione, aut ratione nostra: quod solum probat argumentum nominalium: aliud est obiectum extrinsece diuidi: & hoc cur proficisci non possit ab operatione nostri intellectus, quantumuis extrinseca? quemadmodum mille aliæ denominationes extrinsecæ à formis oriuntur nequaquam intrinsecis. Et quidem obiectum extrinsecè & ratione nostra diuidi, haud est aliud, quam illud, provt à nobis cognoscitur, subire diuisionem, & partitionem quandam: at, provt à nobis cognoscitur, diuidi potest vi cognitionis nostræ diuisæ in se, & paulatim progredientis, quantumlibet sit extrinseca: id enim quid aliud, quam ipsam diuidi cognitionem: ergo, &c.

59 Moderantius alij secundò respondent admissa distinctione rationis, eiusque partitione in eam, quę vocari consueuit distinctio rationis ratiocinatæ, & eam quæ rationis ratiocinantis; aiuntque, illam priorem esse, vi cuius aliquid concipitur in ordine ad vna connotata, & non alia: seorsim à quauis præcisione obiectiua: posteriorem vero tunc contingere, quoties idem in ordine ad eadem connotata, modò magis, modò minus explicite cognita refertur. Cæterum hæc solutio, nec distinctionem rationis ratiocinatæ entis à differentiis suis, nec animalis à suis inferioribus, nec connotatorum in communi à seipsis in particulari explicare potest, vt superius probatum est cap.4. tum ad eius initium, tum etiam ad illius finem.

60 Tertio alij respondent, quoties idem realiter obiectum attingitur conceptibus dissimilibus, & qui diuersis vocibus correspondeant, distingui ratione ratiocinata, idque tametsi nulla fiat eius à seipso obiectiua præcisio; quoties vero non dissimilibus, sed geminatis, ac repetitis conceptibus cognoscitur in hunc modum; Petrus est Petrus, tunc distingui, ac multiplicari ea ratione, quam vocant ratiocinantem. Verum qui ita disputant, id in primis statuunt cum P. Suarez disp. 8. metaph. sect. 1. num. 4. & P. Fonseca tom 2. metaph. lib. 5. cap. 6. quæst. 6. sect. 3. & aliis non paucis, distinctionem rationis ratiocinatæ esse cum fundamento in re, secus verò rationis ratiocinantis. Atqui ad concipiendam eandem rem dissimilibus conceptibus non datur maius fundamentū ex parte obiecti, quam ad eam concipiendam eodem conceptu geminato: igitur distinctio rationis ratiocinatæ per dissimiles conceptus, ac rationis ratiocinantis per eundem conceptum geminatum, seu repetitum perperàm explicantur. Quid? quod iuxtà hanc solutionem homo, & animal rationale ratione ratiocinata distinguerentur, quod tamen plures ex aduersariis eunt inficias.

Quartò alij partitionem illam explicant sine obiectiua præcisione, aiuntque, distinctionem rationis ratiocinatæ esse, partim realem, partim rationis contrà verò distinctionem rationis ratiocinantis esse solius rationis, & neutiquam realem v. g. conceptus communis animalis, à quouis inferiori suo, non ratione modò, verum etiam realiter inadæquate distinguitur, atque adeo ab eo est ratiocinata distinctus: animal autem rationale, & homo distinctionem habent solius rationis, & nullatenus realem, ac proinde ratione ratiocinante distinguuntur inuicem. 61

Verùm haud magis cæteris hic sentiendi modus mihi probatur. Namque inprimis homo non distinguitur ratione ratiocinata ab anima: & tamen realiter inadæquate ab ea distinguitur; & simul etiam ratione nostra, cum diuersus conceptus animæ huic voci, *homo*, & huic, *anima*, respondeat, alterq; eā explicitè, alter implicitè, alter in cōcreto, alter quasi in abstracto cognoscat. Deinde animal ab homine, & equo, & cæterarum specierum suarum collectione explicitè cognita ratione ratiocinata distinguitur, vt fatentur omnes: at non distinguitur ab ea realiter inadæquatè. Tertiò realis distinctio independenter à distinctione rationis explicari potest, ac debet: ergo & è conuerso, &c. 62

Quintò tandem alij duplicem præcisionem mere formalem, & nullatenus obiectiuam distinguunt; videlicet, qua plura cognoscuntur vnica apprehensione impartibili, seu, quod perindè est, id genus apprehensione, ad quam nequeunt duæ dirigere: & hanc præcisionem putant ratione ratiocinata præscindere conceptum communem sic apprehensum, v.g. animal à suis inferioribus: aliam, qua ita res apprehenditur, vt diuersa definitione explicari postulet, & hanc præcisionem existimant ratione ratiocinante distinguere differentiam, aut speciem hominis v.g. à ratione communi animalis. 63 64

Displicet etiam hæc solutio: tum, quia perfectas, quæ est differentia entis ratione ratiocinante iuxtà hos authores ab ente distinguitur: & tamen secundum eosdem diuersam definitionem, qua explicetur sibi non vendicat, eo videlicet, quod perfectas genus, per quod definiri possit, non habeat, ratione suæ vniuersalitatis: tum etiam, quia hinnibile v.g. ratione ratiocinata ab animali distinguitur: at non propterea, quod conceptus respondens huic voci, *hinnibile*, plura impartibili apprehensione cognoscat, quam conceptus animalis, cum potius pauciora cognoscat: ergo &c. Maior probatur, quia animal ab hinnibili ratione, non ratiocinante, sed ratiocinata distinguitur, vt omnibus est in confesso: sed quantum animal ab hinnibili, tantundem hinnibile ab animali ratione distinguitur: quo pacto sicut in superioribus sæpe disseruimus, quantum vnum aliquod extremum ab alio realiter distinguitur, tantundem hoc etiam est à priori realiter distinctum.

CAPVT

CAPVT VII.

Quatenus præcisio obiectiua in diuinis etiam locum habeat?

65 QVæstionem hanc pluris, quam oportet plures faciunt, cum magna ex parte vocalis sit, suppositis prædicatis contradictoriis, & essentialibus, quæ ferme omnes Deo conuenire existimant. Præmitto ergo primò, præcisionem obiectiuam duplicem esse, aliam adæquatam, qua aliqua formalitas ex parte obiecti cognoscitur, & alia provt talis neutiquam est cognita, aliam vero inadæquatam, merito cuius vna, & alia formalitas, quatenus sunt tales, attinguntur ex parte obiecti, quamuis aliter, & aliter; quia videlicet de vna aliquid affirmatur, quod de altera negatur, vel certe non affirmatur. Prior precisio obiectiua ignorantiam, & imperfectionem, posterior vero notitiam obiecti, sicuti est, & perfectionem inuoluit. Quod autem præcisio illa inadæquata vera præcisio obiectiua sit, nam de adæquata nemo dubitat, ita suadeo: affirmari, & non affirmari sunt prædicata contradictoria intentionalia: at prædicata contradictoria intentionalia eidem conuenientia cum præcisione obiectiua coniuncta sunt, alioqui ne cognoscendo vnam formalitatem, & nullatenus cognoscendo aliam, provt talem præcisio fieret obiectiua: quod autem de altera formalitate non sit affirmabile, quod de alia affirmatur, præcisioni obiectiuæ non obest, vt P. Hurt. hic contendit: quoniam aliàs cognito animali v.g. & omninò latente rationali, quatenus tali, nulla esset præcisio obiectiua alterius ab altero, cum per eam cognitionem haud sit cognoscibile rationale. Rursus affirmatio alicuius prædicati de vna formalitate, & non de alia obiectum illud in duas formalitates diuidit, & quasi præscindit, non physicè, ergo intentionaliter. Præterea aliquid physicè dupliciter scindi potest, adæquatè nimirum, & inadæquatè, & vtroque modo verè scindi dicitur: ergo & præcisio intentionalis, siue obiectiua duplex erit, adæquata scilicet, & inadæquata, & alterutra suo modo vera, & propria. Præmitto secundò, Deo optimo maximo penes diuersas eius formalitates prædicata contradictoria intrinseca, & essentialia conuenire, vt in Metaph. lib. 2. tract. 4. cap. 1. demonstrandum est. Quibus positis.

66 Assero Primo: intellectus diuinus essentiam à relationibus præscindit ex parte obiecti præcisione inadæquata, non vero adæquata. Probatur quoad secundam partem, quia præcisio obiectiua adæquata manifestam imperfectionem, & ignorantiam importat: haud igitur Deo concedenda. Quoad primam partem probatur, quoniam intellectus diuinus aliquid de essentia sua affirmat, videlicet communicari filio, quod de paternitate non affirmat, sed negat: atqui eo ipso essentiam à paternitate inadæquate præscindit. Adiice quod huiusmodi præcisio perfectionem ab omni imperfectione seclusam, vt ex superioribus constat, inuoluit: quidni igitur Deo conueniat?

67 Assero secundò: intellectus creatus essentiam diuinam à relationibus, tam inadæquatè, quam adæquatè ex parte obiecti præscindit. Assertio quoad primam partem iamiam probata est; si quidem intellectus noster aliquid de summa, & increata essentia affirmat, quod de paternitate negat, aut certè non affirmat. Quoad secundam partem, probatur, quoniam cognitio nostra non minus præcisiua est, quam vnio hypostatica humanitatis Christi Domini: at vnio hæc immediatè terminatur ad filiationem, & non terminatur immediatè ad naturam diuinam provt talem: alioqui, cum ista sit communis tribus personis, foret, vt omnes tres assumerent naturam humanam, nullaque earum non esset homo, vt tradunt Theologi: cognitio igitur nostra poterit similiter immediatè terminari ad filiationem diuinam, & non ad naturam provt talem, ac proinde alteram ab altera ex parte obiecti adæquatè præscindere: maior argumenti (haud enim eius minor verti potest in dubium) ita suadetur: cognitio nostra subtilior, & immaterialior est, quam vnio hypostatica, cum illa sit modus intentionalis, hæc modus physicus, illa omnino spiritualis, hæc materialis, ea saltem ex parte, qua ad materiam Christi terminatur: at quo plus inest alicui rei subtilitatis, & acuminis, & quo minus corpulentiæ, & crassitiei, eo est ad præscindendum, ac veluti diuidendum magis apta, vt multis posset exemplis physicis ostendi.

Rursus, cum quis affirmat hanc propositionem, 68
essentia est filiatio; non attingitur paternitas ex parte subiecti, nec ex parte prædicati: nullo igitur modò attingitur, quatenus est talis, ac proinde essentia ab ea adæquatè præscinditur: antecedens suadetur, quia, si paternitas ex parte subiecti attingeretur, propositio esset hæc: paternitas est filiatio, & sic falsa esset: ex parte autem prædicati paternitas attingi nequit, cum prædicatum sit filiatio ab ea realiter distincta.

Respondebis primò, paternitatem attingi ex 69
parte subiecti, non in recto, sed in obliquo, ita, vt propositio sit æquiualenter hæc: essentia eadem paternitati est filiatio, quamobrem propositio, cui hæc posterior æquiualet, haud quaquam erit falsa. Contra tamen sic arguo: vt aliquid in obliquo attingatur, non magis conducit identitas realis, quam connexio realis cum eo, quod attingitur directè, imo magis è conuerso connexio quam identitas, eò nimirum, quod identitas in recto, non in obliquo attingi faciat conceptum eundem cum extremo, quod dicitur in recto, attingi, at cum quis affirmat essentiam esse filiationem, ex parte subiecti non attingit omnia connotata, cum quibus essentia connectitur: & quæ de obliquo respicit, aliàs infinita attingeret possibilia, quando ad totidem, & non pauciora refertur essentia: ergo nec paternitas in obliquo attingitur, quantumlibet cum essentia realiter identificetur.

Respondebis secundò, ex parte subiecti paterni- 70
tatem attingi etiam in recto, non quod de ea filiatio affirmetur, sed quod de illa negetur. Verum contra sic argumentor: quando quis affirmat, essentiam esse infinitam, non negat paternitatem esse infinitam; alias propositio futura esset falsa, vt quæ maximè: cum ergo affirmat quispiam essentiam esse filiationem, non negat eo ipso, paternitatem esse filiationem. Rursus ea propositio, *essentia est filiatio*, est propositio simplex; alias nulla esset simplex: at complexa foret, si simul negaret, & affirmaret.

CAPVT VIII.

Soluuntur argumenta quædam aduersus præcisionem obiectiuam aliarum formalitatum ab aliis.

INtellectum nostrum haud posse præscindere ex 71
parte obiecti rationem communem à particularibus,

ribus, vllamvè formalitatem ab alia secum realiter identificata, censent Aureolus, Okamus, Gabriel, Gregorius, Maior suprà à nobis citati cap.6. parum ab initio: item Petrus Cardinalis de Alliaco in 1. distinct.8. quæst.6. articul.2. littera I,& L, conclus.1.Hurtadus dist.6.metaph.sect.4. subsect.2. Arriaga disput.5. log. sect. 2. subsect.2. Balthazar Tellez 1. part.summæ philosophic.disput.2. per totam,vbi, tametsi nostram sententiam præferat, at Nominalium negantem præcisiones obiectiuas valdè probabilem censet: in eo tamen ibi mihi haud parum displicet,quod totam hanc quæstionem putet esse de solo nomine:an enim eidem conceptui conueniant prædicata contradictoria intentionalia,cuiusmodi sunt cognosci, & immediatè non cognosci vel rei ipsius est controuersia, aut certe nulla totius decursu philosophiæ non est vocalis.

72 Pro hac ergo sententia primum argumentum, & quo sanè nullum inter antiquos iamiam relatos, nullum inter neotericos celebrius sic habet. Non possunt eidem realiter conceptui conuenire prædicata contradictoria,seu forma,& eius negatio: sed si animalitas v.g. cognosceretur, ex parte obiecti incognita rationalitate,eidem realiter conceptui prædicata contradictoria,seu forma,& eius carentia,videlicet cognosci,& non cognosci conuenirent: ergo &c. Verùm huic difficultati satis, cumulateque faciendum est à nobis in metaphys. lib.2. tr.4.c.13.& sequentibus,præsertim in solutione argumenti 1.6. 7.11.12.13.14.22.23 24.25.26.28.29.30.31.& 32. hæc enim omnia argumenta, cum eò tendant, vt non repugnet in creatis contradictio prædicatorum cum identitate reali coniuncta, nihil minus conuincunt:quoad autem præsens, quæ est veluti omnium summa,ei ex dictis respondeo, prædicata contradictoria non posse conuenire conceptui,tum realiter,tum virtualiter eidem, at posse eidem realiter dummodò sit virtualiter multiplex,ac diuersus.

73 At videamus,quales sint aliorum solutiones: eas enim referendi, & refellendi gratia superius anticipare libuit argumentum: & quidem alioqui nulla erat eius inpræsentiarum diluendi necessitas. Respondent igitur primò aliqui, prædicata contradictoria,alia esse intrinseca, alia extrinseca; & priora non posse eidem conuenire, posse verò posteriora: cuius ratio ea hæc illis esse videtur, quia, si prædicata contradictoria intrinseca, seu identificata eidem conuenirent, idem seipsum excluderet videlicet vnum prædicatum contradictorium intrinsecum, alterum etiam per identitatem intrinsecum, quod per se apparet repugnare: hæc autem ratio in contradictoriis extrinsecis non procedit, quæ, & à subiecto, & inter seipsa sunt distincta: quare non idem seipsum,sed aliud à seipso excludit: quocircà, cum cognosci sint contradictoria extrinseca,eidem poterunt conuenire.

74 Hæc tamen solutio eo mihi nomine displicet, quod contrà, quam supponit, fieri nequeat, vt prædicata contradictoria extrinseca eidem conueniant, quin ei etiam contradictoria intrinseca competant. Quod suadeo primò,quia animalitas v.g. est capax terminare cognitionem respondentem huic, voci *animalitas*, & rationalitas provt talis haud est capax eam terminare cognitionem: at ea capacitas iuxtà plerosque aduersarios per identitatem intrinseca est:ergo, &c. Maior quoad primam partem est perspicua:quoad secundam autem declaratur; quia rationalitas, vt talis non est capax absolutè terminare cognitionem, quæ ad eam terminari nequit diuinitùs: at huiusmodi est cognitio respondens huic voci, *animalitas*, cum essentialiter sit præcisiua.

Secundò propositio definiens propositionem in communi rationem communem propositionis secum identificatam cognoscit, & rationes particulares præterit,vt negari nequit,si reflexio actuum supra seipsos admittatur, vt eam aduersarij non pauci admittunt:atqui tum cognosci,& non cognosci sunt prædicata contradictoria intrinseca ei propositioni quippe in quam penes diuersas eius formalitates per identitatem conueniunt: ergo,&c. Tertiò sumpto complexo ex animalitate, & cognitione solam eam cognoscente,& complexo ex rationalitate, & eadem cognitione; prius illud complexum est denominatio cogniti, cum animalitas provt talis per cognitionem vere cognoscatur, & posterius non est denominatio cogniti,cum rationalitas quatenus talis per eam cognitionem non cognoscatur:ergo cum vtrumque complexum sit realiter idem,eidem realiter complexo esse denominationem cogniti, & non esse eam denominationem conueniunt:at esse denominationem cogniti est complexo prædicatum per identitatem intrinsecum: ergo eidem prædicatum aliquod intrinsecum, & eius negatio conueniunt.

Quartò: animalitas iuxtà aduersarios virtualiter 75
distinguitur à rationalitate, aliàs ab ea non posset obiectiuè præscindi: sed rationalitas à seipsa virtualiter non distinguitur;aliquod ergo prædicatum intrinsecum animalitati conuenit, quod rationalitati minime competit, siquidem distinctio virtualis est prædicatum per identitatem intrinsecum. Denique ratio disparitatis adducta displicet,quia,siue prædicata contradictoria sint intrinseca, siue extrinseca, idem excludere seipsum realiter eodem modo sequitur, cum omne prædicatum sit identificatum subiecto,& cuius alij prædicato,quod simul de subiecto verè affirmatur:quædam autem prædicata contradictoria extrinseca nuncupantur,non, quia in se subiecto prorsus extrinseca sint,ab eovè omnino distincta, sed, quod aliquid extrinsecum subiecto connotent, cum tamen alia nihil extrinsecum subiecto, aut etiam ab illo distinctum connotent.

Secundò alij respondent, esse aliqua prædicata 76
contradictoria existentialia, siuè, quæ existentiam important,vt vniri, & non vniri, produci, & non produci;& hæc eidem competere nõ posse;alia vero quæ existentiam non important, sed ab ea abstrahunt,qualia sunt cognosci,& non cognosci, & hæc eidem conuenire posse: rationem discriminis esse putant,quia ex prioribus fieret idem realiter esse,& non esse,contrà,quam Aristoteles, & ipsum naturæ lumen edocent, secus vero ex posterioribus.

Verum ne hæc solutio arridet:tum, quia non mi- 77
nus ex prioribus prædicatis fieret idem simul esse,& non esse,quam ex posterioribus,nam esto,idem vniretur,& non vniretur, neutiquam propterea sequeretur,idem absolute,& simpliciter esse, & non esse, sed tantum esse,& non esse tali modo, videlicet alteri vnitum, & non vnitum:ast eodem modo sequeretur,idem esse,& non esse ex eo,quod idem realiter cognosceretur,& non cognosceretur. Tum etiam, quia,si ea valeret solutio, posset animalitas realiter identificari cum aliquo, quî cum rationalitas nullam haberet identitatem, cum hæc sit prædicatum essentiale,& non existentiale. Tum denique, quia velint nolint aduersarij, prædicata aliqua contradictoria existentiam importantia, & cum ea necessario coniuncta eidem conuenientia debent admittere,vt cum cognitio aliqua cognoscit seipsam secundum rationem communem cognitionis, & non

secundum

ſecundum particularem , aut cum ſupernaturaliter credit fidelis quiſpiam iuſtitiam diuinam exiſtere miſericordiæ in præſens oblitus , aut tandem , ſi Catholicus aliquis fide diuina credat , prophetam aliquem extiturum temporibus Antichriſti , præſcindendo ab eo , quod Elias , Enoch , vel alius.

78 Secundnm aliorum argumentum , & ſuperioris confirmatio ita habet : ſi animalitas poſſet cognoſci non cognita rationalirate provt tali ob diſtinctionem virtualem vtriuſque,poſſet ſimiliter altera produci , non producta alia per eandem actionem , aut vniri alicui extremo , cui alia non vniatur : conſequens abſurdum eſſe, & cum identitate reali earum formalitatum repugnans videtur. Huic argumento reſpondent recentiorum alij,id diſcriminis eſſe inter prædicata contradictoria intentionalia , cuiuſmodi ſunt cognoſci,& non cognoſci, atque phyſica, qualia ſunt produci,& non produci, vniri & non vniri, quod illa ſint extrinſeca hæc verò intrinſeca. Secundò alij reſpondent priora prædicata contradictoria differre à poſterioribus, quod hæc ſint exiſtentialia, ſecus verò illa.Cæterum hæ duæ ſolutiones iam iam impugnatæ manent.

79 Quapropter reſpondeo ad argumentum,inprimis permiſſa diſputandi gratia conſequentis abſurditate, & negata ſequela: nam,vt ſuprà c.3. huius tractatus probat 3.viſum eſt,plura requiruntur ad tendentiam phyſicam , quam ad intentionalem , eò videlicet, quod aliquid , quantumuis diſtans , imò non exiſtens , necnon etiam intactis omnibus medium obtinentibus ſpatium , poſſit intentionaliter attingi per cognitionem , ſecus verò phyſicè per vnionem, & productionem : ſimiliter ergò plus requiritur ad præciſionem phyſicam , quam ad intentionalem, adeóque quantumuis ad illam opus ſit diſtinctione reali extremorum, quæ diſſeparat;ſecus verò ad hanc poſteriorem , quæ fit cognoſcendo ; quin potiùs ad eam ſufficiet diſtinctio virtualis. Vnde licèt animalitas nequeat terminare vnionem,aut productionem quam rationalitas non terminet provt ex parte obiecti talis,licèt inquam , vltrò largiamur ita ſe rem habere,tamen altera poterit eſſe ſine altera terminus alicuius cognitionis.

80 Reſpondeo ſecundò , conceſſa ſequela : Cenſeo enim, non tantum poſſe , ſed etiam actu dari præciſionem animalitatis à rationalitate , non qualemcunque,at phyſicam,id eſt per actionem,&vnionem: nam eæ formalitates , vt virtute diſtinguuntur inuicem , ita & earum productiones , necnon vniones poſſibiles , & quæ poſſibilium eſt à Deo producta, videlicet hypoſtatica : itaque productio animalitatis ad hanc ſolam terminatur,& non ad rationalitatem provt talem , & etiam è conuerſo productionis formalitas pertinens ad rationalitatem nequaquam terminatur ad animalitatem, provt talem : ſimili ratione vnio hypoſtatica animalitatis , qua conſtat humanitas Chriſti Domini , haud eſt rationalitatis quatenus talis,& huius vnio partialis haudquaquam animalitatem,provt talem,Verbo vnit.

81 Etquidem, præter has præciſiones phyſicas vnius formalitatis ab alia ſecum identificata,ſunt aliæ non paucæ:ſiquidem actio Dei terminatur ad entitatem peccati,& non ad eius malitiam provt talem , atque illam non hanc phyſicè producit , vt oſtendetur in loco: Item iuxta dicenda in metaph.lib. 2. tract.4 c. 2. ſatis probabile eſt,quamuis actio & paſſio ſiue,quod perinde eſt : productio actiua , & paſſiua ſint idem realiter, alteram tamen earum , videlicet paſſiuam, non vniri immediatè, & provt talis eſt cauſæ, à qua effluit, eſto ita ei ſit vnita productio actiua : ne ſcilicet, vt hæc producentem , ita illa eam denominet productam , eique ex æquo ſuum tribuat effectum formalem. Rurſus quæuis res creata, provt eſt creatura , à Deo dependet, non verò provt ens ; alioqui Deus , cum rationem entis obtineat à ſeipſo pendebit. Præterea animalitas , provt talis, eſt phyſicè, & eſſentialiter productiua ſenſionum , quarum tamen ita haud eſt productiua rationalitas , ſed diſcurſuum duntaxat. Tandem huc facit , quod ſuperius dictum eſt,animalitatem eſſe phyſicè,& eſſentialiter diſtinctam,ſin minus actu, at certè virtute à rationalitate, non hanc à ſemetipſa;necnon complexum animalitatis, & cognitionis ad eam terminatæ eſſe phyſicè, & eſſentialiter identificatum , cum denominatione cogniti , cum qua tamen haud identificatur complexum rationalitatis , & cognitionis eiuſdem.

82 Enimverò dubitabit aliquis, & non iniuria, cum tot ſint præciſiones phyſicæ formalitatum realiter earundem, quî poteſt eſſe verum, plus deſiderari ad præſcindendum phyſicè , quam intentionaliter , vt ſtatutum à nobis eſt in ſolutione ſuperiori? Reſpondeo , ſi ſermo ſit de præciſione phyſica , quæ fit per prædicata contradictoria omnino eſſentialia,& nullam formam extrinſecam etiam de obliquo, & partialiter inuoluentia, cuiuſmodi ſunt haud pauca nuper memorata , inter eam , & intentionalem neutiquam eſſe rationem diſcriminis , quam tradidimus ſuprà, & hanc non eſſe magis frequentem,aut facilem,quam illam , vt adductis liquet exemplis. Sin autem ſermo ſit de præciſione phyſica facta vi productionis realis , ac termino producto extrinſecæ, eique ſuperadditæ,eam quidem non eſſe tantam,aut tam facilem,ac eſt ea præciſio,quæ fit per actionem intentionalem,ſiue cognitionem

83 Ratio eſt , quoniam cognitio noſtra multoties terminatur ad animalitatem, v.g. quin, vel illa, vel vlla cognitio partialis ſecum realiter identificata terminetur ad rationalitem provt talem : idemque millies vſuuenit comparatione aliarum ſimilium formalitatum At quamuis productio phyſica veluti partialis terminetur ad vnam formalitatem , quin terminetur ad aliam formalitatem ſecum realiter identificatam,provt talem,ſemper tamen media alia productione partiali ſecum eadem terminatur ad formalitatem aliam termini quatenus talem Ex.gratia: productio animalitatis,eſto;ad rationalitatem quatenus talem, non ſit terminata , at habet neceſſario ſecum identificatam aliam productionem veluti partielem,cuius terminus ſit rationalitas,provt eſt talis. Et quidem exempla cauſarum phyſicè non operantium in diſtans ſine medio,in quantauis diſtantia,& in paſſum minimè exiſtens iterum, iterumque à nobis adducta , haudquaquam id probant, plus deſiderari ad omnem præciſionem phyſicam,quam ad intentionalem , ſed tantum ad genus præciſionis phyſicæ nuper explicatum.

84 Porrò licèt ex natura rei , & citra miraculum ita ſe res habeat,ſicut expoſuimus;at ſupernaturaliter,& miraculosè fieri poſſe iudicamus, vt actio aliqua phyſica, aut vnio præſcindat ſicut cognitio noſtra , & ſecundum ſe totam ſic feratur ad aliquam formalitatem , vt nihil illius tendat ad aliam formalitatem cum priori identificatam , provt talem.

CAPVT IX.

Alia aduersus præcisionem obiectiuam formalitatum argumenta. soluta.

85 TErtium esto ab authoritate Aristotelis lib. 1. posterior cap. 1. vbi aliquos statuentes prolata hac propositione, *omnis dualitas est numerus par*, non sciri absolutè omnem dualitatem esse parem, sed potius eam, quam manu obtectam habeo non cognosci, & ab illa ex parte obiecti præscindi, refellit, ac statim subiungit; *sed nihil, vt arbitror, obstat, si id, quod discit quis, partim quidem norit, partim verò ignoret: non enim absurdum est hoc, si, id, quod tenet, addiscat aliquo modo, sed, si hoc pacto, eaque ratione, qua discit, eodem modo teneat*; quasi dicat, posse quidem aliquid ignorari explicitè, & formaliter, siue ex parte modi cognoscendi, idem tamen implicitè, virtualiter, & ex parte obiecti cognosci necessario.

86 Porro vt huius testimonij, cui valde fidunt recentiores vis magis eniteat, sciendum est apud Platonem celebrem esse cauillum Menonis, qui videlicet de virtute differenti Socrati obiicit, aut cognosci virtutem, aut ignorari? Si primum; non esse, quod tantopere inuestigetur, haud enim cognita, & perspecta nobis inquirimus: sin autem secundum, fieri non posse, vt eam inuestigemus: quis enim quod omnino nescit, exploret? aut quis ad scopum, quem non cernit, collimet? Cui dilemmati cum respondeat Socrates Platonis personam gerens, nulla nos industria, aut inuestigatione quid denuo scire, sed duntaxat olim scitorum recordari: Aristoteles contrarium loco citato tradit, respondetque captioni, contingere posse, vt idem simul cognoscamus virtualiter, & imperfectè, & non cognoscamus formaliter, & perfectè; priorem autem cognitionem sufficere, vt rem possimus inuestigare, si velimus, & posteriorem ignorantiam satis, superque esse, vt rei non sit inutilis, aut superuacanea inuestigatio: Atque hac doctrina explicat, quo pacto cognitis præmissis simul cognoscatur conclusio, nimirum, non explicite, & formaliter, at virtute, & implicitè.

87 Enimuerò, cum alij aliter respondissent superiori sophismati, hos quidã Platonis sectatores sic vrgebant: si quis habeat manu absconditam dualitatem quandam suapte natura parem, & ego id inquiram certè fierinon potest, quin quod ita inuestigo, sciam: siquidem cognosco omnem dualitatem esse numerum parem, hæc enim propositio est necessaria, & euidens: at dualitas manu abscondita est dualitas, cognosco igitur illam esse parem, ac proinde, quod inquiro, reuera cognosco. Huic autem syllogismo respondebant aduersarij, nos haud cognoscere absolutè omnem dualitatem esse parem, sed omnem, quam scimus, esse parem. Verum hanc euasionem refellit Aristoteles, vti paulo suprà ad huius initium capitis, atque ita refellit, vt præcisioni obiectiuæ videatur satis manifestè refragari, vt putant ij quibuscum in præsenti disceptamus.

88 Sed nihil minus: aliud enim est, an prolata exterius hac propositione, *omnis dualitas est par*, ea in mente absolute affirmet omnem dualitatem esse parem, vel potius aliqua vtatur limitatione, & omnem dualitatem, quam scimus, esse parem tantum adstruat, aliud vero, an supposito, quod ea propositio in mente sit absoluta, & nulla vtatur moderatione, præscindat ex parte obiecti ab ea dualitate particulari, quam manu obtectam habeo? Prius illud disceptat Aristoteles, aitque, propositionem illam vniuersalem cognosci à nobis absolute, quia ita cognoscitur à nobis, sicut est medium in demonstratione, at est medium demonstrationis absolute sumpta, ergo &c. Quod verò ad posterius attinet, ab eo prorsus abstinet Aristoteles, solumque hoc docet cognita dualitate in communi, eiusque paritate non cognosci explicitè, & formaliter, sed tantum implicite eam, quam manu absconditam teneo: an autem ita non cognosci sit ab ea præscindi obiectiuè, vel potius ex parte solius modi, hoc ibi non discutit, nec faceret ad rem, de qua est illic sermo: quo pacto cum ait ibidem in præmissis non cognosci explicitè, & formaliter conclusionem obiectiuam, an præcisio obiectiua, vel solum ex parte modi fiat vnius obiecti ab alio, nequaquam disceptat, sed potius in medio relinquit.

Quartum argumentum aduersarij desumunt ex 89
auctoritate Basilij allegata, & probata in Concilio Florentino sessione. 6. ibi *Magnum Basilium adducemus testem, qui vos docebit Patrem, & filium, & spiritum sanctum sic se habere, vt neque Pater sine filio, & spiritu sancto, neque filius absque spiritu possit intelligi: qui spiritum, inquit, intelligit, ipsum, & eum cuius est spiritus, simulque filium mente concipit: qui autem hunc percipit, sanè spiritum non seiungit.* Deinde id declarat exemplo catenæ: Et tandem Concilium Græcos alloquitur, ac si concludit: *Ita Patres amplissimi diuinæ personæ se habere creduntur, vt qui vnam intelligit, alias quoque percipere necesse habeat.* Tum sic; ergò arguunt contrarij: tres personæ diuinæ immediatè distinctæ, quia tamen sunt idem mediatè, & in tertio, videlicet in natura omnibus communi, ita instituuntur, vt iuxtà Basilium, & Concilium Florentinum neutra earum possit ab altera obiectiue præscindi: ergo à fortiori quæ sunt immediatè idem realiter, nullamque admittunt distinctionem realem, haud erunt capacia vllius præcisionis obiectiuæ.

Respondeo tamen, personas diuinas præscindi 90
posse inuicem ex parte obiecti: tum, quia multi hæreticorum personam patris cognoscunt, & personam filij ei consubstantialem, nec non etiam spiritus sancti non agnoscunt, sed potius negant, si quando de eis cogitant: primam ergo à secunda, & tertia obiectiuè præscindunt: tum secundò, quia distinctio personarum immediata, quantumlibet cum earum identate coniuncta præstat, vt illarum vna producat realiter aliam, aliaque sit producta, qua quidem oppositione relatiua nulla maior, vt vel ex eo constat, quod iuxtà omnes sit vbiuis signum distinctionis realis, quin tamen aliæ oppositiones contradictoriæ vbicunque distinctionem arguant realem: quid ergò inueriſimilius, quam distinctionem illam personarum non sufficere, vt vna cognoscatur sine alia, & altera præscindatur quodammodò ex parte obiecti ab altera. Basilius autem, & Patres Concilij Florentini contrarium non docent, sed hoc tantum volunt, non posse concipi vnam personam diuinam sine alia, vbi perfectè, & adæquatè, ac penes relationes eis essentialos cognoscantur. Hinc autem non fit, haud posse eas prescindi inuicem, si concipiantur imperfectè, inadæquatè, & circumscriptis relationibus, quas ad se inuicem important.

Quintum argumentum aduersus nostram sen- 91
tentiam sic habet: Cognitio subiecta huic voci, *homo*, attingit, non eandem, sed diuersas naturas humanas:

manas:at hæ non sunt diuersę,ac plures,nisi per singularitates,illas ergò ex parte obiecti attingit:quod, si cognitio,speciem percipiens, eam obiectiuè non præscindit ab indiuiduis,sanè,nec genus à speciebus, nec ratio vlla communis à suis inferioribus, nec in vniuersum vlla formalitas ab alia secum identificata poterit ex parte obiecti præcindi.Maior,in qua sola est difficultas,tuadetur,quia,si cognitio illa hominis vnam, eandemque naturam humanam attingit,cum dicitur,*Petrus,& Paulus &c. est homo*,idem simpliciter homo de eis enunciabitur, adeoque propositio erit falsa: at est vera,si qua alia. Respondeo & satis ex facili iuxtà dicenda in met.cit.lib.2.tract. 4.c.17.in solut.deciminoni & vigesimi argumenti, obiectum cognitionis respondentis huic voci,*homo*, haud esse eandem simpliciter naturam humanam, haud etiam diuersam, ac multiplicem, sed naturm illam præcise, ac secundùm se sumptam: proinde non sequi incommodum, quod inferre captant aduersarij.

92 At quidam alij nostrarum partium respondent, eandem simpliciter naturam humanam repræsentari ea cognitione,de qua sermo,eandemque similiter esse reuera in Petro, & Paulo, & cæteris hominibus,atque horum diuersitatem numericam,quam vocant,esse non penes naturam,sed penes singularitates.Cuius platici duplex esse potest fundamẽtum. Primum est: natura humana abstracta à singularitatibus est indifferens ad hanc, aut illam, entitatem: quæ ergò contrahi per vnam eadem, & non alia,contrahi potest,ac debet per aliam: quo pacto, quia voluntas nostra est indifferens ad amandum,& odio habendum,eadem potest amare & odisse:quod si voluntas humana posset amare & sola angelica odisse,nulla foret indifferentia,quia videlicet haud eadem voluntas, sed alia esset in potentia ad amorem,& odium: quo videtur confici indifferentiam sine identitate,& vnitate nullam posse reperiri.

93 Secundum fundamentum desumi potest ex D. Gregorio homilia 29.in Euangelia, vbi super verba illa Marci cap.16.Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ,sic loquitur, *Omnis creaturæ nomine significatur homo: omnis autem creaturæ aliquid habet homo: habet namque commune esse cum lapidibus,viuere cum arboribus, sentire cum animalibus,intelligere cum angelis: Si ergò commune habet aliquid cum omni creatura homo, iuxtà aliquid omnis creatura est homo:omni ergò creaturæ prædicatur euangelium,cum soli homini prædicatur.* Vnde sic argues: quod ait Gregorius, rationem entis esse communem homini,& lapidi, & viuentis homini, & arbori,& animalis homini,& belluæ,ac denique rationalis,& intelligentis eidem homini, & angelo est quamlibet harum rationum superiorum esse simpliciter eandem in homine, & aliis creaturis, non verò duntaxat similem, nam, si sermo ibi esset de communitate, non identitatis, sed similitudinis, quorsum diceretur omnis creaturæ aliquid habere homo? quorsum etiam iuxtà aliquid omnis creatura esse homo? haud enim similitudo sola extremorum potest efficere, vt alterum habeat aliquid essentiale alteri, vtvè vnum iuxtà aliquid sui sit aliud; imò contrarium magis præstat; cum more cæterarum relationum prædicamentalium distinctionem poscat extremorum, quæ interiacet. Quod, si est eadem simpliciter ratio generica in diuersis speciebus;vt videtur hactenùs satis ostensum,quidni eadem simpliciter ratio specifica verbi gratia, hominis sit in Petro, & Paulo, ac reliquis indiuiduis?

Diffiteri nec volo, nec debeo, cognitionem respondentem huic voci, *homo*, ferri in naturam humanam extrinsecè, & secundum quid vnam:talem enim ea facit naturam illam sponte sua & alioqui, nec vnam, nec multiplicem, sed ab vtraque denominatione præcisam: quo pacto cognitio nostra dicitur ferri in obiectum, non quod hoc tale sit,provt condistinctum à cognitione,& ante illam,sed,quod tale per eam denominetur, ac fiat: siquidem per eandem notitiam,qua fertur intellectus in rem,hæc intellectui veluti occurrit, & obiicitur. At id à me nunquam impetrare poterunt aduersarij, naturam humanam intrinsecè, & simpliciter eandem, vel prædicta cognitione repræsentari, vel ex parte rei reperiri in Petro, & Paulo, ac cæteris hominibus. Hoc enim commenti, quod à Platonicis in aliquos Scotistas, & ab his in quosdam eam extra scholam manauit,abunde confutatum est à nobis supra tr.2. & 3. huius libri. 94

95 Ad primum autem pro eo argumentum respondeo, naturam humanam secundum se sumptam esse tantum indifferentem ad hanc,& illam singularitatem præcisiuè, videlicet, quia neutram habet,aut etiam postulat in eo statu, sed potius, tum ab vtraque, tum etiam ab vtriusque exigentia præscindit, solumque sua sibi prædicata essentialia vendicat: huiusmodi autem indifferentia præcisiua non petit vnitatem, siuè identitatem in natura, suprà quam appellat, sed potius eam necnon quidquid est extra essentiam hominis,quidquid non est formaliter animal rationale excludit. Duntaxat ergò natura humana quoad nos est positiue indifferens ad hanc, & illam singularitatem, quia nimirum potest intellectus eam vagè sumptam, & cum aliqua indeterminatione, sin minus formaliter, certè æquiualenter tali cum hac, & cum illa singularitate componere, atque de Petro,& Paulo prædicare: Satis igitur est, vt sit vna quoad nos, & extrinsece ac secundum quid; siquidem ita, & non aliter est positiuè indifferens. Sic autem esse vnam, sæpissime fassi sumus, & paulo suprà exposuimus.

96 Ad secundum argumentum respondeo,B.Gregorium hoc tantum voluisse loco nobis obiecto,in homine, & aliis creaturis rationem entis, viuentis, animalis, & intelligentis esse eandem, aut formaliter per intellectum, aut fundamentaliter per similitudinem: harum autem identitatum, etsi quæuis sit impropria, & secundum quid, quæuis tamen præstare potest, vt omnis creatura secundum aliquid sit homo, & contrà homo aliquid omnis creaturæ obtineat, videlicet, quia hæc locutio accipienda est in sensu,non rigoroso,& proprio, sed metaphorico,& improprio,more aliarum plurium. Hoc pacto propter identitatem intentionalem, & secundum quid cognitionis, & sanitatis ei obiectæ dici potest,& solet,cognitionem esse quodammodo sanitatem, & cum cognitione sanitatem etiam in mente quadam ratione existere, vt ostensum est à nobis supra cap. 6. huius tractatus ex B. Thoma, Magistro sententiarum, Commentatore, & Anselmo.

CAPVT X.

Aliorum denique argumentorum contra formalitatum præcisionem obiectiuam solutio.

97 SExtum principale sic habet.Quando turres quadratæ procul nobis apparent, videmur nobis videre

dere,eas esse rotundas,cum tamen reuera nullam in eis rotunditatem cernamus:haud enim cernere possumus in obiecto, quod in eo non existit, alioqui candor v.g. minime existens, nec à Deo productus, non solum imaginationi, & intellectui, sed etiam visui nostro posset obuersari, contrà,quam est experientia testatissimum. Quemadmodum ergo debilitas, & imperfectio visionis facit, vt videamur nobis cernere,quod est quadratum,ac, si non esset tale sed potius in orbem coactum, quin ita reipsa illud conspiciamus, possimusve. Sic similiter imperfectio cognitionis spiritualis, qua hominem procul visum à bellua non discerno,poterit esse in causa,vt videatur sibi intellectus meus eum duntaxat quatenus animal cognoscere, non vero provt rationale, tametsi reuera totum illum ex parte obiecti, ac, tum eius animalitatem, tum etiam rationalitatem percipiat.

98 Cæterum hanc experientiam in aduersarios manifestè retorqueo. Nam quod turres procul visæ, cum quadratæ sint, non tales, sed rotundæ nobis appareant, ex eo oritur, quod illarum anguli, aut omninò, aut certè maiori ex parte à nobis non videantur, vt docuit Alexander Aphrodisiens. lib. 1. problem. q.85. ac cecinit Lucretius lib. 4.

Quadrataque procul turres cum cernimus vrbis,
Propterea fit vti videantur sæpe rotundæ,
Angulus obtusus, quia longè cernitur omnis:
Siue etiam potius non cernitur, ac perit eius
Plaga, nec ad nostras acies illabitur ictus
Aëra per multum, quia dum simulacra feruntur,
Cogit hebescere eum crebris offensibus aër.

Similiter ergò, quod homo eminus visus, non talis nobis appareat,sed bellua, atque,vt animal,non verò,vt rationale cognosci à nobis videatur,inde oriri putandum est,quod aliqua eius formalitas,nimirum rationalitas nos lateat, ab eáque ex parte obiecti præscindamus.

99 Pari ratione haud paucæ similes experientiæ ab aduersariis adduci solitæ in eos retorqueri possunt: Namque multoties insulæ plures,atque inter se distinctæ,distantésque,si tamen procul absint, ita videntur à nobis, ac si non essent eiusmodi,sed potius vna, & continens, videlicet, quoniam pelagus eas interiacens non videmus. Sic de quibusdam insulis Acarnaniæ ex aduerso fluminis Archeloi sitis cecinit Ouid. l.8. metamorph.

Amnis ad hæc,non est,inquit,quod cernimus vnum,
Quinque iacent terræ, spatij discrimina fallunt.

Similiter longitudo aliqua duobus clusa parietibus idque vbiuis æquabiliter, inæquabilis tamen nobis apparet, atque quò magis à conspectu nostro recedit,eò magis angustari,& coire;quoniam scilicet ea ex parte, qua nobis est propinqua, totam eius latitudinem conspicimus,secus verò ex ea,qua finitur, & à nobis distat. Vlterius baculo citissima vertigine in orbem agitato circulus immobilis, & continuus nobis repræsentatur, siue, quod perinde est, extrema baculi pars, ac si esset simul in toto spatio circulari, per quod circumducitur, nimirum, quia successionem, & motum,quæ est eius celeritas,non percipimus: quod enim est in permanentibus raritas, id est in motu successiuo celeritas; vnde vt aëra v.g. quia nimis rarus est, haud videmus, ita neque motum, si sit valdè concitatus. Prætereà paries albus per vitrum viride,non albus, sed potius viridis nobis solet apparere, quippe quia viriditas medij tollit,quominus parietis,ad quem terminatur visio, candor nostros in oculos incurrat. Deinde visus noster sibi videtur cernere cœlum,solúmque iuxtà horizontem esse contigua inuicem,eo nimirùm, quod nullum aliud corpus inibi inter ea percipiat. Duorum etiam cacumina nontium eadem de causa,quãuis longissimo distent interuallo, coniuncta tamen nobis haud rarò apparent. De quibus vide præter alios nostrum Christophorum Clauium in sphæra cap. 1 theorem.16. propos. 18. His ergo, & similibus experimentis si ducamur, quod animal suapte natura rationale, non tamen,vt rationale,sed,vt irrationale nobis appareat,haud ex sola imperfectione cognitionis descendet, sed ex eo,quod aliqua obiecti formalitas nostrum intellectum subterfugiat.

Enimverò aliæ adduci solent ab aduersariis ex- 100
perientiæ magis difficiles, & in quibus instantia à nobis facta locum non habet.Nam visibile simplex sæpissimè multiplex apparet, cum quis videlicet alterum oculorum deprimit, & alterum attollit, aut cum mero immodico laxatus neruus opticus non committit,vt pupillæ æquabilem situm, sicut antè ebrietatem, obtineant, & sic illud contingit, quod cecinit Horatius.

Cum bibitur concha, tunc iam vertigine tectum
Ambulat, & geminis consurgit mensa lucernis.

Rursus sol propè horizontem maior nobis apparet, quam cum medium cœli tenet, iter, licet ibi plus, quam hic à nobis distet.Nummus item proiectus in fundum alicuius vasis aqua limpida pleni propior, ac maior nobis apparet, quam extra aquam. Tandem, vt alia prætermittantur exempla,virga sponte sua recta,& omni obliquitate carens, fluuio tamen immersa, nobis incurua apparet. At his, & similibus euentis nihil est in obiecto,quod sensus oculorum non videat;nihil enim eius à nobis distat: rursus nihil tum oculi vident,quod non sit in obiecto; haud enim more intellectus ferri possunt in aliquid non existens: ergo rem sicuti est cernunt,quamuis visionis imperfectio faciat, vt rem aliter, quam est in se cernere videantur: Similiter ergò, licet hominem eminùs conspectum intellectus noster cognoscat,sicuti est,& secundùm se totum,atque non solum,vt animal,verùm etiam,vt rationale, tamen imperfectio cognitionis præstare poterit, vt videamur nobis eum aliter, quam est in se percipere, ac solum quatenus est animal, non verò provt est rationale: Haud enim sensus duntaxat noster, verùm etiam intellectus falsis ludi sustinet imaginibus.

Verum in primis tametsi his posterioribus phe- 101
nomenis nostra ludificetur imaginatio, eáque propter putet,nos videre rem aliter, ac est in se; cæterum non semper ita errat, quin potius sæpissimè obiectum, & videri, & esse, vt est, apprehendit: quî ergo fieri potest, vt intellectus noster, quæ est potentia longè perfectior, semper decipiatur circa quodcunque obiectum, idque aliter, quam est à se concipi existimet? At iuxtà aduersarios semper ita erraret intellectus noster:siquidem nunquam ex toto comprehendit in hac vita rem vllam: quamuis ergo cum aliqua præcisione cognoscit, aut ergo cum putat, se præscindere ex parte obiecti quasdam eius formalitates ab aliis, ita reuera contingit; & sic intentum adepti sumus: aut ita non euenit, & sic longè deterior erit eius, quam phantasiæ conditio, & cum hæc sæpissimè non erret circa res visas, modúmque quo videntur,ille tamen nunquam non hallucinabitur circa res intellectas, modúmque earum intelligendarum.

Rursus secundò phantasia nostra his posterio- 102
ribus euentis errat,quia, quæ sunt potentiæ, aut medij propria, ea obiecto applicat. v.g. obiectum simplex putat videri à nobis tanquam multiplex, aut,

quod

quod perinde est,obiectum existens in vno loco repræsentari, simul velut positum extra suum locum naturalem in alio,quem reuera non occupat, quia, cum non sint tunc vniformes axes pupillarum, & altera earum diuersum habeat situm, ac antea respectu alterius, hanc conditionem obiecto adhibet imaginatio, illudque esse, & videri, non tantum vbi est, sed simul etiam vbi non est, & in diuerso situ, ac antea concipit. Rursus sol sensibiliter quidem haud magis distat à nobis, siue sit iuxta horizontem,siue in medio cœli vertice, quia videlicet tota tellus quoad nos indiuisibilis est,& instar puncti comparatione cælestium orbium: circulus autem omnis versus quamcunq; sui partem æque distat à puncto intermedio, siue centro. Cæterum rigorosè,ac metaphysicè plus distat à nobis sol propè horizontem existens, & vel nascens,aut occidens, quam, cum medium cœli spatium obtinet: hic siquidem seiungitur à nobis interstitio duum duntaxat elementorum, nempe aëris, & ignis: illic vero nos, solémque separant, tum eadem duo elementa, tum etiam semidiameter telluris: Verum quæ ex hac oritur vaporum, & exhalationum copia facit, vt imaginatio nostra decipiatur, & eiusmodi crassitudinem, ac partium numerositatem medij interiecti propriam soli applicet, eumque videri putet maiorem, quam quando est prope meridiem. Eadem etiam est causa, quapropter illa nummum cyatho aquæ immersum maiorem, ac propiorem cerni existimet: eadem denique efficit, vt imaginetur illa virgam fluuio immersam velut obliquam conspici, & vnam eius partem quasi magis propinquam videri,eam videlicet,quæ est intra aquam, & aliam remotiorem, scilicet eam, quæ flumini supereminet.

103 At huiusmodi causa toties imaginationem fallens haud quaquam procedit in intellectu nostro: hic enim haud ideo putat, se cognoscere vnam formalitatem obiecti sine alia, quia quod est sui, actuumvè suorum,vel alicuius medij proprium,hoc applicat obiecto imperfecte cognito. Quod ita suadeo: intellectus noster apprehendit vnam formalitatem obiecti sine alia à se cognosci: at tum non cognoscit se sine se;non etiam vnam suam cognitionem sine alia; sed potius ambas complectitur; qui enim fieri potest,vt cogitet se habere cognitionem vnius formalitatis, & non cognoscere aliam, quin vtramque cognitionem reflexè attingat?quod, si sermo sit de priori signo naturæ, videlicet ante reflexionem, certè neutram cognitionem, nedùm vnam sine alia cognoscit: non denique vnam partem medij sine alia; imo multoties nullomodo suprà obiectum medium reflectit,sed quam distinguit ratione, rem immediatè cognoscit: haud ergo putat, se vnam rei formalitatem sine alia cognoscere, quia quod cognoscit in se,suisvè actibus, aut medio id obiecto tribuit: quocircà ob id se præscindere ex parte obiecti semper arbitratur, quoniam ita re vera præscindit.

104 Occasionē huius argumenti, quod à multiplici experientia petiuit aduersarij, libet aliud contra eos à nobis obiectum supra cap.4. & 5. hoc loci instaurare, & confirmare. Quando eminus hominem conspicio,belluam eum esse putans, hanc propositionem intus efformo, *quod video, est hoc animal*: aut ergo tum vnà assero, quod video esse rationale, aut non? si secundum, hoc animal à rationali secum identificato obiectiuè præscindo, & alterum sinè altero de obiecto à me viso prædico:sin autem primum; de eodem subiecto esse rationale, & irrationale affirmo; esse quidem irrationale,quia puto, illud esse belluam; esse rationale, quia hoc animal de eo nequit affirmari sine rationali secum realiter identificato. Consequens autem, etsi aduersariorum aliqui admittant, idque non putent esse absurdum, & reuera non immeritò, cum nihil incommodi sit in eo, quod intellectus duobus contradictoriis implicitè, & virtualiter talibus assentiat, vt à nobis haud semel statutum est, vtque lib. vltimo ostendetur amplius,cum sermo fuerit de insolubilibus; at certe in eo, quod concedunt, nec satis consequenter doctrinæ suæ de vi, & influxu præmissarum in conclusionem differunt; nec maiori consequentia nostram de distinctione virtuali sententiam impugnant.

Prius ostendo: namque ideirco docent, præmissis concessis, non posse vnquam negari conclusionem,quia alioqui intellectus duo contradictoria adstrueret: conclusio enim negata contradicit præmissis,sin minus formaliter,& explicitè, saltem virtualiter, & implicitè: quo ergo iure nunc fatentur, intellectum nostrum posse affirmare, quod videtur eminus, esse irrationale, & simul esse rationale, alterum explicita, & formali ratione, alterum verò implicita, ac virtuali, & conceptu respondente, non huic voci, *animale*, sed huic, *hoc animal*. Posterius ostendo, quoniam iuxta ipsos duæ propositiones contradictoriæ explicite tales non possunt esse in eodem intellectu simul, possunt tamen duæ implicitè tales. Cur igitur æqui, bonique non habeant, nostram sententiam, qua tuemur, aliqua prædicata contradictoria eidem rei talua eius identitate reali haud posse conuenire, posse tamen alia? 105

Septimum argumentum aduersariorum sic habet: 106
Cognitio intuitiua nequit obiectiuè præscindere: at,si esset possibilis obiectiua præcisio, ea iuxta nos fieri posset vi cognitionis intuitiuæ, non spiritualis tantum, sed quod plus est, sensibilis, & externæ: supra namque statuimus visionem nostram externam percipere vnam formalitatem candoris sine alia, eius videlicet vim disgregandi visus, non verò dependentiam essentialem à Deo: ergo, &c. Maior suadetur primò, quia cognitio vniuersalis, & abstractiua plura velut vnum extrinsecè, & secundum quid eorum aliud ab alio nequaquam discernit, aut præscindit: à fortiori ergo cognitio intuitiua, & rem in singulari, & velut intrinsecè, & propriè vnam cognoscens, vnam eius formalitatem ab alia non præscindit. Suadetur secundo eadem maior ex eis verbis Ioann.cap.14.*tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe qui videt me, videt & patrem: quomodo tu dicis ostende nobis patrem? non credis,quia ego in patre, & pater in me est?* Quod si visio, & intuitiua cognitio non potest præscindere obiectiuè vnam personam ab alia realiter distincta, ob earum identitatem realem in tertio, id est in natura, & essentia eis communi, vt indicant posteriora illa adducti testimonij verba, *non credis, quia ego in patre, & pater in me est*; certè multo minùs fieri potest, vt intuitio formalitates, non solùm essentialiter, sed etiam personaliter, & quomodolibet identificatas ex parte obiecti præscindat.

Cæterùm tametsi cognitionem intuitiuam, & immediatam rei, eamque, non per alienas species, & imagines, sed per propriam attingentem haud esse præscisiuam ex parte obiecti tueantur Vasquez 1.part.quæst.22.art.8. disput.48. cap.2. & quæst.28.art.2.disp.17. cap.2. Caietanus 2.2. q.2. art.8. Capreolus in 1.distinct.8.quæst.4.art.3. Sotus 107

in 4.distinct.48.quæst.3.art.3.& multi alij Theologi apud Fasolum 1.part quæst.12.art.8. num.3. Cæterum contrarium verius est, idque tenent Molina 1. part.quæst.12.art.8.disp.3.Suarez 1.part.lib.2.de attributis cap.24. num.3. Salas tom. 1. in 1.2. q.3. tract.2.disp.3.sect.9 Hurtadus in præsenti, & subtilis Doctor cum asseclis passim.

108 Ad primam rationem contrariam respondeo, cognitionem vniuersalem, & abstractiuam idcirco non præscindere inuicem plures res, in quas fertur, quoniam eas confundit: cognitionem ergò intuitiuam, & indiuidualem, quia talis est, hoc solum vendicare, vt non confundat obiectum suum cum alio à se realiter distincto, sed potius illud præscindat ab omni realiter non ipso:hoc autem cur obesse possit, quominùs vnam rei formalitatem ratione separet ab alia? Vel aliter: cognitio vniuersalis, & abstractiua res realiter distinctas, quamuis non præscindat inuicem, at rationem quandam cunctis communem, & identificatam ab eis obiectiuè præcindit: ex illa ergò ad cognitionem intuitiuam & indiuidualem, si licet argumentari, magis est, vt etiam hæc posterior sit ex parte obiecti præscisiua.

109 Ad secundam rationem contrariam dicendum est, haud esse sermonem Ioann. cap.14. de visione intuitiua, & clara personarum, nec consequenter concludi, has intuitiuè cognitas non posse obiectiuè præscindi: Siquidem inibi suppositi Christus se à discipulis suis videri, & redarguit eos, quod patrem nondum cognoscerent, quem tamen se viso necessum erat videri; *qui videt*, inquiens, *me, videt & patrem*: At nondum eius diuinitatem, eiusve personalitatem infinitam intuitiuè videbant: haud ergo locutus fuit de huiusmodi visione: alioqui posset ei re pondere Philippus pro se, ac pro cæteris: deitatem tuam hucusque mentis nostræ oculis haud vidimus, solamque humanitatem à te assumptam corporeis luminibus cognouimus: quid ergò demiraris, si patrem tibi consubstantialem, vniusque naturæ diuinæ nondum clarè conspexerimus?

110 Quocircà, vel sensus eius loci est, Christum Philippo petenti visionem aliquam corpoream patris, eiusque, sub aliqua externa figura ignis, aut alterius rei, aspectum, respondisse, humanitatem suam cunctis manifestam apparere; adeoque non minus patrem sibi consubstantialem, quam se in ea mediate quodammodo conspici: iuxtà hanc autem interpretationem, quæ est Cyrilli lib.9.in Ioann.c.37. Tertulliani lib.contra Praxeam cap.24.Chrysostomi homil.73.in Ioann. non tam cognitio intuitiua, & immediata vnius personæ nequit eam ab alia obiectiuè præscindere, quam cognitio cuiusuis earum mediata, & aliena ambas complectitur: quod nobis quid obstat? vel eius loci intellectus est, Philippo postulanti cognitionem spiritualem abstractiuam Patris, quis nimirum esset, respondisse Christum, ita se cognito personam patris haud posse ignorari: secundùm quam expositionem, quæ est Augustini tractatu 10. in Ioan. & epist. 112. cap. 6. non cognitioni intuitiuæ personarum, inadæquatæ vtique negatur vis eas præscindendi obiectiuè, sed cognitioni earum abstractiuæ suaptè genio adæquatæ, & perfectæ, qua talis est: at hoc etiam quid nobis obest, quidvè aduersariis prodest?

111 Octauum, & postremum argumentum. Eò magis intellectus præscindit, quò plura vno conceptu cognoscit: hac enim ratione cognitio entis est magis præcisiua, quam cognitio substantiæ, & hæc, quam cognitio viuentis, & sic facto descensu per reliquos gradus: virtus ergò præscisiua intellectus non exercetur diuidendo, quod est omnino vnum, sicut Deus, sed confundendo ea, quæ sunt plura, quantum colligere licet ex vi obiectiuè præscindendo, quam venamur ratione naturali: quidquid ergo sit de rebus creatis, at certè in creatore nullum habet locum obiectiua præcisio.

Respondeo tamen, & satis ex facili, haud semper nos præscindere ex parte obiecti confundendo plura, sed non rarò rem in singulari cognoscendo, vt v. g. cum hoc animal dignoscimus dubij, num sit rationale, vel irrationale: huic autem cognoscendi modo sunt in nobis innumeri similes: nihil ergò prohibet, quominus Deum summè vnum, & singularem, ac velut talem à nobis cognitum, in plures tamen formalitates ex parte obiecti partiamur, ac dispescamus. Adiice, tum hoc argumentum, tum etiam alia aduersariorum instari, meóque iudicio manifestè in ea præcisione, quam ex parte modi, ac formalem appellant. 112

CAPVT XI.

An fiat vniuersale per operationem intellectus agentis.

VIdimus hactenùs, vt fiat vniuersale per obiectiuam præscisionem rationis communis à suis inferioribus: Reliquum est, vt inquiramus, quænam operatio intellectus, tum ita præscindat, tum vniuersale efficiat? ita enim nihil deerit ad plenam, ac perfectam notitiam modi illius, quo mens nostra molitur vniuersale. Ordior autē ab operatione intellectus agentis, eius nimirum, cuius est proprium species impressas à phantasmatibus abstrahere. Prima ergò sententia est, omnem talis intellectus operationem, omnemve speciem ei à phantasia impressam, vniuersalis esse formam. Ita plures Thomistæ apud P. Suarez disp.6. metaph.sect.6.& P.Bartholomæum Amicum tract.6. log. quæst.6. dub.6. Fundamentum eorum est, quia vniuersale fit per abstractionem, vt fatentur omnes: at intellectus agens prout talis, est abstractiuus: vniuersim ergo, quatenus agens, est vniuersalis effectiuus. Secundum sic habet: Obiectum in phantasmate est singulare, sed intellectus agens abstrahit speciem à phantasmate; ergo abstrahit speciem, & consequenter naturam in specie repræsentatam à singularitate, atque adeo naturam reddit vniuersalem. 113

Secūda sent. est Scotistarū, qui vniuersale per nullā operationem intellectus agentis fieri censent. Eorum fundamentum est; quia intellectus agēs, quà talis est, non repræsētat formaliter obiectū: ergo illud vniuersale non constituit: consequentia probatur, quoniam aliàs vniuersale fieret per habitum intellectualem, qui obiectum formaliter non repræsentat, sed potius eius formalem repræsentationem producit: antecedens perspicuum est, quia species impressa in eo ab expressa distinguitur, quod hæc sit formalis repræsentatio obiecti, illa vero solum virtualis repræsentatio, seu virtus repræsentationis formalis productiua. Thomistæ autem, dum speciem impressam formalem repræsentationem habitualem vocant, eo ipso terminos inimicos, & cōtradictorios iungunt inuicem. 114

Media sententia mihi probatur: censeo enim per aliquam operationem intellectus agentis, siue per aliquam speciem impressam, eam videlicet, quæ est naturæ communis repræsentatiua vniuersale fieri, 115

non

non tamen per omnem, & quâlibet. Prima pars suadetur : species aliqua impressa naturam communem virtualiter repræsentat : at species ita repræsentans vniuersale efficit : erga , &c. maior probatur, quia species expressa proportionatur vt sic dixerim, speciei impressæ,à qua proficiscitur : sed species expressa repræsentat formaliter naturam communem: ergo & species impressa virtualiter. Minor argumenti prima, & principalis probatur primò ad homines, quoniam species illa impressa obiectiuè præscindit naturam communem ab inferioribus : natura autem ita repræsentata cum multiplicitate reali coniunctam habet vnitatem præcisionis , quam ad vniuersale sufficere plerique aduersarij autumant:secundò, quia , quominus expressa est aliqua cognitio , seu repræsentatio formalis naturæ communis , eo magis vniuersali deseruit , vtpote magis confusa : ergò repræsentatio naturæ cómunis nullo modo expressa, sed omnino impressa vniuersali à fortiori , vt aiunt, deseruit : consequentia est perspicua,probatur antecedens, nam, quo minus expressa , & confusa est aliqua repræsentatio , eo magis inferiora confundit , & adunat, igitur eo magis deseruit ad vniuersale, cuius forma est vnitas, & confusio:tertiò, quia species impressa naturæ communis ei vnitatem aliquam formalem , licet impropriam tribuit : at eiusmodi vnitas ad vniuersale sufficit omnium fermè consensu : ergo, &c. maior suadetur , quia species impressa naturæ communis obiectum fundamentaliter vnum respicit, igitur ab eo vnitatem aliquam formalem vendicat, quam in illud refundat : quartò demum , quia species illa impressa est vniuersalis in repræsentando,vt constat ex materia de Angelis , vbi diuisio specierum in vniuersales, & singulares , perquam est solemnis: eam igitur vniuersalitatem in obiectum reiicit,sicut ad vniuersale in essendo oportet ; aliàs species expressa in repræsentando vniuersalis vniuersalitatem suam in obiectum non remitteret.

116 Secunda pars nostræ sententiæ suadetur , quia intellectus agens abstrahit à phantasmatis speciem singularem , seu naturæ singularis repræsentatiuam : at hæc vniuersale non constituit , vt compertum est: ergo per aliquam operationem intellectus agentis nequaquam efficitur vniuersale : maior probatur, quoniam, vt rectè Scotus philosophatur,intellectus agens non semper abstrahit speciem impressam ab indiuiduali repræsentatione phantasmatis , cum qua species abstracta nonnunquam conuenit , sed interdum à sola materiali entitate phantasmatis. Nec video sane, cur species impressa non minus, quam expressa res singulares , quatenus tales intellectui non repræsentet.

117 Ad rationes Thomisticas , & Scotisticas ex dictis constat : nam repræsentationem formalem ad vniuersale non requiri, & habitum communium cognitionum elicitiuum vniuersale constituere : & non omnem abstractionem vniuersali sufficere , & speciem impressam à natura singulari haud semper abstrahi , esto ab eius phantasmate abstrahatur nunc nunc explicuimus.

CAPVT XII.

An fiat vniuersale per operationem intellectus fingentis?

118 THomistæ communiter censent vniuersale fieri per operationem intellectus fingentis , eò quod forma constitutiua vniuersalis , non tam sit ipsa cognitio , quæ intellectui verè inhæret , quam relatio quædam commentitia , quæ à cognitione in obiectum refunditur. Mouentur primò , quia vnitas cognitionis est singularis : ergò obiectum vniuersaliter vnum seipsa reddere nequit , sicut è conuerso vnitas vniuersalis obiectum singulariter vnum reddere non valet. Secundò , quoniam species humana v. g. & species angelica sunt in ratione speciei omninò similes , ac specie minimè differunt : atqui complexum ex Angelo , & eius cognitione confusa , & complexum etiam hominis , & cognitionis confusæ , per quam repræsentatur non sunt omninò similia , nec specie conueniunt , sed potiùs differunt: ergo species illæ , non in præfatis complexionibus, sed in relationibus refluis consistunt: maior videtur perspicua : minor suadetur , quia singulæ partes earum complexionum inter se comparatæ specificè differunt , videlicet, homo, & Angelus, & cognitio vnius , ac cognitio alterius : ipsa igitur complexa omninò dissimilia,ac specie diuersa sunt, cum similitudo aut dissimilitudo totius à partium similitudine , aut dissimilitudine proficiscatur , vt à posteriori manifestum.

119 Verùm relationes has ab actibus in obiecta refluas & vniuersalis,aut alterius artificij logici constitutiuas lib.2.dialecticæ tract.1. cap.5. & sequentibus satis , supérque reiecimus : & ne rationes ibi positas repetamus , Thomistas S. Thomæ hac in re dissentire,ac refragari vno, aut altero eius testimonio comprobemus. Opusculo igitur 56. antè medium inquit *est itaque vniuersa e vnum vnitate cognitionis :* at non foret vnum vnitate cognitionis, sed relationis fictitiæ ex ea resultantis , modò eam admitteret. Et opusculo 55. sub initium ait : *tangitur in hoc duplex esse vniuersalis , vnum secundum quod est in rebus , aliud secundum quod est in anima*: Quod si relationes illas refluas vniuersalis constitutiuas S. Doctor admitteret , sanè vniuersale nullum esse in anima formaliter haberet , siquidem eæ relationes sunt extrà animam.

120 Ad primam rationem contrariam respondeo. Sicut eadem reipsa bonitas moralis actum voluntatis intrinsecè bonum, & eius obiectum extrinsecè bonum denominat; ita eadem vnitas actus intellectus confusi actum intrinsecè, & singulariter vnum,atque obiectum extrinsecè , & vniuersaliter vnum efficit,ac respectu vnius est vnitas singularis,& comparatione alterius vnitas vniuersalis. Aut paulo aliter : actus confusus naturam communem ab inferioribus præscindens, cum realiter idem sit, ac tantum virtualiter multiplex , duplicem effectum formalem cohibet , videlicet vnius singulariter , & vnius vniuersaliter : quorum priorem sibi , & posteriorem obiecto tribuit , nimirum , quia ipse actus prioris , & non posterioris capax est , & è conuerso obiectum posteriori , non verò priori obnoxium.

121 Ad secundam rationem contrariam respondeo, species illas qua tales omnino similes non esse, nec magis ab iis abstrahi posse rationem communem speciei, in quâ specificè conueniant, quam à ydere pisce , & animali latrabili ratio canis abstrahitur. Quod contra Thomistas , & non paucos etiam ex nostris absurdum non esse,hunc in modum suadeo: si species angelica , & humana in ratione speciei conuenirent , & species vt sic, quod aiunt , ab eis abstrahi posset , species ita abstracta esset , & non esset species: esset quidem species , sicut homo in communi verè est homo : non esset species,quia de

pluribus speciebus prædicaretur, vnde, non species, sed genus foret; sicut eadem de causa animal haud species est, sed genus. Rursus secundo: duæ species faciunt indiuidua sub eis contenta specie differre: ergo à fortiori ipsæ species specie different, & non conuenient, quemadmodum quia anima rationalis, & irrationalis hominem, & belluam differre faciunt ipsæ inter se tantumdem dissident. Tertio, & fermè recidit in idem: prædictæ species seipsis differunt; ipsæ autem sunt species: ergo specie differunt.

122 Verisimilius nonnulli arbitrati sunt, vniuersale fieri per operationem intellectus fingentis, eo, quod videatur esse idolum quoddam mente confictum, & animal v. g. in communi, non tam esse verum animal, quam animal imaginarium, ad modum, quo architectus domum fabricaturus paruam quandam, ac fictitiam ob oculos mentis sibi proponit. Huius sententiæ iam olim meminere Okamus, & Gabriel in 1. dist. 2. quæst. 8. & Gregorius dist. 3 quæst. 1. art. 2. tametsi in ea haud omnino conquiescant: eam postea sequuti sunt aliqui neoterici apud P. Arriagam disput. 6. logic. sect. 1. & P. Hurtad. disput. 5. metaph. sect. 11.

123 Porro suaderi solet primo hunc in modum: Cognitio abstractiua Dei non habet pro obiecto verum Deum, sed fictum, & quoddam idolum, & imaginem Dei, non ex malitia, vt aiunt sed ex tenuitate nostri intellectus, & malignitate lucis, qua nobis in hac vita Deus apparet: similiter ergo cum animal in communi per species abstractiuas ab inferioribus relictas concipimus, & vniuersale efficimus, non verum animal, sed animal fictitium, & animalis idolum mente efformamus: consequentia videtur esse in aperto: probatur antecedens, quia cognitio siue species expressa proportionatur speciei impressę, sed species impressa abstractiua Dei non est propria, sed aliena, ac proinde, non ipsum Deum, sed eius idolum quoddam repræsentat; idem ergo refert species expressa, & cognitio abstractiua, quæ per speciem impressam producitur.

124 Secundo suaderi potest eadem opinio authoritate Clementis Alexandrini lib. 8. strom. vbi sic inquit: *in voce tria versantur, nempè, & nomina, quæ sunt signa eorum, quæ anima cogitantur principaliter per cõsequentiam etiam subiectorum: Secundo cogitata, quæ res cogitatas referunt, & exprimunt, vnde sunt omnibus eadem cogitata, propterea, quod ex rebus subiectis eadem forma, & typus ingeneretur omnibus; non itidem etiam nomina propter diuersos sermones: tertium autem sunt res subiectæ, ex quibus nobis imprimuntur cogitata.* Ecce distinguit Clemens à rebus abstractiue cognitis illarum idola, eaque vocat cogitata res cogitatas referentia, atque exprimentia, necnon etiã formas, ac typos. Adiici potest præclara quædã authoritas Aug. lib. de vera religione c. 34. vbi sic ait: *si vna Roma est, quam circa Tyberim, nescio quis Romulus dicitur condidisse, falsa est ista, quam cogitans fingo: non enim est ipsa, nec ibi sum modo, nam quid ibi agatur, modo vtique scirem. Si vnus est sol, falsus est iste, quem cogitans fingo, nam ille curricula sua certis locis, & temporibus peragit, istum vero ego vbi volo, & quando volo constituo si vnus est ille amicus meus, falsus est iste, quem cogitans fingo, nam ille vbi sit nescio, iste ibi fingitur vbi volo. Ego ipse certè vnus sum, & hoc loco esse sentio corpus meum, & tamen figmento cogitationis pergo quolibet, & loquor cum quolibet.* Nihil his adduci potest pro contraria sententia verisimilius. Eodem etiam faciunt Augustini verba in lib. de quant. animæ c. 24. *Natura animæ inuisibilis est, ideo inuisibiliter in corpore manet, & de corpore inuisibiliter egreditur: per corpus corpora videt, sicut cælum, & terram, & quæ in eis conspicua sunt oculis nostris: Spiritu autem corporis similitudines intuetur.* En etiam iuxtà Augustinum anima nostra res visas in seipsis intuetur: quæ autem ab ea videri non possunt, has abstractiue cognoscit, non in seipsis quidem, sed in earum similitudinibus, & idolis.

Præterea idem sentire videntur Anselmus in monol. cap. 31. *cum enim*, inquiens, *cogito notum mihi hominem absentem, formatur acies cogitationis meæ in talem imaginem eius, qualem illum per visum oculorum in memoriam attraxi.* B. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 11. *oportet, quod in homine intelligente seipsum verbum interius conceptum non sit homo verus naturale esse hominis habens, sed sit homo intellectus:* Aristoteles de memoria, & reminiscentia cap. 2. *Qui ergo rei absentis memoriam replicare possumus? Liceret enim rem absentem oculis cernere, & auribus accipere: an ita fit, vt in animali, quod tabella expictum est? hic enim tum animal penicillo expressum, tum imago habetur. Sic phantasma in nobis se habere arbitrari debemus; seiparatim vt spectrum, aut phantasma esse; quatenus ad aliud refertur, imaginem reddi & ad memoriam accommodari. Itaque, cum huius natura sentientem mouet animam, quoad separatim est, eatenus illius sensu anima afficitur, & quasi notio, aut phantasma subire videtur: quod si ab alio emanet, quasi imaginem homo contemplatur, & Coriscum non conspicatus tanquam Coriscum spectat.* Ex quo testimonio, & duobus superioribus sic arguo: quoties res velut absens, & abstractiuè cognoscitur, non ipsa sed quædam imago, & fictio concipitur, vt docent luculenter Anselmus, Thomas, & Arist. adductis locis: at ita, & non aliter solet à nobis cognosci animal v. g. & quæuis alia similis ratio: obiectum igitur immediatum cognitionis confusæ, & vniuersalis, &, quod perindè est, ipsum vniuersale obiectiuum, haud est iuxtà eos res vera, sed eius similitudo, & idolum quoddam fictitium. Et quidem tametsi Anselmus, Thomas, & Aristot. sermonem habeant de sola re singulari, nihil refert: nam si singulare absens, & abstractiuè cognitum non in se, sed in idolo apparet, quidni idem de vniuersali dicendum sit?

125

126 Tertio denique probari potest eadem sententia: nam vniuersalia, aut sunt res secundum se tantum, & penes id, quod suapte natura, & genio sibi vendicant, ac extrinsecùs non emendicant; & hoc nequaquam sustineri potest, vt conuincunt argumenta, quibus supra vsi sumus aduersus Platonicos, & Scotistas, cum esset sermo semel, & iterum de vniuersali à parte rei: aut sunt res provt ab intellectu confusè, sed tamen verè cognitæ? & hoc falsum esse videntur ostendere, quæ produximus argumenta tractatu præsenti cap. primo, quin etiam ea, si quid valent, hoc efficiunt, nullum dari verum vniuersale, siue à parte rei, siue per intellectum, ac proinde quoduis esse fictitium, & idolum aliquod imaginarium.

127 Contra tamen sic argumentor; quia iuxtà hanc sententiam, nihil singulare esset, & quidquid est in rebus, vniuersale foret, quod tamen manifestè falsum. Sequela probatur: ideo obiectum illud commentitium siue idolum est vniuersale, quia est in pluribus, non per identitatem veram (quo enim pacto idolum fictitium animalis cum veris animalibus identificari potest?) sed meram similitudinem. At à fortiori, vt aiunt, Petrus v. g. est per similitudinem

dinem in quouis homine, cum sit similior reliquis hominibus, quam idolum hominis in communi. Petrus ergo, & quoduis aliud indiuiduum erit vniuersale. Deinde, esto, animal per species alienas cognoscatur, adhuc immediatè, & non in idolo poterit cognosci: siquidem in hac propositione, *animal est viuens sensibile:* id immediate, & formaliter cognoscimus, de quo viuens sensibile affirmamus, cum affirmatio cognitio sit, at non affirmamus, nec absque falsitate affirmare possumus idolum viuentis sensibilis de idolo animalis, cum alterum absque altero reperiatur haud raro, ac proinde distinguantur ambo: sicut enim formalis imago animalis, & viuentis sensibilis, siue cognitiones vtriusque sunt separabiles, ac distinctæ, non est cur idem de imagine obiectiua, & idolo vtriusque negetur.

127 Præterea Deum, à quo argumentum sumunt aduersarij, immediatè cognosci, in hunc modum ostendo. Id immediate, & formaliter concipimus, de quo verè prædicamus esse æternum, immensum, trinum, & vnum, & omni ex parte infinitè perfectum: quod enim latet, & ignoratur, de eo nihil prædicari potest, vt experientia testatur: at ea non prædicamus de idolo illo fictitio Dei, quod, ne entis creati finitam, & limitatam perfectionem assequitur quando igitur Deum immortalem, immensum, &c. abstractiuè cognoscimus, ipsum immediatè. & non aliquod eius simulachrum, aut imaginem obiectiuam concipimus. Rursus entia rationis, & negationes cognoscuntur per species alienas, videlicet entium realium, in ordine ad quæ explicantur, de quo vberius in metaph. idolum ergo illud confictum per species cognoscitur alienas: at iuxta aduersarios immediatè cognoscitur: Deus igitur quantumuis per species alienas cognitus, adhuc immediatè cognoscetur. Vlterius ad homines: si Deum immediate non cognoscimus per cognitionem abstractiuam, sed idolum ab illo distinctum, certè non est intra latitudinem obiecti naturaliter cognoscibilis ab intellectu creato: hic ergo non poterit diuinitus euehi ad claram, & immediatam Dei visionem, de sententia aduersariorum, quippe qui ob eandem rationem existimant, non posse oculum corporeum ad Dei intuitionem supernaturaliter eleuari. Tandem species aliena, qua Deum in hac vita cognoscimus, non est aliena ex parte obiecti, quod repræsentat, sed solum ex parte principij, à quo prouenit: quare Deum cognosci per species alienas. est eum percipi per species haustas à rebus corporeis, & sensibilibus: quò fit, vt, cum Deum ita cognoscimus, intellectus noster circa res sensui subiectas vnà versetur.

128 Atque hinc constat ad primum aduersariorum argumentum. Ad secundum à multiplici petitum authoritate respondeo, in primis Clementem Alexandrinum haud habere sermonem de idolo obiectiuo, & fictitio, quasi hoc sit obiectum intellectus nostri, quoties abstractiuè cognoscit, & ita cognoscendo vniuersale efficit, sed de solo formali, & vero, scilicet cognitione ipsa nostra. Namque idolum, quo de loquitur, iuxtà ipsum nobis ingeneratur, & imprimitur: hoc autem solius cognitionis est proprium, non verò obiecti vllius extrarij, ac multominus fictitij, quod, vt generari, & produci, sic etiam ingenerari non sustinet. Deinde tametsi idolum illud, seu typus, de quo Clemens, ab eo appelletur cogitatum, haud propterea sequitur, illud esse obiectiuum, & non formale, & in ipsa cognitione situm: siquidem cognitio nostra vocatur conceptus, & tamen non concipitur, sed est id, quo mens nostra concipit: similiter ergò vocari poterit cogitatum, vtique vt quo, licet non sit obiectum fictum, aut id, quod à nobis cogitatur, sed ipsa duntaxat cogitatio.

Quod attinet ad Augustinum; primum eius testimonium hoc tantum conuincit, rebus à nobis confusè, & abstractiuè cognitis plura affingi, non sua, sed aliena, haud tamen semper, sed aliquando: quotiescunque igitur non interuenit eiusmodi fictio, vniuersalia nequaquam erunt idola commentitia. Rursus, licet demus quandocunque cognoscuntur à nobis res abstractiuè, & confusè errabundam illam applicationem affectionum alienarum esse necessariam, non propterea fit vniuersalia esse idola ficta, & entia rationis chimærica: etenim si Petrum apprehendam, vt album, quin sit talis, eum nihilominus in se, & immediatè cognoscam, non verò in imagine aliqua chimærica, & ente rationis fictitio, siquidem error meus tunc non erit circa eius essentiam, vel prædicata quidditatiua, sed circa quoddam eius accidens: similiter ergo censendum est de vniuersalibus, vtvt circa eorum accidentia semper ludificetur intellectus. Secundum Augustini testimonium multò minus vrget. Nam tametsi vltrò permittamus eum nomine similitudinum siue formarum intelligere idola illa obiectiua, & fictitia, ea certè haud semper exigit ad cognitionem etiam abstractiuam, qua videlicet res absentes, ac sensibus corporeis minimè obiectas percipimus: siquidem post verba ex illo allegata, mox subiũgit hæc: *sed intellectus ea, quæ nec corpora, nec corporum formas habent conspicit, sicuti est iustitia, & sapientia, & velut ipsa mens, & omnis animæ affectio bona, ista tria genera visionum manifesta sunt: primum corporale, quo per corporis sensus corporalia sentiuntur: secundum spirituale, quo corporum similitudines spiritu, non mente cernuntur: tertium intellectuale, quo illa res, quæ nec corpora, nec corporum formas habent conspiciuntur*: Aliqua ergò vniuersalia penes Augustinum haud erunt necessariò in idolis, ac similitudinibus obiectiuis sita. Profecto sapientia, iustitia, affectio bona vniuersalis rationem obtinent: at eas sine formis, & imaginibus intermediis à nobis cognosci, ab eisque consequenter distingui edocet. 129

Secundò, & absolutè dicendum est, Augustinum eò loci intelligere per similitudines corporum corpora ipsa, non quatenus præsentia, & existentia, sed provt à nobis cogitata, & expressa: quasi dicat, animam nostram provt corpora ipsa in seipsis existentibus, & realiter præsentibus cognoscit, appellandum esse sensum, provt verò corpora absentia, nec nisi intentionaliter præsentia, solasque corporum existentium, & verè præsentium similitudines, vocandum esse spiritum, provt denique res omninò incorporeas, & ab omni materiæ concretione seiunctas, nuncupandum esse intellectum. Quod autem corpus omne provt abstractiuè cognitum vocetur ab Augustino corporis similitudo, mirum nulli debet accidere. 130

Primò, quia cogitatum, cum soli videatur obiecto conuenire, tamen de actu cogitante quandoque dicitur, vt visum est in Clementis testimonio paulò suprà allegato: igitur è contrario similitudo intentionalis; etsi videatur esse sola cognitio, rei tamen cognitæ interdum poterit accommodari: secundò, quia verbum est similitudo rei iuxta omnes: at illud de re cognita dici consueuit, vt patet, vel ex eo Exodi 9. *cras faciet Dominus verbum istud.* Tertiò, quia visio abstractiua vtique in scripturis sumi solet pro re visa, ergò & similitudo intentionalis, quippe quæ, vel est à visione illa indistincta, vel certè, cuius, & 131

talis

talis visionis par est ratio, quod ad præsens attinet: eiusmodi autem vsus visionis in sacra pagina constat: nam Ezechiel. 1. 1. dicitur; *Aperti sunt cæli, & vidi visiones*, & Isayæ 6. 9. *Videte visionem, & nolite cognoscere*, ac Ioelis 2. 28. *Iuuenes vestri visiones videbunt.* Quartò denique à priori: res abstractiuè, & in absentia sua repræsentata ita nobis apparet, atque quando præsentem eam cernimus: quamobrem priori modo cognita non differt à seipsa posteriori modo vsurpata: quid ergò mirum, si late vocetur similitudo sui provt præsentis, & coram existentis, ac cognitæ, tametsi rigorosè non possit obtinere nomen similitudinis, cum hæc distinctionem postulet extremorum & nulli rei respectu sui possit competere. Hinc respondeo ad Anselmum, Thomam, & Aristotelem, similitudinem, qua de loquuntur, esse iuxtà eos rem ipsam, quatenus abstractiuè cognitam, non verò idolum vllum commentitium à cognitione realiter distinctum.

132 Ad tertium argumentum respondeo, vniuersalia esse res provt confusè cognitas, & ad vnitatem extrinsece redactas. Quamuis autem probari soleat, nullum dari verum vniuersale, siue per cognitionem confusam, siue vllo alio modo, ac proindè quoduis esse idolum fictitium, & ens rationis obiectiuum; ex hoc nimirum, quod vniuersale, quin sit Deus, nullo tamen certo temporis, aut loci spatio definiatur, quod item vnum, & idem existens identificetur rebus realiter distinctis, videlicet singularibus, de quibus prædicatur, adeoque efficiat, vt quæ sunt eadem vni tertio, non sint idem inter se; quod denique, cum sit productum, & creatum, minimè tamen sit singulare; quæ quidem repugnantiæ, & implicationes eius propriæ, haud videntur conuenire posse enti reali, haud, nisi enti rationis, & idolo cuidam fictitio: Cæterùm hæ omnes difficultates citato cap. 1. huiusmet tractatus abunde manent solutæ.

CAPVT XIII.

Per quam operationem intellectus passibilis fiat vniuersale?

133 INtellectus provt simul cum specie ei impressa, est productiuus cognitionis dicitur passibilis, seu passiuus speciei impressæ, necnon possibilis, seu potens producere speciem expressam, siue cognitionem; aut, si mauis, est proxima eius possibilitas: quamobrem operatio intellectus passibilis, aut possibilis cum cognitione, ac specie expressa in idem incidit. Assero ergo primò; vniuersale fit per notitiam abstractiuam: Ita B. Thomas 1. part. q. 16. art. 7. ad 2. & quæst. 58. art. 1. ad 1. Durandus in 1. distinct. 3. quæst. 5. ad 2. & in 2. distinct. 3. quæst. 7. Cardinalis Toletus quæst. 2. vniuersalium, Suarez lib. 4. de an. cap. 3. dub. 5. num. 25. Hurtadus disp. 5. met. sect. 8. Arriaga disp. 6. log. sect. 8. Conimb. de vniuers. quæst. 4. Vallius ibid. cap. 9. Assertio probatur: Cum hominem v. g. concipio abstrahendo ab indiuiduis, & à relatione, ac aptitudine, quam habet vt iis in sit, deque iis prædicetur, illum concipio per notitiam abstractiuam: ast eiusmodi hominis conceptio eum vniuersalem efficit: ergo, &c. Maior est extrà dubium: minor suadetur, quoniam ea cognitio homines confundit omnes, eisque tribuit vnitatem, si qua alia eos confundit, & adunat: deinde homines ita cogniti plures à parte rei sunt: ea igitur notitia vnum in multis, ac proinde vniuersale efficit.

Dices tamen: Notitia vniuersalis constitutiua illud ad inferiora refert: ast notitia abstractiua vniuersale ad inferiora, à quibus præscindit, referre haud sustinet: ergo. Maior probatur, quia vniuersale esse vnum aptum inesse multis, est referri ad multa inferiora: sed notitia effectiua vniuersalis facit illud esse vnum aptum inesse multis: facit ergo illud referri ad inferiora, seu, quod perinde est, illud refert ad inferiora. Respondeo: aptitudo essendi in multis vniuersalis propria non est necessariò, quasi actualis, vel iuxtà phrasim prædicamentalis, qua videlicet cognitio vniuersalis illud ad inferiora actu referat, siue illud esse in inferioribus formaliter iudicet, & apprehendat; sed potest esse veluti potentialis, vel, vt loquuntur alij, transcendentalis, aut secundum dici, qua nimirum per vlteriorem cognitionem, quæ superuenire possit, ad plura actu referti, deque iis prædicari valeat. Priorem autem relationem vniuersale à notitia abstractiua minime sortitur, quod solum probat argumentum: at ab ea vendicat posteriorem, quam certè ad vniuersale insufficientem esse, haudquaquam id argumenti conuincit. 134

Assero secundò: vniuersale fit per notitiam comparatiuam: Ita B. Thom. 1. de interpret. lect. 10. Suarez de an. lib. & cap. supra citatis num. 26. Soncin. 5. met. quæst. 27. concluf. 2. & 10. met. quæst. 15. Canariensis 1. part. quæst. 28. art. 1. fol. 41. Niphus 7. met. quæst. 17. concluf. 1. Hispalensis in 1. distinct. 35. quæst. 2. art. 4. ad 1. Hurtadus vbi supra. Rub. quæst. 6. vniuersal. Caiet. de ent. & essent. cap. 4. quæst. 7. Suessan. lib. 7. metap. disput. 17. Scotus etiam 7. met. quæst. 11. Antonius Andræas quæst. 16. & communiter eius nationis alij. Assertio probatur. Cum intellectus considerat hominem prius abstractiuè conceptum esse vnum aptum esse in multis, eum notitia comparatiua cognoscit: ast ea consideratio hominem efficit vniuersalem: ergo, &c. Maior verti nequit in controuersiam: Minor probatur: cum intellectus res distinctas velut distinctas cognoscit, eas ratione distinguit: quo pacto, cum Deum distinctum esse à creaturis apprehendimus, aut iudicamus, eum à creaturis ratione distinguimus, ac secernimus: intellectus igitur cum plura, quæ ratione vnum sunt, vnum esse, & è diuerso quod ita vnum est, multiplex esse, siue in multis reperiri, per notitiam comparatiuam concipit, cettè obiectum multiplex ratione vnum efficit, sicut ad vniuersale oportet: cur enim cognitio distinctionis præsuppositæ ratione distinguat, & cognitio vnitatis similiter præsuppositæ ratione non vniat? 135

Dices tamen: Cognitio vniuersalis constitutiua à multiplicitate præscindere debet, vt superius haud semel asseruimus: ast notitia comparatiua vniuersalis ad inferiora ita non præscindit: ergo, &c. Respondeo, maiorem esse veram de cognitione, quæ in vnitatem merè fundamentalem feratur, non verò de cognitione, quæ multiplex obiectum esse formaliter vnum concipiat, quæuè in obiectum formaliter vnum feratur: vt ex ratione nostræ liquet assertionis. [Secundo dices: Nostra cognitio comparatiua, quia cognoscit hominem esse vnum in multis, talem eum, adeoque vniuersalem efficit: Deus ergò similem de homine, & aliis obiectis cognitionem habens eodem ex titulo vniuersalia faciet non pauca. Concedo reflexè, nego verò directè. Sic distinguit Deus ratione, non directè, siue confusè, sed tamen reflexè, cognoscendo videlicet 136

distinctionem

distinctionem à nobis factam, vel certè rebus ipsis insitam. Aut responderi potest, negata consequentia, fortassis enim, vt cognitio aliqua obiectum multiplex velut formaliter vnum concipiens illud vniuersale denominet, opus est, vt ea sit confusa, & obscura: omnis autem obscuritas, & confusio procul est à quouis diuinæ mentis actu: nullusque proindè obiectum vniuersale reddet, vt vt formalem eius vnitatem percipiat.

137 Assero tertiò. Nec per actum formaliter copulatiuum, qualis est hic, *omnis homo*, nec per actum formaliter disiunctiuum cuiusmodi est hic, *aliquis homo*, potest fieri vniuersale. Assertio plerisque placitura hunc in modum suadetur. Ad vniuersale opus est, vt possit prædicari de pluribus inferioribus, tam collectiuè, quam diuisiuè sumptis: at per actum formaliter copulatiuum homo v.g. de pluribus collectiuè tantùm, & per actum formaliter disiunctiuum de pluribus diuisiuè solum enunciari potest, vt compertum est, haud enim verè dixeris Petrus, vel Paulus, vel Ignatius, &c. est omnis homo, sed potius est aliquis homo: haud etiam Petrus, & Paulus, & Ignatius, &c. est aliquis homo, sed potius est omnis homo: per neutram ergo prædictorum actuum fieri valet vniuersale. Maior, quæ sola eget probamento, suadetur ita. In definitione vniuersalis neuter prædicandi, aut essendi modus in multis collectiuè, vel in multis diuisiue determinate exprimitur: non ergo est, cur potius vnus, quam alter ad vniuersale requiratur: ergo vel vterque, vel neuter est requisitus: quando ergo alter requiritur, qualiscunque demum is sit, sane vterque ad vniuersale requiretur. Deinde notitia vniuersalis constitutiua à multiplicitate præscindere debet, nisi cum vnitatem formalem naturæ communis reflexè cognoscit, vt nuper explicuimus: at actus formaliter copulatiuus, & actus formaliter disiunctiuus à multiplicitate non præscindunt, sed multa potius attingunt, aliàs quo pacto possent ea disiungere, aut copulare? Et quidem per actum formaliter disiunctiuum, tametsi confusum, & correspondentem his vocibus, *aliquis homo*, non verò his *Petrus, vel Paulus*, &c. nullum fieri vniuersale, per actum autem copulatiuum formaliter, quamuis etiam obscurum haud posse fieri vniuersale, saltem in essendo, ac simul prædicando, censet præter alios Arriaga supra disput. 6. log. sect. 6. subs. 2.

3 Assero quartò. Probabile tamen est, per vtrumuis eorum actuum fieri posse vniuersale. Ad primam rationem contrariam earum, quæ à nobis sunt obiectæ dici potest, tum omnem hominem v. g. tum etiam aliquem hominem prædicabiles esse de pluribus, & collectiuè, & etiam diuisiuè sumptis, non in sensu composito eorum syncathegorematum, *omnis*, & *aliquis*, at in sensu diuiso illorum: atque hoc sufficere, vt eorum alterutrum sit vniuersalis, & indifferens logicè: sicut ad indifferentiam physicam, & libertatem arbitrij nostri operantis actu satis est, vt operans possit nihilominus non operari in sensu diuiso operationis, nec requiritur vt in composito: cuius vberior explicatio haud est huius loci. Ad secundam rationem contrariam dicendum est, actum subiectum his vocibus, *omnis homo*, necnon eum, qui subiicitur his, *aliquis homo*, præscindere à multitudine, saltem distinctè, ac demonstratiuè sumpta, eò quod vi illorum haud possimus vnum inferiorum hominis ab alio distinguere Petrumvè, & Paulum quatenus tales, & quoad illorum proprietates characteristicas secernere inuicem: huiusmodi autem præcisionem simul cum vtriusque actus confusione, & obscuritate sufficientem esse, vt alteruter sit vniuersalis, & hanc obiectis suis denominationem impertiant. Porrò hæc assertio, quod attinet ad actum copulatiuum, est aliquorum recentiorum apud Arriagam, quos ipse ex parte sequitur, videlicet cum sermo est de vniuersali in essendo solùm, & non in prædicando: quoad verò actum disiunctiuum, est Hurtadi disp. 5. log. sect. 9. Nec verò propterea, quod sit probabile, *aliquem hominem* esse vniuersale, & non indiuiduum vagum, hoc à nobis de medio eximitur: siquidem erit in hac via, quam modo insistimus, non *aliquis homo* (vt supposuimus assert. præced. vtque exprimemus inferius lib. 9. tract. 4. cap. 6. quæsito 3. sed potiùs *Petrus, vel Paulus*, aut alia similis disiunctio clara, ac demonstratiua.

139 Assero quintò. er actum æquiualenter copulatiuum, & per actum æquiualenter disiunctiuum fit vniuersale, quidquid sit de copulatione, ac disiunctione formali. Probatur assertio. Per hunc actum, *homo est animal*, homo fit vniuersalis, vt constat ex dictis prima assertione: quæ potius huc applicari, quam ex professo repeti debent: at ea propositio est æquiualenter copulatiua, vtpotè quæ huic, *omnis homo est animal*, æquipollet: ergò per actum æquiualenter copulatiuum efficitur vniuersale: minor est perspicua ex regula illa dialectica; *propositio indefinita in materia necessaria æquiualet copulatiuæ, siuè distributiuæ*. Eadem ratione probari potest, per actum æquiualenter disiunctiuum vniuersale fieri: siquidem hęc propositio *homo currit* æquipollet huic, *aliquis homo currit*, iuxta regulam illam logicam; *propositio indefinita in materia contingenti æquiualet particulari, siuè disiunctiuæ*.

140 Assero sextò: Vniuersale fit per actum formaliter, & æquiualenter indefinitũ, & qui, nec formali, nec æquiualẽti ratione sit copulatiuus, aut disiunctiuus. Suadetur assertio. Per hũc actum simplicẽ, *homo*, v.g. fit vniuersale: at hic actus, nec est æquiualenter, nec formaliter copulatiuus, aut disiunctiuus: ergo, &c. Maior ex supradictis constat. Minor quoad eius vtramque partem probatur. Et inprimis eam apprehensionem non esse formaliter copulatiuam, aut disiunctiuam, constat: quoniam apprehensio illa, *homo*, habet eundem tendendi modum formaliter in hominem obiectiuum, ac hæc propositio, *Petrus est homo*, aut hæc, *homo à parte rei est multiplex*, cum vox *homo* vtrobique eadem sit: sed in prima propositione homo copulatiuè non attingitur, nec est formaliter omnis homo, aliqui propositio esset falsa, nec in secunda homo disiunctiuè attingitur, necvè est formaliter aliquis homo, aliàs etiam propositioni falsum subesset: ille igitur actus simplex, *homo*, nec est formaliter, *omnis homo*, nec *aliquis homo*, copulatiuusvè, aut disiunctiuus: alioqui profecto, cum vtriusque propositionis, de quibus nuper, subiecto; & prædicato, penes modum tendendi nequaquàm conueniret.

141 Rursus eum actum non esse æquiualenter copulatiuum, aut disiunctiuum, suadetur: siquidem non est potior ratio, cur æquipolleat huic actui copulatiuo, *omnis homo*, quam huic disiunctiuo, *aliquis homo*: quare vtrique est æquipollens, vel neutri: sed non vtrique: ergo neutri. Maior est in aperto. Minor probatur: nullus actus simul æquialere potest quoad modum tendendi, duobus inter se oppositis: quo pacto idem iudicium nequit esse respectu vnius, & eiusdem obiecti æquiualenter assensus & dissensus: ast opponuntur inuicem in modo tendendi actus copulatiuus, & disiunctiuus: nequit igitur idem conceptus

ceptus noster esse æquipollenter copulatiuus, ac disiunctiuus. Dices, eum actum simplicem, *homo*, æquialere huic actui disiunctiuo, *vnus homo, vel plures*. Contrà tamen sic arguo. Non est, cur potius ei actui disiunctiuo, *vnus homo, vel plures*, quam huic copulatiuo *vnus homo, & plures*: sed huic posteriori non æquipollet: ergo nec priori: probatio maioris: sicut homo verè est vnus, vel plures, ita etiam est vnus, & plures; vnus per intellectum, & plures à parte rei, quod Recentiores nobis aduersarij minimè considerarunt: non est ergò, cur simplex ille actus, *homo*, æquialeat huic actui disiunctiuo, *vnus homo, vel plures*, quam huic copulatiuo, *vnus homo, & plures*,

142 Assero septimò, & postremò. Per notitiam apprehensiuam, iudicatiuam, & discursiuam fit vniuersale. Huius assertionis probatio ex dictis sparsim toto hoc cap. est colligi facilis. Per notitiam abstractiuam efficitur vniuersale, sed triplex operatio intellectus hominem v. g abstrahere, ac præscindere potest ab inferiorum suorum multitudine, ac numerositate, vt constat in hac apprehensione, *homo*, in hoc iudicio, *homo est animal rationale*, in hoc discursu, *homo est suapte natura risibilis, sed risibile est rationale: igitur homo est risibilis*. Rursus possumus hominem vnum formaliter, & extrinsecè, nihilominus reipsa, & intrinsecè esse quid multiplex, & in Petro, ac Paulo, & cæteris diuersum apprehendere, iudicare, & discursu aliquo complecti: sed cognitio comparatiua in vnitatem, & multiplicitatem hominis ita proficiscens eum vniuersalem efficit: vis ergò vniuersalis effectiua tribus illis operationibus intellectus conuenit.

TRACTATVS VI.

De aliis speciebus vniuersalitatis intentionalis.

CAPVT I.

De vniuersalitate vocali, & sensibili.

VOX ad priorem attinet, arbitror per actus facultatis elocutiuæ, siue per voces externas vniuersale fieri. Probatur assertio: nam vox est vniuersalis in significando, vt certo certius: hanc igitur vniuersalitatem in obiectum refundit, illudque vniuersale in essendo reddit, haud secus, ac conceptus interior vniuersalis in significãdo vniuersalitatem suam in obiectum reiicit. Rursus vox immediate significat plura, non vt plura, sed vt positiuè vnum: ea igitur confundit, & adunat, quemadmodum eadem de causa cognitio interior illa vnit, & confundit: antecedens est perspicuum, quia hæc vox homo significat collectionem hominum, vt conceptam, & cognitam conceptu respondente huic voci, *homo*, vt indubitatum: ast hominum collectio provt ita concepta, & cognita est vna, & non plures: ea ergo vox plura vt vnum significat. Tandem probabile est, voces etiam verè, & propriè definire, ac diuidere, vt in loco manet ostensum: definitio autem, & diuisio sunt vniuersalium: hæc ergo provt à singularitatibus abstracta per voces attinguntur, ac per eas adeo efficiuntur. At obiicies Damascenum de Incarnat. cap. 2. vbi sic ait: *Commonendi sunt nostri temporis dialectici, imo dialecticæ hæretici, qui quidem non, nisi flatum vocis putant esse vniuersales substantias*: voces ergo ab vniuersali videtur excludere. Sed nihil minus: aliud enim est, voces constituere vniuersale in essendo velut formas, aliud esse vniuersale in essendo tanquam subiecta eius denominationis: illud prius nos solum contendimus: posterius autem Damascenus; tantumque eos impetit, qui extra voces nihil vniuersale dici, aut fieri posse, existimarunt, vel certè sunt existimasse visi.

Quod attinet ad vniuersalitatem sensibilem, nullum sensum externum, aut, quod plus est, etiam internum efficere posse vniuersale saltem ex natura rei, & citra miraculum, docent B. Thomas 1. p. quæst. 12. art. 3. Suarez de anima lib. 4. cap. 3. dub. 3. Fonseca 5. metaph. cap. 28. sect. 2. Idem colligitur ex Gregorio in 1. dist. 3. quæst. 1. art. 2. & Ægidio tom. 1. de beatitud. lib. 4. quæst. 1. art. 3. & tom. 3. lib. 4. quæst. 12. art. 6. ac Valentia 1. p. disp. 1. quæst. 12. punct. 8. Albertino quæst. 1. Theolog. ex primo principio philosophico num. 2. Comptono disput. 25. log. sect. 2. & 3. & Salas tom. 1. tract. 2. disp. sect. 1. Longius progreditur P. Balthazar Tellez, ac disp. 4. log. sect. 3. censet, nullum sensum externum, interumvè etiam diuinitus posse moliri vniuersale. At per sensum etiam externum fieri posse ex natura rei vniuersale, docent Hurtadus disp. 5. metaph. sect. 12. & Arriaga disp. 6. log. sect. 7 Quod verò attinet ad sensum internum vniuersale per illum naturaliter posse cognosci, & effici, tradunt Geruasius de ordine productionis notitiarum fol. 15. & 16. Scaliger exercitatione 34. in Cardanum disp. 22. 2

Dicendum primo censeo, nihil naturaliter fieri, aut denominari posse vniuersale per sensum vllum externum. Suadetur primo: quoniam ratio communis albedinis v. g. non solum existentes, sed etiam existentia destitutas, ac tantum possibiles complectitur: at visio externa nostrorum oculorum nequit naturaliter attingere quidpiam non existens: ergo nec rationem communem albedinis: illam igitur nequibit abstrahere, aut vniuersalem efficere, aliàs eam attingeret. Rursus Aristoteles 1. metaph. cap. 1. sic fatur: *experientia est rerum singularium, ars vniuersalium*, at omnis sensio, saltem externa est experimentalis, ergo singularium. Ibidem etiam postea sic habet *nullum sensum sapientiam esse existimamus, quanquam hæ maxime propriè sunt cognationes singularium*: vbi sensiones ad minimum externas asserit esse cognitiones singularium. Idem tradit 3. de anima cap. 4. text. 7. Hæc autem testimonia Philosophi, vt insinuatum est, intelligenda sunt de sensu externo, quidquid sit, an sensus internus sit excipiendus ab Aristotelica regula, an vè is ratione suæ perfectionis haud sustineat illigari obiectis duntaxat singularibus. Tum sic: sensus omnis externus iuxtà Aristotelem est ex natura rei circà naturas singulares: ergo non circa vllam vniuersalem: hanc ergo non cognoscit, adeóque non efficit: haud enim ea provt talis, nisi cognoscendo potest effici. 3

Obiicies tamen primò. Omnis sensus externus est circà suum obiectum formale: at cuiusuis obiectum formale, ac specificatiuum est quidpiam vniuersale, non verò singulare, v. g. visus color, non verò albedo, & multo minus hæc albedo: nullus igitur sensus non percipit vniuersale, nullus id non efficit: 4

efficit : vt enim dictum est, id percipere saltem directè, & illud efficere recidunt in idem. Objicies secundò,& paulò aliter. Albedo v.g.in communi & vniuersaliter sumpta est vere, & proprie albedo: sortitur enim definitionem albedinis, scilicet esse disgregatiuam visus : imo eiusmodi definitio ei soli conuenit primario, atque ab ea ad singulares descendit albedines. At visus noster cognoscere potest omne id, quod est absolute albedo & rationem communem eius ab hac, & illa abstractam percipit, siue perceptam abstrahit, & vniuersalem efficit. Tertio vniuersale fieri potest, & solet per abstractionem vti explicatum manet ad finem tract. præcedentis : at sensibus externis conuenit vis abstrahendi vnum ab alio : nam visus noster abstrahit colorem à sapore, & illum sine hoc percipit: quin etiam, quod plus est, vnam formalitatem ab alia secum realiter identificata præscindit v.g.quidditatem albedinis, eiusque vim disgregatiuam ab illius dependentia radicali à Deo Optimo Maximo, vti ostendetur in Metaphys. lib. 2. tract 4. cap.8.

5 Quartò : idcirco actus intellectus nostri efficit vniuersale, quia est confusus,& Petrum v.g.à Paulo non distinguit : at etiam visio nostra haud rarò est confusa, ac talis, vt vnum colorem ab alio non distinguat, nec, an albedo procul obiecta sit eiusmodi, vel potius alius color medius. discernat : Hoc pacto colores iridis quatenus se contingunt, & penes eorum extrema, confiniumque minime distinguimus,vt bellè describit Poëta.

Sed nunc diuersi niteant cum mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.
Vsque adeo quod tangit idem est, tamen vltima distant.

Id ipsum egregiè declarat Seneca lib. 1. natural. quæst. cap. 3. super eadem carmina : *Videmus in eo* (scilicet in arcu cæleſti) *aliquid flammei, aliquid lutei, aliquid cærulei, & alia in picturæ modum subtilibus lineis ducta, vt ait Poëta, vt an dissimiles colores sint, scire non possis, nisi cum primis extrema contuleris : Nam commissura decipit : vsque adeo mira arte naturæ, quod à simillimis cœpit, in dissimilia desinit.* Quinto denique, ac paulo aliter. Totum solem v. g. omnesque eius partes videmus : & tamen multo minor nobis apparet,quam est in se : est enim in se maior tota telluris mole, vt ex eo colligunt astrologi, quod vmbra illius à terra incipiens sit conica, ac talis, quæ nunquam peruenire possit ad stellas fixas, easve opacare : signum igitur est, visum nostrum eius partes inter se confundere. & cum sint centies sexagesies sexies. & amplius plures, ac maiores toto terræ ambitu,eas tamen perinde cernere, ac,si non essent totidem, sed longe pauciores : qua ergo ratione cognitio intellectiua habet vim efficiendi vniuersale, quia potest plura ita percipere, vt ea non discernat,nec dilucidet,eadem etiam visio nostra poterit moliri vniuersale.

6 Ad primum argumentum horum respondeo : inprimis obiectum formale, ac specificatiuum visus verbi gratia quoad eius actus in communi, esse colorem itidem in communi & vniuersaliter sumptum : cæterum illius penes hanc singularem, ac destinatam visionem formale obiectum haud esse colorem vniuersaliter,sed potius singularitater sumptum : ex priori autem hoc tantum sequitur, visionem in communi percipere rationem communem, & vniuersalem coloris, quod, re ad viuum resecta, nihil aliud est, quam visiones existentes cognoscere colores particulares, & existentes,quæ autem sunt possibiles posse percipere colores singulares in potentia manentes,si quando videlicet ab ea ad actum reducantur:hinc autem quid euenit deinceps aduersus nos? iam verò ex posteriori id tantum consequens est, vt nulla visio in particulari possit ad vniuersale ferri, illudve efficere.

Aliter respondeo,visus v.g.quomodolibet sumpti 7
obiectum formale esse rationem vniuersalem, & communem coloris. Cærerum haud propterea opus, vt sensus ille percipiat omnes colores in ea ratione comprehensos, omnes,inquam,simul,& collectiue sumptos,sed satis est,vt quemlibet diuisiue, & seorsim ab alio:quando autem actus efficiens vniuersale plura debet obiecta,vel potius omnia eam subeuntia denominationem necessariò attingere, certè visus noster nullo actu suo efficere poterit vniuersale. Et quidem sensum oculorum haud debere, haud etiam posse ferri in suum obiectum ex toto, & collectiue sumptum,satisque esse, vt ferri possit in illud diuisiuè sumptum, exemplo liquet facultatum physicarum. Ignis enim v.g. terminus, atque, vt sic dicam obiectum est calor in communi nullum non cohibens : at vi sua calefactiua non sustinet omnem calorem simul, & collectiuè producere : Id siquidem esset,eius virtutem haud esse limitatam, sed potius finium omnium expertem ac nesciam : proinde tantum obiecti, siue termini sui : quamlibet partem, vel certè aliquas in singulari potest efficere.

Ad secundum similiter respondeo ; quod albedo 8
in communi, & vniuersaliter sumpta sit proprie albedo, tantum arguere, eam percipi à visione etiam in communi, non vero ab vlla singulari,ac destinata. Hinc est,visum nostrum haud efficere albedinem vniuersalem : tum, quia ad molimen vniuersalis opus est,vt aliquis actus intrinsecè,& propriè vnus plura attingat, eisque vnitatem impertiat : visio autem in communi haud est,nisi extrinsecè, & impropriè vna : quid ergo mirum, si sit ad fabricam vniuersalis insufficiens ? tum etiam, quia visio in communi ; & vniuersaliter sumpta haud percipit verè, & propriè rationem communem coloris, vllumve obiectum : actio enim videndi, & quæuis alia strictè loquendo est singularis alicuius, nec exerceri potest, vt quod, vel vt quo per causam, causalitatemve mere vniuersalem, vt omnibus est explicatum iuxtà doctrinam Aristotelis lib. 1. metaph. cap.1. hoc ergo etiam ex titulo ratio communis visionis haud efficiet vniuersale, eavè mediante visus, cuius est propria : tum denique, quia aliàs omnis facultas,quamtumuis bruta, & insensibilis, par esset vniuersali : siquidem nulla non continet actionem aliquam in communi sumptam,media qua quodammodo respiciat terminum illum, à quo speciem suam haurit.

Quapropter, vt ingenuè hoc fateat, quod dici 9
consueuit, & à nobis etiam in superioris argumenti vtraque solutione suppositum est,visus v.g. obiectum esse vniuersale quoddam, nempè rationem communem coloris, id intelligendum nequaquam est propria ratione, aut in actu exercito, vt indicat B.Thomas 1.2. quæst. 29. artic. 6 Nam, si sermo sit de hac, aut illa eius visione mediante alterutra solam attingit rationem singularem coloris:sin autem de ratione communi visionis,nulla actio intentionalis, nulla tendentia strictè ei potest assignari, nedum ea, qua à differentiis indiuiduantibus more spiritalium actuum abstractionem faciat,rationemque aliquam vniuersalem latissimè, & infinitè fusam percipiat,& ad vnitatē redigat. Ast,vti dictum est, in actu signato obiectum visus est vniuersale, quia collectio singularium, in quæ provt duntaxat

talia ferri potest, significari solet à nobis exterius vocabulo communi, & interius cognitione vniuersali: Nec mirum est, vniuersalitatem rei quatenus cognitioni, & locutioni nostræ obiicitur, attribui quodammodo visui, quasi etiam hic videatur tendere in eam provt vniuersalem,cum tamen eiusmodi tendentiam procul habeat:nam ita etiam intellectus,& imaginationis nostræ alij errores haud pauci tribuuntur visui, qui tamen errandi incapax est, & rem non, nisi vt est in se concipit, alias aliquid non existens cogniturus: de quo vide dicta à nobis superius tract.5.c.10.

10 Secunda solutio secundi argumenti potest esse, quæ paulo suprà in simili tradita, quod nimirum albedo in communi sit propria albedo, hoc tantum concludere, visum nostrum eam percipere,non collectiuè sumptam, & penes omnes eius partes, sicut ad efficiendum vniuersale oportet, sed diuisiue solum, & penes quamlibet eius partem. Quod si instes, eam etiam collectiue, & ex toto sumptam esse albedinem: ita ergo potest visui nostro subiici; respondendum est, non omnem albedinem absolutè sumptam posse à nobis videri, vt claret in ea,quæ valde distat, & est Romæ v.g. ac multo maximè in ea, quæ nondum est producta: requiritur ergo ad videndam albedinem, non solum,vt ea sit absolutè, & essentialiter albedo, verum etiam,vt sit existens, necnon intrinsecè, & proprie vna, vel certe suprà vnitatem rara admodum, & non in infinitam quandam numerositatem diffusa: vtraque autem conditio deest rationi communi albedinis: quid mirum ergo,si naturaliter ea nequeat oculis nostris percipi?

11 Ad tertium argumentum contrarium respondeo, visum nostrum abstrahere posse vnum ab alio, tum etiã, quod plus est,sola ratione ratiocinata diuerso, dummodo tamen id, quod ita abstrahendum est, sit proprie vnum,ac reuera existens; secus vero,si vnitate illa,& existentia sit destitutum:eis autem destituitur quæuis ratio vniuersalis: proinde hæc sub visum nostrum non cadit.

12 Ad quartum respondeo, quotiescunque color aliquis procul positus est, aut,si non multum distet, quoties nobis apparet sub luce, vt aiunt maligna, eoque tempore.

Quod tu, nec tenebras, nec posses dicere lucem,
Sed cum luce tamen dubia confinia noctis.

Potentiam visiuam eum discernere à quocunque alio, & cum nullo confundere, quamuis aliter illa nobis videatur tendere, eo scilicet, quod confusio, & indiscretio colorum, quam visio imperfectionis suæ gratia deriuat in imaginationem, & intellectum, cum in his solis sit, visui tamen attribuatur, vt nuper citato tractat.5.huius libri cap.10.in simili manet explicatum. Quod autem visus non sit, qui eo euentu confundit,sed imaginatio, aut, vt mauult Suarez lib. cap.ac dubio supra laudatis ac num.18. ad secundum, solus intellectus, in primis constat: quia, alioqui visus cerneret rem non existentem: secundo quia aliàs visus noster clarissimè conspiciens albedinem efficeret eam vniuersalem, ac speciem: siquidem eam quoad indiuiduationem non discerneret ab aliis: etenim si Deus, illam cum alia prorsus simili supernaturaliter commutaret, eive aliam omnino parem substitueret, nos eius vicissitudinis essemus ignari, nec rationem reddere possemus, an albedo denuo nobis obiecta esset diuersa à pristina; haud secus,atque quando aqua sensim, & imperceptibiliter labitur,an sit quouis momento diuersa, & alia, atque alia, nos latet,ipsiusque fluminis more præterit, vt bene Arriaga vbi supra.

Ad quintum,& vltimum respondeo, solem nobis 13
minorem apparere,non, quod partes eius visus noster confundat, omnesvè velut, si pauciores essent percipiat, sed, quod pleræque earum illius aciem subterfugiant,ab eaque non cernantur:quæ est enim solis longinquitas,aut species ab eo ad oculos, non, nisi imperfectæ, ac debiles veniunt, vel, si nullæ sunt species,radij visuales contra ab oculis ad solem diffusi.haud nisi imbecilles,ac fracti reuertũtur:vnde vi specierum illarum, aut,si mauis,radiorum non potest elici visio, nisi aliquarum, earumque paucissimarum solis partium: quænam autem eæ sint, si non sit potior ratio vnarum, quam aliarum:Dei erit determinare,sicut alioqui consueuit. Sic certè quadrata procul sita nobis rotunda apparent, quoniam eorum anguli nostrum visum latent, vti docent Lucretius lib.4.Alexand.Aphrodisiens lib.1. problem. quæst.35.& communiter alij philosophi.Fac tamen, omnes Solis partes, vtique extimas à nobis videri: quod fateor haud improbabile.Certè sol, cum visui nostro totus appareat,quî ei minor, quam est in se, potest repræsentari? equidem hæc duo inter se repugnant,vt quæ maximè. Soli ergò intellectui, aut imaginationi, minor, quam est in se apparet Solis ambitus. Cum autem in has potentias error huiusmodi dimanet à visu,& imperfectione illa, qua solares partes (tametsi omnes,atque vt sunt in se)contuetur, inde est, quod intellectus putet visum etiam hallucinari,& errare,vt sæpè in superioribus monitum.

Secundò dicendum censeo, sensum externum 14
diuinitus eleuari posse, vt rationem communem à differentiis particularibus abstractam percipiat, eamque adeo vniuersalem efficiat. Namque si non posset, potissimè, quia non sustinet euehi ad percipienda non existentia, qualia multa, imo pleraque complectitur quoduis vniuersale. At sensus etiam externus per miraculosam, & supernaturalem eleuationem potest percipere aliquid non existens: ergo, &c. Maior ex dictis in nostræ sententiæ promento constat. Minor suadetur, quia haud magis requiritur ad visionem externam alicuius obiecti huius existentia, quam extensio quantitatiua, & localis, siue vbicatio circumscriptiua, merito cuius habeat partes suas extrà alias inuicem in ordine ad locum.Quamuis enim Okamus, Gabriel, & Maior oppositum tueantur; at à cæteris Philosophis, ac Theologis exploduntur, & meritò. Sed visus externus potest diuinitus eleuari ad percipiendum obiectum aliquod vbitate circumscriptiua destitutum; corpus Christi verbi gratia in Eucharistia definitiuè existens, & quoad omnes suas partes in indiuisibili situm: vt docent Beatus Thomas in 4. dist.10.quæst.vnica art.4. quæstiuncula 1. ad 1.Marsilius quæst.7. art. 1. Scotus quæst. 9. Dominicus Sotus quæst. 1. art. 7. Alexander 4. part. quæst. 10. membro 7. art.3. §.8. Vasq. tom.3. in 3.p.disp.191. cap.2. Similiter ergo poterit eleuari sensus externus ad percipiendum quidpiam non existens.

Deinde suadetur eadem minor argumenti nostri: 15
quia haud est magis impossibile Deo efficere, vt oculi albedinem v.g. non existentem, nec præsentem cernant, quam præstare, vt non conspiciant albedinem coram positam, & existentem, idque, quin mens eos nimia aliqua attentione diuertat, aut obscuritas vlla eos obumbret: posterius autem est iuxtà omnes in potestate creatoris:ergo & prius. Tertiò denique suadetur illa minor principalis:nam

multoti es

multoties miraculosè contingit, Christum aliquibus in Eucharistia apparere sub specie pueri, aut carnis, aliis verò sub specie panis: tum autem colorem, ac figuram pueri, carnisvè minimè existentem apparere necesse est: ergo, &c. Maior indubitata est. Minor suadetur, quia B. Thomas 3. part. quæst. 76. art. 8. docet in his euentis nullam fieri mutationem in obiecto; solam immutari potentiam visiuam: idem tradit ibidem Suarez, & cæteri interpretes: quod si color, & figura pueri existerent, atque à Deo producerentur breui eo tempore, quo durat apparitio, certè mutatio fieret, non in solis videntibus, sed in re ipsa visa, quæ à possibilitate ad actum esset translata, omnipotenti virtute creatoris: secundo, quia, si videtur color, ac figura existens, cur omnes adstantes tunc non vident, quod aliqui? an duplex miraculum absque necessitate adstruendum est, alterum resplendens in productione figuræ puerilis, aut carneæ, alterum in eo, quod non videatur, quamuis sit coram posita?

16 Obiicies tamen primò. Visus noster (par autem ratio aliorum sensuum) non potest diuinitùs euehi ad percipiendum aliquid, quod sit extrà latitudinem obiecti sui connaturalis: at obiectum eius connaturale iuxtà superius disputata est singulare, & consequenter vniuersale quoduis est extra latitudinem obiecti, quod naturaliter respicit: nequit ergo supernaturaliter eleuari ad percipiendum vniuersalem colorem: maior suadetur: non potest euehi ad percipiendum Deum, vt sentiunt plerique Theologi præ ertim verò Molina 1. part. quæst. 12. art. 3. Suarez tom. 1. in summ. tract. 1. lib. 2. cap. 6. Vasquez 1. part. disput. 40. cap. 2. Arrubal 1. part. disput. 18. Ægidius de beatitud. tom. 1. lib. 4. quæst. 5. art. 3. at non alia de causa, nisi, quia Deus est extra sphæram obiecti naturalis potentiæ visiuæ, &, nec est color, nec lumen: cuius signum est, quod intellectus noster Deum naturaliter cognoscens tametsi confusè, eumque ita saltem tanquam obiectum respiciens possit supernaturaliter illum videre, & clare attingere: Ergo &c.

17 Respondeo primò, sensum externum eleuatum ad vniuersale cognoscendum non propterea ferri extra latitudinem sui obiecti naturalis, sed potius manere intra illam, eamque totam non attingere: Cum enim sensus exterior, v. g. visus hanc albedinem, siue hunc colorem percipit, certè per modum vnius singularitatem, & gradum genericum, siue specificum cognoscit: eum ergò supernaturaliter eleuari ad percipiendum solum gradum specificum, aut genericum non est, eum ferri extra latitudinem sui obiecti naturalis, sed potius infra illam sistere, & non cognoscere totum, quod naturaliter solet, quemadmodum si diuinitus conspiceret visus colorem sine luce, hoc non esset eum vagari extrà suum obiectum naturale, sed potius intra eius limites sese continere.

18 Respondeo secundò, visum nostrum diuinitus eleuari posse ad videndum aliquid, quod eius non sit obiectum connaturale: haud enim ex natura rei potest ei obiici lux supernaturalis ordinis, vbi talis sit quoad substantiam, & non quoad modum duntaxat: aut diuinitus percipit eiusmodi lucem, si, vt valdè probabile est, vtque docent Sotus in 4. dist. 49. quæst. 15. & assectæ, atque ex nostris Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. disp. 14. sect. 14. num. 109. Suarez, & alij, lux corporum glorioso rum sit supernaturalis prædicta ratione, & ne quoad substantiam naturalis. Porrò aliud est, visum nostrum non posse diuinitus videre Deum, quia nequit naturaliter eum etiam imperfectè attingere: aliud verò, si ita naturaliter eum attingeret, fore, vt eleuatus posset illum videre, sicut in intellectu nostro vsuuenit. Posterius verissimum est, nec ab vllo negari potest, vt exponemus in met. lib. 2. tract. 4. cap. 8 parum ante medium. Prius verò nescio, an adeo certum sit, anve communiter supponatur ab omnibus, aut certè plerisque Theologis more posterioris. Certè posterius sine priori satis, superque est ad hoc, vt sit aliqua ratio, cur intellectus possit eleuari ad videndum Deum, quæ quidem non procedit in visu nostro corporeo. Ratio ergò positiua, vt aiunt, quapropter oculi corporis nostri nequeant supernaturaliter euehi ad clarè Deum contuendum est, quia cognitio rei spiritualis est essentialiter intellectio, quemadmodum sensio externa coloris est suapte natura, ac definitione visio, soni auditio, &c. Constat autem, visum nostrum haud magis eleuari posse ad intelligendum, quam belluam discursu, ac ratione destitutam ad discurrendum, seu ratiocinandum.

19 Objicies secundo. Non potest oculus corporeus eleuari ad percipiendam rem, non quantitatiuè, & localiter extensam, sed potius ad punctum spatij redactam, tametsi aliter affecta, & extensione sua locali prædita sit eius obiectum connaturale. V. g. nequit diuinitus percipere corpus Christi in Eucharistia: ita Capreol. & Paludan. in 4. dist. 10. q. vlt. Richardus ibid. q. 2. a. 5. Hispalensis q. 1. a. 3. ad 6 contra 5. conclu. à fortiori ergò nequibit per miraculum cernere rem non existentem, & vniuersalem, quamuis quandò existit, ac datur in singulari ei sit naturaliter subiecta; siquidem non minus, imò magis requiritur ad videndum, quod res visibilis existat, quam, quod sit extensa, & localiter circumscripta. Consequentia igitur est perspicua. Suadetur antecedens: visus corporeus nequit euehi ad videndam rem spiritualem, ergò nec ad conspiciendam rem materialem indiuisibiliter, ac more rei spiritualis existentem: vtriusque enim par videtur esse ratio.

20 Verùm respondeo negato antecedenti cum iis Doctoribus, quos pro sententia id negantium laudaui paulo suprà. Ad eius probationem dicendum est, modum illum existendi indiuisibilem quantitatiuè, seu localem definitionem rei materiali esse accidentalem, illiúsque non variare essentiam aut quidditatem, nec tollere, quominus sit suapte natura colorata, & hic, vt aiunt, & nunc, luce illusa: nihil mirum ergò, si in eo statu videri possit supernaturaliter, haud secus, atque ex natura rei ante illum. Alia est ratio rei essentialiter, & quidditatiuè spiritualis: vt enim materialis, aut coloris, luciſvè idoneum subiectum ne diuinitus esse potest, ita neque oculo corporeo cerni.

21 Tertiò dicendum censeo, phantasiam, id est sensum quendam internum (hunc enim enim, illamque in tota hac controuersia iuxtà habeo) cognoscere, adeoque efficere posse, saltem supernaturaliter vniuersale. Hæc assertio suppositis iis, quæ de sensu externo diximus, nihil habet difficultatis. Quartò denique probabile arbitror, sensum internum etiam ex natura rei, ac citrà miraculum posse cognoscere vniuersale, illudque, quod consequens est, moliri. Suadetur assertio: nam ideò potissimè id nequit naturaliter sensus externus, quia non potest cognoscere res non existentes, quales, & quidem non paucas omne amplectitur vniuersale: sed sensus internus iuxtà Aristotelem & omnes philosophos res præteritas, & existentia destitutas memoria comprehendit: ergo &c. Deinde secundò suadetur: quia satis probabile est, phantasiæ inesse species, quas vocant

insensatas. quibus nimirum obiecta sensibus externis imperceptibilia percipit: cuiusmodi sunt in oue v. g. species illæ, quibus inimicitiam cum Lupo apprehendit: quanquam ergò sensus externus haud cognoscat, efficiatvè vniuersale, id tamen perfectionis interno sensui quorsum sit denegandum?

22 Aduersus hanc assertionem postremam obiici possunt inprimis ea loca Aristotelis, in quibus adstruit sensum suapte natura esse singularium: at phantasia est propriè sensus, & non intellectus: naturaliter ergò sola attingit singularia, & nullum vniuersale. Verum paulò suprà Aristotelem de sensu externo. Secundo obiici potest Augustin lib. 2. de libero arbitrio c. 8. vbi sic inquit: *Vnum verò quisquis verissimè cogitat, profectò inuenit, corporis sensibus non posse sentiri: quidquid enim tali sensu attingitur, tam, non vnum, sed multa esse cõuincitur:* & paulo inferius; *vbicunque autem vnum nouerim, non vtique per sensum corporis noui.* Tum sic sensus, siuè sit externus, siuè internus (nullo enim vtriusque facto discrimine loquitur Augustinus) nequit saltem naturaliter percipere vnum: atqui vniuersale est vnum, vt vel ipsum eius ethimon declarat: haud ergò potest ex natura rei percipere vniuersale, illudvè efficere.

23 Respondeo tamen primò, sensum quandoque supponere pro solo externo, atque ita eum accepisse Augustinum præfato loco eius libri, quem scripsit de libero arbitrio. Respondeo secundo, vnitatem aliam esse simplicitatis, & indiuisibilitatis integralis, quæ quidem est propria spirituum, & in corpora nequit conuenire; aliam verò esse vniuersalem, quæ partium integralium simplicitatem magis, quam compositionem non postulat, nec magis est corporum, quam spirituum. De hac posteriori vnitate, si sermonem haberet Augustinus, haud dubiè vniuersale excluderet ab obiecto sensus cuiusuis. Cæterùm, non de ea, sed de sola illa priori locutus fuit. Siquidem post verba primo loco allegata statim addidit; *corpus enim est*: & post posteriori loco ex eo adducta adiecit illicò; *quia per corporis sensus non noui, nisi corpus, quod verè, pureque vnum non esse conuincimur.* Quasi idcirco dixerit, haud posse sensum vllum percipere vnum, quia non potest ferri, nisi in id, quod suapte natura corporem est: sermonem ergò habuit de vnirate opposita corporalitati, adeoque non de vnitate vniuersali, sed potius solius indiuisibilitatis integralis, vt dictum est.

CAPVT II.

De vniuersalitate, quæ est effectus voluntatis nostræ, necnon Angelorum, ac Dei optimi maximi.

24 INprimis arbitror, haud esse negandum vniuersalitatem aliquam obiectis amatis à nostra voluntate tribui. Ita Hurtadus disp. 5. metaph. sect. 12. §. 146. necnon Arriaga disp. 6. log. sect. 7. tametsi enim ibidem neget à voluntate, aut etiam à sensibus fieri vniuersale logicum, ac prædicabile, imo etiam statuat, absolutè ab eis non fieri vniuersale, quia, inquit, *hoc iuxta communem acceptionem solum vsurpatur pro eo, quod potest prædicari ab eadem potentia, à qua effectum est, quod in aliis potentiis ab intellectu locum non habet:* Cæterum hæc ad solas spectant voces, non verò ad rem ipsam: qua certè tenus nobis consentit.

Suadetur autem assertio hunc in modum: voluntas plura inter se confundere, & vnire potest: ergo ex eius actu vnum multiplex, siue vniuersale resultare poterit: antecedens probatur, quia voluntas plura obiecta amans ea sibi vnit, & quodammodo identificat iuxtà illud Dionysij cap. 4. de diuinis nominibus *amor est virtus vnionem faciens*; illudque Augustini tract. 27. in Ioann. *vt autem simus membra eius (scilicet Christi) vnitas nos compaginat: vt compaginet vnitas, quæ facit, nisi charitas?* & tract. 2. in epist. Ioann. *talis est quisque, qualis eius dilectio est: terram diligis, terra es: Deum diligis: quid dicam? Deus eris.* ergo etiam plura inter se confundere, & quodammodo identificare poterit, provt ad vniuersale oportet: sicut, quia intellectus res cognitas aliqua sibi ratione vnit, & identificat, eas etiam inter se vnire potest, atque confundere. 25

Rursus secundò suadetur eadem assertio. Voluntas proposita virtute, vt sic, & eius differentiis, in sola virtute simpliciter complacens rationem virtutis ex parte obiecti à differentiis præscindit: vnitatem ergo præcisiuam obiecto tribuit, quam ad vniuersale sufficere plerique existimant. Præterea tertio: actus intellectus non solum à veritate radicali obiecti multiplicis veritatem formalem haurit, quam in ipsum refundat, sed etiam ab eius vnitate radicali vnitatem formalem, quam in illud reiiciat, vt suprà non semel edocuimus: similiter ergò actus voluntatis, non tantum bonitatem formalem à bonitate radicali obiecti multiplicis sumit illam redditura, verum etiam ab eius vnitate radicali vnitatem formalem, illam postea traditura, sicut ad vniuersale requiritur. Quartò denique: vniuersale fit per voces significatiuas ex instituto, vt ad initium cap. præcedentis manet ostensum: at significatio arbitraria, & ad placitum, vt aiunt, in voluntatis actu, & placito aliquo consistit iuxtà non paucos ex aduersariis. 26

Obiicies tamen primo: voluntas amans rationem communem virtutis eam vniuersalem per intellectum supponit: ergo illam vniuersalem non facit; sicut Deus entia rationis non facere censetur, quoniam à creaturis facta supponit, & cognoscit. Respondeo: quemadmodum intellectus per notitiam comparatiuam vniuersale efficit, esto per abstractiuam illud factum supponat, quod idem de iudicio, & apprehensione præuia seruata proportione dicendum est; ita similiter voluntas in præsenti &c. Exemplum autem non vrget, quia non idcircò Deus entia rationis, & chimærica non facit, quoniam facta supponit: tum, quia ab æterno ea facta non supponit, quando tum nullus intellectus creatus, aut finitus est, qui ea facere possit: tum etiam, quia creatura ens rationis factum sæpe reficit, vt cum apprehensionem alicuius chimæræ eiusdem iudicium excipit: ideo igitur Deus entia rationis non facit, quia ab eo factibilia non sunt, nihilque fingere, aut communisci sustinet.

Obiicies secundò. Voluntas dare nequit vnitatem obiecto multiplici: illud ergò nequit vniuersale: probatur antecedens, de quo solo potest esse dubium conferre vnitatem obiecto multiplici, est illud per actum aliquem repræsentari, vt non multiplex: at per actum voluntatis obiectum vt non multiplex repræsentari nequit, cum solius intellectus sit res repræsentare, & voluntatis amare. Verum antecedentis probatio non vrget: Cur enim repræsentari, seu præsens fieri obiectum tanquam non multiplex ad eius vnitatem vniuersalem conducat, potius, quam repræsentari, seu præsens fieri obiecto tanquam 27

quam non multiplici, cum vtrumque obiecto extrinsecum sit: Sicut autem intellectus res sibi repræsentat, ita voluntas se rebus repræsentat, in easque fertur, iuxtà vulgare dictum, *anima magis est vbi amat, quam vbi animat.*

28 Secundo censeo, Angelos efficere posse vniuersale siue, quod perinde est, eos cognoscere posse rationes cõmunes, sine particularibus, illasque ab his abstrahere. Suadetur primò, quoniam etsi Angeli plura euidenter cognoscant, non est certè, cur ea semper in singulari non est, cur non aliquando in communi ita percipiant: haud secus, atque nos non tantum quæ opinatiuè, vt sic dixerim, sed quæ scientificè consequimur, in communi intelligimus: imò omnis ferè scientia nostra est de vniuersalibus. Atque per scientiam Angelorum propriam fieri ab eis interdum vniuersale, tuetur Suarez lib 2. de Angelis cap. 8. quamuis eum cognoscendi modum circa res, quarum habent proprias species, quasque cognoscere possunt vt sunt in se, ac distincte, & in singulari putet non esse necessarium, nec ordinariè eis contingere. Idem sentire videtur Valencia de Angelorum scientia tom. 1. p. 1 disp. 4. quæst. 8. punct. 2. docet enim ibi vi specierum euidentium, ac propriarum, quas Angeli initio creationis suæ sunt sortiti, posse eos, non solum singulare vt tale, sed etiam naturam formaliter, & præscindendo ab omnibus singularibus cognoscere: quin etiam Scotus, & assectæ id semper vsuvenire putant, nec, nisi per species acquisitas eos percipere singularia quatenus talia.

29 Secundo suadetur eadem assertio: nam, vt ostendetur à nobis in metaphys. lib. 7. tract. 4. cap. 4. & lib. 10. tract. 2 vtque docet P. Suarez lib 2. de Angelis cap. 33. num. 19. & cæteri cum eo Scholastici, negandum non est, quin Angeli multa confusè, & ineuidenter cognoscant, vt mysteria supernaturalis fidei, res contingenter futuras, & secreta cordium. Cur igitur ista non possint in communi, & seorsim à singularitatibus cognoscere? Certè P. Suarez citato lib. 2. de angel. cap. 8. num. 11. parum ab initio statuit, *absolutè non repugnare, imo necessarium esse, talem cognitionem* (scilicet vniuersalem, & confusam) *in angelis ponere de obiectis communibus, quæ distinctius cognoscere non possunt.* Tertio suadetur id ipsum: quia tametsi Angeli eius censeantur perfectionis, vt nihil non clarè, & in singulari naturaliter cognoscant (quod nescio, qua probabilitate fingi possit:) certè non propterea vis efficiendi vniuersale debet eis negari. Siquidem vti ad cognitionem claram, & intuitiuam sibi non connaturalem, videlicet beatificam euehi possunt, quidni etiam deprimi ad cognitionem aliquam vniuersalem, & confusam, ac rationum communium à particularibus præcisiuam?

30 Tertio opinor, Deum efficere vniuersale per notitiam comparatiuam, & reflexam, cognoscendo nimirum obiectum aliquod vniuersale à nobis factum tale, esse vnum extrinsecè solum, & intrinsecè, ac sponte sua multiplex. Ita statutum est à nobis tract. 5. præc. cap. 13. assert. 2. Cæterum vt inibi dictum est, vtque docet Arriaga citata disput. 6. log. sect. 8. num. 49. ad finem satis probabile est, Deum ne ita efficere vniuersale, defectu nimirum confusionis, & obscuritatis in actu, per quam comparat. Quartò dicendum censeo intellectum diuinum haud posse facere vniuersale directè, & per abstractionem. Id enim esset cognoscere naturam communem sine singularitatibus, & has confundere inuicem, atque imperfectè cognoscere: quod quis à Deo procul esse non fateatur.

Enimverò, si sermo sit de Deo, non secundùm se, 31
sed de illo facto homine, siue quod perinde est, de Christo Domino, dicendum est, eum per cognitionem diuinam, vt ostensum est, haud facere vniuersale, haud etiam per scientiam beatam, quæ est huius perfectio, & tum Dei, tum etiam creaturarum in singulari assecutio, vt exploratum est. Quod verò attinet ad eius scientiam per se infusam. & supernaturalis ordinis, quoad substantiam, qua etiam in hac vita sine conuersione ad phantasmata cognoscebat, illius vi eum existimo, & tum potuisse, & modò posse, si velit, cognoscere res aliquas in communi, & vniuersalia efficere, sicut de Angelis suprà disputauimus: Oppositum tuetur Balthazar Tellez in log. disput. 4. sect. 1. à numer. 12. nihil tamen affert, quod me iudice vrgeat.

Quod denique spectat ad scientiam Christi na- 32
turalem quoad substantiam, ac tantum per accidens infusam, necnon acquisitam, certè per eam in hac vita dum fuit, potuit, & in altera modò potest efficere vniuersalia non pauca: ea siquidem est eiusdem speciei cum nostra, vt docent B. Thom. 3. part. quæst. 9. art. 4. & quæst. 12. art. 1. & 2. Vasquez etiam 3 part. disp. 55. cap. 2. Suarez 3. quoque part. disp. 25. sect. 2 & disput. 30. sect. 1. & communiter alij Theologi. Nec video, quid obstet huic decisioni, nisi fortè, si quis renuat, scientiam acquisitam Christi, aut alterius hominis in patria manere: at quod maneat, est sententia communis, ac recepta Doctorum, inter quos vide, si lubet, Patres Salas tom. 1. in 1. 2 tract. 2. disp. 6. sect. 8. ac Balthazarem Tellez part. 1. 2. summæ philosophicæ disput. 4. sect. 1.

CAPVT III.

Quædam de vniuersalibus dubia.

33 QVæ resolui oportet, tum ad huius tractatus, tum etiam ad totius libri complementum. Dubitari ergo potest primò, an inter vniuersale, & singulare in intellectu nostro sit dare medium, siue quod perinde est, an intellectus noster cõcipere possit aliquam naturam, quæ provt ab eo concepta, nec sit singularis, nec vniuersalis? Respondeo, si sermo sit de natura creata v g. humana, non posse naturaliter, at posse diuinitùs, ac per miraculum. Prior pars suadetur: quia intellectus noster vel concipit collectionem humanitatum omnium; & hæc confusè concepta est vniuersalis: vel hanc numero humanitatem, siue humanitatem singularem, vt talem; & hæc singularis est, provt ita concipitur: vel solam humanitatem Petri v.g. præscindendo ab eius singularitate, quæ Petreitas nuncupari consueuit; & hic concipiendi modus semel admissus sufficit ad statum medium in intellectu nostro: cæterùm admitti nequit in nobis ex natura rei, ac secluso miraculo: nam, cum vna natura humana sit alteri omninò similis, non potest naturaliter absque altera concipi abstrahendo ab hæcceitate, siue singularitate vtriusque. Quod amplius confirmatur primò: quoniam vna humanitas ab alia formaliter differt per solas hæcceitates: ergò etiam quoad nos differre, inuicemque secerni non poterunt, nisi earum hæcceitates nobis innotescant. Secundò, quia licet priori quodam signo ad vnitatem numericam, & indiuidualem vna humanitas ab alia differat,

virtute saltem, per vnitatem mediam, ac virtualem vnicuique propriam, tamen hæc vnitas, &, quæ ex eius repetitione consurgit, multiplicitas, ac distinctio virtualis humanitatum tenuissima, & minima est, ac proindè insufficiens, vt supposita aliundè summa earum similitudine reali altera possit ab altera discerni, naturaliter vtique, ac sine miraculo: ad modum, quo punctum ratione suæ tenuitatis ab alio puncto discerni aut sine eo videri non sustinet.

34 Posterior pars nostræ sententiæ suadetur; quoniam reuerà vna humanitas præscindendo ab omni singularitate distinguitur ab alia quauis humanitate, sin minus realiter, ac numericè, at saltem virtualiter: ergo ad minimum diuinitùs, ac miraculosè sine altera cognosci potest: ast provt ita cognita non est singularis, eo, quod eius singularitas lateat, nec vniuersalis, eo, quod non sit multiplex, siue pluralis. Et quidem, etsi Hurtadus disp. 5. metaph. sect. 9. statum hunc naturæ humanæ medium, & in quo, nec sit vniuersalis, nec singularis omnino impossibilem esse censeat; cæterum contrarium est B. Thomæ opusc. de natura generis cap. 7. Caietan. de ente, & essent. c. 4. quæst. 6. Socinatis 7. metaph. quæst. 40. Iauelli lib. 8. metaph. quæst. 13. & Patris Suarez tom. 1. metaph. d. 6. sect. 1. hi enim authores docent, naturam humanam, v. g. habere vnitatem formalem, vel si non placet, hæc nomenclatura, virtualem, ratione distinctam ab indiuiduis, in iisque multiplicabilem: humanitatem itaque Petri v. g. seorsim à quamuis alia habere suam vnitatem formalem distinctam ratione à sua singularitate, & similiter humanitatem Pauli, &c. harum ergo humanitatum quæuis sine alia iuxtà eos concipi poterit, quippe à qua distinguitur realiter, & etiam sine sua singularitate, vtpote à qua saltem ratione distingu tur: prior autem præcisio vetat, ne sit vniuersalis in intellectu nostro; posterior verò, ne singularis: ergo media iuxtà eorum authorum doctrinam.

35 Porrò, si sermo sit de natura, non creata, vt hactenus, sed increata, & infinita, dubitationi respondendum est, etiam naturaliter, ac circumscripto quouis miraculo statum medium superius explicatum Deo conuenire posse in mente nostra. Siquidem Deus ab vnitate numerica, ac singulari per nostrum concipiendi modum imperfectum præscindi potest, ac solet, cum plures admissa eius infinitate circa eius errarint, hodiéque errent vnitatem: rursus à multiplicitate toties præscinditur, quoties verè cognoscitur: ergo ab vnitate, siue singularitate, ac simul etiam à multiplicitate naturaliter abstrahi potest. Quod vlterius suadetur: nam quamuis omne ens reipsa debeat esse vnum, aut multiplex, at per intellectum abstrahitur ens, vt sic, ab vnitate, ac multiplicitate, vt certo certius: licet ergo Deus à parte rei, quod aiunt, nequeat non esse vnus, vel multiplex, singularisve, aut pluralis, at per intellectum concipi potest sine vnitate, aut multiplicitate: ac proinde in statu medio.

36 Secundò dubitari potest, cur vniuersale intentionale potiùs per intellectum, quam à parte rei dari dicatur, quandoquidem eius vnitas ab intellectu, & multiplicitas à re ipsa prouenit, adeoque partim à parte rei, vt aiunt, partim per intellectum reperiri videtur? Respondeo, sicut homo dicitur iustus per gratiam, & non per naturam, isque loquendi modus sanctis Patribus, ac Theologis est solemnis, non quia ad eam denominationem natura non requiratur, eamvè non constituat, sed, quia eius forma est gratia, quam Deus liberaliter infundit, ita vniuersale intentionale, ac prædicabile dici potest esse per intellectum, non à parte rei, non, quia multiplicitas realis, & à parte rei se tenens ad eam denominationem non requiratur, eamvè non constituat, sed, quoniam eius forma vltima est cognitio confusa, quæ existit per intellectum, & non à parte rei, siue independenter ab intellectu: hæc enim duo perinde sunt apud omnes in præsentiarum. Hinc aliter occurro dubitationi, ac respondeo. Negatio est malignantis naturæ, vt est in prouerbio, totúmque destruit: vnde, vt vniuersale intentionale sit à parte rei, siue independenter ab intellectu, opus est, vt tum eius multiplicitas non dependeat ab intellectu: ast eam independentiam habet sola eius multiplicitas, non verò vnitas: absolutè ergò dici non poterit eiusmodi vniuersale esse à parte rei; siue ab intellectu independens: at esse per intellectum, est affirmatio, non verò negatio: proindè merito solius vnitatis conuenire poterit vniuersali.

Tertiò, & vltimò dubitari potest, & solet, an 37
vniuersalia sint entia realia, corporea, substantialia, & non accidentalia æterna, quasq; causas habeat? Cui dubitationi, vel potiùs dubitationum siluulæ respondeo, vniuersalia logica, ac prædicabilia, de quibus solis sermo, pro formali semper esse entia realia, videlicet actus intellectus, & pro materiali nonnunquam esse corpora, nonnunquam spiritus, interdum entia realia, interdum rationis, quandoque substantias, quandoque verò accidentia, aliquandò temporalia, & mutationibus obnoxia, & aliquando æterna, & immutabilia.

Dicuntur verò ab Aristotele, & interpretibus 38
entia rationis, & non realia, eò quod ab intellectu fiant, non, quod sint chimæræ, aut impossibilia necessario: item incorporea, non verò corpore prædita, ac materialia, non, quod ista multoties vniuersalium rationem non obtineant, sed, vel, quia eorum formæ solent esse cognitiones spirituales intellectus nostri, vel, quia incorporeum, ac spirituale dici, ac definiri solet, inuisibile corporis sensibus: tale autem quodammodo est vniuersale quoduis, etiam materiale: nam, cum complectatur plures res non existentes, nullo sensu externo ex natura rei percipi potest, & iuxta plerosque Doctorum nullo etiam interno. Dici quoque solent vniuersalia esse accidentia, non vero substantiæ, non, quod hæ vniuersalium denominationem non induant, sed, quod substantiæ vniuersales, ac secundæ comparatione primarum, ac singularium non mereantur appellari substantiæ, earumque potiùs respectu sint accidentia quodammodo: nam substantia dicitur à subsstando: indiuiduum autem omne subsstat gradibus superioribus, siue substantiis vniuersalibus, Petrus, v. g. homini, animali &c, & non è conuerso: item accidens ab accidendo deriuatur: accidit autem homini, quod contrahatur per Petrum magis, quam per Paulum: at Petro haud accidit, quod sit homo, animal, viuens &c. his ergo de causis vniuersalia, licet alioqui sint pro materiali substantiæ, dici consueuerunt, non tales, sed accidentia lato quodam modo. Dicuntur autem æterna, & immutabilia quoad tempus, necnon etiam quoad locum, non positiuè, sed præcisiuè, quoniam videlicet ab omni mutatione temporali, ac locali præscinditur natura communis, vt rectè B. Thomas 1. part. quæst. 16. art. 7. ad secundum inquiens *aliquid esse*

esse semper, & vbique, potest intelligi dupliciter. Vno modo, quia habet in se, vnde se extendat ad omne tempus, & ad omnem locum, sicut Deo competit esse vbique, & semper. Alio modo, quia non habet in se, quo determinetur ad aliquem locum, vel tempus, sicut materia prima dicitur esse, vna, non, quia habet vnam formam, sicut homo est vnus ab vnitate vnius formæ, sed per remotionem omnium formarum distinguentium, & per hunc modum quodlibet vniuersale dicitur esse vbique, & semper in quantum vniuersalia abstrahuntur ab hic, & nunc.

Quod attinet ad causas vniuersalium, efficiens, est intellectus, si de potissimis sermo sit: sin autem latius sumantur; præter intellectum, voluntas, sensus, ac facultas etiam eloquutiua, vt superius ostensum: formalis; actus harum facultatum omnium: materialis; res cognita, aut aliter intentionali modo tacta: finalis denique; vel ipsa cognitio, volitio, sensio, loquutio, aut aliud in quod eas voluntas dirigat.

LIBER NONVS

De prædicabilitate Veritatis.

TRACTATVS I.

De prædicabili in communi.

CAPVT I.

An Prædicabilitas sit essentia, vel potius sola passio vniuersalis.

1 VAMVIS plerique cum Porphyrio prius de prædicabilibus in particulari, quam in communi differant, aliud tamen postulat recta methodus, quam sequi animus est. Præmitto ergo primò, prædicabilitatem aliam esse proximam, qua intellectus ad naturam communem de inferioribus prædicandam est omninò expeditus: aliam remotam, quæ cum aliquibus impedimentis, seu cum defectu aliquorum prærequisitorum ad actualem prædicationem coniuncta esse potest: exemplum huius posterioris habes, quando intellectus apprehendit rationem communem hominis, v. g. sed destitutus apprehensione inferiorum, de quibus eam enunciet: illius vero prioris exemplum quando, & rationem communem, & partes ei subiectas simul apprehendit, sicut ad illam de his prædicandam oportet. Præmitto secundò, vniuersale aliud esse Logicum, aliud Metaphysicum, aliud per intellectum, aliud per voluntatem, sensum, aliasque facultates lib. super. enumeratas. Præmitto tertiò, essentiam aliam esse metaphysicam, quæ cum re, cui essentialis est, realiter identificatur: aliâ logicam, quæ cum ea etiâ ratione identificatur. Quorum nominum ea est origo, quod logicæ proprium sit, considerare identitatem, ac distinctionem rationis; metaphysicæ vero, non illam, sed identitatem ac distinctionem realem, cum ente reali ei subiecto coniunctas, vtramque, inquam, magis, aut minus ex professo, iuxtà diuersos authores: proinde essentia logica iure dicitur, quæ ratione; & metaphysica, quæ re ipsa, intrinseca, & eadem est ei conceptui, quem essentialiter afficit. Alios essentiæ modos tract. 3. cap. 2. discutiendos in præsens missos facio, quod ad nostrum institutum nihil referunt.

His statutis adstruo primò: prædicabilitas non 2
est vllatenus de essentia, vel metaphysica, vel logica, aut quod perinde est, reali, vel rationis, quorundam vniuersalium. Probatur primò quoniam vniuersale fieri potest per sensum, vt secundo loco præmissum, & lib. sup. latè probatum: at de essentia etiam metaphysica, & reali huius vniuersalis non est prædicabilitas: ergo. Minor probatur: quoniam nequit esse vllatenus essentialis actus primus, cui secundus repugnat, veluti si homini discursus actu secundo repugnaret, ei ratio discursiui essentialis esse nequiret: sed vniuersali per sensum quatenus tali præcisè, repugnat actu secundo prædicari, quæ est sensus imperfectio, & ad prædicandum, atque vnum de alio affirmandum impotentia: nequit igitur prædicabilitas ei vllatenus essentialis esse,

Dices, vniuersale per sensum esse essentialiter 3
prædicabile, non vi ipsius sensus, sed vi intellectus, cum quo cohæret, & cui subseruit, sicut verum, siue bonum verè cognitum provt tale est essentialiter amabile, non virtute facultatis cognoscitiuæ provt talis, sed virtute facultatis volitiuæ, cum qua prior illa suapte natura connectitur. Contrà primo: nam vniuersale per intellectum prædicari nequit, quin per intellectum fiat, aut cognoscatur, vt est euidens: at vniuersale per sensum, provt præcisè tale, & seorsim à quouis eius ad aliam potentiam ordine factum, non efficitur, nec cognoscitur ab intellectu; ergo vniuersale sensibile ea ratione vsurpatum non est prædicabile: sed ea, & non alia ratione à nobis in præsenti vsurpatur. Contrà secundò: quia vniuersale per sensum belluinum, nec per se, nec per intellectum prædicari potest, cum sensus belluinus cum intellectu coniunctionem nullam habeat: at nos non minus de hoc vniuersali, quam de quouis alio, sensibili loquimur. Exemplum contrarium parum vrget: quemadmodum enim dicimus vniuersale per sensum provt eiusmodi dumtaxat, non esse essentialiter prædicabile, seu logicè, seu metaphysicè, seu re, seu ratione, quoniam id esset, sensum posse prædicare, aut affirmare, ac iudicium proferre,

ita consequenter tuemur, bonum vere cognitum provt præcisè obiectum facultatis cognoscitiuæ, nullatenus esse essentialiter amabile, hoc enim foret facultatem cognoscitiuam cognoscendo amare posse, quod repugnat. Cum verò dicitur vniuersale sensibile provt præcisè tale esse essentialiter prædicabile vi intellectus, contradicitur hoc ipso in terminos, & præcisio, ac reduplicatio super eam facta destruitur, & aliundè supponitur: quid enim magis repugnat, quam ordo ad intellectum, & præcisio ab eiusmodi ordine coniuncta cum reduplicatione suprà solum sensum? Atque eadem repugnantia, & contradictio visitur, in exemplo argumenti; cum scilicet affirmatur, bonum quatenus præcisè obiectum facultatis cognoscitiuæ, posse nihilominus à voluntate amari.

4 Secundò probatur eadē assertio: vniuersale fit per voluntatem: at hoc vniuersale non est prædicabile essentialiter, seu metaphysice, seu logicè; seu re, seu ratione; cum voluntas prædicare, vnumvè de alio affirmare nequeat. Confirmatur: quoniam actus voluntatis præscindens rationem communem virtutis à suis inferioribus, & sine his eam adamans efficit vniuersale, de cuius essentia metaphysica, seu reali non sit prædicabilitas: nam ideò vniuersale per apprehensionem factum est essentialiter prædicabile realiter, ac physice loquendo, quia talis, apprehensio connectitur essentialiter velut dispositio cum possibilitate iudicij, quo natura apprehensa de suis inferioribus prædicetur: at is actus voluntatis non connectitur cum iudicio, quo eius obiectum de pluribus prædicari possit: nec instar dispositionis, cum potius iudicium intellectus disponat ad actum voluntatis, quam è conuerso: nec instar effectus; quamuis enim effici possit actus voluntatis, de quo est sermo in præsenti, independenter à tali iudicio, illud tamen necessariò, ac essentialiter non exigit, sed solius apprehensionis simplicis præuia luce contentus est.

5 Verum enim obiicies insinuatam proximè doctrinam de apprehensiua notitia, prædicabilitatem realiter essentialem, vniuersali, quod architectatur, communicante, non videri satis cohærere cum iis, quæ de vniuersali sensibili statuimus. Nam ideò vniuersale per notitiā apprehensiuam est essentialiter prædicabile, quoniam eiusmodi notitia disponit ad iudicium, quo vniuersale prædicetur, non verò, quia ipsa vis apprehensiua, qua talis, possit prædicare: at etiam sensio nostra disponit ad iudicium, vi cuius vnum de alio prædicari possit: igitur vniuersale per sensum erit prædicabile essentialiter. Nec valet: si dicas eam disponere remotè, quia etiam notitia abstractiua, qua videlicet homo solus, & sine vllo inferiori cognoscitur, remotè disponit ad prædicationem hominis, & inter eiusmodi notitiam, & iudicium mediat notitia comparatiua, siue apprehensio composita hominis, & Petri v.g. & nihilominus per talem abstractiuam cognitionem hominis, eiusque simplicem apprehensionem vniuersale resultat, illudque essentialiter prædicabile. Item 2. quia saltem prædicabilitas remota erit de essentia reali vniuersalis sensibilis, quod tamen infi ciati esse videmur.

6 Occurrendum tamen est, nos potissimum loqui de vniuersali facto per sensum, qui non sit simul intellectus, nec cum eo cohæreat; non verò de sensu humano, qui simul est intellectus, aut cum eo coniunctus: vel secundò; nos loqui de quouis vniuersali sensibili, sed provt præcisè refertur ad sensum, & secluso ratione nostra ordine, quem habeat ad intellectum, cum quo sit realiter idem, aut connexus. Hoc autem vniuersale, nec metaphysicè, nec logicè essentialem habet prædicabilitatem; id enim esset sensui aliquo modo essentialem esse potentiam prædicandi, vt suprà exposuimus. Quod si sermo sit de vniuersali per sensum facto specificatiuè, & non cum superiori reduplicatione, fatemur in homine illi esse realiter essentialem prædicabilitatem, tametsi non in belluis. Quare similiter vniuersale per apprehensionem factum distinguendum esse arbitramur, atque vno modo prædicabilitatem esse de essentia metaphysica, & reali, secus vero alio.

Tertiò probatur assertio nostra: quoniam, siquis per propositionem essentialiter veram, atque à Deo reuelatam affirmet, hominem, vt sic, actu secundo de nemine prædicari; vniuersale vi eius propositionis fabricatum prædicari nequit, aliàs ea propositio falsa futura esset: hominem enim eius beneficio actu prædicari, est eam esse falsam: ergò posse prædicari esset eam falli posse: prædicabilitas ergo ei vniuersali, nec re, nec ratione essentialis est: cui enim actus secundus repugnat, huic actus primus nullatenus esse potest essentialis, vt suprà arguebamus. 7

Adstruo 2. Prædicabilitas est de essentia metaphysica, seu reali alicuius vniuersalis. Probatur, quia, aut homo vt sic fit vniuersalis per notitiam comparatiuam superius explicatam, & provt subest ei denominationi reipsa est prædicabilis de multis, cum talis cognitio comparatiua eum de pluribus actu prædicet, si sit iudicatiua, & perfecta; sin autem sit mera apprehensio composita, disponat essentialiter ad iudicium, quo ita possit prædicari. Qua ratione connexio extremorum cum medio in præmissis cognita est essentialiter discursibilis, eo quod præmissæ essentialiter ad discursum, seu conclusionem illius connexionis disponant. Aut homo vt sic fit vniuersalis per notitiam abstractiuam, & simplicem: atque hæc etiam ad eius prædicationem essentialiter disponit simul cum apprehensione inferiorum: qui enim hominem vt sic apprehendit, & alio actu Petrum, Paulumque, & alio identitatem vtriusque, per triplicem illam apprehensionem, ad hanc prædicationem, Petrus est homo, disponitur. 8

Adstruo 3. Prædicabilitas non est de essentia logica alicuius vniuersalis. Probatur, siquidem homo vt sic simpliciter apprehensus est vniuersalis: at quà sic apprehensus non est formalissime, seu ratione nostra prædicabilis de pluribus; prædicabilitas igitur non est de essentia logica huius vniuersalis, seu quod iuxtà est, ab eo ratione distinguitur. Maior est lib. præter. probata. Minor probatur: quia prædicabilitas quatenus talis connotat formaliter prædicationem possibilem, & apprehensum simpliciter connotat apprehensionem simplicem possibilem: at respectus ad diuersa connotata ratione ratiocinata distinguuntur: homo igitur vt sic simpliciter apprehensus, & eo ipso vniuersalis quatenus talis, formalissimè prædicabilis non est, ac proinde prædicabilitas de eius essentia logica non est. Confirmatur, & declaratur; rationale connotans discursum est prius risibili connotante risum discursu posteriorem, & hoc extra essentiam logicam illius est; natura igitur hominis confusè apprehensa, & vniuersalis provt talis connotans apprehensionem, est prior prædicabili connotante prædicationem, apprehensione posteriorem, & hoc extra essentiam logicam illius est. 9

Adstruo

10 Adstruo quartò Prædicabilitas est de essentia logica alicuius vniuersalis. Probatur primo: quoniam prædicabilitas vt sic à nobis concepta sine hac, & illa, vel est quid vniuersale, vel singulare; non singulare: ergo vniuersale: at de huius vniuersalis essentia logica est prædicabilitas, cum eius materiale sit, qua ratione de essentia logica albi, non solum est forma albedinis, sed etiam eius subiectum, nec nisi vtroque concepto album quidditatiuè concipias. Minor argumenti, quæ sola potest aliquam difficultatem ingerere, sic probatur: prædicabilitas vt sic non prædicatur de vno solo: ergo quid singulare non est. Rursus singulare nequit esse passio vniuersalis, oppositum enim nequit esse passio oppositi; quo pacto spiritus habere nequit proprietates omninò corporeas, aut corpus omnino incorporeas, & spirituales: at prædicabilitas est passio logica alicuius vniuersalis, vtpotè extra eius essentiam logicam, eoque posterior, vt assertione præcedenti vidimus: nequit igitur esse quid singulare. Item quia prædicabilitas vt sic ita comparatur cum hac, & illa prædicabilitate, sicut animal cum hoc, & illo animali: ergò sicut animal est vniuersale, ita prædicabilitas.

11 Secundo probatur eadem assertio; quoniam prædicabile de pluribus est formalissime esse aptum inesse multis: ergò vnum prædicabile de pluribus est formalissime vniuersale, ac proinde illud de huius essentia logica erit. Antecedens probatur: esse subiectum, seu subiici est subesse ei, cui subiicitur: ergo esse prædicatum, seu prædicari de pluribus est formalissimè inesse pluribus, de quibus prædicatur: ergo vnum quid esse prædicabile de multis est formalissimè posse, seu aptum esse inesse pluribus, provt ad vniuersale oportet. Tertio probatur eadem assertio: quoniam genus est quoddam vniuersale iuxtà omnes: at de eius essentia logica, ac non solum reali, sed etiam rationis est prædicabilitas; definitur enim quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid, siue quod potest ita prædicari; verba enim in definitionibus significare solent magis aptitudinem, quam actum: Definitio autem est de essentia logica definiti, vt constat exemplo hominis, & animalis rationalis: prædicabilitas ergo logicè essentialis est alicui vniuersali. Par argumentum fieri potest in specie, quæ de pluribus differentibus numero in quid; in differentia, quæ de pluribus in quale quid: in proprio, & accidenti, quæ de pluribus in quale, aut necessario, aut contingenter prædicantur, atque per huiusmodi prædicationem possibilem à Porphyrio in ysagoge sua & Dialecticis omnibus definiuntur.

CAPVT II.

Aliqua colliguntur corollaria.

12 EX dictis colligitur primò contrà P. Hurtadum disp. 3. log. sect. 2. §. 11. ad finem; vniuersale metaphysicum à logico dupliciter discriminari posse. Primò; vt vniuersale metaphysicum sit, de cuius essentia metaphysica, seu reali prædicabilitas proxima, aut remota; logicum verò, de cuius essentia etiam logica, ac formali est alterutra prædicabilitas. Secundo, vt vniuersale metaphysicum sit, de cuius essentia nullo modo est prædicabilitas proxima, aut remota; logicum vero, de cuius essentia aliqua, & vel reali, vel rationis est alterutra prædicabilitas. Prioris discriminis ratio est aperta, & per se satis dilucida. Posterioris ratio haud etiam est ad modum difficilis: cum enim logicæ facultatis proprium sit, prædicationes considerare, non vero metaphysicæ, iure merito dicitur vniuersale logicum, quod quocunque modo est essentialiter prædicabile, &, seu hæc denominatio metaphysicè, seu logicè ei sit essentialis; metaphysicum verò vniuersale, cuius essentia neutiquam est posse prædicari. Vt autem omnis vitetur confusio, illud animaduertas velim iuxtà priorem vtriusque vniuersalis explicandi modum, haud raro aliquid esse posse vniuersale metaphysicum, quod iuxtà posteriorem sit logicum, & è conuerso; quocircà, si alteram amplectaris explicationem, oportet te alteram veluti falsam reiicere: quod non prohibet, quo minus vtraque sit probabilis. Atque vniuersale logicum, ac metaphysicum suapte natura differre, sicut hactenus edocuimus, & bona pars nostrorum cum P. Arriaga, lib. 2, dist. 4 sect. 1. num. 5. & etiam vniuersa tenet Scotistarum natio, vt vel P. Hurtadus insinuat nuper citato loco.

Colligitur secundo aduersus Scotum quæst. 15. 13
Mauritium, Antonium Andream, Tartaretum, aliosque Scotistas, prædicabilitatem non esse de essentia logica vniuersalis vt sic, & vniuersalissimè sumpti. Quod enim logicè essentiale est rationi communi, cuiuis inferiori, eodem essentiale modo esse debet: sicut, quia animal rationale est de essentia logica hominis, Petro, & Paulo, & reliquis eiusdem speciei indiuiduis logice essentiale est, Vnde, si prædicabilitas essentialis esset logicè vniuersali vt sic, cuiuis vniuersali foret similiter essentialis; quod autem de aliquorum vniuersalium essentia logica non sit prædicabilitas, assertione tertia demonstratum est: ergo de essentia logica vniuersalis vt sic neutiquam potest sustineri. Atque hoc ita se habere à fortiori tenent authores proximè citandi, qui in ea sententia sunt, vt existiment prædicabilitatem esse passionem logicam vniuersalis in communi, & quatenus latissimè funditur. Argumentum verò, quibus Scotistæ, & cum eis P. Hurtad. suprà, ac nostrorum pauci alij nituntur, haud magnoperè premunt; quippè quæ non de vniuersali, vt sic, omnique eius specie, sed de aliqua duntaxat procedunt.

Colligitur tertiò, aduersus Veracrucium quæst. 14
4. in procœmium, & Albertum, Sotum, aliosque Thomistas, item aduersus Toletum, nec non Bartholomæum Amicum tract. 6. log. quæst. 9. dub. 1. prædicabilitatem non esse passionem logicam vniuersalis vt sic: Atque ita aduersus hos authores sentiunt omnes ij, quos numero præcedenti laudauimus, & eos præter Raphaël Auersa q. 8. log. sect. 16. §. *propter hæc explicare oportet*, ad eius medium. Ratio vero huius collectionis est eadem, quæ superioris seruata proportione: namque, quod est passio logica vniuersalis vt sic, nulli vniuersali ei subiecto potest esse logicè essentialis; quo pacto risibilitas eo, quod sit logica hominis passio, nequit esse Petro, & Paulo logice essentialis: at prædicabilitatem esse logicè essentialem quibusdam vniuersalibus, manet superius ostensum: haud igitur potest esse passio logica vniuersalis in communi.

At enim obiiciunt aduersarij: prius est vnum esse 15
in multis, quam esse de illis prædicabile, cum ideo de illis sit prædicabile, quia est in illis: quoduis igitur vnum in multis, seu vniuersale, provt eiusmodi, respicit velut passionem se posteriorem, & consequenter ratione distinctam sui prædicabilitatem

tatem de uultis : hæc ergo est passio logica vniuersalis vt sic, siue in communi, quod enim logicè accidit cuiuis rationi inferiori, nequit non consequi velut passio rationem communem, vt ipso risibilitatis liquet exemplo. Confirmatur : quoniam obiectum est prius actu, per quem potest cognosci ; prius ergo est vnum esse in multis, quam quod de eo cognoscibile sit per prædicationem, quod in multis reperiatur : quæ ratio in omni vniuersali militat. Occurres tamen huic difficultati hoc modo: prius est rem esse vnam in multis per notitiam abstractiuam, ac simplicem aut quandam etiam comparatiuam quam esse prædicabilem : at non est prius rem esse vnam in multis per prædicabilitatem de illis, quam esse prædicabilem de illis. Quod autem posse prædicari de pluribus sit formalissime posse esse in illis, seu esse aptitudinaliter in illis, constat ex his, quæ superius assertione quarta diximus. Ad confirmationem ita respondebis prius est rem esse, quam posse prædicari, cognoscive, at vero non est prius rem esse vniuersalem aliqua vniuersalitate, quam posse prædicari: hoc autem, non verò illud solum asseruimus.

16 Colligitur quartò, prædicabilitatem haud esse de essentia etiam reali, ac metaphysica, vel vt alij loquuntur, physica vniuersalis in communi. Quæ doctrina, vt ingenue fatear, est aduersus authores toto hoc cap. relatos : qui enim cum Scoto docent prædicabilitatem esse logicè, ac ratione nostra vniuersali vt sic essentialem, ei realiter, ac metaphysicè illam essentialem esse, atque eandem haud dubiè existimant. Rursus qui cum Alberto eum aiunt esse passionem vniuersalis, vt sic, non de passione physica, ac realiter distincta, sed de logica, atque ab vniuersali vt sic duntaxat ratione distincta, adeóque illi realiter, ac metaphysicè essentiali sermonem habent, vt scitè monet P. Hurtadus suprà sect. 2. §. 8. prope medium. Cæterum doctrinæ nostræ ratio est perspicua ex dictis assert. 1. huius cap. ibi namque probatum manet, prædicabilitatem haud esse realiter essentialem quibusdam vniuersalibus: quî ergo potest esse de essentia reali, ac metaphysica vniuersalis in communi? alioqui profecto cõminisci fas erit, accidentia Petri, & Pauli, v. g. ab eis realiter distincta, nihilominus homini vt sic realiter eadem, & essentialia esse.

17 Colligitur quintò, prædicabilitatem vniuersalis in communi, nec passionem realem, aut physicam esse. Cuius ratio est, quia consequenter esset passio, saltem realis, ac physica cuiusuis vniuersalis in particulari, quod tamen est falsum, cum aliquibus physicè, ac realiter repugnet, imò multo magis, quàm calor aquæ, aut frigiditas igni; iuxtà ea, quæ suprà assert. 1. differuimus. Colligitur sextò, quod assert. 2. diximus, prædicabilitatem esse essentiam realem, seu physicam, nostrâve phrasi metaphysicam aliquorum vniuersalium, non verò passionem eorum realem, hoc ita intelligendum esse, si eiusmodi vniuersalia sumantur pro formali, vt aiunt, & provt subsunt secundis intentionibus nostris, vt nostras rationes inspicienti constabit, secus verò, si accipiantur pro materiali, siue rebus ipsis: hæ enim per actus intellectus possibiles à se realiter distinctos denominantur prædicabiles vt perspicuè docent Auersa & Hurtadus locis citatis. Atque rationes Alberti, Veracruzij, & aliorum suprà collectione 3. propositæ, non prædicabilitatem esse passionem logicam nostrorum vniuersalium, vt pollicebantur, sed eorum passionem physicam ab eis pro materiali sumptis realiter distinctam suadent, vt illarum vim recolenti clarebit. Denique colligitur. prædicabilitatem, comparatam cum vniuersali vt sic, nec eius essentiam realem, aut logicam, ac rationis, nec etiam alterutro modo eius passionem esse, sed vt cognoscatur qualis sit respectu illius, ad varias vniuersalis species oportere descendi.

CAPVT III.

An prædicabile sit ratio communis vniuoca ad quinque prædicabilia.

18 QVæstio hæc difficilis est, & inter authores non mediocriter controuersa. Duæ autem sunt in ea extremæ sententiæ. Prior est prædicabile, seu vniuersale vt sic esse rationem communem vniuocam ad quinque prædicabilia, videlicet genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens. Ita Scotus qu. 8. in Porphyrium §. *propter hoc*. Mauritius à portu conterraneus vterque meus, Tartaretus quæst. 2. & alij Scotistæ. Item Okamus tom. 1. log. 18. in fine, & cum eo plerique Nominales. Rursus Soncinas ante caput de genere quæst. *an hæc diuisio*. Sotus quæst. 4. ad 2. Capreolus in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. ad 2. Aureoli contra primam conclusionem, Robertus Holcot. in 1. quæst. 6. littera M. ad 4. Cardinalis Toletus quæst. 2. in Porphyrium. Hurtadus disp. 7. log. sect. 1. Compton. disp. 3. log. sect. 3. Rubius quæst. 7. de vniuersalibus num. 113. Arriaga disp. 9. log. sect. 2. concluſ. 2. Amicus tract. 10. log. quæst. 11. B. Thom. in quæstionibus de vniuersalibus quæst. 2. Iauellus tract. 4. de quinque prædicab. cap. 5. & 6. Mursia in logic. tract. de vniuersalibus disputat. 3. quæst. 1. Masius, Gallego, & alij plures quos referre superuacat.

19 Contraria sententia negans est etiam plurium, & grauium authorum: eam enim tenent Ammonius, & Boëtius in definitione generis, Simplicius in prædicam. & communiter Græci interpretes. Item Auicen. cap. 7. logic. Albert. tract. 2. in vniuersalia cap. 9. Paulus Venetus quæst. de subiecto Porphyrij, Petrus Niger quæst. 16. Colonienses in procœmium Porphyrij, Clypeus Thomistarum quæst. 16. in anteprædicam. Petrus de Bruxellis ibid. quæst. 2. art. 1. Canterus cap. 4. prædicam. Rursus Fonseca lib. 5. metaph. cap. 28. quæst. 2. §. *quocirca si simpliciter & absolutè loquamur*. & Conimbr. tom. 1. log. quæst. 1. in præfat. Porphyrij art. 2. concluſ. 2. prope initium: quamuis enim ambo vniuersalitatem, seu relationem vniuersalis ad particularia rationem vniuocam arbitrentur esse ad quinque relationes inferiores sibi subiectas, cæterum ipsum vniuersale, seu prædicabile in communi provt est concretum, & absolutè sumitur esse rationem vniuocam, & genericam ad quinque vniuersalia locis citatis expressè denegant. Præterea qui in præs. quæstione duntaxat aiunt vniuersale pro formali, siue vniuersalitatem esse conceptum vniuocum, & non analogicum ad genereitatem, specietatem, ac cæteras vniuersalitates, videntur supponere concretum ipsum, siue vniuersale vt sic absolutè sumptum haud esse rationem communem vniuocam ad quinque vniuersalia; ita verò quæst. hanc decidunt : atque in præsenti puncto loquuntur Auersa quæst. 8. log. sect. 16. à §. *pro solutione huius dubij* Balthazar Tellez 1. part. summæ philosoph. disputatio. 5. sectione 2. atque alij non pauci.

20 Aduersus priorem sententiam pro posteriori non pauca, nec leuia sunt argumenta : Primum est tale; quinque vniuersalia circulo suo comprehendunt omnia,

omnia, quæ ab intellectu possunt fieri, siue realia sint, veluti animal, homo, siue solius rationis, veluti chimæra, hyppocentaurus: at vniuersalia realia, & rationis nullam habent rationem communem vniuocam, nullam, in qua simpliciter ambo conueniant; enti enim, & non enti quid potest esse vniuocè commune? eam ergo quinque vniuersalia non habent, ac proinde in ratione vniuersalis vt sic nequeunt vniuocè conuenire. Respondeo, quod asserit prior sententia prædicabile, siue vniuersale vt sic esse conceptum communem vniuocum ad quinque vniuersalia, id intelligendum esse seruatâ proportione; videlicet vniuersale reale, ad quinque vniuersalia realia, & vniuersale solius rationis ad vniuersalia chimærica, ac rationis. An autẽ vniuersale vt sic sit ratio communis vniuoca ad vniuersalia tam realia, quam solius rationis, alia est quæstio, eaque, ne cum præsenti confundatur contra rectam methodum, inferius cap. 3. ventilãda: quamobrem obiectio facta haud est ad rem, qua de agimus. Quid? quod vniuersalibus quibusuis, ac tam realibus, quam solius rationis vnum esse conceptum vniuocum, non rei, sed obiecti cogniti, seu vniuersalis, loco iam memorato constabit? Quid etiam? quod, esto eiusmodi conceptus vniuocus quibuslibet vniuersalibus communis non detur, haud sequitur eum non dari respectu quinque prædicabilium: nam fortassis hæc non se extendunt ad quæuis vniuersalia etiam ficta, ac solius rationis, vt dicitur ibidem: quo pacto etiam iuxtà plerosque ipsum ens in communi, esto sit vniuersale, & vniuocum, minimè complectuntur: si quod etenim eorum esset ens, maximè genus, tale autem communiter negari consueuit, propter id, quod substantia, &, quæ sequuntur prædicamenta decem suprema genera, & sint, & dicantur.

21 Secundum argumentum sic se habet; vniuersale vt sic est concretum per accidens ex natura communi, & actu aliquo intellectus eam obscurè, ac sine inferioribus suis cognoscente, vel certè aliqua relatione fictitia ab eo in naturam cognitam refluente; quid enim horum dicatur parum interest ad præsentem controuersiam: sed concretum, siue vnum per accidens nequit esse ratio communis vniuoca; quæ enim vniuoca sunt definiri solent, ea, quorum nomẽ est commune, & ratio substantiæ nomini accommodata omnino eadem: vnum vero, seu concretum per accidens, præsertim extrinsecus coalescens, ita comparatum est, vt eius ratio non sit omnino eadem, vnave, sed potius simpliciter, & omninò, aut per se diuersa, ac multiplex, quæ est diuersitas, atque seiunctio partium, quibus cohæret. Sed tametsi Caietanus, Villalpandus, & Conimbricenses loco citato, aliique nonnulli putent vnum per accidens haud posse esse vniuersale, haud rationem communem vniuocam; at contrarium fusè probabitur inferius tractatu tertio, & vel ex eo constat, quod habitus, scilicet esse vestitum, aut armatum, sit prædicamentum, ac supremum genus, iuxtà omnes, adeóque ratio communis vniuoca; nemo enim hæc duo dissociare ausus est, vel aliquid esse genus, & non vniuocum arbitratus: atqui habitus est vnum per accidens & extrinsecus constitutum. Quod argumentum, aliáque plura relato tractatu vide, si lubet. Porrò autem ratio vniuoca dicitur omnino vna, & eadem comparatione partium inferiorum, ac subiectiuarum à quibus est abstracta, & quarum diuersitatem consequenter excludit, non verò partium actualium, quas includere diuersas, haud est contra omnimodam identitatem vniuocorum propriam: ac proinde hæc toti per accidens, quidni conueniat? Hinc constat argumentum contrarium, quæ est minoris, quam assumit falsitas, nihil omnino concludere.

Tertium argumentum. Duo postrema prædicabilia, scilicet proprium, & accidens pendent à tribus primis, videlicet, genere, specie, & differentia: quis etenim non videat, risibilitatem, v. g. posteriorem esse rationalitate, & animalitate, ac proinde toto homine, & tam ab hoc, quam à prædictis eius partibus quodam rationis processu manare? ecquis etiã non conspiciat prius hominem, & animal, ac rationale consequenter esse, quam sit albus, aut hoc illi accidens conueniat? sed propter dependentiam accidentis physici à substantia, & creaturarum à Deo, dici consueuit, & non immeritò, rationem entis, vel amve aliam eis vniuocam esse non posse, ergo similiter, &c. 22

Occurrendum tamen huic argumento, in primis eius minorem esse falsam, Deoque, & creaturis substantiæ, & accidenti ens vniuocum esse, vt liquebit in metaph. lib. 3. tract. 2. dependentia autem, qua vniuocatio, tum entis respectu suorum inferiorum, tum etiam prædicabilis comparatione generis, speciei, & cæterorum tolli probatur, ibidem est latè reprobata, velut ad id cuius gratia obiicitur inutilis, ac parum idonea: Nam qualitas est genus supremum, adeoque aliquid vniuocum respectu lucis, & caloris, cognitionis, & amoris, habitus, & actus, etiamsi earum qualitatum, quæ posteriori loco memoratæ sunt à prioribus dependeant. Verum ne hæc, & alia superius dicta non sine lectoris molestia, ac fastidio repetam, intrà præsentis materiæ carceres optimo res exemplo potest ostendi. Nam proprium est vniuocum contemplatione huius, & illius proprij, vel iuxtà aduersarios, exemp. gra. risibilis, & admiratiui, cum tamen illud ab hoc dependeat: quidni ergo vniuersale sit vniuocum, & genus respectu trium priorum prædicabilium, ac duorum posteriorum, v. g. respectu risibilis: & albi ex vna parte, & ex alia hominis, animalis, & rationalis, vtvt ab his illa dependeant. 23

Secundò occurri potest eidem argumento, proprium bifariam sumi posse, videlicet, aut primò intentionaliter, quo pacto solam risibilitatem, v. g. aut vim admiratiuam secundum se importat; vel secundò intentionaliter, quo pacto ambas, non secundum se præcisè, sed provt confusè cognitas, & ab inferioribus abstractas complectitur. Pari ratione accidens, pari genus, speciem, & differentiam distingui oportet. Largior ergò aduersariis, quinque illa prædicabilia haud vniuocè conuenire in ratione vniuersalis, seu prædicabilis, aliáve vlla, si sumantur omnia, & singula primò intentionaliter, propter id, quod ita sumpta inuicem dependent, vti obiectis constat exemplis. Cæterum hoc diffiteor, ea secundo intentionaliter sumpta, & provt quodlibet eorum ab actu aliquo nostro extrinsecè cognoscitur, & vniuersale denominatur, haud conuenire vniuocè in ratione vniuersalis vt sic, siue prædicabilis, aut argumento facto istud vllatenus concludi: namque si ita sumantur, nullam habent dependentiam alia ab aliis: vt enim cognoscatur risibile, non est necesse prius rationale cognosci, aut posteriorem hanc cognitionem illius causam esse, eive, quod aiunt facem præferre, cum potius contrarium accidat, quoties à posteriori arguimus, & essentiam de aliqua re per eius proprietates prius cognitas demonstramus: risibile ergo provt cognitum, seu quatenus vniuersale, & prædicabile non dependet à priori, à rationali, animali, aut homine eodem modo sumptis, & provt generis, speciei, ac differentiæ extrinsecam rationem 24

indu

induunt: quidni ergo hæc tria vniuersalia cum proprio & accidenti in denominatione extrinseca vniuersalis, seu prædicabilis vniuoce conueniant.

24 Quartum argumentum simile præcedenti: accidens physicum haud conuenit vniuoce cum substantia itidem physica in ratione entis realis: ergo accidens logicum non conuenit vniuocè cum substantia, siue essentia logica in ratione entis intentionalis, siue vniuersalis, prædicabilisve. Duo autem posteriora prædicabilia sortiuntur naturam logici accidentis, proprij quidem, aut communis, ac tria priora substantiæ, siue essentiæ logicæ, vt inter omnes exploratum est, & merito, quoniam hæc in quid, illa vero in quale prædicantur: alia ergò cum aliis in ratione prædicabilis, aut vniuersalis, siue entis intentionalis vniuoce non consentiunt. Sed primum antecedens est falsum, & permissa eius veritate, consequentia nulla. Non enim sicut accidens physicum à substantia eiusdem ordinis in ratione entis realis dependet à priori, ita accidens logicum seu prædicabile provt tale à substantia, siuè essentia eiusdem seriei à priori pendula est, vt paulo suprà vidimus.

25 Aliis terminis superius argumentum opponi solet, & ita oppositum sit quintum. Modus prædicandi, seu cognoscendi sequitur modum essendi, & alter habet cum altero proportionē: at esse in communi nequit vniuocè complecti id quod est à parte rei substantialiter, & quod accidentaliter: ergo prædicari in communi nequit esse vniuoca ratio respectu eius, quod substantialiter, & in quid, siue instar generis, speciei, aut differentiæ, & eius, quod accidentaliter, atque in quale, siue instar proprij, vel accidentalis enunciatur. Sed quod exigenda non sit proportio penes omnia inter modum essendi, & prædicandi, cognoscendivè, perspicuum est, quoniam res sunt à parte rei determinatè, prædicantur vero, & cognoscuntur multoties confusè solum, & indeterminate, item, quia res sunt cum dependentia à priori vnius ab alia, quin tamen eius rei, quæ prior est alia, eiusque causa, cognitio similem prioritatem, aut causalitatem exerceat respectu cognitionis per quam apprehenditur alia: quocirca nihil mirum, si quoad inuocationem non seruent proportionem, neque si modus essendi, siue conceptus obiectiuus entis sit vniuocus comparatione eorum, quæ substantialiter, & accidentaliter existunt, modus prædicandi, siue conceptus prædicabilis vniuocus sit intuitu eorum, quæ in quid, & in quale dicuntur.

CAPVT IV.

Aliorum argumentorum aduersus priorem sententiam solutio.

26 SExtum argumentum: genus est magis vniuersale, quam species, cum plura inferiora comprehendat: inæqualiter ergo rationem vniuersalis participant, adeoque in ratione vniuersalis vniuocè non conueniunt: quæ enim vniuoca sunt ea sunt omnino eadem, & æqualia, ac proinde contraria inæqualitas vniuocationem omnem vbiuis interimit: vnde merito inæqualis participationis entis in eo, non vniuocè, sed analogicè substantia, & accidens, Deus, & creatura conueniunt.

Sed in primis permitto, & genus, speciem inæqualiter participare rationē vniuersalis, quid inde? An non homo perfectiùs animal est, quam bellua, eamque rationem communem, & genericam inæqualiter ambo participant? & tamen iuxta omnes vniuocè in ea cōueniunt. Definitio autem vniuocorum haud probat contrarium: etenim quod participatio aliqua, seu contractio sit inæqualis, nihil prohibet, quominus ratio abstracta provt talis, ac circumscripta quauis eius contractione, sit omnino eadem, sicut ad vniuocationem oportet. Haud etiam magis vrget exemplum substantiæ, & accidentis, Dei & creaturæ. Probabilius enim est, vt diximus, hæc omnia, quamuis inæqualiter participent rationem entis, nihilominus in ea vniuocè conuenire. Deinde 2. quod se ad plura genus extendat quam species, arguit quidem illud extensiuè esse magis vniuersale, quam speciem, non vero intensiuè: intensiua namque, & essentialis ratio vniuersalis posita est in eo, quod sit abstracta à suis inferioribus: talis autem ratio quantum in genere, tantundem in specie reperitur. Porro istiusmodi secunda æqualitas, videlicet intensiua satis, superque est, vt absolutè sit ratio vniuoca, & non analogica vniuersale respectu generis, & speciei, quidquid sit, an si non daretur, sed potius contraria inæqualitas, ea vniuocationi obesset: siquidem quantitas est ratio vniuoca comparatione eius, quæ bicubita est, & eius, quæ tricubita; attamen vtraque quantitas extensiuè loquendo non est æqualis in ratione quantitatis, quando quidem vna plures partes versus locum habet, quam alia; solumque intensiuè sunt æquales in ratione quantitatis, quoniam tam quantitas est vna, quam alia, eiusque definitionem ambæ ex æquo participant. Rursus hæc veritas; viginti homines currūt, & hæc; duo currunt, extensiuè sunt inæquales, propter id, quod pluribus obiectis vna quam alia conformatur: at quia intensiuè æquales sunt, idcircò veritas in communi, respectu illarum, & aliarum quarumuis, est ratio communis vniuoca.

27 Septimum argumentum: vniuersale definiri solet vnum in multis, accidens autem, siue proprium, siue commune, est in multis secundum quid, & improprie, genus vero, species, & differentia simpliciter, & proprie: duo ergo illa prædicabilia priori loco memorata, ita comparantur, vt alterutrum eorum sit secundum quid vniuersale, tria verò postea enumerata, vt eorum quoduis sit simpliciter vniuersale, ac proinde alia cum aliis in ratione vniuersalis vniuocè non conueniunt, haud secus ac ens reale, & fictum in ratione entis citrà dubium vniuocè non conueniunt, propterea quod alterum sit ens simpliciter, & alterum secundum quid. Porrò discrimen illud essendi in multis, videlicet simpliciter, & secundum quid, inter priora prædicabilia, ac posteriora suadetur; reliquæ enim argumenti partes nulla probatione indigent. Eatenus aliquid est in multis deque iis prædicabile, quatenus cum illis identificatur, vt sponte sua notum, compertumque: atqui accidens, siue proprium, siue commune, non est idem simpliciter, & strictè cum substantiis illis, de quibus prædicatur: quî enim fieri potest, vt accidentis, & substantiæ realis distinctio cum vera, & propria vtriusque identitate cohæreat? nisi verò amborum intrinseca vnio, vniusque in alia receptio, instar identitatis habeatur, quo tamen nihil confingit potest absurdius. Quod si comparetur alterutrum accidens, non cum solis substantiis inferioribus, sed cum accidentibus, v.g. calidum in octauo, & summo gradu, non cum hoc, & illo igne, sed cum hoc, & illo calido provt tali,

aut

aut album, non cum Petro, & Paulo, ſed cum hoc, & illo albo, iam non erit ea prædicatio accidentalis, qua de loquimur, ſed eſſentialis, eo quod huic, & illi calido & etiam huic, & illi albo provt talibus rationes albi, & calidi haud aliter conueniant ac diuerſis hominibus quidditas humana. Contrà verò genus, ſpecies, & differentia, cum ſint indiſtincta realiter à ſuis inferioribus, in quo ab vtroque accidenti diſſident, cum iis ſimpliciter, ac ſummo quidem rigore identificantur. Trium ergò prædicabilium, quæ priori loco enumerauit Porphyrius, quodnis eſt ſimpliciter vnum in multis, nec niſi ſecundum quid duo illa, quæ poſteriori loco recenſuit.

28 Hoc vnum ſupererat, vt aduerſarij, ne quinque vniuerſalium vniuocam conuenientiam admitterent, quædam eorum ſimpliciter vniuerſalia eſſe negarent. Quam immerito tamen hoc faciunt, in procliui eſt ostendere. Nam hæ prædicationes, Petrus eſt albus, Paulus eſt albus, ſtrictè, & rigorosè loquendo, non ſunt ſingularis de ſingulari: ergo vniuerſalis de ſingulari: accidens igitur commune, & à fortiori proprium eſt propriè, ac ſimpliciter vniuerſale. Item ſecundò Porphyrius inter quinque vniuerſalia numerauit accidens, proprium & commune, nulla facta limitatione, aut additione diminuente, & haud aliter, ac genus, ſpeciem, & differentiam; quemadmodum ergo hæc, ſic, etiam illa verè vniuerſalia eſſe censuit.

Deinde tertiò, vt quidpiam ſit vnum in multis, idque proprie, & ſimpliciter, ſicut ad veri vniuerſalis rationem oportet, ſolam identitatem inadæquatam, non verò adæquatam & maiorem cum iis expoſcit: cuius rei argumentum eſſe poteſt, quod vniuerſale ſit in multis etiam diuiſiuè ſumptis, homo v.g. in Petro, & Paulo ſingulatim vſurpatis: alteruter enim eorum, provt ab alio condiſtinctus, eſt homo, & hanc rationem participat: at vniuerſale cum inferioribus ſuis ita acceptis, homo ex. g. cum Petro provt condiſtincto à Paulo, & è conuerſo, identitatem adæquatam neutiquam habet, ſed ſolam inadæquatam. Quocirca cum accidens commune, & proprium, cuiuſmodi ſunt album reſpectu hominis, & calidum in octauo gradu reſpectu ignis cum ſubſtantiis, de quibus prædicantur eadem ſint inadæquatè, & rationem eſſentialem ab iis abſtractam pro materiali, & inſtar ſubiecti intimè includant: mirandum non eſt, quod in illis ſint propriè, & ſimpliciter, quemadmodum, vt vera ſint vniuerſalia, omninò requiritur.

29 Præterea quarto: homo ſimpliciter, & proprie dici ſolet de nouo productus, quando ex parentis vtero naſcitur: at ſolum inadæquate terminat nouam primamque productionem, ſcilicet penes animam rationalem, eiuſque vnionem, non vero ſecundum materiam, quæ iam olim eſt creata & in lucem edita, quando Deus orbem hunc initio condidit: tametſi ergo eſſe album v.g. cum Petro, & Paulo inadæquatam duntaxat identitatem habeat, eiuſmodi tamen accidens quintum prædicabile veram, & propriam cum eis ſortietur identitatem, illiſque, quod conſequens eſt, ſimpliciter inerit, ſicut ad verum vniuerſale oportet: aliorum autem accidentium, ſiue propria, ſiue communia ſint, par eſt ratio. Atque hinc ad argumentum contrarium, & principium illud, cui potiſſime innititur, liquido conſtat.

30 Octauum argumentum: ſi vniuerſale eſſet ratio communis vniuoca ad quinque vniuerſalia inter ſe tanto perè diuerſa, eſſet conſequenter reſpectu eorum genus, ac proindè ſingula illorum forent eius ſpecies; cuiuis enim generi ſuæ ſpecies correſpondent. At primum prædicabile nequit eſſe ſpecies vllius generis, cum ſit genus, generi autem ſpeciem eſſe repugnet: ſingula ergò quinque prædicabilium nequeunt eſſe ſpecies prædicabilis, ſiue vniuerſalis in communi, atque adeo hoc contemplatione eorum genus, ac ratio vniuoca eſſe non ſuſtinet. Reſpondeo: quemadmodum animal v.g. eſt ſimul ſpecies ſubiicibilis reſpectu viuentis, & genus reſpectu hominis, & beluæ, ita ſimiliter primum prædicabile eſſe poſſe ſpeciem ſubiicibilem comparatione vniuerſalis, ſiue prædicabilis in communi; nec non genus comparatione ſuorum inferiorum, videlicet huius, & illius generis: neque vllam repugnantiam in eo reperiri, quod idem ſit ſimul genus, & ſpecies relatione eius facta, non ad idem, ſed diuerſa, quorum aliis ſubiiciatur, de aliis vero prædicetur.

Nonum argumentum; vniuerſale eſt vnum non 31
repugnans eſſe in multis; haud enim opus eſt, vt iis actu inexiſtat: ſed non repugnantia eſt quædam negatio: igitur vniuerſale pro formali eſt ſola negatio, negationis autem, ſiue non entis nequaquam datur ratio communis vniuoca, ea ſiquidē non entis vniuoca ratio plures negationes inter ſe eſſentialiter diſſimiles complectens, eo ipſo foret genus, haud aliter, ac animal comparatione inferiorum ſuorum inuicem diſſimilium. Conſequens vero iſtud abſurdum prorſus eſt, quoniam generi omni ſuæ ſpecies reſpondent, vt nuper diximus, non entis autē nullæ poſſunt eſſe ſpecies: ergo nec genus. Quod ſpecies omnes non entis planè repugnent, & eſt manifeſta Ariſtotelis opinio in fine Topicorum, & alibi ſæpe, nec non ſponte ſua conſtat; ſpecies enim cum quidditate, & eſſentia recurrit, & eadem eſt: non entis autem quæ quidditas, aut eſſentia excogitari poteſt?

Reſpondeo, repugnantiam, ſiue ineptitudinem, 32
aut impoſſibilitatem eſſe negationem quandam; vnde non repugnantiam eſſe negationem negationis. Negatio autem negationis eſt poſitio aliqua, & quidpiam verum, ac reale: quo pacto, qui ait Petrum v.g. non eſſe non hominem, quid aliud, quam eum eſſe hominem affirmat? Quapropter, tametſi vniuerſale pro formali ſit non repugnantia exiſtendi in multis, nihilominus aliquid poſitiuum, non vero reipſa negatiuum cenſeri debet, ac proinde huiuſmodi conditio, etiam ſi requiſita ſit ad abſtractionem, ratio communis, & vniuoca vniuerſalis, ſeu prædicabilis optimè poterit abſtrahi. Deinde, fac vniuerſale pro formali eſſe veram negationem, hoc tamen eius abſtractioni, & vniuocationi nihil oberit: vna namque negatio, & alia tam conueniunt in ratione negationis, ſiue non entis, ac duo entia in conceptu obiectiuo entis: cum ergo abſtrahendi fundamentum ſit inferiorum conuenientia, & vniuſcuiuſdam rationis æqualis participatio, quemadmodum entis, ita & non entis, adeoque etiam vniuerſalis quod permittimus inter non entia numerandum, fieri poterit vera abſtractio, & cum ea coniuncta vniuocatio. Quod autem infertur, negationem illā vniuerſalis conſtitutiuam fore genus habituramque alias negationes ſibi ſpecierum inſtar ſubiectas, quod tamen videtur abſurdum, abſonumque, hoc inquam haud ſequitur: nam vti ens communiſſimè ſumptum eſt vniuerſale, & abſtractum, atque vniuocum iuxtà Scotiſtas, aliarumque partium non paucos ſectatores, quin tamen iuxtà pleroſque eorum genus ſit, ſed decem ſupremis ge-

neribus, seu prædicamentes altius quiddam, atque superius ; cur etiam negatio aliqua, aut vniuersale eam pro formali inuoluens, ratio communis vniuoca, & abstracta esse non possit, quin propterea generis rationem obtineat, aut species vllas contineat.

33 Decimum argumentum. Si vniuersale, seu prædicabile vt sic quinque vulgatis eius speciebus est ratio communis vniuoca, atque generica, sanè hæc prædicatio, *vniuersale est genus*, erit directa, non minus, quam hæc, *animal est genus*, *viuens est genus* ; sicut enim præter animal, & viuens, ita etiam præter vniuersale in communi multa alia reperiuntur genera : non magis igitur de illis, quam de hoc genus directè enunciabitur ; qua etiam de causa viuens, vt exemplis adductis insistamus, de animali, & hoc de homine directe prædicantur. Rursus, quod omninò repugnat, ea prædicatio erit simul indirecta idcircò namque hæ propositiones, animal est homo, viuens est animal, sunt indirectæ, quia singulæ sunt inferioris de superiori, sed cum genus de vniuersali, tum inferius de superiori dicitur: quis enim neget, genus esse inferius prædicabili vt sic, quod non magis à cæteris quatuor, quam ab illo abstrahitur.

34 Responderi tamen facilè potest, hanc prædicationem, *vniuersale est genus*, esse directam, propter generis amplitudinem, qua tum vniuersale, tum alia genera coërcet: eam verò neutiquam indirectam esse, quoniam etsi inferius de superiori prædicet, non tamen quod omninò inferius sit, sed quod simul sit superiori suo inuicem superius ; quod quatenus non repugnet, cap. sequenti declarabitur. Tunc autem propositio aliqua euadit indirecta, quando inferius omnino & prorsus tale de superiori enunciat, illudque ei veluti superimponit, contrà quam rerum directus ordo postulat: atque hoc, & non amplius suadent exempla opposita : quia enim homo est omnino inferior animali, & hoc viuenti, idcirco de iis indirecte prædicantur.

35 Instabis ex aduerso ; prædicationem eam, vniuersale est genus, esse directam, quamuis eius prædicatum non sit omnino superius, sed simul etiam inferius suo subiecto : quidni ergo sit ex æquo indirecta tametsi eius prædicatum non sit pure inferius, nec omnem superioritatem refugiat ? Respondeo, rationem discriminis in promptu esse : negatio enim aliqua constituit propositionem indirectam provt talem, sicut ipsa eius nomenclatio indicat : quare non modo exposcit, vt prædicatum suum inferius sit subiecto, quæ positio quædam, & affirmatio est, sed etiam vt non sit illo superius, quod negare quoddam est : at verò propositionem directam quatenus talem nulla negatione constitui oportet : vnde hoc solo contenta, quod eius prædicatum sit superius, illud non esse inferius, neutiquam postulat. Respondeo secundò, tum ad argumentum principale, tum etiam ad instantiam, propter eam mihi satis probabile videri, prædicationem illam, qua de agimus, nec esse directam, nec etiam indirectam : hæc enim est cuius prædicatum est omnino, ac duntaxat inferius subiecto, illa verò, cuius prædicatum est similiter superius subiecto : prædictæ autem propositionis prædicatum non est solum inferius, nec solum etiam superius subiecto suo, sed partim illud infrà, partim suprà. Quapropter ea, nec erit directa, nec indirecta, sed inter ambas media, & quodammodo particeps alterutrius.

36 Vndecimum argumentum : Si prædicabile vt sic vniuocè abstrahi potest à quinque speciebus suis, & munere huius abstractionis effici genus, hæc prædicatio, *prædicabile est genus*, erit contingens, non minus, quam hæc, *animal est genus* : actus enim intellectus alterutrum abstrahens, & genus efficiens, extrinsecùs, & accidentaliter denominat subsstratam sibi naturam : atqui ea prædicatio, *vniuersale est genus*, colligitur ex hac, genus est vniuersale, species est vniuersale, & similiter differentia, proprium, & accidens : quæ quidem omnes sunt necessariæ, & essentiales : vnde enim concludi potest, aut solet, vniuersale esse genus, nisi ex eo, quod quinque prædicabilium speciebus ita conueniat, ac de eis possit enuntiari ? iam ergo propositio contingens poterit colligi ex vna, vel pluribus necessariis, haud secus, ac si Petrum v. g. existere efficias ex eo, quod sit homo, vel animal rationale, quo tamen quid fingi potest absurdius ? Hoc ergo ne sequatur, illud negandum est, vnde sequi videtur, nimirum vniuersale, seu prædicabile in communi esse contingenter genus, more animalis, & aliarum rerum, seu primarum intentionum : vbi verò non sit contingenter genus, nullatenus eiusmodi esse poterit, cum denominatio generis nunquam non sit extrinseca, & ex accidenti. Sed ne hoc argumentum vrget ; aliud enim est, prædicabile vt sic posse esse genus, abstrahive : aliud, actu esse genus, & de facto, vt aiunt, abstrahi : propositio illud prius affirmans est necessaria, eaque sola est, quæ colligitur ex his necessariis, genus est prædicabile, seu vniuersale, species item, differentia etiam, proprium, & accidens : quæ vero posterius affirmat est contingens : cæterum non colligitur per se loquendo, nec ineuitabiliter infertur ex supradictis propositionibus necessariis, aut earum veritate : quamuis enim singula & omnia prædicabilia rationem vniuersalis, ac prædicabilis essentialiter participent, atque in ea conueniant, haud tamen propterea opus est, vt eiusmodi ratio actu ab illis abstrahatur, vel genus denominetur. Ita quoque animal necessariò potest abstrahi, & esse genus: cæterum contingenter abstrahitur, & est actu genus : atque non hoc posterius, sed istud prius ex eo quod homo sit necessariò animal, & bellua similiter, indissociabili consequentia colligitur. Quæ cum ita sint, nulla causa subesse potest, quominus prædicabile vt sic, instar animalis, & aliarum rerum, denominationem generis quantumlibet contingentem obtineat.

CAPVT V.

Alia quoque argumenta aduersus priorem sententiam soluuntur.

DVodecimum argumentum, quod multos transuersos egit, est huiusmodi. Si prædicabile vt sic vniuocè abstrahi posset à quinque prædicabilium speciebus, esset respectu earum genus, vt sæpe sæpius dictum, haud aliter, ac animal, ab homine & bellua differentibus specie abstractum, comparatione eorum genus est : at prædicabile vt sic nequit esse eo modo genus : illius igitur vniuoca ratio nequit à quinque prædicabilibus abstrahi : maior videtur indubitata : minoris probatio ; si prædicabile in comuni esset genus respectu omnium in particulari, adeoque ipsius generis primi prædicabilis, contemplatione huius foret superius, & inferius, quod 37

omnino

omnino repugnat : superius , quia genus ad illud, & reliqua: inferius etiam eo , quia genus primum prædicabile continet sub se omnia genera: ergò & genus illud, quod à quinque prædicabilibus dicitur abstrahi: si quidem non poterit cum reliquis generibus non generice conuenire. Confirmatur argumentum : quoniam genus primum prædicabile cætera quatuor sub se contineret ac simul non contineret. Prius claret: nam oportet illud sub se continere prædicabile vt sic , quod omnia in particulari sub se tenet. Posterius autem non minus est in propatulo : quoniam partes subiectiuæ vnius generis quales sunt genus , species, differentia , &c. ita instituuntur,vt neutra alteram infrà se contineat;aliàs homo belluam continere posset, aut è diuerso.Confirmatur secundò quia prædicabile foret superius se ipso:si quidem genus primum prædicabile se superius superaret.

38 Huic argumento respondere solent aduersarij; prædicabile vt sic bifariam sumi posse ; primò pro materiali , & penes id , quod ei essentiale est , seu pro vt personaliter supponit , (hac enim varietate terminorum,eundem eorum alij aliij;exprimunt) & ita esse rationem vniuersalem,ac superiorem contemplatione generis , cum ita acceptum non solum genus , verum etiam reliqua prædicabilia complectatur : Secundò pro formali , siue penes id , quod ei accidentarium est , aut provt simpliciter supponit ; & ita esse rationem inferiorem contemplatione generis,cum ita sumptum quendam actum particularem genereitate vt sic inferiorem, eiusque speciem inuoluat , scilicet eum , per quem à quinque prædicabilibus abstrahitur : quare in prædicabili vt sic,quando efficitur genus, aliud,& aliud esse superius , & inferius genere primo prædicabili : atque hinc etiam , aiunt , patere ad duas confirmationes, quarum videlicet tota vis ex mutua illa relatione superioris, & inferioris vni , eidemque prædicabili vt sic conueniente dependet. Quam solutionem aliqui sic præterea declarant : dictio , si supponat materialiter,ac pro se est inferior nomine: hæc enim vox, *dictio* , est nomen , & præter eam aliæ plures: rursus.si supponat formaliter,ac pro suo significato, est superior nomine ; si quidem quod per eam significatur non tantum nomen, sed etiam alias orationis partes,quæ non minus , quam illud sunt dictiones, reuera comprehendit : nil mirum ergò quod genus istud prædicabilis ab eius quinque speciebus abstractum , sit primo prædicabili superius , & inferius, dummodò aliter , aliterque sumatur , eiusque suppositio varietur. Quod etiam iidem ita secundo declarant : quoniam Papa, provt talis, est superior suo confessario, & quatenus particulare membrum ecclesiæ Christi, vnusque fidelium, eo est inferior, idque esto iurisdictio confessarij à Pontifice dimanet: quemadmodum ergò Papa aliter,aliterque sumptus, eiusque suppositione variata, est simul inferior, superiorque eidem homini , ita similiter in præsenti, &c.

39 Quominus tamen hanc solutionem satisfacere putem sequenti fundamento adducor. Prædicabile vt sic accidentaliter sumptum , & provt actui abstrahenti subiacet, est vniuersale, & genus ad quinque prædicabilia , & consequenter ad ipsum genus; at esse vniuersale , & genus est esse quiddam superius : ita ergò sumptum prædicabile vt sic est superius genere primo prædicabili : quare , cum eo simul sit inferius , quatenus accidentaliter sumitur, vt ipsis aduersariis est in confesso, reliquum est , vt fateantur idem eodem modo vsurpatum , eiusque suppositione inuariata, esse simul superius , & inferius respectu eiusdem , nimirum prædicabile vt sic comparatione generis , à quo eius quinque partita diuisio incipit. Maior nostræ argumentationis, quæ sola eget probamento, hunc in modum probatur : prædicabile vt accidentaliter sumptum,& provt actui confuso substernitur , à quinque prædicabilibus abstrahitur, nihil autem quatenus ab inferioribus quibusuis abstrahitur , non est vniuersale; ita ergò sumptum est vniuersale , & genus. Rursus secundò probatur eadem maior ; prædicabile vt sic pro solo materiali sumptum non est actu genus,aut vniuersale logicum , quo de agimus , cum eorsim ab actu intellectus nullum , saltem eiusmodi , vniuersale possit inueniri : ergò non nisi accidentaliter sumptum , ac simul pro materiali , & formali , obiectiuè,& actu, est vniuersale , genusque respectu primi , & cæterorum prædicabilium. Hinc etiam constat exempla huius solutionis patum accommoda esse : siquidem, *dictio* , non est simul superior, & inferior nomine, primavè orationis parte, nisi eius suppositione variata , eaque lege , vt modò pro se, modò pro suo significato supponat. Hoc autem etsi satis sit , vt vulgari , & crassa minerua dicatur diuersas illas relationes , primaque facie oppositas ex æquo subire , si tamen stristè loquamur , ac res ad viuum resecetur , non idem respectu eiusdem est superius simul, & inferius. sed aliud,aliudque:nam hæc vox ex instituto significans , videlicet , *dictio*, est inferior nomine ; at non ipsa , sed quod per eam significatur, est illo superius. Quod etiam visitur in bino illo respectu , quo Papa dici consueuit superior simul, & inferior suo confessario. Cæterum ij, quibus cum lis est, negare nequeunt , quin prædicabile in communi accidentaliter , eodemque modo sumptum , & immutata eius suppositione , simul sit superius , & inferius genere primo prædicabili: nec ergo sibi cohærent,nec prædictis exemplis , nisi frustra vtuntur.

Secundo alij respondent aliter , ac præmittunt 40
primo, quinque vniuersalia pro materiali non differe, sed pro solo formali. Quod enim est accidens respectu sui subiecti per vnum actum intellectus, idem est species , ac prædicatum essentiale comparatione huius, & illius accidentis,per alium actum. Quod ipsum in proprio, & differentia seruata proportione cernitur. Rursus; genus pro materiali collectionem omnium specierum ab omni natura generica realiter indistinctam importat ; eandemque etiam species ipsa in communi, pro suo materiali, complectitur. Quare sicut album specificatiuè sumptum non distinguitur à dulci , sed propriè dulce esse dicitur , eo quod vtrumque pro materiali non differant , ita eadem ratione genus à specie non distinguitur, nec hæc à reliquis vniuersalibus. Deinde , secundò præmittunt , cognitum vt cognitum esse solam cognitionem , & vniuersim concretum intentionale reduplicatiue sumptum esse solam formam, quia vt simpliciter, & absolute illud concretum dari censeatur , solius formæ existentia requiritur ; quo pacto homo non existens , verè tamen cognitus esse dicitur: in quo concretum physicum, & intrinsecum, ab extrinseco,& intentionali valde differt ; siquidem homo non existens vere dici nequit albus, vt compertum est.

Quibus positis, asserunt prædicabile specificatiuè 41
sumptum à quinq;prædicabilibus specificatiue sumptis abstrahi, aut vniuersale fieri non posse, eo quod quinque prædicabilia ita sumpta non distinguantur, nec pro materiali multiplicia sint. Nam multiplicitas

tiplicitas & distinctio inferiorum omnis abstractionis vniuersalis fundamentum est, atque radix, propter id, quod vniuersale sit suapte natura vnum in multis. Cæterum prædicabile, inquiunt, seu vniuersale reduplicatiuè sumptum aut quod perinde est iuxta præmissa, vniuersalitas in communi est ratio vniuersalis, & superior comparatione generis, & cæterorum vniuersalium reduplicatiue, siue, quod in idem redit, contemplatione genereitatis, specietatis, &c. At eadem vniuersalitas in communi non est ratio inferior genereitate, eo quod non sit genereitas, cum solus actus eam abstrahens genereitas sit, sed genere, propterea quod genus sit ad quinque vniuersalitates. Quare vniuersale, seu prædicabile reduplicatiue sumptum est superius genere, & specie, &c. etiam reduplicatiue sumptis: at est inferius genere duntaxat specificatiue sumpto: in quo ne vestigium repugnantiæ reperiri videtur.

42 Verum enim hæc solutio multis nominibus mihi displicet. Primò namque falso supponit, quinque vniuersalia pro materiali, seu specificatiue non differre, & speciem, ac genus pro materiali collectionem specierum ex æquo includere, cum iuxtà veriorem sententiam præcisiones obiectiuas tuentem, nec species collectionem specierum, sed rationem superiorem ab eis virtualiter distinctam, nec genus itidem collectionem generum, sed rationem ab eis virtualiter eiiam præcisam pro materiali inuoluant. Sic lib. præced. vidimus hominem non esse Petrum, & Paulum, ac cæteros immediatè, & confuse cognitos, nec animal hominem, & belluam provt aliqua cum confusione cognoscuntur. Præterea esto pro materiali quinq; prædicabilia non differant, sed potius specificatiue sumpta possint mutuo, & formaliter prædicari, tamen sufficientem multiplicitatem ad vniuersale sortiuntur. Nam genus, & species v.g. pro formali, & inadæquate realiter distinguntur: at hæc distinctio realis inadæquata vtriusq; illius concreti satis est, vt ab eis verum vniuersale abstrahi possit, cùm distinctio solius rationis aliquorum, quæ longe minor est, nihilominus ad vniuersale quoddam ab eis abstrahendum sufficiat, vt initio libri superioris latè ostendimus.

43 Deinde falso supponunt, cognitum vt cognitum, seu vniuersale, vt vniuersale, esse solam formam extrinsecam illius aggregati, quoniam nihil intellectus noster concipit, suprà quod nequeat reduplicare; sicut nihil concipit, de quo non possit aliquid prædicare: ergò suprà subiectum, & formam cogniti intellectus reduplicare valet; siquidem hanc, & illud ex æquo concipit: immerito ergò dicitur cognitum suprà solam cognitionem reduplicare. Secundo, quia quod ad denominationē cogniti, siuè ad hoc vt quis cognitus dicatur, existentia obiecti minimè sit requisita, nihil aduersariorum de reduplicatione sententiam iuuat. Tum, quia inprimis id verum non est in omni cognitione, cū plures cognitiones, aut intuitiuæ, aut abstractiuæ sed essentialiter veræ, cum existentia sui obiecti necessario connectantur, nec nisi vt existens possint illud cognitum denominare. Tum quia, vt quis dicatur esse homo, non requiritur existentia naturæ humanæ, eò quod illa propositio sit sempiternæ veritatis, vnde quod Petrus v.g. sit homo, est verum ab æterno, & iam inde à Deo affirmatur: & tamen homo vt homo supra naturam humanam aut id, quod est essentialiter homo reduplicat: similiter ergò quamuis aliquid, vt sit cognitum, existentiam non postulet: nihilominus cognitum, vt cognitum suprà naturam cognitam, ipsumque obiectum reduplicabit. Tum etiam, quia aliàs obiectum displicentiæ diuinæ provt obiectum, suprà malitiam peccati non reduplicabit, sed suprà solam displicentiam, cum hæc sola requiratur existens, vt ab æterno peccatum odio habitum denominetur: vndè sequetur vlterius, hanc propositionem esse veram, *obiectum odij diuini provt eius obiectum, non est odibile, sed potius amabile*: siquidem diuina displicentia ei subiecta reduplicationi summum meretur amorem: at ea propositio à nemine tutò concedi posse videtur.

Denique quartò, ea solutio mihi displicet: quoniam iuxtà eam prædicabile vt sic, specificatiuè sumptum, nec esset vniuersale; nec singulare: non quidem vniuersale, vt eius authores docent: non singulare: quia vel est vnum singulare; & hoc sustineri nequit: cum non de solo prædicetur vno: vel propterea est plura singularia; & ne hoc maiorem habet speciem probabilitatis, quia in eo conceptu prædicabilis vt sic nulla prædicabilium exprimitur multitudo: haud enim hæc exprimi potest, ex parte materialis quo constat ille conceptus, eius siquidem materiale immultiplex reuera, & indiuisum supponitur; haud etiam ex parte formæ, siue actus, cui subest, vt ipsi aduersarij in confesso habent. Proindè, aut prædicabile vt sic specificatiuè sumptum vniuersale esse, aut inter vniuersale, & singulare medium, iis concedendum est; quorum tamen neutrum concedunt. 44

Reiectis ergò aliorum solutionibus, ipse ni fallor clarius, & expeditius difficultati satisfacio, concessa sequela. Consequens autem absurdum non esse in hanc modum suadeo: contra vtriusque sententiæ patronos, Non magis repugnat, idem esse per intellectum superius, & inferius respectu alterius, estò à parte rei id vsuuenire nequeat, quam conceptum realiter eundem ratione distingui, aut conceptus realiter distinctos ratione confundi, & identificari: at vtrumque intellectus facere potest, vt, Nominalibus exceptis, cæteri omnes scholastici fatentur; ergo & illud prius. Quare ingenue fateor, prædicabile vt sic, seu genus ad quinque prædicabilia absolutè, & simpliciter esse superius, & inferius genere primo prædicabili, (idque estò vtriusque suppositio maneat inuariata, & neutrum non eodem modo sumatur) quia nimirum mutua hæc superioritas, & inferioritas intentionalis est, & ab intellectu proficiscitur. 45

Quod si aliquis ex aduerso ita instet. Ratio superior reipsa latius inferiori patet, & hæc illa minus patet: sed duo ita cōparari nequeūt, vt alterū altero latius, & minus latè reuera pateat; quēadmodū in animali, & homine cuiuis conspicuum erit: idē igitur ratione nostra respectu alterius superius, & inferius esse nequit. Ita inquam, si quis instet, & sic debet occurri: ratio superior alia non debet ea latius patere penes omne id, quo superior constituitur, nec etiam ratio inferior alia minus, quam ea patere vndequaque: nam species humana à me modò abstracta à suis indiuiduis est ratio superior, & specifica respectu Petri, cum tamen specieitas eius constitutiua Petro latius non pateat, eò quod indiuidua quædam & accidentalis cognitio sit, sicut Petrus indiuidua substantia. Deinde Petrus ita est ratio inferior respectu speciei humanæ quà talis, vt ea minus latè vndequaque non pateat, propter eandem scilicet rationem, vt intuenti constabit. Quare genus ad quinque prædicabilia est ratio superior respectu illorum, simpliciter quidem, & complexè sumptum, vt suprà satis efficaciter probauimus, ad quod satis, super- 46

que

que eſt, vt eiuſmodi genus latius pateat primo prædicabili, incomplexè tantum;& pro ſolo materiali ſumptum : rurſus eſt inferius primo prædicabili, etiam ſimpliciter, & complexè ſumptum, ad quod ſufficit,vt incomplexè,& pro ſolo formali ſumptum eo aſtrictius ſit , minuſque latè pateat.

47 Cæterum aduerſus prædictam ſolutionem , poſtcà quam à nobis tradita eſt,aliqui ita obiecerunt, poſſe quidem aliquid eſſe ſuperius , & inferius ſeipſo per diuerſos actus : licet à parte rei id repugnet: animal enim eſt ſuperius homine , per actum , quo hic in confuſo cum aliis cognoſcitur,at vero eſt inferius provt eſt homo , ſeu provt tantum diſtinctè cognoſcitur : Cæterum per eundem actum , eum v. g. quo animal præciſe vt animal concipit,non vero vt homo , nequit eſſe ſeipſo ſimul inferius : ſimiliter ergo per eundem actum , quo prædicabile abſtrahitur à quinque ſuis ſpeciebus,nequit eſſe ſuperius , & genus, ac ſimul inferius genere primo prædicabili.

Reſpondeo tamen ex facili,ſicut animal eſt ſuperius homine per actum abſtractiuum animalis , & eſt inferius provt homo, nõ præciſe per actum priorem, ſed ſimul per actum , quo cognoſcitur homo quatenus talis;ita ſimiliter prædicabile in communi eſt ſuperius genere per actum,quo abſtrahitur ab eo, & cæteris prædicabilibus,& ſimul eſt inferius genere primo prædicabili , non tantum per priorem actum , ſed inſuper per eum quo prædicabile vt ſic, ſiue genus quatenus tale cognoſcitur , & ab omni genere abſtrahitur.Quocirca tantum abeſt, vt obiectio nobis officiat , vt potius proficiat , noſtramque ſolutionem exemplo aliqua ex parte appoſito declarat.

48 At iterum dices : per eum actum , quo prædicabile vt ſic abſtrahitur , eſt genus : ergo eſt inferius genere primo prædicabili , quo nullum genus non eſt inferius , ac proindè prædicabile vt ſic ſimul eſt ſuperius , & inferius reſpectu illius per vnum,eundémque actum ; eum videlicet , quo abſtrahitur, & genus conſtituitur. Reſpondeo , prædicabile vt ſic eſſe genus aliquod, per actum , quo abſtrahitur; cæterum nondum eſſe inferius, imo nè ſuperius genere primo prædicabili , quia hoc nondum intelligitur fabricatum ab intellectu , aliúſque actus diſtinctus ad eius fabricam , & abſtractionem requiritur : proinde duo actus inter ſe diſtincti omninò ſunt neceſſarij , vt prædicabile in communi duos illos reſpectus ſuperioris , & inferioris comparatione primi prædicabilis, & hoc viciſſim comparatione illius eoſdem ſubeat. Niſi velis , prædicabile vt ſic , per vnicum illum actum , quo abſtrahitur, eſſe non ſolum ſuperius , ſed etiam inferius genere primo prædicabili: haud formaliter, & proximè,ſed remote ac radicaliter , quia nimirum poteſt abſtrahi per alium actum genus vt ſic ab omni genere, adeoque à primo prædicabili vt ſic , ac per conſequens poni aliud correlatiuum , quod requiritur, vt inter prædicabile vt ſic , & cæterorum primum, genuſve vt ſic, & tale genus, nimirum vniuerſalis, mutua illa relatio ſuperioris , & inferioris reſultet. Hoc autem tametſi concedatur,nihil habet abſurdi: cur enim idem per eundem etiam actum non poſſit eſſe ſimul ſuperius , & inferius alio, radicaliter , ac remote , id eſt capax , vt aduenientе alio actu , vi illius,& prioris ſit formaliter , & proximè ſuperius, & inferius ? Quocircà in ſumma actus abſtrahens prædicabile , vt ſic ab omnibus eius ſpeciebus facit formaliter illud eſſe ſuperius primo prædicabili , & cæteris , necnon etiam formaliter inferius , ſi non cæteris, at ſaltem primo : altera enim relatio eſt inſeparabilis ab altera veluti paternitas, & filiatio;facit inquam partialiter , quod & non aliud num. præc. inſinuauimus, & ita vt vtramque relationem illam formaliter ſumptam ſimiliter ex parte conſtituat actus , quo genus primum prædicabile à prædicabili vt ſic , quod genus aliquod eſt , & cæteris generibus abſtrahitur : quo pacto , plures aliæ relationes veluti ſimilis , & diſſimilis , æqualis , & inæqualis , patris , & filij, Domini, & ſerui , ex fundamento, & termino intrinſecè coaleſcunt. Cæterum vi ſolius actus abſtrahentis , atque cognoſcentis prædicabile in communi, hoc conſtituitur ſuperius ſimul , & inferius radicaliter , & remotè , ſeu conditionatè, hoc eſt, ſi abſtrahatur ab omnibus generibus, actuque detur genus primum prædicabile, quod duplicem illum reſpectum poſſit terminare,& etiam vtroque ad prædicabile vt ſic referri : quem in modum omne fundamentum cuiuuis alterius relationis per ſemetipſum præcisè, & circumſcripta termini exiſtentia,remotè tamen & conditionatè ad eum refertur.

Hactenus prima ſolutio duodecimi illius argu- 49
menti , in qua nihil tam mihi diſplicet , quam, quod ab authoritate peti conſueuit . tametſi enim authores initio 2. capitis laudati , præſertim verò Capreolus , & Holcot doceant , prædicabile vt ſic, quia genus eſt , ſimul eſſe ſuperius , & inferius genere primo prædicabili : qui tamen eos attente legerit, comperiet de genere illo à quinque prædicabilibus abſtracto, non eodem modo ſumpto , ſed diuerſo,& eius ſuppoſitione variata , non eadem manente , loqui , atque ita ei reſpectus illos tribuere: quod quidem , re ad viuum reſecata , non tam eſt idem eſſe ſuperius, & inferius alio, quam aliud, & aliud. Nos autem genus illud , primo prædicabili ſuperius ſimul , & inferius , eodem modo ſumimus, eiuſque ſuppoſitionem neutiquam variamus. Porrò autem aliter cenſemus ſolui poſſe prædictum argumentum ; nimirum ſi , vt valdè familiare eſt eis, qui hanc quæſtionem inſtituunt , ab ea non excipiantur vniuerſalia rationis, & fictitia : arbitramur enim hæc non eſſe propriè genera , aut ſpecies ob dicenda cap. octauo. Quibus poſitis reſpondendum eſt , prædicabile vt ſic eſſe rationem communem vniuocam ad omnia , & ſingula prædicabilia in particulari , ſiue realia , ſiue ſolius rationis. Cæterum non eſſe genus reſpectu illorum , aliàs prædicabilia fictitia , & rationis eſſent eius ſpecies , & conſequenter aliquam eſſentiam haberent;cuius tamen contrarium modo ſupponimus , & infrà oſtendemus. Quando igitur prædicabile vt ſic non eſt genus aliquod , ſed vniuerſale aliud à primo prædicabili , & cæteris , neutiquam ſequitur illud eſſe inferius eiuſmodi primo prædicabili , ſeu genere in communi , ſicut eſt eo ſuperius , aut duobus relationibus oppoſitis ex æquo ſubeſſe.

Decimum tertium aliorum argumentum eſt : 50
Actus ille , abſtrahens genus quoddam prædicabilis à primo prædicabili, & cæteris , attingit confuſè , & per modum vnius omnia prorſus prædicabilia , ſicut cognitio , abſtrahens genus animalis nullum animal non cognoſcit : at illud ipſum genus eo actu conſtitutum eſt prædicabile quoddam : talis ergò actus ſemet ipſum debet attingere , haud aliter , atque homo , rationem communem hominis abſtrahens,non tantũ cæteros in confuſo,ſed ſemetipſum etiam percipit. Conſequens autem hoc eſt abſurdum , videlicet , quod actus abſtrahens prædicabile in communi , & genus illud conſtituens,

possit se ipsum percipere. Primò, quoniam reflexio cognitionis creatæ in se ipsam, eiusque sibi ipsi propositio repugnat, vel certè, cum obiectum cognitionis nostræ necessaria sit illius causa, idem sui met causa euadet. Secundò, quia actus ille habet respectum essentialem ad plura prædicabilia: proindè se ipsum, adeoque respectum illum cognoscens, necessariò plura vt plura in eo cognoscet, non secus, ac Deus in acta, quo nos facimus aliquod vniuersale, plura vt plura penetrat, perspicitque: erit igitur abstractiuus prædicabilis vt sic ab omnibus in particulari, vt supponitur, & simul non abstractiuus: cognitio enim, plurium vt plurium repræsentatiua, nequit esse ad abstrahendum, seu plura instar vnius cognoscendum idonea: repugnat ergò ex hoc etiam titulo, vt actus ille semetipsum attingat.

51 Ecquis tamen non videat, hoc argumentum manifestè instari, eo in actu, quo abstrahitur vna ratio cognitionis ab omnibus in particulari: aut enim admittendum est, hunc in se reflectere debere, sed non posse, quod absurdum est, & non magis nobis, quam aduersariis difficultatem facessit: aut si non debet, quamtumuis sit quædam particularis cognitio, nullius similiter reflexionis in præsenti opus esse, vtvt cognitio, attingens prædicabile in communi, simul cum suo obiecto quoddam genus, & prædicabile constituat. Rursus secundò, vt absolutè respondeam, si quod multi putant, impossibilis est reflexio cognitionis creatæ in semetipsam, quid facilius dictu, defensuque, quam actum attingentem prædicabile vt sic, illudque genus constituentem, ferri ad omnia prædicabilia, & consequenter ad quæuis genera, excepto solum eo prædicabili, ac genere, quod illemet actus constituit? sic vna ex parte vitatur exosa illa non paucis reflexio, ex alia verò prædicabile vt sic manet genus, non tantum ad quinque prædicabilia in communi sumpta, sed etiam ad quodlibet eorum, vno solo excepto: hoc autem moraliter loquendo, perinde se habet, ac si nulla fiat exceptio.

52 Denique tertiò respondeo, actum illum posse in se reflectere. Quod autem dicitur, omnem reflexionem cognitionis creatæ in semetipsam plane impossibilem esse, & alioqui eam sui ipsius causam fore, hoc quidem in met. lib. 7. tract. 11. impugnabitur. Quod etiam, actum, de quo sermo in præsentiarum cognosciturum plura vt plura, est falsum: quanquam enim habeat respectum essentialem ad plura, non tamen vt plura, sed vt in aliquo gradu superiori omninò conueniunt: vnde seipsum talemque respectum attingens, haud opus est, vt in eo plura vt plura percipiat: Dei verò longè dispar est ratio, quippè qui non tantum respectum cognitionis nostræ vniuersalis ad vnum, sed etiam vnius cum multiplicitate reali connexionem, adeóque multa ipsa, quatenus talia, penetrat: nihil enim cognitionem eius infinitam, & comprehensiuam latere potest, cum tamen plura actum illum, quo de agimus, quæ est eius imperfectio, prætereant.

CAPVT VI.

Cæterorum argumentorum aduersus sententiam priori loco positam, solutio & totius quæstionis resolutio.

53 HActenus argumenta communia aduersus priorem sententiam: alia breuiter subjiciam, nisi fallor, non minùs difficilia: quorum primum, sed respectu eorum, quæ sunt huc vsque posita decimum quartum sic se habet. Differentia generis, speciei, alteriúsque cuiuscunque prædicabilis esset, & non esset prædicabile quoddam, si posset vtique abstrahi ratio communis vniuoca prædicabilis à quinque vulgatis eius speciebus: talis ergo abstractio admittenda non est, vt potè ex qua manifesta terminorum contradictio nequit non sequi. Esset ergò eiusmodi differentia prædicabile, idque formaliter, & quidditatiuè: tum, quia esset differentia; ergo tertium prædicabile: tum etiam, quia esset vniuersale, differentia enim vniuersalis debet esse quid vniuersale, sicut patet in homine, & rationali: ergò prædicabile, siquidem omne vniuersale logicum est prædicabile; differentia autem illa non aliud esset vniuersale, quam logicum, sicuti cæteræ differentiæ. Iam ea non posset esse quidditatiuè, ac formaliter prædicabile: sicut enim abstrahi nequit animal ab homine, & equo v.g. quin horum differentiæ videlicet rationalitas, & hinnibilitas sint ab animali formaliter distinctæ, saltem quoad vltimos earum conceptus, aliàs animal in eis formaliter maneret, & ab eis non minus formaliter abstraheretur, item animal foret ab eis ratione distinctum, contra vero illæ neutiquam essent ab illo simili ratione distinctæ, cum tamen distinctio rationis, sicut & realis, relatio reciproca esse videatur: ita similiter fieri nequit, vt prædicabile in communi abstrahatur à genere, specie, & cæteris, quin horum differentiæ sint ab eo formaliter, & quidditatiuè distinctæ: admissa ergò tali abstractione, nulla eorum esset essentialiter, ac ratione nostra prædicabile, quæ erat secunda contradictionis pars probanda.

Hoc argumentum me, vt ingenue fatear, dubium 54
aliquando traxit. Cæterum ei bifarium satisfieri posse modò arbitror, ac primum dico differentiam generis v.g, aut speciei esse prædicabile, & aliquid aliud, & hoc aliud esse similiter prædicabile, & aliquid aliud, & sic in infinitum: admittendum ergo est hoc sequi, talem differentiam esse formaliter, & non esse prædicabile: non esse quidem, propter abstractionem prædicabilis ab ea, & coniunctam cum abstractione distinctionem reciprocam: esse vero, ob cæteras rationes argumento obiectas: non esse, quia semper est aliud à prædicabili; esse verò, quia quantumuis sit aliud à prædicabili, hoc aliud nunquam non est formaliter prædicabile, nunquam illud omninò, nunquam nisi inadæquatè excludit. At enim esse hoc pacto, & simul non esse quidditatiue prædicabile: non sunt termini contradictorij, & quamuis affirment, & negent idem, non tamen de eodem, videlicet, quia semper cadunt suprà diuersas formalitates differentiæ, neutiquam vero suprà eandem: quæ autem est infinitas formalitatum, quibus ea constat, metus non est, vt aliquandò deueniatur ad aliquam extremam, & vlterius irresolubilem, quam proindè necesse sit esse prædicabile, & simul, ac indiuisibiliter illud non esse. Quod autem attinet ad differentias animalis, quanquam erit fortasse qui de eis eodem modo philosophetur, nihil tamen est; quod hoc cogat, nihil, quod conuincat illas ab animali penes aliud, & aliud semper, & infinitum distingui, & non distingui, transcendi, & non transcendi: quare non eas æmulabuntur differentiæ prædicabilis, sed potius entis differentias, quas per eiusmodi infinitatem in met. lib. 5. cum de transcendentia sermo nobis erit, explicabimus.

Secundò responderi posse censeo, alteram dun- 55
taxat

taxat contradictionis partem sequi: videlicet differentias prædicabilis, quibus contrahitur ad genus, speciem, & cætera, penes vltimos, & innominatos earum conceptus, ab illo prorsus quidditatiuè distingui, nullamque earum ita sumptam esse formaliter prædicabile: haud aliter, ac iuxtà dicenda, ac probabiliter defendenda loco nuper memorato, ens in differentiis suis suis occultis, & innominatis neutiquam quidditatiue includitur, sed potius tam illud ab eis, quam è contrario eæ ab illo adæquatè distinguuntur: quod ipsum à fortiori dicendum est de animali, comparato, ac relato ad differentias suas, saltem latentes. Ad primam probationem contrariam dici debet solas differentia snominatas, quales sunt, quæ exprimuntur in definitionibus quinque prædicabilium, & quæuis aliæ similes; attinere ad tertium prædicabile, & ex hoc titulo rationem prædicabilis formalitater ortiri, secus vero differentias innominatas, & occultas prædicabilis, alteriusue cuiusuis rei, quas cum ad ens, quod alioqui cuncta comprehendit, tamen formaliter spectare, ab eovè transcendi nolimus, non est, quod à tertio prædicabili, cuius est latitudo minor eas vereamur excludere. Ad secundam probationem dici debet, satis esse, quod eiusmodi differentiæ formaliter loquendo sint vniuersales negariuè, id est non singulares, ad hoc, vt quinque vniuersalia afficiant, faciantque differre: exemplum autem rationalitatis ad rem non esse, vtpotè, quæ quia est differentia alicuius vniuersalis, nimirum hominis, tantum petit esse quid non singulare, quia vero differentia nominata, & expressa, idcirco postulat esse quid formaliter vniuersale, ac prædicabile: quæ ergo eius cum differentiis innominatis proportio.

56 Decimumquintum argumentum. Si posset abstrahi ratio illa communis vniuoca prædicabilis, dari quoque possent eius infinitè ostractiones: nam prædicabile in communi, & differentia generis v.g. formaliter distinguuntur, & differentia est prædicabile, necnon etiam prædicabile in communi, quod per eam contrahitur, est etiam prædicabile: conueniunt ergò in ratione prædicabilis: alia ergò ratio prædicabilis ab vtroque poterit abstrahi, & ab hoc alia, & sic in infinitum: consequens autem est absurdum: ergò & illud ex quo sequitur. Respondeo, differentiam illam generis esse formaliter prædicabile, esto ab eo distinguatur inadæquate, tali quidem inadæquatione, quæ sit omnis finis expers, & in qua non sit deuenire ad vltimam aliquam, & indiuisibilem formalitatem, quæ non sit quidditatiue loquendo prædicabile, vti paulo supra manet expositum: quare sicut ab animali, & homine non abstrahitur alia ratio animalis, quoniam homo est formaliter animal, tametsi ab eo inadæquate distinctus, ita similiter, &c. Deinde secundo: quid si differentia aliqua generis, aut alterius cuiusuis prædicabilis, innominata vtique, non sit vllatenus prædicabile quidditatiue loquendo, sed illud adæquatè excludat.

57 Decimumsextum argumentum. Si possibilis esset abstractio illa prædicabilis, tertiæ eius speciei, nimirum differentia constaret genere illo, quod abstrahitur, & alia differentia eius contractiua: consequens autem est absurdum, quoniam differentia illa differentiæ esset simul pars actualis, & pars subiectiua differentiæ, quam constituit; quod repugnat, sicut est repugnans, & impossibile, quod Petrus v.g. sit simul pars actualis, & subiectiua hominis, aut homo animalis. Sed respondeo, sicut genus definitur per tale genus, licet animal non explicetur per tale animal; nec homo per talem hominem, ita etiam differentiam, quæ est tertium prædicabile definiri posse per talem differentiam, & hanc eius partem subiectiuam, & actualem simul esse posse, nec quoad hoc à primis intentionibus ad secundas, aut è conuerso argumentum valere. Declaratur solutio exemplo cognitionis in communi, quæ per talem cognitionem optime cognosci potest, imo non nisi per eam.

Decimum septimum, & postremum argumentum: sicut se habet vniuersale, ad vniuersalia, ita indiuiduum, ad indiuidua, & è diuerso: sed à pluribus indiuiduis abstrahi nequit vna ratio communis indiuidui: ergò nec à pluribus vniuersalibus, genere nimirum, specie, &c. poterit abstrahi vna ratio communis vniuersalis, seu prædicabilis. Quod tamen maior huius argumenti sit falsa, vniuersaliſque, & indiuidui sit longe diuersa ratio infra tract. 4. ex professo ostendam. Interim breuiter dico, rationem communem indiuidui idcirco repugnare, quia esset, & non esset indiuiduum, vt cuiuis sponte sua sublucet: at vniuersale in communi à quinque speciebus suis abstractum, fore simul, & non fore vniuersale, neutiquam sequitur. 58

Fateor hactenus adductis argumentis priotem sententiam non parum vrgeri, ac posteriorem satis verisimilem effici: cæterum prior absolutè mihi magis arridet: quippè quæ re vera probabilior est, & rationum solo numero, non pondere inferior. Quocirca pro ea primò sic argumentor. Nulla potest assignari, repugnantia, nulla terminorum contradictio, in ratione communi vniuoca prædicabilis à genere, specie, & cæteris abstracta: quemadmodum ergò intellectus facere potest alias abstractiones, hominis nimirum, animalis, similiumque rerum, ita & hanc prædicabilis in communi. Antecedens luculenter constat ex dilutione argumentorum, quæ sunt contra priorem sententiam huc vsque posita: consequentia autem adeò est per se manifesta, vt nemo, quantum arbitror, eam sit inficiaturus. 59

Argumentor secundò. Genus v.g. & species conueniunt, & assimilia sunt, in eo, quod alterutrum sit absolutè, & simpliciter prædicabile, seu vniuersale, & differunt in ratione talis prædicabilis: potest igitur, & debet ab vtroque ratio communis vniuoca prædicabilis, aut vniuersalis abstrahi: quæ, cum prædicabilia specie diuersa contineat, quidni sit genus? Sic ratio communis vniuoca, & generica animalis abstrahi consueuit, ab homine, & equo v.g. quoniam ambo sunt propriè, & simpliciter animalia, & hunc conceptum ex æquo participant, in eoque conueniunt; alia vero ex parte in eo differunt, illiusque duas peculiares species constituunt 60

CAPVT VII.

An abstrahi possit ratio communis vniuoca prædicabilis, seu vniuersalis, à reali & solius rationis, aut fictitio.

HÆc quæstio examinari potest in triplici sensu quorum primus est, an materiale vtriusque vniuersalis, hominis, v.g. aut animalis, alteriusve entis realis ab inferioribus suis abstracti, ex vna parte; ex alia vero chimæræ, hircocerui, alteriusve figmenti, aut entis rationis in communi, an inquam materiale vtriusque ita conueniat, vt ab vno, & altero possit abstrahi vna quædam ratio intrinseca, & 61

essentialis entis, aut obiecti, vniuoca quidem, aut saltem analoga: & hic sensus agitabitur à nobis in metaph. lib. 5. tract. 2. cap. 6. & 7. Secundus sensus quæstionis est, an vtrumque vniuersale, complexè, & pro materiali simul, ac formali vsurpatum, ita conueniat, & vna ratio vniuoca prædicabilis, seu vniuersalis ab vtroque abstrahi valeat. Tertius est, an à formali vtriusque ea possit abstractio fieri. Atq; hi duo sensus posteriores præsentis sunt instituti. Quod ergo ad secundum attinet sensum Scotus, Mauritius, Hurtadus, & plures alij initio cap. 2. suprà laudati partem affirmantem quæstionis ita intellectæ tuentur: negantem verò, Albertus, Amonius, Boëtius, & alij mox ab initio illius secundi capitis relati. Prioribus autem subscribo, tametsi eorum fundamenta mihi magnopere non probentur: nimirum, quæ solum in tertio sensu procedunt.

62 Ratio ergò, qua moueor, est huiusmodi. A quibusuis conceptibus verè similibus, saltem per aliquid distinctum, ratio communis vniuoca abstrahi potest; at vniuersale reale & vniuersale fictitium, ac solius rationis, secundum omnes vtriusque partes verè ac propriè similia sunt: ergo ab vtroque complexè, & penes omnes partes sumpto ratio communis vniuoca vniuersalis abstrahi potest. Maior probatur primò, quia similitudo est fundamentum abstractionis, & confusionis, sicut dissimilitudo fundamentum secretionis, & distinctionis conceptuum dissimilium: at intellectus secernere, ac distinguere potest vnum conceptum ab alio, siue similitudo sit essentialis, siue accidentaria, & ab alio profecta: pariter ergo intellectus abstrahere poterit rationem communem vniuocam à conceptibus similibus, & hos, quod iuxtà est, inter se confundere, siue ea similitudo sit essentialis, siue accidentaria, & ab alio extrinsecus oriunda. Secundò, quia similitudo etiam extrinseca denominat verè simile, sicut cognitio extrinseca verè cognitum: ergo est sufficiens fundamentum abstractionis. Minor autem principalis syllogismi probatur: quoniã inprimis penes formale vtrumq; vniuersale simile est, id est penes cognitionem confusam vtriusque constitutiuam: deinde penes materiale vtrumque etiam extrinsecè simile est, id est penes obiectum vtrinque cognitum: ergo penes omnes vtriusque partes similia sunt ambo. Antecedens quoad primam partem est aduersariorum, & est paulò inferius probandum: quoad secundam partem suadetur: tum quia vtrumque materiale cognoscitur confusè, & vniuersaliter, ergo vtrumque est saltem extrinsecè simile: cur enim hunc parietem esse album, & illum esse album, est non solum albedinem vtramque similem esse, verum etiam vtrumque parietem, iuxtà illud Aristotelis 5. metaph. *Similia sunt, quorum qualitas est vna*, & ens rationis esse cognitum, & reale esse cognitum, non sit hoc & illud ens, seu hoc, & illud materiale assimilari extrinsecè, & non solas cognitiones aduentitias pro formali? Tum etiam, quia quod intrinsecè & physicè non est melius alio, extrinsecè, & moraliter per aliquid à se distinctum illo alio melius esse potest, vt cernere est in duobus actibus voluntatis physicè æqualibus, & tamen moraliter, & extrinsecè inæqualibus, eo quod vnus, & non alter à Deo prohibitus sit, & consequenter vnus tam physicè, quam moraliter bonus, alter verò tantum physicè bonus, & moraliter malus; similiter ergo ens reale, & rationis, quorum alterum est materiale vniuersalis entitatiui, alterum fictitij, tametsi physicè, & intrinsecè disconueniant, per cognitiones tamen vniuersales ad vtrumque terminatas poterunt extrinsecè assimilari, sicut ad abstractionem ab vtroque oportet.

Confirmatur primò argumentum, ad homines: vt ab hoc, & illo animali ratio communis animalis abstrahi possit, sufficit, vt vna animalitas alteri genericè similis sit, esto specificè sint dissimiles: ergo, vt ab vniuersali chimærico, & vniuersali reali ratio communis vniuoca vniuersalis abstrahi possit, satis erit, vt materiale vtriusque extrinsecè simile sit, esto intrinsecè, & per se dissimile, seu non simile sit, idq; gratis largiamur aduersariis. Confirmatur secundò: ens rationis in communi est verè vniuersale, hoc est confusè cognitum, & à suis inferioribus abstractum: item ens reale est verè vniuersale, ergo ab vtroque quædam vniuoca ratio vniuersalis abstrahi poterit; aliàs ab homine, & equo, quantumuis verè animalibus, ratio communis vniuoca animalis nequibit abstrahi. Confirmatur tertiò; vniuersale chimæricum in communi obtinet pro materiali obiectum fictitium, vt sic, & pro formali cognitionem confusam eius abstractiuam à suis inferioribus, si, vt probabilius est, & non paucis aduersariis in confesso, esse obiectum, seu cognoscibile non semper est denominatio extrinseca rei veræ, aut fictæ, sed aliquando intrinseca, & essentialis: rursus vniuersale reale habet pro materiali obiectum verum, & pro formali cognitionem confusam, eius itidem abstractiuam à suis inferioribus: at vtrumque obiectum, chimæricum scilicet, & reale, est propriè, & simpliciter obiectum, seu cognoscibile, & neutrum cum alio non conuenit in ratione obiecti, idque non analogicè, sed vniuocè, non minus, quam homo cum bellua in ratione animalis: deinde vtriusque cognitio abstractiua est verè, & propriè cognitio vi abstrahendi prædita, atque in ratione eiusmodi cognitionis vniuocè conueniunt; vtrumque ergo vniuersale conuenit vniuocè, tam penes formale, quam penes materiale, non solum, si hoc extrinsecè sumatur, & per denominationem à formali, quod tamen satis esse, paulò suprà probatum manet, sed etiam si intrinsecè, & essentialiter accipiatur: ambo ergò, complexè, & adæquatè sumpta, habent vniuocam conuenientiam in ratione vniuersalis, eodem etiam modo vsurpati, ac proinde hoc ab eis vniuocè poterit abstrahi. 63

Hinc (quod attinet ad tertium quæstionis sensum) eius decisio est in expedito: iamiam enim probatum est, cognitionem confusam, & abstractiuam chimæræ à suis inferioribus, conuenire vniuocè cum cognitione similiter abstractiua entis realis, in conceptu communi cognitionis ea vi abstrahendi præditæ, nimirum propter propriam, ac veram eius participationem: atqui talis cognitio est formale vniuersalis siue vniuersalitas, huius ergò ratio communis vniuoca non repugnat, comparatione vtriusque formalis, siue vniuersalitatis realis, ac solius rationis: quandoquidem præfata conuenientia vbiuis est fundamentum, ac radix vniuocæ abstractionis. Quod si vt aliis magis placet, formale vniuersalis non est cognitio confusa, & realis, sed potius aliqua relatio fictitia, vt cuiusuis alterius entis rationis, sic etiam eius poterit abstrahi ratio communis vniuoca: quæ enim est vtrinque discriminis ratio. 64

CAPVT

CAPVT VIII.

Quædam argumenta aduerſus doctrinam ſuperiorem propoſita, & ſoluta.

65 ADuerſus id, quod ſtatuimus circà ſecundum quæſtionis ſenſum, nam de primo alibi fuit actum, obiicies in hunc modum. Non poteſt à duobus concretis ratio communis vniuoca abſtrahi, quin ab vtriuſque materiali ratio illa abſtrahatur, ſicut ſimilia eſſe nequeunt abſque materialium ſimilitudine. Cuius ratio eſt eſſentia cuiuſque concreti, quod materiale intrinſecè, & eſſentialiter inuoluit: ſed vniuerſale reale, & rationis, ita comparata ſunt, vt vniuoca ratio materialis ab vtroque nequeat abſtrahi, propter id, quod in materiali non conueniunt; hoc enim eſſet ens reale, & rationis, quod vtriuſque materiale eſt, ſecundum ſe, & penes prædicata intrinſeca conuenire: quod planè impoſſibile eſt, quæ enim eſſe poteſt entis cum nõ ente intrinſeca conuenientia? nequit igitur ab vtroque vniuerſali ratio communis vniuoca concreti intentionalis, ſeu vniuerſalis abſtrahi.

66 Deinde ſecundò eſſe confusè cognitum, ſeu vniuerſale eſt ſola cognitio & vniuerſalitas: ergo vtruq; vniuerſale conuenire vniuocè in ratione cogniti, & vniuerſalis eſt cognitiones ſolas ita conuenire: ergo in ratione vniuerſalis, complexè ſumpti, ita non conueniunt, nec hoc ab eis poteſt abſtrahi: antecedens probatur, quoniam, vt aliquid ſit confusè cognitum, ſeu vniuerſale, ſolius cognitionis & vniuerſalitatis requiritur exiſtentia, proinde eſſe cognitum, aut vniuerſale eſt ſola cognitio, & vniuerſalitas. Præterea tertiò. Vniuerſale rationis ac fictitium non eſt propriè vniuerſale: ergo ratio vniuoca vniuerſalis ab eo, & vniuerſali reali non magis poteſt abſtrahi, quam homo à vero, & effigiato: antecedens probatur, quia vniuerſale eſt vnum multa: at ens rationis non eſt propriè multa, cum omnis propria multitudo ſit verorum entium: igitur vniuerſale rationis ſolius veram, & propriam eſſentiam vniuerſalis neutiquam obtinet. Quartò: vniuerſale vt ſic abſtractum à reali, & chimærico nullum materiale ſortiri poteſt: aut enim eſt entitas vera, & ita vniuerſale in communi de eo, quod ſolius eſt rationis, nullatenus poterit prædicari: aut entitas ficta, & ita nequibit illud de vniuerſali reali, ac vero prædicari: aut entitas vtraque ſuperior, & hæc repugnat: alia verò prorſus eſt inaſſignabilis.

67 Denique quintò: vniuerſale fictitium ac ſolius rationis non eſt genus, ſpecies, aut differentia: tum quia hæc prædicantur in quid, & eſſentialiter, vt eſt inter omnes compertum, quamuis ea in modo prædicandi in quid differant; at nullum ens rationis habet quidditatem, aut eſſentiam propriè loquendo: tum etiam quia id expreſsè docet Ariſtoteles lib. 4. Top. ad finem; *non entis autem nulla ſunt ſpecies omnino*; & lib 1. de partibus animalium; *priuationis quà priuatio eſt nulla eſt differentia*; *non enim fieri poteſt vt vlla ſit ſpecies non entis, vt impedati, aut impennati.* Hæc ille; excluſa autem differentia & ſpecie, quis locus eſſe poteſt generi? Rurſus vniuerſale fictitium non eſt proprium, aut accidens ſtrictè loquendo, hæc enim prædicantur in quale, entis autem rationis, ſeu non entis, nulla poteſt eſſe qualitas, quandoquidem hæc continetur ſub ente reali in communi, & eius eſt pars ſubiectiua, non minus quam ſubſtantia, quantitas, & cætera prædicamenta: vniuerſale igitur fictitium non eſt genus, ſpecies differentia, proprium, aut accidens, ac proinde nullum vniuerſale, ſi res ad viuum reſecetur; nullum enim non ad aliquod ex eis quinque reducitur: ab eo ergo & vniuerſali reali nequit abſtrahi ratio communis vniuoca vniuerſalis, haud aliter, ac ſi equus non eſſet propriè animal, hoc reſpectu illius, & hominis vniuocum eſſe non poſſet.

Ad primum reſpondeo; ad conuenientiam duo- 68
rum concretorum, & abſtractionem ab eis vniuocam, requiri aliquam conuenientiam, & ſimilitudinem materialium, quæ eſſentialiter includunt: cæterum eam ſimilitudinem poſſe eſſe extrinſecam, & accidentariam, qualis eſt inter materialia vtriuſque vniuerſalis, de quibus agimus. Cum autem ſimilitudinem extrinſecam, & accidentariam, ad abſtractionem vniuocam ſufficere arbitramur, non de ea ſimilitudine, & conuenientia, quæ in ipſa abſtractione ſita eſt, ſermonem habemus: id enim planè impertinens eſſet, & nihil aliud, quam abſtractionem ſuimet ipſius præuium fundamentum eſſe, ſed de alia ſimilitudine extrinſeca, quæ abſtractione prior eſt, eamque fundat, vt eſt ex dictis per picuum. Reſpondeo ſecundò, iuxtà ſuperius etiam propoſita ab vtriuſque vniuerſali materiali rationem communem vniuocam materialis abſtrahi, quæ ſit fundata in eorum intrinſeca etiam atque eſſentiali conuenientia ac propria ſimilitudine videlicet rationem obiecti in quo ambo ita conueniunt.

Ad ſecundum reſpondeo; eſſe cognitum non eſſe 69
ſolam cognitionem; tum quia eſſe album non eſt albedo ſola, vt ipſi aduerſarij merito fatentur: ergo nec eſſe cognitum ſola cognitio: quod enim minimè requiratur ad eſſe cognitum exiſtentia rei cognitæ, at verò ad eſſe album exiſtentia ſubiecti ſit requiſita, non eſt ſufficiens diſparitatis ratio: nam aliquid non exiſtens, concretum cum re exiſtente conſtituere poteſt, & illud ingredi, vt cernere eſt, in denominatione futuri, aut præteriti, prioris, aut poſterioris tempore, quæ per non exiſtentiam rei in vno tempore, & exiſtentiam in alio conſtituuntur, vel iuxtà aduerſarios, & in denominatione veri de obiecto poſſibili futuro, aut præterito, quæ, vel ſemper iuxtà non paucos, vel certè, cum veritas non eſt contingens non actum modo, ſed etiam eius obiectum non exiſtens includit. Tum ſecundò, quia ſi eſſe cognitum eſſet ſola cognitio, quoties quis affirmaret obiectum aliquod eſſe cognitum, illud eſſe cognitionem affirmaret: quod tamen eſt omnino falſum: vide, quæ ſuprà cap. 5. ad probandum hoc ipſum adduximus.

Ad tertium reſpondeo, vniuerſale rationis ſtrictè 70
& propriè vniuerſale eſſe, eſto propria, & ſtricta multiplicitate non gaudeat: tum quia multiplicitas ſolius rationis ſufficit ad vniuerſale, cuius materiale ſit ens reale, vt ſuprà lib. 8. tract. 1. probatum manet: ergò à fortiori ad vniuerſale, cuius materiale ſit ens rationis: tum quia ad veram, & propriam denominationem confusè & præciſiuè cogniti, ſufficit ens rationis pro materiali; quis enim ens rationis propriè cognoſci deneget? ergo & ad veram, & propriam denominationem vniuerſalis, cum vtraque, vel ſit eadem, vel certè ex æquo extrinſeca. Ratio à priori eſt: quia cum vniuerſale ſimpliciter, & propriè tale, definitur, *vnum in multis*, vti vnitas eius non debet eſſe propria (quippe quæ nonnunquam eſt coniuncta cum inferiorum diſtinctione reali) ita etiam eius multiplicitas impropria tantum & ab intellectu oriunda interdum eſſe poteſt, & non tam plurium entitatum, quam non entium.

Ad

71 Ad quartum respondeo; inprimis materiale eius vniuersalis, quod vniuocè abstrahitur à reali, & solius rationis, est obiectum, siue quid essentialiter cognoscibile, in quo ambo vniuocè conueniunt. Secũdo eiusmodi materiale potest esse ens in communi abstractum à reali, & solius rationis: quamuis enim secundum se sumptum non sit vniuocum, sed analogum respectu vtriusque, cæterum provt est materiale vniuersalis in communi, per denominationem à forma extrinseca, ac secunda intentione, cui subest, vniuocum quid ni sit? Tertiò materiale illud vniuersalis vt sic poterit esse simul ens reale, & rationis, quatenus hæc non clarè, & expresse, sed obscurè, & implicitè cognoscuntur, poterit inquam, si vera est eorum sententia, qui præcisiones obiectiuas negant, & cum species ab indiuiduis abstrahitur, hoc, & illud indiuiduum, & cætera confusè cognita eius vniuersalis materiale esse existimant.

72 Ad quintum respondeo, vniuersale fictium, ac solius rationis, haud esse genus, speciem, aut aliud ex quinque vniuersalibus à Porphyrio numeratis; at illud propterea neutiquam esse propriè vniuersale inficior. Etenim præter quinque illa vniuersalia arbitror esse quædam alia; ens videlicet, rem, & cætera prædicata transcendentia, quorum, si aliquod sit genus (aliud enim ex quinque nequit esse) sanè decem prædicamenta nequaquam erunt suprema genera, sed ab aliis superabuntur. Fateor me dicturum in met. lib. 5. tract. 2. satis esse probabile, quod ens, & quodvis aliud simile prædicatum transcendens sit genus. Verum contrarium, & communius, & probabilius ibidem arbitrabor, ac modo etiam arbitror. Quidquid autem de hoc sit, nullum vniuersale chimæricum esse proprie, ac strictè genus, speciem, differentiam, proprium aut accidens censeo, ac propter rationem in argumento adductam, non problematice, & in vtramque partem hoc disputandum, sed pro comperto, & explorato habendum reor.

73 Porrò aduersus id, quod postremo loco statuimus, aliqui, quibus contrarium placuit, ita obiiciunt. Vniuersalitas vt sic est ordo ad ens reale, vel rationis, nec enim est ordo ad aliquid commune vtrique, & ab eis abstractum, cum id commune repugnet: sed ordo ad ens reale, vel rationis vniuersale esse nequit, aut ratio vniuoca, eò quod multitudinem, & indeterminationem expresse inuoluat; qua ratione Petrus, vel Paulus v. g. non est vniuersale, aut ratio vniuoca, vt vt de pluribus, nimirum de quolibet eorum seorsim sumpto prædicari possit.

74 Cæterum nullius ponderis est hoc argumentum: quoniam vniuersalitas vt sic optimè esse potest ordo, non ad ens reale, vel rationis, sed ad rationem obiecti, seu cognoscibilis vtrique communem etiam vniuocè: vel secundò esse potest ordo ad rationem communem entis, respectu vtriusque, saltem analogam: vel tertio in aliorum principiis sustinet esse talis ordo ad ens reale, vel rationis non expressè, sed confusè cognita, quarè nullam indeterminationem, aut multitudinem exprimit.

75 Rursus, tametsi vniuersalitas vt sic esset ordo ad ens reale, vel rationis etiam explicitè cognita, id vniuersalitatis vniuersalitati, & vniuocationi non obesset. Primo, quia vniuersale reale est ratio superior, & generica, ad hoc, & illud, & tamen multitudinem in obliquo exprimit, cum sit formalissime vnum in multis realiter; igitur vniuersalitas vt sic erit vniuersalis, & vniuoca ratio, licet sit ordo ad ens reale, vel rationis solius, inter se primo diuersa, seu quantumuis ex parte obliqui multiplicitatem exprimat: antecedens est etiam aduersariorum; consequentia videtur sine vllo discrimine. Secundò, quia multitudo tantum obest vniuersalitati eius, in quo exprimitur: at in hoc conceptu, *ordo ad ens reale, vel rationis*, multitudo solum ex parte termini exprimitur, non ex parte ordinis ad terminum: ergo ordo ad ens reale, vel rationis etiam explicitè cognita: quatenus ordo est, vniuersalis esse poterit, & ab inferioribus suis vniuocè abstractus, ac proindè eiusmodi etiam erit vniuersalitas vt sic, quantumlibet in tali ordine consistat. Minor probatur, quia vnus, idemque actus potest esse ordo ad ens reale, & rationis, vt cernere est, in hoc indiuisibili iudicio, *ens reale non est ens rationis*, quod vtrumque ens simul, & semel amplectitur: ergo ordo ad ens reale, vel rationis, eo ipso nullam in ordine multitudinem, & distinctionem exprimit, aut arguit. Vbi animaduertas velim, eò, quod idem realiter ens possit esse reale, vel rationis, malè inferri in hoc conceptu, *ens reale, vel rationis*, multitudinem non exprimi, nec argui: cæterum si vnum, & idem ens posset esse simul ens reale, & rationis, optime ex hoc fieret, in hoc conceptu, *ens reale vel rationis*, multitudinem aut distinctionem non exprimi: quapropter nos data opera, ex eo, quod idem actus possit esse ordo ad ens reale, & simul etiam ad ens rationis, in ordine vt sic, & quatenus tali, neutiquam exprimi multitudinem deduximus, non vero ex eo, quod idem actus possit esse ordo ad ens reale, vel rationis: quæ differentia magnopere præ oculis habenda est in præsenti materia.

Tertio: quia esse imaginem, & similitudinem SS. 76
Trinitatis, est ratio communis vniuoca, atque vniuersalis respectu cuiusque hominis, vt ex libro Geneseos Patres colligunt: ast ea ratio vniuersalis plura vt plura, videlicet personas diuinas expresse connotat: ergò similiter in præsenti, &c. Quarto quoniam aliud est arguere multitudinem, aliud eam exprimere: transeat ergò, ex eo, quod vniuersalitas vt sic sit ordo ad ens reale, vel rationis, etiam explicitè, ac dilucidè cognita, argui per legitimam consequentiam, multiplicitatem in ordine ipso re vera: hoc autem non est eam in illo exprimi; nec sufficit, vt non sit vniuersalis respectu suorum inferiorum: aliàs etiam homo vt sic neutiquam esset vniuersalis; quippe ex eius natura, & essentia colligi, & argui potest, eum reipsa multiplicabilem esse. Atque ex his omnibus liquet, exemplum argumenti esse parum accommodatum: idcirco enim *Petrus, vel Paulus*, non est vniuersale quidpiam, quia multitudinem in recto ipso exprimit, necnon, quoniam non potest de pluribus etiam collectiue sumptis prædicari: quorum tamen neutrum in vniuersalitate vt sic visitur.

TRACTATVS II.
De Genere.

CAPVT I.
Quid sit genus.

MVLTIPLEX est, & varia generis nomenclatura: interdum ad mores refertur, & vel ipsa specie infima inferius est: Tritum illud Maronis lib. 1. Æneidos.

Quod

Quod genus hoc hominum, quæuè hunc tam barbara morem
Permittit patria, hospitio prohibemur arenæ
Bella cient, primaque vetant consistere terra:

Interdum etiam ad maiores; atque ita etiam specie contractius est: huc respexit Ouidius.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco:

Et Iuuenalis satyra 8.

Quis fructus generis tabula iactare capaci
Fumosos equitum cum dictatore magistros
Si coram Lepidis male viuitur?

Aliquando significat patriam, quod hæc etiam nos genuisse, & aluisse censeatur; & sic Alexander v.g. genere Macedo dici consueuit; Aliquando gentem, aut maiorem etiam multitudinem, vt cum Romanorum v.g. genus, aut hominum genus efferimus. Est & Grammaticis suum genus: est etiam & viris peritis, quod cum nostra specie recurrit, sicut, & ipsorum species cum nostro indiuiduo.

2 Diuersum ab his dialecticum, nostrumque genus, vt sponte sua patet, & à Prophyrio in præsenti, & Damasceno in Dialectica cap. 2. & aliis passim est animaduersum. Illud autem ita definiri consueuit, id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: quam definitionem velut quidditatiuam, & propriam cum Scoto, Sarnano, Mayrone, Antonio Andrea, Tartareto, Anglico, Hurtado, Comptono, & Arriaga defendendam suscipio: quamtumuis meram descriptionem eam censeant Ammonius, Soncinas, Toletus, Villalpandus, Tellez, Masius, Albertus Magnus, Niger, Rubius, Sotus, Amicus, & passim alij plures.

3 Contrà eam oppones primo: illa definitio non constat genere, & differentia: ergo propria, & quidditatiua non est, antecedens probatur. Tum quia alioqui genus esset species, nimirum quæ ex genere, & differentia coalescit, vt compertum est. Tum, quia alioqui definitum definitionem ingrederetur, vt intuenti constabit. Tum denique, quia prædicabile, quo solo ea definitio constare posset, neutiquam est genus, adquinque prædicabilia.

4 Oppones secundo, eam definitionem conuenire aliis à definitio; videlicet enti in communi, accidenti, ac differentiæ subalternæ v.g. sensibili, quæ certe de pluribus differentibus specie in quid, siue essentialiter prædicari videntur, cum tamen, & iuxtà Aristotelem 3. metaph. c. 3. ac Porphyrium in præsenti, aliosque passim genera neutiquam esse sustineant. Eas prædicari de pluribus differentibus specie in quid, certo certius apparet. Quid enim omnibus etiam specie diuersis essentialius, quam ens. Ecquis deinde non videat, accidens de variis accidentis speciebus essentialiter dici, non minus quam animal de cunctis animantibus? Denique, cum differentia subalterna, nimirum sensibile includatur in animali, non minus equidem, quam hoc ea debet esse essentialis, & quidditatiua homini, & equo, ac cæteris animalium speciebus.

5 Oppones tertiò ex Scoto quæst. 15. in ea definitione nugationem committi, propterea quod pluralitas bis in ea ponatur; primo, cum dicitur genus prædicabile de pluribus; secundo, cum de differentibus specie, quæ differentia in conceptu suo pluralitatem inuoluit; quo pacto Aristoteles 1. metaph. text. 43. dicit eum nugari, qui bipedem ita definit: est animal habens pedes duos pedes habens, eò nimirum, quod habere pedes, bis dicatur.

Oppones quartò: genus est prædicabile distinctum à specie, at per eam definitionem non rectè ab ea distingueretur: ergo, &c. Minor probatur: non magis distat species à solo numero, seu collectione indiuiduorum, quam genus à specie: species enim est tam immediata generi, quam numerus speciei: sed prædicari de pluribus differentibus genere in quid non constituit genus supremum, cuiusmodi est substantia, aut viuens, v. g. diuersum prædicabile, ab infimo, quod tantum de pluribus differentibus specie in quid prædicatur; alioqui prædicabilia non tam quinque, quam sex futura essent, contrà quam Porphyrius, & cum eo plerique existimant: ergo nec prædicari de pluribus differentibus specie in quid constituit genus infimum diuersum prædicabile à specie, quæ de pluribus solo numero differentibus in quid prædicatur. 6

Ad primum argumentum dici debet, illam definitionem constare ex genere, & differentia: ad primam probationem contrariam dicendum est, genus esse, non speciem prædicabilem, propterea quod ex genere, & differentia coalescat, sed subiicibilem, subalternamvè, hæc enim idcirco dicitur talis, quod generi subiiciatur, & illud per differentiam contrahat: absurdum autem non esse, si genus vt sic, hac posteriori ratione, sit species, vt potè contra quam non distinguitur, in quintuplici diuisione Porphyriana, sed solum aduersus speciem priori ratione sumptam, id est prædicabilem de pluribus solo numero differentibus in quid, cuius naturam, ac definitionem haud dubie non participat: sic animal v.g. est genus, & tamen species subiicibilis ex æquo comparatione viuentis. Ad secundam probationem contrariam, negandum est definitum ingredi definitionem: quia definitum est genus vt sic: quod autem definitionem generis ingreditur, est tale genus, nimirum prædicabile: sicut autem cognitio vt sic per talem cognitionem cognosci potest, non est cur genus vt sic per tale genus definiri nequeat; in quo secundæ intentiones non paruo interstitio à primis differunt: animal enim vt sic per tale animal, hominem, v.g. neutiquam definiri sustinet. Ad tertiam probationem dicendum est, iuxtà ea, quæ statuta sunt tractatu præcedenti, prædicabile, seu rem prædicari aptam natam genus esse respectu quinque prædicabilium, atque adeò contemplatione eius, quod inter cætera primum locum obtinet, & in præsentia definitur. 7

Ad secundum argumentum responderi debet, ens inprimis genus forsitan esse, idque à nobis lib. 5. met. tract. 2. tanquam probabile defendendum esse, vbi etiam Aristotelem, Porphyrium, aliosque pro contraria sententia adduci solitos exponemus. Quoniam tamen oppositum, & communius, & verisimilius est, ex facili dicere possumus, ens, vt genus non est, ita nec prædicari de pluribus differentibus specie in quid: aliud enim est, prædicari de pluribus specie diuersis in quid, aliud de omnibus ita diuersis quidditatiue prædicari; & hoc posterius illud prius, & è conuerso tacitè excludit: ineptè namque quis diceret, plures homines, v. g. esse animalia, videlicet, quia omnes sunt animalia, contrà verò satis aptè dici solet, plures homines esse albos, scilicet, quia non omnes sunt albi: quod argumento esse potest, pluralitatem, & rationem omnis, quibusdam in circumstantiis aliquatenus opponi. Quocirca, cum ens merito transcendentiæ, & infinitatis suæ de omnibus specie differentibus in quid prædicetur, sane de pluribus, quæ ita differant in quid prædicari posse neutiquam est censen- 8

dum:

dum: hic etenim ex circumstantiis, ac tacita intentione philosophorum voculæ illæ, *pluribus*, & *omnibus*, sicubi aliàs opponuntur, ac sese inuicem excludunt. Iam quod attinet ad accidens, illud: vel comparatur ad alia accidentia, vt color ad candorem, & nigrorem; & respectu horum non est accidens logicum, quintumve prædicabile, sed genus, vti animal contemplatione hominis, & equi: aut comparatur ad hoc, & illud subiectum, vt album, v.g. ad hominem, & lilium; & horum intuitu genus non est, sed accidens logicum: at de iis, non in quid, sed in quale prædicatur. Tandem differentia subalterna prædicatur quidem de pluribus differentibus specie, non tamen in quid præcisè, sed in quale quid: quamuis namque de suis inferioribus dicatur essentialiter, cæterum non nisi instar accidentis, & per conceptum nomini adiectiuo respondentem, vt suo loco exponetur vberius. Proindè tradita definitio generis nulli, quod non sit genus, conuenit.

9 Ad tertium argumentum respondendum est, nullam in definitione generis nugationem committi, nihil in ea geminari: sicut enim, cum definitur substantia, ens per se, eiusmodi finitio neutiquam est nugax, aut superflua, & licet ens in ea bis poni videatur, primò seorsim, & iterum in perfeitate, quæ quidem est formaliter ens; at non nisi semel in ea ponitur, quoniam videlicet perfeitas ob contortium entis restringitur ad hoc, vt solum differentiam innominatam enti superadditam significet, non vero ipsum ens, quod tamen aliàs posset significare, vt in metaph. citato lib. 5. tract. 1. latè explicabitur, ita similiter in præsenti, cum dicitur genus prædicabile de pluribus differentibus specie in quid, vocula, *differentibus*, quæ seorsim sumpta pluralitatem esset significatura, alteri particulæ, nimirum, pluribus, adiuncta, restringitur, & non pluralitatem, sed solum quod ei differentia, seu dissimilitudo superaddit, significat. Quod si quis opponat, tum contra hanc solutionem, tum etiam contra dicenda l. 5. metaph. eiusque nuper citato loco, eodem modo definiri posse hominem, viuens animal rationale, si nimirum animal restringatur ad significandum, id, quod animal viuenti superaddit, in promptu est responsio; nullatenus esse in vsu, vt vnum genus per aliud, vnumvè substantiuum per aliud restringatur, solumque genus per differentiam, aut quasi differentiam, & substantiuum per adiectiuum restringi solere, eáquepropter definitionem illam hominis nugacem esse, & in ea viuens necessario repeti: quæ ratio in præsenti non militat.

10 Ad quartum dici debet, cum Fonseca 5. metaph. cap. 28. quæst. 11. sect. 2. & Conimbricensibus hic art. 1. genera omnia in eo conuenire, quod de pluribus in quid incompletè prædicentur: genus etenim nunquam est tota essentia speciei, vtpote quæ differentiam vlterius includit: quare omnia genera suprema, & infima ad idem prædicabile spectare: at species omnes in quid completè prædicari, eo, quod species sit tota essentia indiuidui, qua ratione Petrus, Paulus eiusdem omnino essentiæ, seu substantiæ censentur, quo spectat illud Basilij lib. 2. contra Eunomiũ; *Petri, & Pauli & omnium hominum, & si diuersæ sint appellationes, tamen vna est substãtia omniũ: quapropter, & in plurimis inter nos conuenimus, iis proprietatibus solum, quæ circa singula inspiciuntur, alio ab alio differente*: Et paulo infra; *nemo ita ignorans est, & ita communis naturæ imperitus, vt dicere in animum inducat, Paulum, & Petrũ & omnino cunctos homines alterum ab altero alterius esse substantiæ, è luto enim vt ego, etiam tu formatus es.* Nec non eodem spectat illud Augustini tom. 1. lib. 8. de Trinit. cap. 6. *Cum dicuntur tres homines vna natura, vel tres homines eiusdem naturæ, possunt etiam dici tres homines ex eadem naturâ: quia ex eadem natura, & alij tres homines possunt existere.* Quod si species non esset tota essentia indiuiduorum, sed cuiuis eorum sua esset essentialis indiuiduatio, sane vt non sunt eiusdem indiuiduationis, ita nec essent eiusdem naturæ, & essentiæ; contra quam Basilius, Augustinus, & alij Patres passim censent. Quæ cùm ita sint mirum non est, si species à genere diuersum prædicabile constituat. Ea autẽ particula, *incompletè*, in definitione generis necessario subauditur, & ex ea elicitur, quandoquidem repugnat, vnum aliquod de pluribus speciebus in quid prædicari, & esse completam essentiam, siue substantiam earum: eo enim ipso, neutiquam plures species forent. Quorum enim essentia completa, & adæquata est eadem, ea sunt eiusdem speciei, vt claret in Petro, & Paulo; ac proinde non poterunt ad diuersas species attinere. Quæ contra hanc solutionem poni solet obiectio, nec leuis illa quidem, tractatu sequenti commodius repelletur.

CAPVT II.

Aliud argumentum difficile aduersus definitionem generis.

QVod ita solet obiici: si per impossibile, vt aiunt, nullum esset animal, excepto homine, nullum, nisi rationale, profectò animal tunc esset genus: nihilominus in eo euentu neutiquam posset prædicari de pluribus differentibus specie in quid: non enim esset prædicabile nisi de solis hominibus, quos certum est specie non differre, ac solo numero diuersos esse: reiicienda igitur est ea generis definitio, quippe quæ non conuenit aliis à definito, animali scilicet. Quod tum futurum genus, quæ est prior antecedentis pars, eaque dumtaxat probationis indiga, hunc in modum suadetur: homo in eo euentu maneret, eiusque essentia eadem esset, quæ modo: cur enim ea mutetur, per hoc, quod aliæ species intereant, atque in chimæras, & rationis entia euanescant? sed homo constat nunc essentialiter ex genere, quod est animal, & ex differentia, quæ est rationale: ergo & tunc perinde se res haberet. Confirmatur argumentum: quoniam in ea hypothesi animal foret genus: at in ea non prædicaretur de pluribus differentibus specie in quid: haud igitur est idem, tam re, quam ratione nostra, esse genus, & ita prædicari; aliàs in nullo euentu, etiam conditionato, & impossibili possent separari: quo pacto, si repugnaret homo, eandem repugnantiam animal rationale subiret. 11 12

Respondent aliqui primò, animal tunc non futurum genus, sed potius differentiam, & à rationali ratione nostra minime distinctum iri, videlicet, quia cũ eo conuerteretur, atque recurreret, & nihil esset rationale, quod non animal, aut animal, quod non rationale: Sed non satisfaciunt: quoniam risibilitas, & rationalitas modo sunt in homine ratione nostra distinctæ, & tamen conuertuntur inuicem: item in Deo iustitia, & misericordia, intellectus, & voluntas, omnipotentia, & sapientia recurrũt, ac reciprocãtur; quidquid enim in Deo est iustitia, idipsum reipsa est misericordia, & è conuerso, nec fieri potest, vt

sit

ſit infinitè iuſtus, quin miſericors pariter, aut infinitè miſericors, quin tantundem iuſtus, & ſic de cæteris attributis: & tamen ea diſtinguuntur in illo ratione noſtra. Quamuis ergò in hypotheſi argumenti animal, & rationale mutuò ſe inferrent, & conuerſionem, ac reciprocationem eſſent habitura, nihilominus diſtinctionem rationis modo ipſis inſitam tum non exuerent: perperam ergò dicitur animalitatem eo in euentu differentiam fore, & neutiquam inter genera numeratum iri, ob identitatem, quam tunc fingitur cum rationalite ſubitura.

13 Reſpondent alij ſecundo; animal tunc non futurum genus, quia eſſet proprium. Sed non magis appoſite: quoniam proprium eſt conceptus ſecundarius, reſpectu eius, qui eſſentialis eſt: at animal non foret eo in euentu conceptus ſecundarius, reſpectu rationalis, ſed primarius: quo enim pacto effectus animalis tunc eſſent priores natura, & cauſalitate effectibus rationalis, etiam ipſum animal animal foret, quodam rationis ordine, prius, quam rationale. Rurſus, modo riſibile nequit eſſe proprium reſpectu rationis, & hominis, quin eis ſecundario accidat, & conueniat, illiſve ſit ratione poſterius: at ita ſe habere non poſſet animal in eo euentu comparatione rationalis & hominis, ob iamiam dicta: haud ergò eorum reſpectu poſſet eſſe proprium. Deinde, ſi animal tunc eſſet proprium contemplatione hominis, maximè quia tota eius eſſentia eſſet rationalitas, hoc enim colore vtuntur authores huius ſolutionis, hoc eam defendunt: atqui abſurdum, abſonumque eſt, totam hominis eſſentiam fore tunc ſolam rationalitatis differentiam: nam inprimis, cur non genere aliquo eſſentialiter conſtaret, non, quod à multis animalium ſpeciebus eſſet abſtractum, ſed, quod à pluribus viuentium, aut corporum ſpeciebus, vt exponetur inferius? Ad hoc, ſi rationalitas tum eſſet tota hominis eſſentia, ſimiliter hinnibilitas, ſeu differentia ſpecifica equi eſſet itidem tota eius eſſentia, ſi, mutata hypotheſi impoſſibili, non homo, ſed equus maneret ſolus inter omnes animantum ſpecies, & harum nulla, equo exempto, in chimæram non abiret: quid tum autem futurum eſſet de animali? Haud etenim poſſet eſſe proprium: ſiquidem vel iuxta aduerſarios animal tranſcendit formaliter, & in ea quidditatiue includitur, haud ſecus, ac ipſa in conceptu equi: ſicut ergo eiuſmodi differentia tunc eſſet eſſentialis equo, illumque primario conſtitueret, ita etiam animal in ea quidditatiue incluſum: hoc ergo reſpectu equi neutiquam eſſet proprium, aut quid ſecundarium, ac minime eſſentiale. Quod ſi propterea dicatur animal tum fore genus equi, & inconſequentiæ vitium incurritur; cur enim dici non poſſit idem de animali, ſi per impoſſibile in ſolo maneret homine? & præterea difficultas argumenti manet inexhauſta, ac non tollitur, ſed ab vna hypotheſi ad aliam ſimilem transfertur; quoniam animal, ſi nullum eſſet, niſi equus, foret genus, & non proprium, aliudvè prædicabile, & tamen de pluribus differentibus ſpecie in quid neutiquam prædicaretur.

14 Tertiò reſpondent aliqui Thomiſtæ ex Caietano, ad ſpeciem vnum abſolutè indiuiduum ſufficere, & conſequenter ad genus vnicam duntaxat ſpeciem; pluralitatem autem inferiorum in definitione ſpeciei, & generis expreſſam debere ita intelligi, vt ſit conditionata tantum: quapropter animal in euentu argumenti fore genus, quia licet tum abſolute non poſſet prædicari de pluribus ſpeciebus, nec niſi de ſolo homine, poſſet tamen conditionatè, nimirum ſi eæ darentur: quo pacto, aiunt, naturam Gabriëlis Angeli, tametſi pluribus indiuiduis incommunicabilem, nihilominus eſſe ſpeciem. Cæterum hæc ſolutio ſatis ſuperque à nobis reiecta eſt init. lib. præced. & iuxta eam Deus eſſet propriè vniuerſalis, genuſque, & ſpecies, poſſet enim prædicari de pluribus indiuiduis, aut ſpeciebus, ſi darentur.

Quocirca expeditius reſpondeo, animal in tali euẽtu nõ fore genus, quoniã eius ei definitio deeſſet: probatio autem contraria non vrget: hominem enim conſtare genere, & differentia eſt ei denominatio quadantenus extrinſeca: nam eſt illum conuenire cum aliquibus ſubſtantiis, quæ non ſunt homines & ab eiſdem diſſentire, ſiue, quod inſtar eſt, eis ſimilem, ac diſſimilem eſſe, quas relationes ſaltem radicaliter, & ex parte fundamenti, & termini ſumptas, quis eorum alterutri, per ſe, ac ſeorſim vſurpato, extrinſecas inficietur? proindè genus, ac differentia abſolutè, & adæquatè ſumpta non ſunt de eſſentia hominis, alteriuſve ſpeciei reipſa: quod enim eſt extrinſecum, quî eſſentiale reuera eſſe poteſt? ſolum ergo aliquid, quod inadæquatè eſt genus, aut differentia, non tamen reduplicatiue, & provt alterutrum eorum eſt, ſed ſpecificatiuè, eſt vera, ac realis eſſentia hominis, ab eoque prorſus indiſtincta; hæc igitur eadem manebit, tametſi animal deſinat eſſe genus, in ea hypotheſi ficta: haud enim propterea aberit animal ipſum homini omnino intrinſecum, & idem, quod modo inadæquatè genus conſtituit: porrò eſſentiam logicam hominis eo ipſo tum mutatum iri, non inconuenit, ſi vti oportet explicetur, de quo paulo infra.

Vrgebis tamen: animal in eo euentu, nec differentia, nec proprium eſſet, vt ſuperius probatum manet: rurſus neque accidens, vt certo certius: ſpecies autem eſſe nequiret, non enim diceretur tum completè de homine, ſed tantùm incompletè: nam ſicuti in phyſica compoſitione, materia non eſſet completè eſſentia hominis, aut etiam anima, quanquam per impoſſibile non eſſet alia materia, animavè, præter eas, quibus homo conſtituitur, ita pariter in compoſitione logica hominis, animal non eſſet eius eſſentia completa, ſed incompleta potius, ſicuti modò, licet per impoſſibile nullum aliud animal eſſet, præter id, quo nunc temporis homo conſtituitur: hoc ergo tantum relinquitur, vt animal in eo euentu duntaxat genus eſſet, tametſi ſpeciebus ſibi ſubiectis deſtitutum: atque adeo per has genus male definitur. 15

Arbitror tamen, quidquid alij cenſeant, animal in ea hypotheſi fore ſpeciem; primo, quia quod prædicatur de pluribus differentibus ſolo numero in quid eſt ſpecies: ſed huiuſmodi eſſet animal in eo euentu; prædicaretur enim in quid, & velut cõceptus primarius: quid nì cum in quale, ac ſecũdario predicari nequeat ob rationes nuper poſitas, quibus illud nõ fore proprium euicimus. Deinde de pluribus ſolo numero differentibus prædicaretur, nimirum de ſolis hominibus. Secundò quoniam, ſiquid deeſſet ei ad ſpeciem, maximè prædicari completè: hoc autem ei non deforet; quin potius completè prædicaretur de ſuis inferioribus, hominibus videlicet. Ideo enim modò prædicatur incompletè, non verò completè, quia homo, & equus v. g. non ſunt eiuſdem eſſentiæ completæ, cum tamen in ratione animalis conueniant; vnde videtur ſequi animal haud eſſe modo eſſentiam completam vtriuſque. At hæc ratio non procederet, in eo caſu, quo nullum animal præter 16

hominem esset : cur ergo animal esse non posset completa essentia hominis? vt enim Petrus, & Paulus, & quiuis alius homo sunt eiusdem essentiæ completæ, ita etiam eiusdem rationis animalis essent tunc, vtque non sunt eiusdem essentiæ completæ cum illo supposito non humano, ita cum eo tunc neutiquam conuenirent in ratione animalis. Tertiò, id quo homo ita constituitur, vt vi illius partim conueniat cum omni eo, quod sub eodem proximo genere continetur: quin tamen homo sit, & partim etiam ab eo differat, id profecto est species hominis totaque illius essentia, hac etenim ratione, & non alia, modo animal rationale est species, & tota hominis essentia. Atqui in eo euentu, quo nullum esset possibile animal homine excepto, per animal vt est viuens, conueniret homo cum omni eo, quod homo non est, & sub genere proximo viuentis cõtinetur : (quando quidem enim animal tunc non foret genus, vti nostræ rationes probant, solum viuens esset proximum genus hominis, ac proinde hoc à nobis iure merito supponitur) deinde per animal, provt hoc est sensibile, differret homo à planta, & omni eo, quod homo non est, & sub genere viuentis continetur : animal ergo, siue viuens sensibile, tunc foret species quædam, ac tota hominis essentia logica.

17 Enim vero contrà hanc decisionem, non leues difficultates existunt. Prima, quam paulo ante opponebam ; animal modo non prædicatur complete de homine : ergo neque tunc. Secunda ; si animal esset species, ac tota hominis essentia, rationale foret eius proprium, & conceptus secundarius, deque eo in quale prædicaretur : hoc autem omninò falsum esse videtur, quoniam modo rationale non est conceptus secundarius hominis, nec de eo prædicatur in quale, ergo nec tale erit, etiam si reliqua omnia animalia pereant, & sint impossibilia ; sicut quamuis nullum album præter hominem possibile esse fingatur, haud propterea albedo desinet homini accidere. Tertia ; quia impossibili omni animali præter hominem, huius essentia ob id non variaretur, sed eadem perseueraret : at iuxtà nostram decisionem alia prorsus ac diuersa esset ; nam modo essentia hominis est animal rationale, tunc autem esset solum animal : hominis ergo essentia inuariato homine variaretur, siuè, quod iuxtà est, homo sine essentia sua quam modò habet, idem tamen, qui modo, perseueraret. Quarta; quoniam si tunc essentia hominis in solo animali consisteret, & Petrus v. g. hoc solo, quod animal esset, homo esse, & intelligi posset ; ergo modo asinus, aut Bos erit homo; est enim tam animal modò, quam tunc esset animal Petrus. Quinta; homo debet definiri, & quidditatiue explicari per eius operationes perfectiores, ac magis nobiles : perperam ergo dicimus, casu quo reliqua animalia in nihilum, & impossibile abirent, fore, vt homo per animal, siue viuens sensibile definiretur, & quidditatiuè exponeretur, non autem per rationale : hoc enim esse hominem per respectum ad imperfectiores eius operationes, cuiusmodi sunt sensiones definire, & enucleare, prætermissis intelligendi ac discurrendi actibus, qui in homine reliquis excellunt, eumque Deo, & Angelo quam similem efficiunt.

18 Hæc quidem difficilia sunt. Quibusdam tamen adnotamentis præiactis haud difficile enodabuntur. Primum, ac potissimum esto ; essentiam logicam rei provt talem, & simpliciter, ac adæquatè sumptam non esse omnino intrinsecam, & essentialem, sed partim extrinsecam, & accidentariam, & aliquatenus variabilem. Quocirca, cum dicitur essentia logica, vocula illa, logica, est additio diminuens, vt aiunt, si appellet supra essentiam totaliter sumptam secus verò, si supra solum id quod rei est omninò intrinsecum, & idem, hoc enim non diminuit, sed auget : quippè quod denotat esse idem, non tantum re, sed etiam ratione. Suadetur hæc doctrina ; quoniam essentia logica rei est eius definitio, siuè genus & differentia, per quæ explicatur : At definio rei, eiusve genus, & differentia, ei non omninò intrinsecus, & essentialiter adueniunt, sed partim extrinsecus, de accidentaliter : nam, vti superius etiam admonitum est rem definiri, ac per genus, & differentiam quodammodo constitui, est eam partim conuenire cum aliis, partim ab iis differre : genus enim est ratio conueniendi, & differentia ratio differendi : conuenire autem, & differre, siue assimilari, & dissimilari ad instar aliarum relationum prædicamentalium aliqua tenus parte sunt extrinsecæ, & accidentales.

Deinde suadetur eadem doctrina, quoniam essentia logica rei, est quæ componitur ex genere, & differentia, animali v. g. & rationali, tanquam ex partibus, non re, sed ratione distinctis, in quo dissidet ab essentia physica, quæ partibus realiter distinctis coalescit : sed compositio rationis rei realiter indiuisæ ab intellectu, non tantum rem ipsam, quam est compositura, sed alias plures ab ea connotatas vnà considerante profecta, non est omninò intrinseca, & essentialis, sed potius accidentalis, & extrinseca : ergo & essentia logica, quatenus eam compositionem inuoluit. Præterea, aliud est hominem esse animal rationale, aliud quod per animal velut rationem genericam, conueniat cum quouis alio animali, & per rationale, velut per differentiam, ab eo dissideat : fatemur illud prius esse omninò intrinsecum, & essentiale. Cæterum id contendimus, hoc posterius non esse omnino intrinsecum, & essentiale, sed nonnihil habere, quo extrinsecus, & accidentaliter homini adueniat : Cum ergo animal, & rationale non sit essentia logica, nisi provt est ratio conueniendi, & differendi, siuè genus, & differentia, quid mirum, si quatenus est essentia logica, sit etiam aliquatenus extrinseca, & accidentalis? Nec verò id tantum volumus, genus, & differentiam secundò intentionaliter sumpta, & provt actum intellectus, quo fiunt, inuoluunt, esse essentiam logicam, & ex hoc titulo quadantenus esse extrinseca : quinimo, si rationes hactenus propositæ paulò attentius inspiciantur, hoc compertum erit eas euincere, genus & differentiam etiam primò intentionaliter sumpta, homini v.g, non omninò intrinsecùs, sed partim etiam extrinsecùs accedere.

Denique confirmatur, & declaratur hoc annotamentum, quod primo loco posuimus : quoniam, si qua ratione essentia logica rei non posset esse quadantenus extrinseca, & variabilis, etiam facta per impossibile aliqua varietate in essentiis aliarum rerum, sed potius deberet esse omnino intrinseca, & inuariabilis, quauis extra rem ipsam hypothesi data, maximè ptoptereà, quòd per eam res definiatur, & explicetur : hæc autem ratio nil nobis officit, nil aduersariis proficit : Deus enim nisi per species, & imagines creaturarum à nobis in hac vita non explicatur, nec definitur : hinc tamen neutiquam fit creaturas, earumve similitudines esse omnino intrinsecas, & essentiales Deo ; eoque inuariato omnem illas varietatem reiicere. Quocircà cum dici consueuit rem nullam intelligi, aut explicari posse

sine

sine essentia sua logica, siue definitione: vnde à fortiori, vt aiunt: effici videtur, nullam rem sine essentia sua logica, siue definitione esse posse, adeoque hanc inuariabilem esse facta quauis mutatione, etiam per impossibile extra rem ipsam in iis: quæ ab ipsa connotantur modò: hæc, inquam, quæ vulgo dici solent, ne hilum nobis aduersantur: etenim Deus nequit à nobis intelligi, aut explicari, sine creaturis, quas connotat, & tamen hæ ei intrinsecæ, & essentiales non sunt, hisque variatis per impossibile, & in chimæras deficientibus, ipse tamen, idem, qui modo, tunc perseueraret. Porrò autem, vt iam ante monuimus, haud intendimus, hominem posse esse reipsa, quin sit animal rationale, sed solum futurum reipsa hominem, tametsi non per animal rationale, sed per solum animal, aliudvè prædicatum sibi intrinsecum definiretur, ac primariò explicaretur: hoc autem cur appareat, absurdum absonumve.

21 Secundum, quod prænotari oportet, est: quamuis esse completam essentiam physice, & reipsa sit inuariabile, & quod semel est incompleta essentia migrare nequeat hoc sensu in completam, aut quod completa, in incompletam, facta quauis hypothesi accidentaria, & extrinseca: quod quidem luculenter constat exemplo materiæ hominem incompletè, & eius, simulque formæ illum completè constituentis, ita quidem, vt facta quacunque suppositione circa possibilitatem aliorum entium extra hominem, non propterea materia hominem completè, aut illa, & simul forma eum valeant incompletè constituere; quamuis inquam hæc ita se habeant: cæterum quod attinet ad essentiam completam logicam hominis, haud dubium est eam inuariabilem non esse, facta quauis hypothesi circa possibilitatem, aut impossibilitatem aliorum animalium extra hominem: quin potius, quæ modo est incompleta, completam esse posse, si non sit aliud vllum animal, quod non sit homo. Ratio huius est, quoniam essentia logica non est omninò intrinseca essentialis, & inuariabilis, vt nuper vidimus, sed potius extrinseca, accidentalis, & varietati quadantenus obnoxia: talis igitur erit, siue de completa sermo sit, siue de incompleta: quemadmodum, si esse cognitum non sit essentiale intrinsecum, & immutabile, nec eiusmodi erit esse adæquatè, vel inadæquatè, siue quod eodem redit, completè, aut incompletè perfectè, aut imperfectè cognitum, vt per se liquescit.

22 Tertium, & vltimum, quod prænotari oportet, est, accidens proprium, siue quod iuxtà est, quale proprium, si logicè sumatur, variabile esse, ac mutationi subiectum, sic, vt, quod modo proprium, siue quale logicum rei non est, sed potius essentia, & quidditas illius, hoc idem facta aliqua hypothesi & per impossibile mutatione aliqua inuecta in alias re, extra id, cuius est, tunc possit, quale, seu proprium logicum eius esse. Probatur, quoniam essentia logica simpliciter, & adæquatè sumpta non est inuariabilis, manente reipsa cuius est essentia: ergo nec proprietas, siue qualitas logica ita erit inuariabilis. Tum etiam, quia quod conceptus aliquis sit proprium, & in quale dicatur de quopiam, postulat vnum, aliumque conceptum sibi præsupponi, genericum nimirum, & differentialem: huiusmodi autem præsuppositio quadantenus extrinseca, & variabilis est, sicut & id, quod præsupponi debet, vt suprà iterum, iterumque exposuimus: ergò & quod aliquid sit logice propriũ, aut quale rei. Diuersa porrò ratio est proprij, seu qualis physici, quod à substantia realiter distinguitur: quidquid enim est substantia, & essentia physicè, & reapse, nequit ab ea realiter distingui, aut in proprium, seu quale physicum migrare, propterea, quod distinctio rerum ipsis essentialis sit, & eis inuariatis non possit varietatem vllam subire.

His præiactis, dicendum est ad primam rationem 23
contrariam, animal in eo euentu, quo de agmus, prædicatum iri completè de homine, esto modo incompletè de illo dicatur: vt vt materia, quæ modo hominem incompletè constituit, facta quauis mutatione, etiam per impossibile in omnibus extra hominem, cum proculdubio sit etiam incompletè, non vero completè constitutura: quæ autem vtriusque ratio, & quæ inter alterum, & alterum disparilitas assignari debeat, ex primo, & secundo liquet annotamento. Ad secundam rationem contrariam respondendum est concessa sequela; nempe exempta de medio possibilitate omnis animalis præter hominem, huius non essentiam logicam, sed potius proprium futuram esse rationalitatem: quod enim hoc procul omni absurditate sit, ex iis claret, quæ tertio loco annotauimus.

Ad tertiam rationem contrariam dicendum est, in 24
illo euentu, quo nullum vltra hominem animal esset, eandem hoc ipso futuram esse essentiam physicam illius, non tamen eandem essentiam logicam siue definitionem, ac proinde hominem, quomodo est, tunc etiam fore, non quin animal rationale esset, sed quin hoc esset eius essentia, ac definitio. Quod autem hoc non sit absurdum, aut à ratione alienum, ex iis, quæ primo loco annotauimus, planum fit, atque dilucidum.

Ad quartam rationem contrariam dicendum est, 25
facta ea hypothesi, qua de loquimur, nimirum quod omne animal esset homo, ac nullum esset non homo, consequenter omne animal futurum radicaliter rationale, adeóque diuersæ conditionis ab animali, quod modo ab homine, & equo abstrahimus: quocirca nihil mirum, si eo in euentu Petrus v. g. foret homo, hoc solo, quod animal esset: modo verò bos, & asinus non sint homines, quantumlibet animalia sint: alia enim ratio animalis nunc est, & alia tunc esset futura.

Ad quintam, & postremam rationem respondendum est, regulam illam Lesbyam & fallacem esse, qua non, nisi per nobiliores operationes res quæuis definiri præscribitur: modo enim volitiones spirituales hominis haud dubiè eius sensionibus præstant, & tamen per has, & non per illas definitur: rursus vis iudicatiua in homine perfectior est vi discursiua; penes namque illam cum Deo, & Angelis conuenit, non vero penes hanc; quæ est enim eius imperfectio nec in Deo, nec fortassis etiam in Angelis locũ habet. Quapropter quod nullo animali possibili præter vnũ hominem, eius tamen discursiones sensionibus, & aliis viuendi actionibus antecellerent, non obesset, quominus per has deberet, & non per illas definiri. 26

Aliter etiam arbitror satisfieri posse præcipuè
difficultati initio huius capitis propositæ; videlicet 27
animal, si per impossibile in solo maneret homine, nec futurum genus, nec vllum aliud ex quinque prædicabilibus: hæc enim assignata esse, pro prædicabilibus, quæ modo sunt, omnibus, & singulis, non vero pro iis, quæ essent in euentu impossibili. Eò vel maximè, quod ens rationis sit strictè vniuersale, ac prædicabile, & tamen nec genus, nec species, nec differentia, proprium, aut accidens, iuxta tract. præc. statuta: item quod iuxta inibi etiam dicta ens sit propriè vniuersale, & tamen non genus fortassis, nec aliud eorum prædicabilium quæ

sequuntur : denique quod Fonseca , & Louanienses alia prædicabilia innominata prorsus distincta ab iis , quæ Porphyrius enumerauit , admittant.

CAPVT III.

Quod sit definitum in definitione generis.

28 HÆc quæstio generi cum reliquis prædicabilibus communis est , cæterum tract. præced. discutere eam noluimus , propterea quod hic magis se prodat eius difficultas, quam in prædicabili in communi : præterquam etiam , quod hic solet à plerisque tractari. Dico ergo primo. Prima intentio , secundum se præcisè,non est definitum in definitione generis : tum , quia prima intentio animal v. g. secundum se, & præciso, ac circumscripto intellectus actu , non est prædicabile de pluribus differentibus specie in eo , quod quid , sicut paries sine candore nequit album quippiam esse : tum etiam, quia aliàs definitio generis esset non essentialis , sed accidentaria definito : quid enim animali v. g. magis accidit , quam prædicari de pluribus , &c. aut genereitati subiici ? Neque verò vllum reperio, cui hæc assertio displiceat.

29 Dico secundò. Secunda intentio , seu genereitas, præcisè , seu secundum se , non est definitum huius definitionis. Quæ assertio,tametsi sit contra Scotum Caietanum , Anglicum, Sotum , Sarnarum , Antonium Andream , Mauritium , Rodonophum , Burlæum, est tamen satis communis,& in hunc modum potest efficaciter probari. Definitum eius definitionis, est id, quod prædicatur de pluribus , &c. At genereitas non est id, quod ita prædicatur,cum sit quidam actus singularis : ergo sola genereitas eius definitionis definitum non est. Maior est perspicua; aliàs definitum in definitione hominis non erit , id, quod est animal rationale. Minor probatur , quia sola prima intentio, scilicet animal,est id,quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid;belluis nimirum , & hominibus: genereitas enim , vt proximè dictum , est quædam singularis cognitio: quamuis autem , si de illa in communi sermo sit, de hac,& illa genereitate specie distinctis in quid prædicetur , id tamen habet , non vt est genereitas, provt modo eam sumimus , sed prov t alteri actu subiacet , & genus est , quo sensu eam neutiquam vsurpamus. Etquidem , esto vna specie aut numero genereitas possibilis foret , adhuc definitio generis vera esset , & tamen sola genereitas tunc esse non posset definitum eius definitionis , vt erit intuenti conspicuum.

30 Respondet primò Burlæus , solam genereitatem definiri , ei tamen non conuenire definitionem , sed primæ intentioni,quam illa abstrahit. Cæterum hæc solutio, & ex dictis haud ægre potest impugnari, & Aristoteli secundo post.text.2. apertè repugnat,necnon etiam identitati illi , quam in cæteris definitionibus cum suis definitis omnes agnoscimus : quocircà eam chimæricam,& commentitiam Soncinas, & Amicus meritò indicant.

31 Respondet secundò Caietanus, & cum eo neotericorum pars bona ; definitionem generis efficere sensum formalem , & perinde esse genus , id esse, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid , ac esse ipsum prædicari , siue quo aliquid ita prædicatur : quo quidem sensu soli secundæ intentioni conuenit. Verum hæc solutio,& verbis definitionis manifestè repugnat , quæ non *quo* , sed *quod* prædicatur exprimunt , & menti definientis , qui in sua Isagoge animal exemplum præsentis definitionis adhibet , cui sanè definitio competere nequit, si in prædicto illo sensu formali accipiatur.

32 Respondet tertiò Scotus definitionem illam generis in actu signato,non verò in actu exercito sumi oportere;quasi eius sensus hic sit:genus est id,quod in actu signato prædicatur de pluribus differentibus specie in quid,aut, quod eodem redit , genus est intentio secunda signans aut significans id, quod in actu exercito de pluribus prædicatur, &c. Cæterum hæc solutio verbis definitionis , haud magis cohæret , quam præcedens , à qua solis pene verbis differt. Rursus cum definitur homo v. g. esse animal rationale non sumitur animal rationale in actu signato, seu pro secunda intentione, quæ animal rationale significat, aliàs hæc propositio, *homo est animal rationale*, falsa esset ; cum homo nequeat esse eiusmodi secunda intentio ; similiter ergo non est, quapropter definitio generis in actu signato sumi possit, aut debeat.

33 Assero tertiò : definitum eius definitionis,qua de agimus, est concretum intentionale ex prima,& secunda intentione, seu natura generica , & genereitate : ex illa vt quod, & in recto ; ex hac vt quo , & in obliquo : definiri autem vt quo , & in obliquo est attingi in definitione , vt formam , & non in nominandi casu : in recto verò, & vt quod definiri,est attingi in nominandi casu , & velut id , quod formæ, aut quasi formæ substernitur:de quo superius lib. 3. huius operis tract. 3.cap. 1. Ergò nec genereitas sine natura generica nec natura generica sine genereitate definitur , atque vt Horatij in arte poëtica carmine vtar.

Alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

34 Hanc autem assertionem tenent B. Thomas, Toletus , Hurtadus , Capreolus , Gregorius Venetus, Iauellus, Soncinas, Bartholomæus, Amicus , & alij perplures. Ea autem probatur in hunc modum:quoniam definitum, quod per generis definitionem explicatur , non est sola intentio prima , nec sola intentio secunda, vt nuper ostensum manet , ergo est complexum quoddam vtriusque : quod autem hæc, vt quo, & in obliquo, illa verò in recto, & vt quod, ex superioribus constat : etenim si secunda intentio esset definita, vt quod,& in recto, planè ei conueniret esse id,quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid : at hoc non illi,sed primæ intentioni v.g. animali potest , ac debet conuenire : rursus , si prima intentio,scilicet animal,esset definita vt quo, & in obliquo, haud dubiè ei competeret esse id,quo animal , aliudve prædicatur de pluribus , &c. quis autem hoc non eius, sed solius secundæ intentionis proprium esse non videat ? Secundo probatur eadem assertio,quoniam genus est definitum in definitione generis , vt vero verius : at genus est complexum quoddam inuoluens in recto , & vt quod , primam intentionem , & vt quo , & in obliquo , secundam intentionem , siue formam intellectualem: haud aliter , ac album priori modo subiectum , & posteriori albedinem importat , vti ostensum est citato lib. 3. tract. 3. cap. 3. Quamuis autem ibidem statuendum sit, genus , & quoduis aliud concretum intentionale, aut physicum, ita etiam aliquando sumi posse,vt importet in recto formam. & in obliquo subiectum cæterum quod in præsenti neutiquam ita sumatur

genus,

genus, sed potius eo, quem asseruimus modo, luculenter apparet, ex ipsa Porphyrij definitione, cuius solius definitum exploramus: nequaquam enim ea conuenire posset generi, si hoc in recto formam, seu genereitatem includeret. Quod si provt illam ita includens definiatur genus, hoc pacto (haud enim alio potest) est id, quo aliquid prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, huiusmodi profectò definitio generis in recto formam, & in obliquo subiectum, ac primam intentionem inuoluet: at non de ea, sed de Porphyriana definitione tota nobis est controuersia.

35 Assero quartò, complexum illud intentionale ex genereitate, & natura, ita est definitum à Porphyrio, vt implicitè & virtualiter quidem importet in recto & vt quod, secundam intentionem, in obliquo verò, & vt quo, siue vt connotatum quoddam primam intentionem, tametsi explicitè, & formaliter aliter se res habeat. Probatur ex facili: quoniam, cum dicitur genus est id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, virtualiter, & implicitè dicitur eo ipso: genereitas est id, quod est forma, cuius beneficio quidpiam ita prædicatur. Hoc pacto, cum paries albus v.g. dicitur esse disgregatiuus aciei nostræ, tum etiam albedo esse forma, seu ratio formalis disgregandi virtualiter, & implicitè affirmatur.

36 Quintò, & vltimo assero: ex duplici parte illius definiti neutra magis principaliter à Porphyrio definitur: sed in hoc instar excedentis, & excessæ comparantur inuicem: qua in re falsi videntur genereitati primas deferentes, nec minus alij, qui eas naturæ genericæ, & non nisi secundas genereitati deferunt. Quod tamen aliter, quam vtrique putant, se res habeat, scilicet, quemadmodum statuimus, facili negotio suadetur: quoniam prima intentio, seu natura generica in eo secundam excedit, quod, expressè, & formaliter loquendo, ei soli in recto, & vt quod definitio Porphyriana conueniat: in eo verò secunda intentio, seu genereitas primam superat, quod natura, & essentia genereitatis magis explicetur, quam natura, & essentia primæ intentionis, quam afficit, siquidem genereitas, penes id, quod ei intrinsecum, & essentiale est declaratur: natura verò, seu prima intentio, provt genereitati subest, & ab ea nominatur extrinsecus.

37 Obiicies tamen aduersus primã assertionem. Id solũ est definitum in definitione generis, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: at sola natura est, quod ita prædicatur, cum genereitas tantum habeat, vt quo prædicari: natura igitur secundum se præcisè est eius definitionis definitum. Respondeo, solam quidem naturam esse id, quod prædicatur, &c. non verò genereitatem: quoniam verò non fortitur ita prædicari nisi provt genereitati subest, inde est, quod secundum se præcisè sumpta, nec sit quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, nec consequenter definitum huius definitionis, qua de loquimur.

38 Obiicies etiam aduersus secundam assertionem: id dumtaxat est definitum in præsenti, cuius natura explicatur: at solius genereitatis natura, siue essentia explicatur, deque ea virtualiter affirmatur esse formam, qua aliquid prædicatur, &c. ergo sola ea est definitum. Maior est in aperto: minor suadetur; quoniam natura secundum se v.g. animal neutiquam hic explicatur, nec de eo quid sit ea definitione innotescit: haud enim dicitur, quod sit viuens sensibile. Respondeo, negata minori, ad eius probationem: natura, quatenus subest genereitati, & hæc quatenus naturam afficit, explicantur: quamobrem non est necesse, quod de animali dicatur esse viuens sensibile: hoc enim esset, illud explicari secundum se, & non cum respectu ad genereitatem, sine qua tamen non sumitur impræsentiarum. Obiicies etiam aduersus eandem assertionem: naturæ animalis, v.g. conuenit tantum accidentaliter prædicari de pluribus differentibus specie in quid: haud igitur ita prædicari poterit esse eius definitio, cum hæc definitio suo essentialis esse debeat, & accidentalis esse nequeat: erit ergo solius definitio genereitatis, ac proinde hæc sola est definitum in præsenti. Respondeo, distincto primo antecedenti; naturæ secundum se præcisè sumptæ conuenit accidentaliter prædicari, &c. concedo antecedens: ei provt subest genereitati conuenit accidentaliter ita prædicari, nego antecedens. Hinc autem dumtaxat fit, naturam secundum se sumptam haud participare definitionem generis, eiusque definitum neutiquam esse, quod vltro fateor, secus verò, si illa non per se, sed provt extrinsecus denominata à genereitate, eique substrata vsurpetur.

Obiicies quoque aduersus tertiam assertionem: 36
nullum aggregatum per accidens potest esse definitum alicuius veræ definitionis, iuxta Aristotelem lib. 7. metaph. lect. 3. ibi *homo albus non est quod quid, si ipsum quidem quod quid solũ substantiis inest.* Non est autem potior ratio, cur album careat definitione, siue eo, quod quid est illius, quam quoduis aliud aggregatum per accidens: præterquam quod Aristoteles albo tantum vtatur vt exemplo, alioqui verò solis substantiis definitionem, siue quod quid, concedere, eamque consequenti ratione concretis per accidens, omnibus, & singulis, negare videatur. Huc faciunt B. Thomæ super eum locum verba; *patet, quod album, & similia non possunt habere quod quid erat esse.*

His fortassis testimoniis adductus Dominicus So- 40
tus in præsenti quæst. vnica art. 1. tanquam certum supponit, definitum nostræ definitionis, haud quaquam esse concretum genereitatis, & naturæ, seu primæ, & secundæ intentionis; *est ergo*, inquit, *dubium, nunquid definiatur natura pro substracto, an vero secunda intentio? nam de aggregato ex vtroque dubitari non potest, cum non sit vnum ens, magis, quam aggregatum ex corpore, & albedine.* Eodemmodo loquuntur alij plures Thomistæ. At quis non videat, eos hallucinari, & omninò abs re Aristotelis, ac B. Thomæ testimoniis impræsentiarum vti? Illa etenim ad summum probant definitionem generis haud esse propriam, & quidditatiuam, sed descriptiuam, & impropriam: talis autem quamuis ea sit, quid inde? quæstio namque est, nõ de definitione, sed de definito: hoc est, an definitionis Porphyrianæ, siue ea sit rigorosa, & exacta, siue vulgaris, & pingui, vt aiunt, Minerua tradita, an inquam eius definitum sit concretum illud per accidens vtriusque intentionis, an potius alterutra earum seorsim ab alia? qui ergò concretum definiti rationem obtinere tuemur, neutiquam offendi possumus vllis testimoniis, aut argumentis, quibus eius definitionis proprietas, ac veritas, illiusque à descriptione distinctio impugnantur. Præterea, vt queat concretum per accidens strictè, & quidditatiuè definiri, ac non tantum describi, constabit tract. seq. vbi etiam Aristotelis, ac B. Thomæ loca modo nobis obiecta retractabimus, & aliis ibi adiiciendis exponemus. Aduersus cæteras assertiones non sunt argumenta, quæ vrgeant.

CAPVT IV.

Quatenus genus cum speciebus comparetur.

41 Assero primò: genus vt genus est, & vniuersale, ac totum quoddam potestatiuum, siue in sensu composito huius denominationis non tantum de vna specie, sed etiam de pluribus prædicatur. Probatur hæc assertio, quoniam in hac prædicatione, *homo & leo, & equus, &c. est animal*, animal æquialenter est omne animal, adeóque eiusmodi actus est æquialenter copulatiuus: item in hac prædicatione, *homo, vel leo, vel equus, &c. est animal*, animal æquialenter est aliquod animal, siue per actum æquialenter disiunctiuum attingitur: ac per actum æquialenter copulatiuum, & æquialenter etiam disiunctiuum fit vniuersale, vt ex lib. præterito ad eius finem constat, & vel inde perspicuum est, quod eiusmodi actus provt tales plura non tamen formaliter vt plura, sed potius æquialenter, & implicitè attingant, sicut ad confusionem vniuersalis constitutiuam oportet: genus igitur prædicatur de speciebus provt vniuersale, & genus, siue genereitatem, & vniuersalitatem suam retinens, aut, quod perinde est, quatenus subest actui, quo vniuersale constituitur. Atque hanc assertionem tuentur B. Th. Scot. Toletus, Hurtad. Amicus, Masius, & alij complures.

42 Quò autem superior doctrina magis elucescat, obiicies aduersus eam ex Scoto, qu. 16. cum dicitur homo est animal, vel de illo prædicatur solū animal quod est; atq; ita neutiquam de eo prædicatur genus, cum hoc latius pateat animali, quod duntaxat in homine reperitur: vel de homine dicitur id animalis quod non est; atque ita prædicatio erit falsa: perperam ergo statutum est, genus de specie, siue vna, siue pluribus verè prædicari posse. Respondeo, prædicari animal, cum id, quod est in homine, tum etiam id, quod non est in ipso: cæterum actu disiunctiuo æquialenter, eo nimirum, qui huic æquippolleat, *homo est aliquod animal*, actuvè indefinito: quapropter neutrum absurdum sequitur. Item obiicies ex eodem Scoto ibidem: si genus animalis vt genus de homine vllatenus prædicatur, tota vtique natura animalis erit in homine: ergo extra hominem nullum erit animal, cùm totum sit extra quod nihil est, iuxtà Aristotelem 3. phys. text. 63. Respondeo prædicari de homine animal totum, sed non totaliter, quod vt contingat, ex nuncnunc dictis liquescit. Obiicies denique, iudicium, quo prædicatur animal de homine, & leone, & cæteris explicitè sumptis, animal provt multiplex clarè attingit: haud ergo illud confundit, haud velut vnum, & vniuersale cognoscit: iniuria ergo dictum est, animal vi eius actus prædicari in quantum vniuersale, & genus, siue in sensu composito huius denominationis, quam non aliter, ac denominationem prædicati ab eo accipiat. Sed distinguo primum antecedens: actus ille attingit clarè, & explicitè animal provt multiplex ex parte subiecti, concedo: ex parte vero prædicati, nego: hinc autem duntaxat sequitur, animal non fieri vniuersale, nec quatenus tale cognosci ab eo iudicio, provt tendit in subiectum, secus verò provt in prædicatum, aut per apprehensionem realiter distinctam, aut per formalitatem sola ratione distinctam, iuxtà varias authorum sententias, de compositione iudicij.

43 Assero secundò: genus cum dicitur prædicabile de pluribus differentibus specie in quid, speciem prædicabilem in ea definitione respicit, neque per voculam, *specie*, intelligi potest species subiicibilis Probatur assertio, quoniam aliàs manifestus circulus committeretur, dum genus definitur, quod de specie subiicibili prædicatur, & species subiicibilis, quæ generi subiicitur. At aliqui contrarium tenent. atque ita arguunt: genus definitur per ordinem ad eam speciem, quæ est eius correlatiuum: huiusmodi autem est species subiicibilis, non vero prædicabilis, quæ provt talis potius ad indiuidua refertur. Cæterum nihil definiri respectu sui correlatiui quatenus talis, mox constabit. Quare.

Assero tertiò: correlatiuum generis verè est species subiicibilis quatenus talis: etenim genus vt 44
genus est superius, & species subiicibilis, vt subiicibilis est quid inferius genere, cum subiici rationi superiori, non nisi ratio inferior possit: at correlatiuum superioris est inferius: ergo & generis species subiicibilis. Rursus correlatiuum alicuius est, quod ad illud mutuò refertur, eique vicem rependit, vt cernere est in patre, & filio sibi inuicem correlatiuis: at vti genus refertur ad speciem, quæ sibi subiicitur actu aut potentia, ita etiam species subiicibilis, in quantum talis, è conuerso refertur ad genus: eius igitur erit correlatiuum: quapropter species prædicabilis, nōnisi vt subiecta generi, eive apta subiici, correlatiuum illius poterit appellari. Et quidem huic correlationi non obstat, genus neutiquam definiri respectu habito, & expresso ad speciem subiicibilem provt talem, quia nullum correlatiuum definiri solet, aut iure potest per ordinem ad aliud, quà tale, aliàs omnis definitio circularis, & vitiosa esset, ad modum, quo hæ definitiones patris, & filij ineptæ sunt, ac vitiosæ, ex communi dialecticorum consensu, pater est qui habet filium, filius est qui habet patrem. Atque hoc si animaduertissent ij, quorum num. sup. meminimus, neutiquam essent hallucinati, neutiquam arbitrati, in definitione generis, ea vocula, *specie*, speciem subiicibilem provt talem subintelligendam esse. Benè verum est, vnum correlatiuum definiri posse, & solere, per ordinem ad aliud specificatiuè sumptum v.g. causam respectu effectus, formam respectu materiæ, &c. non verò per ordinem ad illud reduplicatiuè sumptum: cæterum hoc non impedit, quo minus definiatur contemplatione speciei prædicabilis; quippe quæ specificatiue loquendo est eius correlatiua, eique subiicibilis.

Assero quartò: genus vno sensu est magis 45
vnum, quam species prædicabilis ei subiecta, hæc autem alio sensu genus vnitate superat: etenim species potestatiuè sumpta, & quatenus inferiora includit, est magis vna, quam genus eodem modo acceptum: at è contrario genus actualiter sumptum, siue provt actu componitur ex aliis gradibus se simplicioribus, v.g. animal ex viuenti, & sensibili, est magis vnum, quam species eodem vsupata modo. Prior pars est perspicua: quoniam species quoad inferiora sua minus diuiditur, quam genus, tum extensiue, propterea, quod inferiora speciei pauciora sunt, quam inferiora generis; tum intensiue, eo, quod inferiora speciei minus sint dissimilia, magisve similia re, & ratione nostra, quam inferiora generis: atqui indiuisio est vnitas: vt ergò species respectu inferiorum, & provt ea includens est magis indiuisa, quam genus, idque duplici ex titulo, ita etiam & erit magis vna. Posterior pars similiter est in aperto; quoniam species actualiter sumpta, siue quatenus actu composita, continet genus, & consequenter partes omnes actuales generis, quibus aliam partem addit, videlicet differentiam specificam,

eam, quam genus actu non includit: hac ergò ratione vsurpata species in plures diuiditur partes, quam genus, ac proindè eò est minus indiuisa, & vna, illudque maiori vnitate, & indiuisione præditum. Ita fermè Alexander Alensis 5. metaph. B. Thomas 1. part. q. 85. Caietanus, Burlæus, Soncinas.

46 Assero quintò: tantum species, sed etiam genus à materia simul, & forma sumi possunt, & solent. Ita B. Thomas Scotus, Caietanus, Capreolus, Ægidius, Gabriel, Gregorius, & alij plerique. Ratio huius est: quoniam vt equus v.g. sit animal, nec sola materia, nec etiam sola eius forma sufficit, sed vtriusque requiritur existentia: gradus igitur genericus animalis alterutrinque oritur: aut paulò aliter; materia, & forma equi, provt est vnum quoddam principium totale sensionum, est animal; provt vero radix, & principium integrum hinniendi, est hinnibile: genus ergo, sicut & differentia, & quicunque alius gradus metaphysicus conueniens enti completo, à materia, & forma ducit originem. Quocirca non parum decipitur Niphus, & Soncinas, quorum ille 7. metaph. genus à sola forma, hic verò 1. metaph. illud à sola materia oriri existimat. Porrò quamuis genus desumatur ex æquo à materia, & forma, hoc tamen nequaquam negarim, materiam esse genus proportionale, seu simile vero generi, & genus itidem esse materiam proportionalem, siue similem physicæ materiæ: cũ tamen forma non cum genere, sed cum differentia, & è conuerso suã habeat proportionẽ. Atq; in hoc sensu minus proprio verum esse fateor, genus à materia sola, sicut & differentiam à forma egredi. Probatur autem proportio illa generis, & materiæ, siue corporis physici: primò quoniam, vt explicat Ægidius, vtrumque est indifferens ad plura, genus scilicet ad has, vel illas differentias, & ad hoc, vel illud totum metaphysicum: corpus verò, seu materia prima, ad has, vel illas formas, & ad hoc, vel illud totum physicum: secundò quia, vt disputat Alexander, vtrumque est prius suo composito, & actu: tertiò, quia sicut ad materiam accidentia communia, ita etiam ad genus sequuntur: quartò, quia sicut materia prius accipit formas vniuersales, quam particulares, animam v.g. vegetatiuam, quam sensitiuam, & hanc, quam rationalem, vt multi credunt, ita etiam genus prius accipit differentias communes, & superiores, quam inferiores, specialésque v.g. prius viuens contrahitur ad sensibile, quam ad rationale, & ad rationale, quam ad Petrum: & hinc exponuntur plura loca Aristotelis, quibus materiam genus appellat. Quæ autem proportio sit inter differentiam, & formam physicam, & quam contraria hactenus statutæ inter materiam, & genus, ex iamiam dictis facile quiuis colligat. Hic ab aliquibus solet explicari, quo pacto genus sit totum potentiale, & simul pars actualis speciei: sed ad initium libri superioris vtrumque pro virili exposuimus.

CAPVT V.

Genus respectu indiuiduorum explicatur.

47 PRæmitto primò, genus, aut eadẽ aut diuersa reipsa habitudine referri ad species, & indiuidua: Ad hęc mediate, & remote, ad illas verò proximè, & immediatè: ita Scotus q. 17. de vniuers. Conimb. q. 1. de specie. Masius, Fonseca, Auersa, & cæteri communiter: quidni vero? sicut enim animal v.g. sponte sua aptum est homini, & equo inesse, ita, & Petro, ac Bucephalo.

Præmitto secundò, indiuidua, alia esse completa, videlicet quæ ratione specifica formaliter includunt, vt hic homo, aut hic equus, Leo ve: Alia incompleta, quæ ab ea præscindunt, vel ex parte obiecti, vel ex parte modi, iuxtà varias Scolasticorũ sententias libro superiori memoratas, vt cũ hoc animal eminus cerno, quin tamen hominẽ, aut belluã esse discernam. Qui autem indiuidua incompleta ex parte obiecti talia, siue virtualiter intrinsece distincta, ac præcisa, à ratione specifica negant, eo, quod hoc animal v.g. respectu rationalis ita non se habeat, vt alterum simile, alterum dissimile sit; hoc animal enim quatenus tale nequaquam alteri simile esse videtur, qui inquam eiusmodi indiu dua negant, sequentibus argumentis facile possunt impugnari.

Nam in primis distinctio virtualis, obiectiuæ præ- 48
cisionis radix, non in sola similitudine, sed in quauis alia prædicatorũ contradictione est posita: quamuis igitur hoc animal, vt hoc, alteri simile non sit, cui tamen rationale dissimile est, nihilominus hoc animal à rationali virtualiter distingui, & obiectiue præscindi poterit, sicut ad indiuiduum ex parte obiecti incompletum oportet. Deinde animal, provt condistinctum virtualiter à rationali, & homine, hæcceitatem terminat, & est hoc animal, sicut natura diuina est hæc numero, pro vt condistincta à triplici personalitate: hoc igitur animal ex parte obiecti à rationali distinguitur, ac proindè indiuiduum obiectiue incompletum est. Prætereà animal, quod inest homini, virtualiter distinguitur à rationali, & eius etiam hæcceitas est, ab eodem rationali distincta, vt constabit in metaph. lib. 2. tract. 4. vbi distinctionem virtualem graduum inæqualium probabimus: tam igitur animal, quam hæcceitas, atque adeò hoc animal à rationali virtualiter distingui, & obiectiue præscindi poterit, sicut opus est, ad indiuiduum ex parte obiecti incompletum. Denique hoc animal ratione animalitatis est simile equo, & ratione hæcceitatis ab equo solum distinguitur, cum tamen per rationale, nec equo simile sit, nec ab equo distinguatur, sed dumtaxat ei sit positiue dissimile: igitur etiam iuxtà horum auctorum principia hoc animal habet prædicata contradictoria, quæ rationali non competunt, ac per consequens hoc animal est à rationali virtualiter distinctum, & obiectiuum quoddam sortitur incomplementum.

Præmitto tertiò, prædicationem, aliam esse im- 49
mediatam, aliam mediatam; illa rationem superiorem de inferiori sibi proxima; hæc rationem superiorem de ratione inferiori à se remota prædicat. Præmitto quartò, prædicationem, aliam esse formaliter quidditatiuam, per quam interroganti quid sit res, aut ex toto, aut ex parte respondeti debet; aliam formaliter non quidditatiuam, per quam interroganti quid res sit formaliter responderi nullo modo potest. Quibus positis.

Assero primò: genus prædicatur immediatè in 50
sensu formali, seu quidditatiuo de indiuiduis incompletis. Ita B. Thomas opusc. 65. ad medium, Hurtadus disp. 4. log. sect. 3. §. 26. Auersa quæst. 10 log. sect. 5. §. dico tertio, Arriaga disput. 7. log. sect. 1. subsect. 6. num. 28. Louanienses, & alij, tum recentiores, tum etiam antiquiores. Suadetur autem hunc in modum, quando eminus viso animali, & quodnam sit incognito, hoc animal esse animal affirmo, ea prædicatio est generis de indiuiduo incompleto: at est immediata in sensu quidditatiuo, seu formali, ergo &c. Quod ea prædicatio sit gene-

ris, est in aperto: quoniam animal illud, quod prædicatur, est vniuersale logicum, vt ex capite præterito constat, & de pluribus differentibus specie prædicabile: ergò est genus. Quod autem ea prædicatio sit eius de indiuiduo incompleto, palam est ex iis, quæ secundo loco præmisimus: eam verò esse immediatam in sensu formali, seu quidditatiuo facilè probatu est, siquidem de hoc animali nihil immediatius in eo sensu prædicari potest, quam animal: si quid enim, maximè homo; ast homo non prædicatur in sensu quidditatiuo, seu formali de hoc animali: nam interroganti, quid est hoc animal, confusè, & incompletè cognitum, responderi nequit, esse hominem, sed esse animal, & viuens sensibile; & respectu huius animalis, quatenus hoc animal est, materialiter omninò se habet, quod homo sit, & in eius conceptu neutiquam homo ratione nostra includitur: quo pacto hæc prædicatio, *iustitia diuina est misericordia*, iuxtà non paucos aduersarios formalis, & quidditatiua nequaquam est, quoniam de eorum sententia, interroganti, quid sit iustitia diuina, per misericordiam ineptè respondetur; & respectu iustitiæ diuinæ, quatenus formaliter, ac ratione nostra talis, misericordia materialiter, & per accidens se habet.

51 Atenim assertioni præcedenti refragantur communiter Thomistæ, quibus accedere videntur ex nostris, Conimbricenses in logica cap. de specie quæst. 2. art. 1. Tellez 1. part. summæ disp. 6. sect. 4. his enim locis, eius, quod genus est, proximam, & immediatam relationem ad solam speciem admittunt. Primum autem argumentum pro hac sententia eiusmodi est: genus definitur in ordine ad speciem: ergò de ea sola immediatè potest prædicari. Respondeo, sicut vniuersale definitur in ordine ad multa, videlicet vnum in illis, & non propterea de multis solum prædicari debet, sed frequentius de vno solo; ita similiter genus definiri in ordine ad species, quin tamen de solis illis debeat immediatè prædicari.

52 Secundum argumentum Thomistarum est, inter gradum supremum, & infimum nequit non interiici: ergò inter genus animalis, v. g. & indiuiduum incompletum interponi debet species, ita, vt de hac priusquam de illo animal prædicetur. Respondeo; vel nomine gradus supremi, & infirmi lato quodam sensu intelligitur gradus superior, & eius correlatiuus, nimirum inferior; & sic antecedens est falsum, cum plures gradus superiores, & inferiores immediati sint, vt ens, & substantia, hæc, & corpus, nec non corpus, ac viuens, &c. vel gradus supremus, & infimus strictè vsurpantur, & ea nomina ad viuum resecantur; & ita, quidquid sit de antecedenti, consequentia prorsus nulla est, siquidem genus animalis non est gradus supremus strictè loquendo, quovè non sit alius superior: cur ergo de indiuiduo incompleto immediatè prædicari nequeat, quantumuis inter gradum supremum, & infimum medius semper intercesse debeat?

53 Tertium argumentum aliquorum est: species subiicibilis est, quæ immediatè subiicitur generi: ergò si indiuiduum incompletum immediatè subiicitur generi, erit species subiicibilis, quod planè absurdum, & aduersus omnes esse videtur. Respondent cum P. Hurtado non pauci, indiuiduum incompletum non esse speciem subiicibilem, quia non subiicitur immediatè soli generi, siquidem speciei, cum qua re ipsa identificatur, in alia cognitionum serie subiici potest. Verum hæc solutio non placet. Tum, quia in sensu quidditatiuo, seu formali indiuiduum incompletum soli ei, quod genus est animali v.g, subiici valet, & speciei, videlicet homini, aut equo ita nequit subiici, vt constat ex iis, quæ nuper disseruimus. Tum etiam, quia species subiicibilis differentiæ subalternæ subiicitur, homo, v.g. sensibili: ergo non est de ratione illius, vt soli generi subiiciatur.

Quamobrem respondeo primò, indiuiduum incompletum non esse speciem subiicibilem, quia non est species prædicabilis, quæ cum subiicibili fortassè recurrit, & conuertitur, vt nonnulli satis probabiliter arbitrantur. Respondeo secundò, speciem subiicibilem aut esse speciem prædicabilem, aut certè respicere debere speciem prædicabilem, tanquam rationem se inferiorem, quo pacto animal dici potest species subiicibilis contemplatione viuentis, quia hominem, & equum, aliasque species prædicabiles sub se continet; at indiuiduum incompletum, nec species prædicabilis est, nec eam infra se cohibet. Respondeo tertio, speciem subiicibilem esse eam, quæ subiicitur generi, quod genus sit respectu illius; hæc autem subiicibilitas indiuiduo incompleto neutiquam conuenit, vt haud ita pòst constabit. 54

Demum respondeo, indiuiduum, tam completum, quam incompletum, dici posse speciem subiicibilem absq; vllo incõmodo: quod hac ratione suadeo: sicut species distinguntur à genere, & è cõuerso, ita similiter ab indiuiduo, nec ab hoc magis, quam ab illo: at genus species subalterna, seu subiicibilis respectu alterius generis dicitur, adeóque tantum à specie prædicabili infima distinguitur: ergo & indiuiduum dici poterit species subiicibilis, & non ab hac, sed à sola specie prædicabili distinctum. 55

CAPVT VI.

Superioris instituti prosecutio.

ASsero secundo; genus respectu suarum specierum, quotiescunque prædicatur immediatè in sensu formali, & quidditatiuo de indiuiduis incompletis, animal v. g. de pluribus provt sunt duntaxat quædam animalia, non est genus, sed species contemplatione illorum. Ita Rubius quæst. 5. de specie, conclusione 1. Auersa quæst. 10. de genere sect. 5. §. *hinc sequitur tertia.* Ouiedo controu. 4. log. p. 4. num 3. Arriaga suprà disp. 7. sect. 2. subsect. 6. num. 29. & sequentibus, Probatur autem hæc secunda assertio talem in modum: animal est tota essentia indiuidui incompleti: cum igitur de eo prædicatur, non tanquam genus, sed tanquam species de illo prædicabitur, quando speciei quidem proprium est complete, & generis quatenus talis non nisi incomplete prædicari: nisi verò quis dicat, illud enunciari velut differentiam, aut proprium aut accidens, quod est improbabile prorsus, aut velut sextum, & innominatum vniuersale, quod etiam falsum est, ac paulo inferius impugnandum: antecedens suadetur; nam consequentia est sponte sua perspicua: idcirco animal rationale est tota essentia hominis, aut etiam huius hominis, quoniam interroganti, quid sit alteruter, per animal rationale adæquate satisfit: at interroganti, quid sit hoc animal incompletè cognitum quà tale, per viuens sensibile ex toto satisfit: haud enim provt duntaxat hoc animal est essentialiter rationale, aut hinnibile; 56

iuxtà

iuxtà superius dicta, adeoque per neutrum responderi debet ei, qui de illius quidditate interrogat: animal ergo seu viuens sensibile est tota essentia huius animalis, quatenus est tale tantum.

57 Præterea suadetur eadem assertio, & superior ratio amplius illustratur: quemadmodū se habent adinuicē, homo, & hic homo, ita animal & hoc animal provt solummodo tale: ast hæc prædicatio, hic homo, est homo, est specifica: ergo & hæc: hoc animal est animal. Denique non repugnat idem respectu diuersorum ad diuersum prædicabile spectare: quo pacto coloratum respectu huius, & illius subiecti substantialis, de quibus dicitur in quale, est accidens quintum prædicabile, respectu vero albi, & nigri, de quibus in quid incompletè dicitur, eo ipso est genus: cur ergò animal verbi gratia, contemplatione hominis & equi genus, indiuidui verò incompleti vnius, aut plurium species, esse nequeat.

58 Atque hinc satisfit ex facili, duobus primis argumentis Thomisticis, aduersus primam assertionem nostram huius initio capitis positam. Quod enim genus definiatur per ordinem ad speciem, arguit tantum, animal v. g. provt genus est, de sola specie cum immediatè, tum quidditatiuè prædicari, secus verò si sumatur, non in quantum genus est, sed quatenus rationem speciei induit: at illud solum materialiter vsurpatum, & non formaliter, seu in quantum genus de indiuiduis incompletis quidditatiuè & proximè dici ea assertione statuimus: nihil igitur ei definitio generis respectu specierum officit. Præterquam, quod in definitione generis, non tantum specierum, sed etiam indiuiduorum fit mentio: haud enim species modo, v.g. homo, & equus specie differunt, sed etiam vtriusque, indiuidua, videlicet Petrus, & Bucephalus, atqui genus definitur intuitu plurium specie differentium: ergo & contemplatione indiuiduorum. Rursus inter gradum supremum, & infimum semper interiici oportere medium, quid arguit aliud, quam quod de indiuiduis incompletis genus reduplicatiuè sumptum, & provt illorum gratia tale, dici neutiquam sustineat?

59 Verum enim animal respectu indiuiduorum, quæ confusè, & imperfectè nobis apparent, genus esse tuetur P. Hurtadus disp. 4. log. sect. 5. §. 32. Compton. disp. 33. log. sect. 6. & cum iis alij non pauci. Primo, quia fieri potest, vt eiusmodi indiuidua sint homo v. g. & equus, adeoq; specie differant: at species nequit prædicari de pluribus differentibus specie, seu plus, quā numero; animal ergo respectu eorū non potest esse species. Secundo, quoniam species est tota essentia rei, atqui animal non est tota essentia eorum indiuiduorum, cum alterum sit homo, adeoque non tantum essentialiter animal, sed etiam rationale, alterum vero equus, & consequenter vltra animal hinnibile quoque. Tertio, quia hæc prædicatio, *hoc animal est animal*, non differt ab hac *hoc ens est ens*, si non rem prædicatam, sed modum prædicandi spectes: at ista posterior haud est speciei de indiuiduo; ens enim nequit esse species, nulla siquidem species est, quæ sub aliquo genere non contineatur: ens autem nullum genus, imo quod plus est, nullam rationem superiorem etiam analogā supra se habet: prior igitur illa prædicatio haud potest esse speciei de indiuiduo. Quarto, quia hoc animal ita comparatum est, vt confusè, & implicitè inuoluat rationalitatem v.g. sicut homo eam includit: haud ergo animal de eo completè, haud instar speciei prædicari valet, aut certè etiam differentia de specie velut species, ac de toto cuius est pars quædam incompleta, completè poterit enunciari. 60

Hæc tamen admodum non premunt: ad primum dicendum est, hoc animal, & illud, provt duntaxat talia, & quatenus præcisa à suis differentiis specificis qua ratione modo vsurpantur, neutiquam differre specie, vt est luce clarius: non esse ergò, quod animal respectu illorum genus esse debeat, aut species esse nequeat. Ad secundum eodem modo dicendum est, indiuidua incompleta, penes id tantum in quo à differentiis specificis formaliter, ac ratione distinguuntur, vsurpata, haudquaquam esse quidditatiuè rationale, hinnibile, aliudvè simile, esto ea sint reipsa, & identice, vt & sponte sua liquet, & superius est à nobis probatū: solum igitur animal esse potest, ac debet tota eorū essentia, haud secus, ac homo huius, & illius hominis. Ad tertium dico, hoc animal ex parte obiecti, & per identitatem realem esse quidem rationale, vt iam iam concessum; cæterum ex parte modi, & ratione nostra, haud esse rationale: nam ecceitas, nec non etiam animalitas huius animalis provt talis duntaxat constitutiuæ, sunt gradus inæquales respectu rationalitatis, earumque alia naturæ quidem ordine illam anteuertit, alia consequitur: ritu ergò quorumuis aliorum graduum erunt ambæ ab ea quidditatiuè, & ratione nostra distinctæ, & hoc animal, quod constituunt à rationali similiter distinctum denominabunt. Porrò hominis cum rationali quidditatiua, & formalis identitas nihil interest: sunt enim definitum, & definitio, non verò gradus superior, & inferior: hos autem quanquam vbiuis ratione distinguant omnes, si solos Nominales excipias, de definitione tamen, & definito quis idem dixerit;

Quod attinet ad quartum, illud inprimis insto: 61
quoniam hæc prædicatio, *hoc animal est animal*, iuxtà aduersarios est generis de indiuiduo: at eorum plerique negant, hanc esse generis de indiuiduo, *hoc ens est ens*; & non immerito, cum valde probabile sit, & fortasse magis, quam contrarium, ens neutiquam esse genus: licet ergò prior illa prædicatio sit specifica, non propterea talis erit posterior, aut esto hæc non sit specifica, eiusmodi tamen esse poterit illa prior. Deinde secundò respondeo cum patre Arriaga supra subs 6. num. 32. prædicationem illam, *hoc ens est ens*, esse specificam, neque de ratione speciei prædicabilis esse, vt genus aliquod suprà se habeat: tum, quia non est, quod potius species prædicabilis præsupponat genus, quam indiuiduum speciem: at est indiuiduum nulla specie prædicabili inferius, & eiusmodi esse Deum optimum maximum, & per se constat, & scitè animaduertunt nostri Conimbricenses quæst. 2. de specie, art. 2. prope finem: tum etiam quia speciem prædicabilem nulli subiectam generi, extrà casum præsentis controuersiæ. videlicet punctum admittunt quidam, apud Fonsecam lib. 5. metaph. cap. 28. qu. 16. sect. 4. §. *ad tertium dices*: nouum igitur his videri non debet, si ita in præsenti de ente respectu huius, & illius entis quatenus præcise talium philosophemur; præsertim, cum contrà eorum de puncto sententiam argumenta adduci solita, aduersus nostram de ente neutiquam procedant: res etenim materialis provt vniuocè abstracta à diuisibili, & indiuisibili, eo ipso videtur esse multis de causis genus respectu puncti, quod sub se proculdubio continet: tales autem causæ, quænam esse possunt in ente, à quo nulla ratio communis saltem vniuoca abstrahitur? tum quia, non omnis differentia alicuius generis

se

se superioris est differentia, vt cernere licet, in iis, quibus ens contrahitur ad substantiam, & accidens creatorem, & creaturam: cur ergo species omnis generi alicui inferior esse debeat? tum denique quia satis est, vt species subiicibilis sola genus se superius postulet; satis, si in ea sola verum habeat, quod dici consueuit, speciem componi ex genere, & differentia: non ergò id species prædicabilis à subiicibili diuersa exposcet. Tertio respondeo, prædicabilia quinque diuisa, & instituta esse ad explananda Aristotelis prædicamenta decem, vt significant illa Porphyrij verba in eius in isagoges ipso vestibulo, *cum necessarium sit Chrysaori ad Aristotelis prædicamentorum doctrinam quidnam genus, quid differentia, quid species, quid proprium, & quid accidens sit cognoscere*, &c. nihil ergo spectare posse ad aliquod quinque prædicabilium, quod non fuerit directè, aut indirectè in aliquo prædicamento: cum ergo ens sit supra cuncta, cum nullo inferius, ad nullum fortassis prædicabile illud attinere: mirum ergo non esse, quod ea prædicatio, *hoc ens est ens*, neutiquam sit specifica, aut secundi prædicabilis. Ecquem autem lateat, hanc rationem non procedere in animali, quod in prædicamento substantiæ certam habet, stabilemque sedem.

62 At vero Louanienses, & pauci alij, eam prædicationem, *hoc animal est animal*, aiunt pertinere ad sextum quoddam, & innominatum prædicabile, &, nec genericam, nec specificam, aliamve esse earum, quas Porphyrius recensuit. Quin etiam idem de hac prædicatione, *Petrus est animal*, & quauis alia simili existimant, nullumque, quod ad præsens attinet, inter indiuidua completa discrimen agnoscunt. Primum autem huius sententiæ fundamentum sic habet: genus definitur in ordine ad speciem solam: huius ergo solius gratia animal, verbi causa, genus est, non vero contemplatione indiuiduorum, qualia ea cumque sint, & siue completa, siue incompleta: atqui eorum intuitu species haudquaquam est, ob rationes ab Hurtado, & aliis nuper adductas, quarum potissima est, quod multoties contingat, illa specie & non solo numero differre: neque etiam differentia proprium, aut accidens; quando hæc tria dicuntur in quale: quo pacto nequit animal enunciari: ergo aliud sextum, & innominatum vniuersale.

63 Eiusdem sententiæ secundum fundamentum est huiusmodi: animal dicitur immediatè, ac formaliter de indiuiduis incompletis: sed non tanquam genus, vt supra late probatum manet, nec tamquam species, differentia, proprium, aut accidens, ob iam iam insinuata, & in transcursu perstricta: quidquid ergo sit de indiuiduis completis, saltem respectu eorum, quæ sunt incompleta, nequit animal non esse vniuersale quoddam innominatum, & à quinque vulgatis longe diuersum. Quod argumentum sicuti pro Louanienium sententia aliqui contra secundam assertionem nostram opponunt, ita etiam aduersus primam initio capitis positam eo vtuntur alij non pauci: cum enim animal nequeat esse aliquod ex quinque prædicabilibus, respectu indiuiduorum, quæ incomplete, & veluti sub luce maligna nobis apparent, nec innominatum, ac sexti generis vniuersale; hoc namque vt à communi scholasticorum consensu, sic etiam à vera ratione abhorret: reliquum est, vt de illis immediate, & formaliter nequeat enunciari.

64 Tertium eius sententiæ fundamentum ita habet: *Quot modis vnum oppositorum dicitur, tot alterum dicatur necesse est*, iuxtà Arist. lib. 1. top. cap. 13. ac cæteros dialecticos: atqui correlatiuum, & oppositum animalis, seu id, quod ei subiicitur, duplex est, nimirum species, & indiuiduum. ergò animal etiam, quatenus de vtroque prædicabile, eorumque correlatiuum, bifariam debet vtrumpari, videlicet vt genus respectu speciei, & vt aliud prædicabile sextum & innominatum respectu indiuidui: alioqui profectò duobus subiicibilibus vnum prædicabile, & duobus correlatiuis vnum duntaxat relatiuum ex aduerso respondebit.

65 Quartum eius sententiæ fundamentum: genus provt tale, vel refertur ae indiuidua, vna prorsus, eademque relatione, qua ad speciem, aut diuersa, ac multiplici: neutrum autem dici potest: relinquitur ergò, vt eorum contemplatione nequeat esse genus, aut velut tale de eis enunciari. Quod non vna relatione suadetur: primò quia species, & indiuidua respiciunt genus, eique dicuntur subiici: at non vno indiuisibili respectu: quomodo enim in diuersis extremis ac fundamentis non sit multiplex, ac diuersa relatio ad aliud? quomodo vna sola? haud ergo è contrario poterit genus vna habitudine, & relatione species, & indiuidua contueri, eisque vicem rependere: & quidem vti non terminat relationem eorum sine mutua, ac reciproca sui ad vtrumque relatione, ita neque duplicem eorum respectum; sine aliis totidem. Secundo suadetur id ipsum: sicut genus respicit speciem, & indiuiduum, & de eis est in quid prædicabile, ita etiam indiuiduum intuetur genus, ac speciem, & iis est in quid subiicibile: at non vna relatione subiicibilitatis, quandoquidem speciei subiicitur complete, & generi incomplete; quo pacto generis, & speciei prædicabilitas iuxta Porphyrium, ac cæteros omnes est diuersa, quia alterum eorum prædicatur in quid incomplete, altera vero in quid completè: similiter ergò genus neutiquam poterit eadem relatione prædicabilitatis speciem, & indiuiduum respicere.

66 Iam quod non diuersa relatione genus provt tale possit ad speciem, & indiuidua referri, haud est admodum probatu difficile: nam primò, si est diuersa relatio generis ad indiuiduum, & speciem; haud ergo genus respectu eorum vnum erit, sed multiplex. haud consequenter erit species infima vniuersalis, sed potius quædam ratio superior ad diuersa genera, quorum aliud species, aliud indiuidua respiciat: proindè, non quinque, sed sex erunt vniuersalia, vnum nimirum, aliudque genus, & cætera quatuor. Rursus secundo: sicut potentia respicit actum, & obiectum, hoc mediatè, illum immediatè, ita quoque genus respiciet speciem proximè, & indiuiduum remotè, vbi semel ad vtrumque, formaliter sumptum, referatur: at potentia non ferit vna relatione, actum, & alia obiectum; quis enim distinguat, aut separet in visu corporeo hæc duo, efficere nimirum immanenter visionem, & vi illius rem propositam sibi videre? pari ergo modo genus, non nisi alia atque alia relatione, poterit species, & indiuidua ferire.

67 Præterea tertio suadetur idipsum: non est diuersa relatio speciei, & indiuidui ad genus, sed ambo ei subiiciuntur eodem indiuisibili respectu: à fortiori ergò genus, quod non multiplex sed vnum est eadem poterit relatione ad species, & indiuidua referri, ac de eis prædicari. Antecedens probatur: quoniam si relatio subiicibilitatis incompletæ, & quidditatiuæ non esset eadem, sed diuersa in specie, & indiuiduo, ab his potest abstrahi vna ratio subiicibilis in quid incompletè: quemadmodum, quia non est eadem sed similis relatio filiationis in Petro, & Paulo, ac cæteris hominibus, ratio communis filij potest ab

eis

eis omnibus abstrahi : repugnat autem ea ratio cõmunis subiicibilis à specie, & indiuiduo abstracta; tum, quia esset immediatum, ac primum generis correlatiuũ, qua ratione non albedo, aut nigredo, sed color abstractus ab vtraq; est primum, & immediatum correlatiuũ visiuæ facultatis: quid autem hac absurdius sequela? quid magis contrarium Arist. apud quem l. 6. top. c. 2. omne relatiuum debet definiri per proximum & immediatum correlatiuum suum : at genus definitur in ordine ad speciem : ergò hæc sola est eius immediatum, & primum correlatiuum, & non aliquid ab illa, & indiuiduo abstractum ratione nostra: tum, quia si daretur ratio illa communis subiicibilis in quid incompletè, ea haud dubiè esset media inter genus etiam infimum ex vna parte, & speciem itidem infimam indiuiduumque ex alia, vtpote ab his abstracta, & illi subiecta eiusque correlatiua: sequela videtur euidens : consequens euidenter falsum : aut enim ea ratio subiicibilis media est specifica merè, aut generica. Si secundum; ergò genus infimum erit, & non erit tale: erit vt supponitur, non erit, cum aliã rationem genericam sibi subiectam, & inferiorem habeat, quo pacto viuens non est genus infimum, sed supremum, quia genus animalis infra se despicit: sin autem primum; talis ratio subiicibilis erit, & non erit mera species prædicabilis: erit, vt supponitur; non erit quia cum non solum indiuidua, sed etiam species subiectas habeat & ab vtrisque abstrahatur, fieri non potest, vt sit tantum species, ac nullatenus genus: aut certè animal, v. g. neutiquam obstante quantauis specierum comprehensione, non generis, sed speciei rationem obtinebit. Tum etiam, quia si à specie & indiuiduo abstrahi potest aliquid subiicibile generi in quid incompletè, vtroque prius & generi immediatius, pari iure poterit etiam abstrahi à genere, & specie aliqua ratio prædicabilis in quid de indiuiduo, ac proinde ex hoc quoque titulo plura erunt vniuersalia quam quinque, videlicet præter ea quæ Porphyrius recensuit, nobisque reliquit; talis ratio prædicabilis in quid abstracta à genere, & specie: necnon insuper alia ratio prædicabilis in quale superior proprio, & accidenti: quidni enim hæc sicuti illa abstrahatur? Hæc fermè sunt quibus probari consueuit, relationem generis provt talis ad species & indiuidua fore, si daretur, eandem, & simul non eandem, sed diuersam, adeoque prorsus impossibilem esse.

CAPVT VII.

Doctrinæ nuper positæ impugnatio : vbi etiam an relatio generis ad species & indiuidua sit vna vel multiplex ; necnon quodnam sit eius primum & adæquatum correlatiuum?

68 COeterum assero tertio aduersus propositam Louanienſium doctrinam: animal v. g. prædicatur formaliter, & quidditatiuè de indiuiduis completis, Petro scilicet, Bucephalo & cæteris, sic vt respectu eorum sit genus, & ad nullum vniuersale sextum innominatumque pertineat. Ita non tantum antiquiores omnes, qui eiuscemodi vniuersalis neutiquam meminere, sed etiam recentiores plerique, præsertim verò Conimbricenses, Fonseca Hurtadus, Rubius, Tellez, & Arriaga. Suadetur autem hunc in modum. Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid; erit ergo genus respectu eorum, quæ differunt specie; atqui indiuidua propriè loquendo differunt specie, ac sunt ad inuicem dissimilia : ergo respectu illorum animal erit verum genus. Item visus corporeus v. g. quamuis respiciat actũ videndi, & obiectum, hoc mediatè, & illum proximè & immediatè, vnus tamen est, & non multiplex respectu vtriusque quod idem cernere est in quauis potentia comparata cum actu, & obiecto suo: similiter ergo animal genus, vnumque vniuersale erit respectu specierum, & indiuiduorum, vtvt hæc mediate, & illas proximè intueatur. Alij idipsum probant, quoniam diuisio vniuersalis, seu prædicabilis in quinque, est adæquata, & quæ cuncta complexu suo continet : erit ergo animal respectu indiuiduorum, non vniuersale innominatum, & ordine sextum, quod vtique nullum est, sed potius verum genus, & ad primam seriem pertinens eorum vniuersalium, quæ Porphyrius digessit. Quo minus tamen hæc ratio mihi placeat, in causa est ens, quod quidem vniuersale est, & tamen nullum fortassis ex quinque, vt multi valde probabiliter existimant: quidni ergo tale sit animal respectu indiuiduorum, si aliunde non obstat? standum ergo est duabus rationibus nostris, & eas propter reiiciendum, si non alibi, at certè hic, eiusmodi innominatum vniuersale velut omninò commentitium, ac nullius rei gratia necessarium, aut vtile.

69 Proximum est, vt contrariis respondeamus argumentis. Ad primum dicendum est; genus definiri per speciem, sed ita, vt indiuiduorum fiat mentio, eorumque aliqua ratio habeatur, vt sæpe supra dictum. Deinde fac ad solam speciem genus vi suæ definitionis referri : quid inde? profectò nil nisi ad summum, quod species sola sit immediatum correlatiuum generis, & indiuiduum, quod in eius definitione prætermittitur, solummodo mediatum; hoc autem quamuis ita sit (nihil enim in præsens decerno, infrà quid verius sit disputaturus) haudquaquam tollit, animal esse genus respectu indiuiduorum: quando visus talis quidem est, non tantum respectu actus videndi, quem proximè, sed etiam obiecti, quod remotè quodammodo, & mediatè respicit.

Ad secundum argumentum negandum est, animal comparatum cum indiuiduis incompletis haud esse speciem; quam enim imbecilles sint rationes ad id probandum afferri solitæ, superius vidimus. Quocircà nec aduersus secundam assertionem nostram sequitur, animal esse sub aliquo respectu sextum quoddam & innominatum vniuersale, nec aduersus primam, quod de indiuiduis incompletis nequeat immediatè prædicari.

70 Ad tertium respondeo, plurimas illud difficultates pati, cum tamen vnam, eamque satis leuem obiiciat. Instatur primò : quoniam actus, & obiectum sunt correlatiua potentiæ, plura vtique non vnum, alterumque mediatum, alterum immediatum, quin propterea respectu vtriusque diuersa sit, aut multiplicitatem subeat vllam, vt est paulo superius ostensum : cur ergo animal, v. g. dici debeat prædicabile, multiplex, & diuersum, genus scilicet, & aliud innominatum, comparatione duplicis correlatiui, speciei nimirum, & indiuidui, seu subiicibilis proximi, atque remoti. Rursus pater, & filius sunt correlatiua & tamen multiplicitatis filiis, eorum pater nequaquam multiplex euadit. Magister item, & discipulus suam habent correlationem : nihilominus plurium discipulorum vnus est magister, necnon vnius aliquando discipuli plures magistri. Intellectus etiam, & intelligendi actus inuicem sunt correlatiua: at ab vno intellectu plures intelligendi functiones existunt. Denique ne præsentis materiæ carceres

egre

egrediar, genus, & ſpecies, hæc, & indiuiduum, ſunt correlatiua; multarum tamen ſpecierum vnum genus eſt, & plurium indiuiduorum non multiplex, ſed vna ſpecies: mille alia, ſed his ſimilia.

72 Proindè eis prætermiſſis abſolutè reſpondeo, quoties vnum correlatiuum eſt multiplex, aliud etiam oportere multiplicari, non in concreto, vt exempla adducta ſatis manifeſte conuincunt, ſed in abſtracto, & facta appellatione ſuprà ſolam relationem: quaſi ſenſus Ariſtotelici axiomatis ſit, ad multiplicitatem vnius correlatiui relationem alterius debere eſſe, ſaltem ratione multiplicem: quo pacto dixit B. Thom. 3. parte quæſt. 35. art. 4. ad 3. filium, cum vnus ſit, non vnam tamen ratione noſtra, ſed multiplicem relationem filiationis habere ad geminum generationis ſuæ principium, patrem ſcilicet, & matrem: quamuis, vt oſtendam in met. lib. 3. tract. 6. cap. 8. longè probabilius ſit, eiuſmodi reſpectum eſſe etiam re multiplicem, ac numero, & ſpecie diuerſum. Quocirca in præſenti, eſto animal ſit vnum prædicabile reſpectu ſpeciei, & indiuidui, & non niſi genus, duplicem tamen relationem prædicabilitatis genericæ ſuo ſibi iure vendicabit, duplicem inquam numericè, ac ſpecificè, ſiue quod iuxtà eſt, reuera diſtinctam, ac diſſimilem: at eum cuius diſſimilitudo cum ſimilitudine quadam, & homogeneitate cohæreat, vt paulò inferius exponetur. Non me latet P. Fonſecam lib. 5. metaph. c. 28 quæſt. 14 ſect. 3. aliter interpretari Aritotelicum illud pronunciatum nobis obiectum, quaſi locum habeat, non in correlatiuis mediatis, at in proximis, & immediatis: cæterum quod ne in his ſemper verum ſit, exemplo actus intelligendi, & intellectus, vt aliis ſupersedeam, ſatis conſtat: quapropter nihil intereſt, viſum in commune duplicem eſſe, corporis nimirum, & animi, pro eo, ac videndi actus alius eſt corporeus, alius mentis ſolius: hoc enim quod adducitur in contrarium, cum particulare ſit, nequit regulam aſſertiuam generalem firmare.

73 Ad quartum reſpondeo; relationem generis ad ſpeciem, & indiuiduum eſſe vnam vnitate ſimilitudinis, ſecus vero vnitate identitatis, & indiſtinctionis: item eſſe diuerſam, ea diuerſitate, quæ excludat vnitatem poſteriorem, non vero priorem; aut quod perinde eſt, eſſe diſtinctam, ſed non omnino diſſimilem, aut diuerſæ rationis: quo pacto, vt ſuperius dictum eſt ex B. Thoma, relatio filij ad Patrem, & Matrem eſt diſtincta quodammodo, ſed tamen ſimilis, & homogenea, & ea, quæ filiatio dicitur: quid ni ergo diſtincta illa relatio animalis ad ſpeciem, & indiuidua, ſimilis tamen, & eiuſdem rationis, adeoque generica eſſe poſſit? Porrò duæ primæ probationes argumenti, quatenus aduerſus priorem huius deciſionis partem, earumque relationum ſimilitudinem, & homogeneitatem procedunt, haud ſunt ponderis alicuius: non prima, quia ſpecies, & indiuidua referuntur ad genus relatione quadam ſimili, & eiuſdem rationis, nimirum provt ei ſubiicibilia in quid incompletè: igitur ſi è contrario arguendum eſt, genus non, niſi relatione homogenea ad ſpeciem, & indiuidua referetur: quid quod B. Thomas loco iterū, iterumque memorato docet, filium vno reipſa, & eiuſdem nominis, ac naturæ reſpectu excipere relationes ad ſe patris, & matris inuicem ſpecie differentes: hoc autem ſi verum eſt, non video, cur genus vnica tantum relatione ſuppeditare non poſſit duabus illis ſpecie diuerſis, quas aliqui in ſpecie, & indiuiduis eius ergo admittunt: non ſecunda, quoniam indiuiduum ſubiicitur ſpeciei in quid complete, & generi in quid incomplete, cum tamen ſpecies, & indiuidua generi in quid incomplete ex æquo ſubiiciantur: quamuis ergo indiuidui, contemplatione generis, & ſpeciei, ſit diuerſa ſubiicibilitas, ſicut & illorum, comparatione indiuidui, prædicabilitas eſt ſpecie diuerſa, eandem ſcilicet ob cauſam, haud propterea erit indiuidui, & ſpeciei ſubiicibilitas omnino diuerſa, & heterogenea. Atque ita cenſent Conimbricenſes, Tellez, Hurtadus, Auerſa, & cæteri communiter, ſi paucos quoſdam cum P. Fonſeca excipias.

Qui ſupra citato cap. 28. quæſt. 14. ſect 4. in ea 74
ſententia eſt, vt exiſtimet, indiuiduum vna eademque prorſus relatione genus, & ſpeciem intueri, & vtrique ſubiici, cuius ſingularis opinionis triplex circumfertur ratio: prima eſt: indiuiduo per ſe, & neceſſario conuenit ſubiici incompletè ſuæ ſpeciei, & contingenter, atque ex accidenti ſubdi incomplete generi, cum fieri iuxtà aliquos poſſit, vt indiuiduum ſubiiciatur aliquando priori modo, & non poſteriori, ſpeciemque, & non genus reſpiciat, & eiuſmodi forteſſis ſit hoc punctum, aut hæc materia, contrà vero nunquam vſueniat, vt indiuiduum ad genus prætermiſſa ſpecie reſpectum habeat: cæterùm ex æquo conuenit per ſe, & neceſſario, generi quidem incompletè prædicari, & ſpeciei complete: quamuis ergò diuerſus hic modus prædicandi diuerſum prædicabile conſtituat, pro eo, ac cenſuit Porphyrius, at diuerſus ille ſubiiciendi modus ſubiicibilia ſpecie diuerſa neutiquam arguet: quia nimirum alter eſt indiuiduo per accidens, vt dictum eſt, ac proindè in numero ſubiicibilium nulla illius eſt habenda ratio. Secunda eiuſdem opinionis probatio eſt talis: indiuiduum ſubiicitur generi mediatè, & interuentu ſpeciei: eadem ergo relatione, qua ſpeciem tangit, ad genus ſe extendit, quo pacto idem eſt reſpectus obiecti ad actum, & potentiam, quia huic medio illo obiicitur. Tertia denique eius placiti probatio ſic habet: ſi indiuiduum eſſet aliud ſubiicibile contemplatione generis, & aliud intuitu ſpeciei, ſimiliter aliud, aliudque eſſet comparatione differentiæ ſpecificæ, & genericæ: neque non ſpecies aliud ſubiicibile foret reſpectu generis proximi, & aliud reſpectu remoti, nequaquam vero idem: quæ tamen abſurda ſunt, & à nemine admiſſa.

Enimvero ſtandum eſt communi opinioni, tum 75
propter rationem traditam, diuerſumque illum ſubiiciendi modum in quid complete, & in quid incomplete: tum etiam, quia vti indiuiduum mediante quodammodo ſpecie participat genus, ita etiam differentiam genericam: ſed hæc ſecunda participatio mediata non obſtat, quo minus indiuiduum ſit aliud ſubiicibile reſpectu ſpeciei, & aliud reſpectu genericæ differentiæ, cum huic in quale, & illi in quid ſubiiciatur: ergo etiam diuerſum ſubiicibile comparatione generis, & ſpeciei, quantumuis alterum mediatè, alterum vero immediatè participet. Ad primā probationem contrariam earum, quæ ſunt poſitæ numero ſuperiori dicendū, inprimis non eſſe neceſſarium abſolute, vt indiuiduum ſubiiciatur, vel generi, vel ſpeciei, & reperiri aliquod neutri ſubditum, videlicet Deum optimum maximum: hinc tamen haud inferri poſſe, quod indiuiduum ad nullum ſubiicibile attineat, ſeu generis reſpectu, ſeu ſpeciei: quamuis ergo poſſit ſubiici ſpeciei, & non generi, neutiquam vero è conuerſo, haud ſequetur indè, nequaquam illud eſſe ſubiicibile peculiare

reſpectu

respectu generis : aut si illud aliquando auelli à genere propriam huius intuitu subiicibilitatem ei semper adimit, quidni etiam interdum auelli, tam à genere, quam à specie efficiat, vt nunquam sit subiicibile proprium, ac dialecticum, comparatione alterutrius.

76 Deinde falsum arbitror, quod assumit eiusmodi probatio : hoc enim punctum, vt subiicitur speciei puncti, sic generi rei materialis, & hæc materia, vt speciei materiæ, sic etiam generi substantiæ in communi, aut certe rei materialis, provt ab ea, & formis ab illa pendulis abstrahit : quod si, vt probabilius est, nec punctum vt sic est species infima, nec materia prima, ita quidem hoc punctum subiicietur puncto huius speciei, & exinde puncto, provt est generalis ratio ad punctum huius, & illius speciei, parique modo hæc numero materia huius destinatæ speciei materiæ & hac mediante materiæ, genericæ, quæ plures specie diuersas, cuiusmodi censent aliqui esse materiam cælestem sublunarem, ambitione sua complectitur : quorsum ergo adstruitur in indiuiduo aliquo, respectus ad speciem prædicabilem sine vlla ad genus ? Parum autem interest, quod quidam ita existiment : nam aliis etiam placet, & satis probabiliter, indiuiduum subiici aliquando generi, & non speciei prædicabili, v. g. primam sanctissimæ triados personam communi rationi diuinæ personæ ; quæ scilicet, cum dissimiles personas contineat, earum respectu non est species infima, adeoque genus : at eis est immediatum, nulliusque interiectione speciei de illis enunciatur, vt intuenti constabit. Adiice, vbi semel verum sit, quod aiunt plures Thomistæ, angelos esse immultiplicabiles infra eandem speciem, hoc ipso Gabrielem v. g. debere subiici generi cuidam Angeli, & nulli speciei : iam ergo, si, quia indiuiduum iuxta quosdam subditur speciei sine genere, peculiare respectu huius subiicibile non constituit, pari iure haud etiam erit respectu illius peculiare subiicibile, cum sine illa iuxtà non paucos generi possit aliquandò subiici. Denique permisso gratis eo toto, quod assumitur, quid tum ? homini etiam est accidentarium esse album : quoties tamen est eiusmodi, haud ei accidit, sed necessario conuenit, subiici albo vt sic in quale, & longe aliter, quam generi aut speciei homini, scilicet, aut animali : quamuis ergò indiuiduo necessaria ratione, & per se non conueniat subiici generi, vti volunt aduersarij, at si quando ei subiicitur, non quidem nisi aliter, quam speciei, & longe diuersa relatione.

77 Ad secundam probationem, nec non actus, & potentiæ exemplum paulo inferius constabit, quando sermo erit de diuersitate earum relationum, quibus genus ad speciem, & per hanc gradu facto ad indiuiduum descendit. Tertia probatio in eo peccat, quod ad eius instar argui posset, atque inferri, differentiam proximam, & remotam esse, non idem, sed diuersum prædicabile, ritu scilicet generis, & speciei, & similiter genus proximum, & remotum ad vnum quoddam prædicabile non posse reduci. Quocirca absolutè dicendum est, indiuiduum subiici vni & alteri differentiæ in quale incomplete, & vni, alterique generi in quid incomplete, at generi in communi ex vna parte in quid incomplete, & ex alia speciei in quid complete : quanquam ergò respectu horum sit subiicibile diuersum iuxtà ordinem, & methodum Porphyrij ; secus vero respectu, aut duplicis differentiæ, aut duplicis generis : est quidem respectu altervtrius horum aliud, aliudque subiicibile, si magis in particulari, & velut in specie loquamur, non vero, si in genere, eoque supremo, iuxta quod authores prædicabilia quintupliciter dissecant.

Vt autem eo, vnde digressi sumus, reuertamur, 78
cæteræ rationes illius argumenti quarti pro Louaniensium sententia, contra posteriorem nostræ solutionis partem, ac relationum animalis ad speciem, & indiuidua distinctionem quandam procedunt, haud ægrè possunt dissolui. Prima earum ita est diluenda : genus : vel supponit pro obiecto cognito in recto, & in obliquo pro genereitate, siue actu cognoscente, aut contrario : vtrumque enim potest, & solet contingere : qua ratione album modo accipitur pro subiecto in recto, & albedine in obliquo, veluti cum dicimus album est dulce, modo vero pro albedine in recto, & subiecto in obliquo, veluti cum dicimus album immediate diffipat visum : si primum, haud sequitur animal v.g. esse duplex genus ob duplicem eius respectum ad species, & indiuidua, vt liquet exemplo Patris, qui vnus est, non obnitente pluralitate relationum ad diuersos filios ; nec non similium concretorum, de quibus fuit mentio supra in solutione tertij argumenti : sin autem secundum ; transeat eo modo dari duplex genus, alterum videlicet respectu specierum, alterum intuitu indiuiduorum, alterum mediate tendens, alterum immediatè : cæterum quid inde ? nam genus non posse esse speciem infimam, tantum abest, vt sit absurdum, vt potius, ab omnibus etiam independenter ab hac quæstione necessario sit admittendum : genus siquidem, aliud est supremum, aliud infimum : rursus infimum, aliud animalis, si modo animal genus infimum est, & non supremum, aliud maximum quoddam : fieri ergo non potest, vt genus sit species infima vniuersalis, & non magis subalterna, ac superior in plures valde diuersas sectilis, vt præter alios monet Auersa supra quæst. 1. de genere sect. 5. in eius fine. Nec propterea metus est, ne prædicabilia sint numero sex, contra quam communiter credi assolet : sunt enim, non sex modo, sed longe plura, si de iis in specie loquamur, quando, & genus, & insuper quoduis aliud prædicabile in species inferiores sit vlterius porro diuiduum ; cæterum non nisi quinque, si de iis valde generatim loqui velimus, cum ad suprema illa capita à Porphyrio recensita optimè possint omnia reuocari.

Secunda ratio, earum, quibus quartum illud ar- 79
gumentum nititur ad tollendam de medio distinctionem relationum generis ad speciem, & indiuiduum, animalis v.g. ad hominem, & Petrum, haud est magis momentosa : siquidem vt ipsa supponit velut exploratum, separari nequit vlla vi relatio potentiæ ad actum suum ab eius ad obiectum respectu, nec diuinitus etiam fieri potest, vt visus, ex.g. referatur ad actum vitalem eum immanenter efficiendo, & non ad obiectum illud transeunter repræsentando, aut è contrario : cæterum relationes generis ad speciem, & indiuiduum possunt, & solent mutuò separari : genus enim prædicatur non raro de specie sine indiuiduo, & de hoc, quin de illa, veluti cum dicitur, *homo est animal*, aut aliàs, *Petrus est animal*. Quocirca quod superius multoties à nobis dictum est, genus mediante specie ad indiuiduum referri, ac de eo enunciari, non est ita accipiendum, quasi non possit genus prædicari de indiuiduo, quin de specie vna, eademque opera, aut è contrario, vti in respectu potentiæ immediato ad actum, & mediato ad obiectam visitur : secus enim se rem habere, iamiam est ostensum : sed sensus eius axiomatis est, speciem esse mediam reipsa inter genus, & indiuiduum, & hoc

priorem logicè, & in ſubſiſtendi conſequentia, illo vero poſteriorē, tametſi in terminando, aut referendo nō ſeruet hunc ordinē, nec vnius relationem ad aliud neceſſario tranſmittat, ad modum, quo per actum relatio potentiæ ad obiectum, itque, reditque: cum ergo ſeparabilitas realis nunquam, & nuſquam non arguat diſtinctionem, multiplex ſit neceſſe eſt reſpectus generis ad ſpeciem, & indiuiduum, eiuſque de vtroque prædicabilitas, vtvt relatio potentiæ ad actum, & eiuſdem relatio ad obiectum, quæ eſt earum inſeparabilitas eſſe poſſit eadem. Hinc conſtat eos etiam falli, qui paulo ſuprà cum Fonſeca aiebant, eodem omnino reſpectu ſubiicibilitatis indiuiduum ad ſpeciem, & genus referri, inſtar obiecti, cuius relatio ad actum, & potentiam eſt prorſus eadem: nam hîc inſeparabilitas multiplicem relationem prohibet, ſecus vero illic; adeoque exemplum ad veritatem, ſed non ad rem, qua de agimus, accedit.

80 Tertia, & vltima probatio adducta aduerſus diſtinctionem earum relationum, de quibus eſt quæſtio, dilui debet, conceſſa ratione illa communi ſubiicibilis in quid incompletè, abſtracta à ſpecie, & indiuiduo. Quod autem hinc infertur, ſpeciem vtique prædicabilem non eſſe immediatum, & primum correlatiuum generis, nihil habet abſurdi, nihil, quod Ariſtoteli, aut rationi aduerſetur: etenim genus definitur in ordine ad plura ſpecie differentia: ita verò differre vnum quoddam ab alio, non tantū eſt ſpeciei, ſed etiam indiuiduo cōmune, & vniuerſim cuiuis cōceptui, qui ſubiicitur generi: igitur definitio generis reſpectum habet primò, & per ſe ad rationem ſuperiorem; & vniuerſalem ſubiicibilis in quid incompletè, quemadmodum, vt hæc ſit immediatum correlatiuum generis oportet. Quod autem etiam in ordine ad ſpeciem ſecundario, & remote definiatur genus, parum intereſt: exinde ſiquidem hoc tantum fiet, ſpeciem eſſe correlatiuum ſaltem mediatum, ac remotum generis, quod, & omnibus eſt in confeſſo, & à nobis ſuprà cap. 4. aſſertione 2. & 3. ſatis explicatum.

81 Rurſus quod infertur; eam rationem ſubiicibilis in quid incomplete mediam inter genus etiam infimum, & ſpeciem, indiuiduumque, aut genericam, aut ſpecificam eſſe debere, & neutram eſſe poſſe, leuiculum eſt, atque inane. Aut enim eſt ſermo de ſpecie, & indiuiduo primo intentionaliter ſumptis, homine v.g. & Petro, quatenus ſunt præciſe tales; & ita ſubiicibile in quid incomplete ab vtroque abſtractum, nec eſt genus, nec ſpecies, ſed accidens logicum, quando ſic ſubiici perinde vtrique accidit atque eſſe album, aut muſicum: quemadmodum ergo quod eſſe muſicum ſit medium inter animal, & hominem, Petrumque, & his quodammodo prius, deque vtroque prædicabile, illo vero poſterius, quin propterea, vel animal debeat eſſe ſimul genus infimum, & non tale, vel homo ſpecies, & non ſpecies, ita ſimiliter in præſenti nihil horum ſequitur. Aut ſermo eſt de ſpecie, & indiuiduo ſecundo intentionaliter ſumptis, & quatenus relatis, ſeu referibilibus ad genus: & ita eis non accidit, ſed eſſentialiter conuenit, ſubiici in quid incomplete generi non aliter, atque huic eſſentiale eſt de illis in quid incomplete prædicari, quocircà ſubiicibile in quid incomplete reſpectu eorum illo ſenſu, & provt denominantur extrinſecus, reuera eſt genus: tum, quia intuitu huius, & illius prædicabilis in quid incomplete animalis v.g. & plantæ ratio communis prædicabilis in quid incomplete genus eſt, cum ritu ſubſtantiæ, aut corporis plura genera diuerſa comprehendat, ergo ſimiliter &c. tum etiam, quia indiuiduum eſt ſubiicibile in quid incompletè vi propoſitionis ſingularis, & ſpecies vi vniuerſalis, adeoque à priori longe diuerſæ: vtrumque ergo ſubiicibile provt tale, ac formaliter ſumptum eſt diuerſum alteriuſque rationis ab alio, vt vt hæc diuerſitas, ac diſſimilitudo ſit coniuncta cum aliqua ſimilitudine, & homogeneitate vera, vti ſuprà ſtatuimus: at quod continet inferiora diuerſa, ac diſſimilia in generibus eſt numerandum: ergo, & ſubiicibile in quid incomplete, quatenus latiſſime funditur.

82 Porrò autem ex hoc neutiquam ſequitur, genus infimum eſſe, & non eſſe tale, ſi ſumatur primo intentionaliter, & pro animali, v. g. etenim ea ratio communis ſubiicibilis in quid incompletè non eſt genus quoddam inferius reſpectu animalis, ſed potius accidens, haud aliter, ac contemplatione hominis, & Petri tale eſt, vt proximè viſum: quidquid namque accidit inferioribus rationi ſuperiori, id ipſum neceſſe eſt accidat, eſto non è contrario. Præterquam quod, ne inſtar accidentis cuiuſdam, vllovè modo ſubiicibile in quid incomplete eſt animali inferius, ſed potius eo ſuperius; quippe quod illud, & quæcunque alia ita poſſunt ſubiici, comprehendit. Cæterum ſi genus infimum ſumatur provt eſt concretum ſecundo intentionale, ita quidem, etſi ſit genus infimum in actu ſignato, eſt tamen genus ſupremum in actu exercito, cum ſit commune multis generibus infimis, v. g. animali, plantæ, & cæteris (his exemplis vtor, non, quod vera ſunt, ſed, quod communia, nec non, quia deſunt alia nobis nota) Ex eo ergo, quod genus illud ſubiicibilis ſit inferius genere infimo poſteriori ſenſu vſurpato, nihil ſequitur, niſi, quod hoc ſit, & non ſit genus infimum, longe tamen aliter, aliterque ſicut ſignum naturale eſt, & non eſt eiuſmodi; eſt quidem in actu ſignato, non eſt in actu exercito. Addiderim, ſubiicibile in quid incompletè, & infimè, provt tale, ita eſſe inferius genere infimo, cuius eſt correlatiuum, vt ſit etiam eo ſuperius, illudque ipſum comprehendat, propterea, quod more aliorum ſubiiciatur in quid incomplete alicui, ſcilicet generi, provt abſtrahit à ſupremo, & infimo: quo ex titulo contenderet aliquis, genus infimum tale prorſus eſſe etiam in actu exercito, non vero ſupremum reſpectu ſubiicibilis in quid incompletè, quia nimirum hoc non eſt contemplatione illius mere inferius. Quod vltimo loco infertur, admiſſa illa ratione ſubiicibilis indiuiduo, & ſpeciei communi, ſimiliter abſtrahi poſſe, & debere rationem prædicabilis in quid generi, & ſpeciei, nec non prædicabilis in quale proprio, & accidēti communem, ac proinde ac prædicabilia inuicem diuerſa non tantum quinque numero eſſe, ſed plura; hoc inquam, quo ſenſu ſequatur, & veriſſimum ſit, & quo falſum, ſeu non ſequatur, ſupra iterum, iterumque expoſuimus.

83 Hactenus ſolutio illius vltimæ difficultatis argumenti quarti, cui aliter comperio occurrere quoſdam cum Fonſeca, & coll. Conimbricenſi, dicentes idcirco à ſpecie, & indiuiduo, tametſi vtrumque ſubiiciatur generi in quid incomplete, & diſtincta quidem relatione, neutiquam tamen abſtrahi rationem communem ſubiicibilis in quid incomplete: quoniam in ea conueniunt non vniuoce, ſed analogicè; cuius analogiæ ſignum eſt, quod prius competit ſpeciei, quam indiuiduo, & ab hoc independenter ita ſubiici, indiuiduo autem poſterius, ac dependenter à ſpecie.

84 Contra tamen primò: quia in Met. lib. 5. tract. 2. oſtendam,

ostendam, analogiam non obstare abstractioni, & rationem entis analogam à reali, & solius rationis posse præscindi; item à fortiori rationem entis realis à substantia, & accidenti, creatore, & creaturis, respectu quorum tamen ens reale analogum est, iuxta non paucos aduersarios. Contra secundo: quoniam qualitas incommuni est prædicamentum, supremumque genus, ac proinde ratio vniuoca contemplatione caloris, v g. & lucis, actus, & potentiæ, cæterarumque qualitatum inferiorum, quin obstet ab eis per prius, & posterius illam participari: rursus probabilius etiam est ens reale non obstante simili participio, esse vniuocum: quidni ergo sit vniuocum subiicibile in quid incomplete, vtvt speciei, & indiuiduo ea cum inæqualitate conueniat. Contra tertio: quia falsum est, speciem prius natura subiici oportere generi, quam indiuiduum, & hoc posterius, quam illam: aliud enim est, quod species logicè, & in subsistendi consequentia sit in se prior indiuiduo, & hoc illa posterius: aliud, quod prius logice referatur species, quam indiuiduum ad genus, eive subiiciatur, & hoc posterius, & cum dependentia à ratione specifica. Primum namque verum esse, secus vero secundum supra satis est demonstratum: quorsum ergo subiicibile in quid incompletè analogum adstruitur?

85 Ex dictis, tum hoc capite septimo, tum etiam sexto, & quinto constat solutio eius quæstionis, an scilicet relatio generis ad species, & indiuidua sit eadem, vel diuersa: quod enim sit omnino diuersa putant Louanienses, & quidam alij, nimirum generica respectu specierum, & alia innominata contemplatione indiuiduorum: quod vero sit eadem omnino, & nullatenus distincta, putant alij: Denique, quod sit eadem, id est similis, & homogenea, ac prorsus generica, cæterum distincta, & alia, aliaque, aut specie, aut certe numero, censent Rub. in log. cap. 3. de specie quæst. 5. metaph. cap. 28. quæst. 14. sect. 3. Conimbric. in log. cap. de specie quæst. 2. art. 1. Hurtad disp. 4. de genere sect. 5. §. 33. Tellez 1. part. summæ disp. 6. sect. 4. Arriaga sect. & subsect. supra citatis: Item Masius quæst. 3. & 4. de genere sect. 5. Scotus quæst. 17. de vniuersalibus, & communiter eius assectæ. Quorum authorum sententia, vt communior, sic etiam verior nobis videtur: ea autem superius satis est probata, sicut & duæ diuersæ sufficienter improbatæ.

86 Constat etiam ex hactenus disputatis solutio alterius quæstionis, an scilicet species sit adæquatum correlatiuum generis? affirmatiuè respondent Louanienses, negatiue cæteri authores supra laudati: hi, quia genus etiam provt tale referri ad indiuiduum, necnon huius relationem terminare censent; illi, quia ad solam speciem referri genus, & huic quatenus tali solam eam subiici existimant. Quod tamen Louanienſium opinio hac in re falsa sit, & communis sententia longè probabilior, superius est ostensum.

Deinde ex dictis perspicua est decisio alterius controuersiæ priori affinis, an scilicet species sit primum, & immediatum generis correlatiuum? negant Comimbric. Fons. Tellez: affirmant vero quidam apud Louanienses, & post eos Hurt. disp. 5. log. sect. 1. §. 5. & reipsa Auersa citata illa sectione 5. §. *ex hac conclusione inferendum est*, esto verbis non nihil dissentiat: horum fundamentum est, quia potest abstrahi ab indiuiduo, & specie vna ratio communis subiicibilis in quid incomplete, vtroque prior, adeoque generi immediatior: illorum vero, quia repugnat talis abstractio. Cæterum repugnantiam illius nullam esse, supra late ostendimus, ac proinde quid in hac quæstione tenendum sit, iam tum præiudicauimus.

Porrò autem, quæ disputata sunt de specie, & 87
eius correlatione respectu generis, ea oportet intelligi de specie vniuersali, ac de multis prædicabili, qualem reuera esse debere speciem subiicibilem, & generis correlatiuam, adeo certum putant nostri Conimbricenses, citata quæst. 2. de spec. art. 1. in fine secundæ conclusionis, vt contrarium alienum esse à communi philosophorum sensu pronuncient. Aliqui tamen aliter sentiunt, & speciem subiicibilem non dubitant omne id appellare, quod subiicitur generi, vel in quid incomplete, siue sit vniuersale, siue singulare, & indiuiduum: atque hic loquendi modus supra cap. 5. ad eius finem nobis omnino non displicuit, nec modo etiam displicet, aut videtur improbabilis. Quem iuxtà species subiicibilis est adæquatum correlatiuum generis: tale siquidem est quidquid ei subiicitur: nec non etiam eius primum, & immediatum correlatiuum: huiusmodi namque est subiicibile in quid incomplete: verum enim species subiicibilis, tam in communi, quam in particulari sumpta debet esse adæquatum correlatiuum generis, proximum verò, & immediatum, non nisi in communi vsurpata, & provt à specie prædicabili, & indiuiduo abstrahitur.

TRACTATVS III.

De specie.

CAPVT I.

Quid sit species.

SPECIES interdum significat prætextum, & 1
simulationem, quo pacto dicuntur simulata in speciem fieri: interdum rem visam, qua ratione ait Maro lib. 2. Æneidos;

Non tulit hanc speciem furiata mente Chorabus.

Aliquando etiam formam, ac pulchritudinem; quo sensu Christus Psal. 44. dicitur speciosus forma præ filiis hominum. Has ergo speciei acceptiones & alias non paucas, tum in sacris, tum in profanis, litteris valde familiares, velut à nostro alienas instituto missas facio; ac speciem cum Porphyrio ita definio: *species est id, quod prædicatur de pluribus differentibus solo numero in quid*; vt homo v. g. de Petro, & Paulo, & cæteris. Per id, quod prædicatur conuenit species cum cæteris prædicabilibus: per prædicari de pluribus differentibus solo numero disfidet à genere, quod potius complectitur inferiora specie diuersa: per particulam in quid, à differentia, quæ in quale quid, & à proprio, & accidenti, quæ tantum in quale enunciantur. Rursus secundo, speciem cum eodem Porphyrio sic definio: species est id, quod subiicitur generi, veluti homo. v. g. animali, aut si mauis animal viuenti. En duplicem speciei acceptionem logicis familiarem, quarum alteram iuxtà vocatur species prædicabilis, iuxtà alteram vero species subiicibilis. Porrò autem vtrãque speciei nomenclaturam inridet grammatistæ

quidam ; sed satis imperite suo more : eo namque vocabulo vtuntur, non solum nostri Scholastici, sed etiam multi Patres in vno, & altero eius sensu præsertim verò in priori August. lib. 8. de Trinit. c. 6. & in dialectica, atque in suis Damascenus, & Cassidorus: in posteriori vero, tum hi, tum eis Inngè antiquior Tertullianus lib. 5. contra Marcionem cap. 15. ibi, *Pronunciauit Isaias; prodibit virga de radice Iesse, & flos de radice ascendet de virga, & requiescet super eum spiritus Domini. Dehinc species eius enumerat, spiritus sapientiæ, & intelligentiæ, Spiritus consilij, & valentiæ, & spiritus agnitionis, & religionis : spiritus eum replebit timoris Dei.*

2 Aduersus posteriorem definitionem, qua est explicata species provt subiicibilis duæ sunt præcipuæ difficultates, de quibus late P. Hurtadus disp. 5. log. sect. 1. per totam. Altera est, genus definiri in ordine ad speciem, vtique subiicibilem, & eius correlatiuam, adeoque hanc perperam, & non sine circulatione vitiosa definiri in ordine ad illud è conuerso talem in modum : species subiicibilis est, quæ subiicitur generi : quo pacto malè definias patrem, & filium ita : pater est qui habet filium, filius est, qui habet Patrem. Cæterum huic difficultati factum est satis tract. præc. cap. 4. assert. 2. & 3. ibique ostensum genus definiri respectu speciei prædicabilis, non vero subiicibilis provt talis, quantumuis hæc sit eius correlatiua : quid ergo prohibet, hanc contemplatione illius quidditatiue explicari ? Altera est, fore, vt indiuiduum incompletum sit species subiicibilis quippe quod subiicitur etiam immediatè generi, adeoque definitionem nostram participat. Sed hæc etiam difficultas est à nobis superius profligata eiusdem tract. cap. 5. in solutione argumenti tertij : ibi namque visum est tribus de causis indiuiduum incompletum neutiquam esse speciem subiicibilem, & huius definitionem totidem modis ita explicare posse, vt illud reiiciat : ibidem etiam visum est, quatenus probabiliter sustineri possit indiuiduum incompletum esse speciem subiicibilem, adeoque absurdum non esse, si huius ei definitio conueniat.

3 Quapropter obiicies aduersus priorem definitionem speciei prædicabilis, frustra eam tradi, cum eiusmodi species sit concretum per accidens, quod tamen nunquam vere, ac proprie definiri posse constat, tum ex Aristotele, & B. Thoma lib. 7. metaph. sect. 3. verbis supra citatis tract. præc. c. 3. tum etiam ex eo, quod definitio sit oratio explicans quidditatem, & essentiam, siue substantiam rei ; ens autem per accidens, sine non substantiale substantiam non habeat explicationi aptam subiici : tum, quia ens per accidens magis est plura, quam vnum : haud ergo eius natura explicabitur sicut ad veram definitionem oportet ; sed eius naturæ ; vnde ad summum colligi potest, multis illud definitionibus, non tamen vna posse declarari : tum denique, quoniam essentia est propria solius entis ; nec mirum, cum sit eius abstractum quoddã ens autem per accidens, seu non substantiale, veluti album, non est simpliciter, sed secundum quid, & analogicè respectu substantiæ : ergo non habet simpliciter essentiam, aut definitionem, quæ obiectiuè sumpta cum essentia recurrit & eadem est ; formaliter verò vsurpata eam explicat.

4 Hoc argumentum faceſſit difficultatem, non solum definitioni speciei prædicabilis, sed etiam subiicibilis, nec non generis, differentiæ, proprij, & accidentis, cum hæc omnia sint concreta per accidens, & actum, atque obiectum ei extraneum complectantur : quoniam autem species prædicabilis componitur ex genere, & differentia, & per vtrumque definitur, quod non habet species subiicibilis, si quod est probabile conuenit indiuiduo incompleto, aut cõpleto, indiuidua nãque plerumque sunt scientiæ, ac definitionis expertia, nec etiam genus, differentia, proprium, aut accidens provt talia, ac nisi vt quandam speciei rationem induunt ; idcirco difficultatem illam communem de definitione totius per accidens libet in specie prædicabili examinare. Tam ergo pro illa, quam pro specie subiicibili, & quocunque vniuersali, & particulari respondeo, concretum per accidens verè, ac propriè posse definiri, idque Conimbricenses tom. 2. log. in cap. 4. de orat. quæst. 4. art. 6. & Hurtadum disp. 4. log. sect. 1. § 4. & communiter cæteros authores nostros aduersus quosdam Thomistas, & non paucos Scotistas arbitrari : & merito : quando enim ea sunt in rebus ac veritatem habent transcendentalem, quidni possint cognosci, & per definitionem logice, & artificiosè explicari.

Ad Aristotelem ac B. Thomam dicendum est, eos 5
proposita illa quæstione, an scilicet composita accidentalia queant definiri, & quidditatiue declarari, inprimis negatiue respondere, vt constat ex testimoniis adductis : cæterum in solo sensu reduplicatiuo : quasi hoc tantum velint, ea concreta per accidens, provt talia, neutiquam definiri ; secus vero, si sumantur provt sunt concreta per se ex genere, & differentia illud, non accidentaliter, sed essentialiter contrahente. Moueor primum verbis Aristotelis lib. illo 7. metaph. eadem sect. 3. nobis obiecta : *non ergo vlli eorum, quæ non sunt species generis inerit, quod quid erat, esse, sed his solum : hæc enim videntur, non secundum participationem, & passionem, nec vt accidens dici.* Moueor secundo verbis B. Thomæ ibidem : *patet, quod quid erat, esse, non erit alicuius, quod non sit è numero specierum alicuius generis, sed solum his, id est solum speciebus : species enim sola definitur, cum omnis definitio sit ex genere, & differentiis : illud autem, quod sub genere continetur, & differentiis, constituitur est species, & ideo solius speciei est definitio : solæ enim species videntur dici, non secundum participationem, & passionem, nec vt accidens.* Ergo si sumatur concretum per accidens, non provt tale, sed provt est ens per se quodammodo, & genus per differentiam essentialem contrahit, specieique rationem obtinet, eo ipso poterit illud definiri, tum iuxtà Aristotelem, tum iuxta Beati Thomam.

Deinde secundo dicendum est : tametsi quodam 6
sensu, eo nimirum, quem nuper explicuimus, ambo negent concretum per accidens definiri ; cæterum eos aliter soluere quæstionem, ac respondere pari cum probabilitate dici posse, ens per accidens definitioni subiectum esse, tametsi aliter, ac ens per se. Etenim Aristoteles lect. 4. sequenti prope medium sic habet : *illud autem manifestum est, quod, quæ primo, & simpliciter definitio, & quod quid erat esse substantiarum est : at cæterorum quoque similiter est, non tamen primo : non enim est necesse, si hoc ponamus huius definitionem esse quodcunque oratione idem significat, sed quod aliqua oratione : hoc autem si vnius sit, non continuatione sicuti Ilias, aut quæcunque coniunctione, sed si quoties dicitur vnum. Vnum autem dicitur, sicuti & ens ; ens autem quoddam ipsum quod quid, quoddam quantum, quoddam quale quid, significat : quare & albi hominis erit oratio, & definitio, alio vero modo, & albi, & substantiæ.* Quem textum, aliosque similes amplectitur B. Thomas, ab illis verbis,

verbis, *aut oportet secundum alium modum soluendi dicere, quod definitio dicitur multipliciter, sicut, & quod quid est; ipsum enim quod quid est, vno modo significat substantiam, & hoc aliquid; alio modo significat, singula aliorum prædicamentorum, sicut qualitatem, & quantitatem, & alia huiusmodi talia: sicut autem ens prædicatur de omnibus prædicamentis, non autem similiter, sed primum de substantia, & per posterius de aliis prædicamentis, ita & quod quid est &c.*

7 Nescius haud sum philosophum, & cum eo Beatum Thomam testimoniis, posteriori loco allegatis hoc significare, definitionem entis per se, ac substantiali, atque enti, seu concreto per accidens conuenire analogicè; sicut iuxtà eos ens, & quod quid est, vt aiunt, substantiæ, accidenti, Deo, & creaturæ, analogica ratione competit. Cæterum, vti analogia entis in eo solo sita est, quod Deus magis principaliter, ac simpliciter sit ens, creatura vero, minus principaliter, & secundario, siue iuxtà aliorum phrasim secundum quid, eademque cum inæqualitate, accidens, & substantia, rationem eius communem participant, non vero in eo, quod solus Deus, ac substantia sit vere, & proprie ens; neutiquam vero creatura, aut accidens: haud enim credendum est, Aristoteli, aut Beato Thomæ tale quidpiam in mentem incidisse, quippe quos latere non potuit, creaturam, & accidens, reipsa producere suos effectus, & produci à suis causis; quæ duo veram rationem entis manifeste supponunt: ita similiter analogia ab eis statuta inter definitionem entis per se ac substantialis, & eam, quæ est totius per accidens, neutiquam arguit, alterutram non esse vere, ac proprie definitionem, sed tantum, quod altera magis principaliter, quam altera, rationem definitionis obtineat.

8 Porrò id animaduerto in confirmationem vtriusque solutionis nuper traditæ, quod Aristoteles lib. 6. Topic. cap. 5. disertis verbis affirmat; posse concretum accidentarium definiri vera, ac propria ratione: necnon, quod lectione nona libri quinti Metaphysicæ idem doceat, tum ipse, tum ex eo Beatus Thomas in hæc verba. *Definitio, quæ est syllabæ comprehendit in se definitionem, quæ est elementorum id est litterarum: & huius ratio est, quia elementa, id est litteræ, sunt partes syllabæ, quantum ad speciem suam.* Hactenus ille. Constat autem, syllabam esse totum per accidens ex elementis resultans: eiusmodi ergo totum potest definiri.

9 Ad primam rationem contrariam dicendum est; accidens habere etiam substantiam provt sumitur hæc, non physicè, sed logicè, & quatenus in idem cum quidditate recurrit, & quidem accidens haud reiicere à se substantiam quouis modo, ac sensu vsurpatam, vel inde constat, quod Apostolus fidem, quæ est accidens proculdubio substantiam tamen sperandarum rerum appellet. Ad secundam rationem dicendum est, pluralitatem entis per accidens, & quod multas reipsa naturas non vnam solam cohibeat, neutiquam obesse, quominus sub definitione cadat: homo enim v.g. definitur, at eius natura latissimè fusa, & omnibus communis ex parte rei est multiplex, nec nisi secundum quid, & per intellectum vna: quod ergo concretum accidentale non habeat naturam simpliciter vnam, sed tantum per accidens, & secundum quid, haud obstabit, quominus possit definiri: quocirca definitio dicenda est, ac definienda: oratio explicans naturam rei, vnam quidem simpliciter, aut secundum quid, per se, aut per accidens.

Ad tertiam rationem contrariam dicendum est; 10
accidens, & concretum eo constitutum esse simpliciter ens provt hoc perinde est, atque aptum esse, adeoque in hoc sensu habere essentiam, quæ merito possit per definitionem explicari. Quamuis etiam hoc diffiteri nequeam, ita ens aliquando sumi, vt cum substantia recurrat, ac sit prorsus idem: quo sensu procul viso homine aliquo v. g. vnum duntaxat ens à nobis videri dicimus, quamuis eius accidentia plura nobis appareant: horum ergo nullum tum reputamus ens simpliciter. Quemadmodum autem accidens non est ens simpliciter, hoc peculiari, & non semper vsitato modo sumptum, ita neque essentiam simpliciter, nec definitionem sibi vendicat. Atque hoc fortassis tantum voluit Aristoteles ac B. Thomas: nobis vero, quam parum obsit, aut quam parum aduersariis prosit, nemo non videat.

CAPVT II.

Alia argumenta aduersus definitionem speciei prædicabilis.

OBiicies aduersus eam secundo: prædicari actua- 11
liter est ei, quod prædicatur accidentale: potest enim ei adesse, vel abesse, sicut album subiecto: quemadmodum ergo hoc homini v. g. quidditatiue definiendo est prorsus ineptum, ita & prædicari actu ad speciem quidditatiue definiendam haud sufficiet. Respondeo primo; vniuersale logicum quodam sensu sumi posse, vt ei conueniat actu prædicari, non ex accidenti, sed essentialiter, vt visum est tract. 1. huius libri cap. 1. 2. & 3. vbi ergo statuatur speciem esse vniuersale logicum duntaxat, & non aliud, vel certe eam, quæ definitur in præsenti id genus esse, profecto eius definitio poterit esse quidditatiua, vtvt tradatur per prædicationem actualem. Exemplum autem albi non est ad rem: nam vti per illud quidditatiuè definiri nequit homo, cui est accidentale, ita nec id, quod est species per hoc, quod est prædicari, &c. eo nimirum, quod tali rei accidat ita prædicari; cæterum eiusmodi rei quatenus est species haud quaquam est accidentale prædicari, vti superius: quid ni ergo per hoc quidditatiue definiri possit, provt eam denominationem induit? Respondeo secundo, in definitionibus verba sæpissime significare, non actum, sed aptitudinem: quocirca in definitione speciei particulam, *prædicari*, perinde esse, ac pollere, atque *posse prædicari*, siue esse prædicabile: prædicabilitatem autem non posse abesse, & adesse speciei, reiue, quæ est species, sed potius eis necessario conuenire.

Obiicies secundo: Etiam prædicabilitas, est pas- 12
sio speciei, & non conceptus quidditatiuus: ergo per eam haud definitur species, quidditatiua ratione, sed describitur quoquo modo: consequentia est perspicua: suadetur antecedens: nam quod est passio respectu rationis communis, ea etiam, & non essentia debet esse intuitu rationis particularis: quo pacto risibilitas, quæ est passio hominis, nequit non esse passio, nequit esse quidditas Petri: at prædicabilitas est passio respectu vniuersalis in communi, ergo & contemplatione talis vniuersalis, videlicet speciei. Cæterum, quod prædicabilitas, gratia vniuersalis in communi, & latissime fusi, haud sit passio, sed potius præscindat, ab eo, quod sit illius passio, vel essentia, superius ostensum

est,tract.primo huius libri à capite primo, vsque ad tertium.

13 Obiicies tertio : species in communi prædicatur de omnibus speciebus,v.g.de ea, quæ abstrahitur ab hominibus,& de ea, quæ abstrahitur ab equis, necnon de cæteris aliis:at species omnes differunt specie:species ergo ab omnibus abstracta prædicatur de pluribus differentibus specie : non ergo de pluribus solo numero diuersis, vti in eius est definitione statutum.Minor argumenti (haud enim cæteræ eius partes egent probamento) hunc probatur in modum: species omnes differunt seipsis:ipsæ autem sunt species:ergo differunt specie. Deinde quis neget,hominem v.g.& equum in commune sumptos differre specie?at sunt plures species : Item duo indiuidua eiusdem speciei differunt indiuidualiter,siue numericè: ergo & eiusdem generis duæ species specificè. Denique indiuidua diuersarum specierum , quia sub his continentur , dissident specie:à fortiori ergo , vt aiunt,ipsæ species specie dissidebunt.

14 Viderint alij, quid huic argumento respondeant. Ego propter illud arbitror, non dari rationem communem speciei ab omnibus abstractam,& quæ huic definitioni, quæ præ manibus est, aut alteri sit subiecta : ea namque esset, & non esset species: esset quidem, vt supponitur : non esset, quia non prædicaretur de pluribus , solo numero differentibus, sed potius specifica, & maiori diuersitate, præditis. Quapropter data definitio est singularium specierum, & perinde atque si quis ita diceret : species hominis est,quæ prædicatur de pluribus hominibus solo numero differentibus , in quid : species equi, quæ eadem ratione de pluribus equis : species leonis , quæ similiter de pluribus leonibus : & sic de cæteris. Ita autem intellecta definitio speciei obiectam difficultatem euadit, vt est per se conspicuum.

15 Obiicies quarto. Si nullum animal esset possibile præter hominem, animal in communi esset genus: haud enim esset hominis differentia, proprium, vel accidens , quippe de quo tunc diceretur præcisè in quid,non verò in quale,aut quale quid : haud etiam esset species respectu hominis:nam de eo tunc prædicaretur incompletè sicut modo, ac tunc inuolueret, non minus , quam nunc præter rationem animalis rationalitatē:at non haberet sub se plures species : quemadmodum ergo non est de ratione generis continere plures species, haud etiam erit de conceptu speciei cohibere plura indiuidua numero diuersa, adeoq;perperā in ordine ad illa definitur. Vel paulo aliter : animal eo in euētu esset genus, & non species : at ei tota speciei conueniret definitio,nimirum prædicari de pluribus solo numero differentibus in quid, ergo, &c. Verum tr. 2.c.2.huic argumento factum est satis , ostensumque animal ea in hypothesi futurum esse speciem , & non genus , aliudvè prædicabile.

16 Obiicies quintò : definitio illa speciei haud facit eam esse diuersum prædicabile à genere:quod enim illa prædicetur de pluribus numero, & hoc de pluribus differentibus specie, parum videtur referrè : siquidem genus supremum prædicatur de pluribus differentibus genere, & infimum de pluribus differentibus specie : nihilominus ambo non sunt prædicabilia diuersa : talia ergo haud erunt genus , & species , quamuis hæc de multis numero , & illud de multis differentibus specie enuncietur. Hæc difficultas aduersus definitionem etiam generis proposita est supra citato tract.2. huius libri cap.1. ad finem : ibique ad eam dictum est, genus supremum, & infimum qualiacunque sint inferiora vtriusque, de iis prædicari in quid incomplete; sed speciem de suis inferioribus dici in quid complete , alterutrum vero genus, vt dictum est in quid incomplete:atque hac de causa ambo in idem coalescere prædicabile , secus vero genus, & speciem.

Enimvero aduersus hanc solutionem est quædam instantia in hunc reiecta locum : ea sic habet: species etiam prædicatur de suis inferioribus in quid incomplete , ac non velut tota eorum essentia : titulo ergo prædicabilitatis completæ non est quod à genere diuersum prædicabile constituat:consequentia est in aperto : suadetur antecedens : Id est de essentia rei sine quo ea , nec esse potest , nec concipi: at Petrus , & Paulus , nec esse , nec concipi possunt sine Petreitate,& Paulitate : hæ igitur sunt de illorum essentia : homo ergo,qui est respectu vtriusque species , haud est tota eorum essentia, & quidditas, atque quod consequens est , haud de illis complete prædicatur. 17

Respondeo primo : essentia rei, alia est formalis, alia identica, & materialis: illa est, quæ de re potest enunciari , per propositionem formalem : hæc vero, quæ non nisi per materialem , & identicam : priori modo homo est de essentia Petri,& animal hominis, & viuens animalis , atque ita vsque ad supremam rationem entis : posteriori vero modo , non priori, est de essentia Petri, petreitas, id est eius indiuiduatio , siue hæcceitas ; quia nimirum ita est instituta, vt quamuis sine ea , nec esse , nec concipi possit Petrus , de illo tamen haud queat affirmari, nisi materialiter , & identice , non vero formaliter; hunc in modum, Petrus est Petrus, aut hic homo, siue quod iuxta est , Petrus est homo, petreitatem , siue hæcceitatem suam habens. Hinc ergo est , vt homo sit tota essentia formalis Petri , ac proinde de illo prædicetur in quid complete, sensu videlicet explicato. 18

Respondeo secundo : essentia, alia est logica,qua nimirum ratio aliqua communis identificatur cum re, tum etiam consideratione , ei conceptui , cui est essentialis : alia est, metaphysica, qua ratio communis solam habet identitatem realem , respectu eius conceptus, cui est quidditatiua : alia est physica,merito cuius partes aliquæ in communi, totum per se essentialiter constituunt, quin tamen ei sint, vllatenas identificatæ, sed potius ab eo omnino distinctæ, alioqui illud , haud per se , sed per accidens constituturæ : alia denique est , indoctrinalis , qua nimirum ratio aliqua singularis , & indiuidua , cuipiam est eadem, vel re sola, vel etiam consideratione, aut certe illud sine vlla identitate constituunt , vti hoc corpus, & hæc anima hunc numero hominem. Cur nam essentia logica , & metaphysica sic vocentur, supra declaratum est, tract.1.cap.1. ad eius initium, quapropter autem essentia physica , eo gaudeat vocabulo, satis liquet; nam physiologiæ proprium est, distinctionem realem totius per se à suis partibus, tum his, tum illo in commune sumptis considerare: cur etiam essentia postremo vsurpata modo appelletur indoctrinalis , in causa est , quod doctrinæ , ac scientiæ non sint vt plurimum de singularibus , sed potius ab eis præscindant , ac circa vniuersalia occupentur. 19

Quibus positis. Petreitas haud est de essentia logica , physica , aut metaphysica Petri , vt constat ex dictis : his ergo tribus modis homo est eius tota quidditas , & essentia , ac proinde de eo prædicatur in quid complete , eiusque more quæuis alia species de suis indiuiduis : quod autem Petreitas fit indoctrinaliter essentialis Petro, perinde habetur , ac si ei non esset essentialis , perinde , inquam , tum in 20

logica,

logica, tum in quauis alia facultate. Et quidem indiuiduationem haud eſſe eſſentiam, aut quidditatem rei, quam denominat indiuiduam, ſed potius completam eius eſſentiam eſſe ſpeciem præter Baſilium lib. 2. contra Eunomium ſupra cum eſſet quæſtio de definitione generis à nobis citatum tenent Damaſcenus in Dialect. cap. 9. *Hypoſtaſis autem, neque quid eſt oſtendit, neque quale quid eſt, ſed quis eſt. Interroganti enim, quis eſt iſte; dicimus Petrus: Deinde interroganti, quid eſt Petrus, dicimus homo* Ecce extra quid rei, ſiue eius quidditatem, & eſſentiam collocat indiuiduationem: adeoque iuxta eum tota rei eſſentia eſt ſpecies. Et paulo infra ſic habet; *non autem poſſumus dicere, quoniam aliud eſt Petrus, & aliud Paulus, quia falſum dicimus: natura enim vnum ſunt, non ſunt vnum numero.* Vbi etiam extra naturam, & eſſentiam rei cenſet eſſe differentiam numericam, & indiuidualem, ac proinde completam, & adæquatam rei eſſentiam eſſe ſpeciem ab ea, & ſimilibus abſtractam. Idem etiam ſentit (Clemens Alexand. l. 8. ſtromatum; *materia quidem locum obtinet diuiſio definitioni quærens ſimplicitatem nominis: artificis autem, & opificis definitio, quæ componit, & conſtruit, & eius, quod eſt oſtendit cognitionem: Non harum autem rerum, nec idearũ ſunt definitiones, ſed rerum, quarum habemus vniuerſales, & generales notiones in animo.* Vnde ſic argumentor: res ſingulares, quatenus tales haud cadunt ſub definitionem: cum ergo definitio ſit oratio explicans naturam, ſiue eſſentiam rei, ſanè non erunt de eſſentia rei vllius: proinde tota eſſentia rei cuiuſuis erit ſpecies ſub qua continetur, adeoque hæc prædicatur in quid completè iuxtà Clementem: quo cum idem cenſent alij plures Patrum, quos breuitatis cauſa prætermitto.

21 Obiicies ſextò. Vnio Petri eius materiam, & formam copulans prædicatur in quid de hac, & illa vnione Petreia, quæ ſolo numero differunt: At vnio Petri in communi ſpecies non eſt: ſpeciei ergo definitio nequit ſuſtineri. Maior probatur, quia per plures vniones ſolo numero diſtinctas, diuinitus ſimul, & humanitus, ac naturaliter ſucceſſiue materia, & forma Petri inuicem vniri poſſunt, haud ſecus, ac idem intellectus idem obiectum per plures intellectiones, olo numero diſtinctas ſimul, aut ſucceſſiue percipere poteſt; idemque agens eundem terminum per duas actiones ſolo numero diſtinctas ſimul, aut ex interuallo producere valet: igitur vnio Petri à pluribus vnionibus Petri ſolo numero differentibus abſtrahi, & de iis prædicari poterit. Minor probatur, quoniam ſi vnio Petri eſſet ſpecies, vnio Pauli eadem ratione foret ſpecies, ac proinde ambæ ſpecie differrent: ex quo vlterius fieret, Petrum, & Paulum fore homines ſpecie diuerſos; quia quoties totum aliquod includit intrinſece, & eſſentialiter aliquid ſpecie diuerſum ab eo, quod aliud totum includit, vtrumque totum ſpecie diſtingui debet, eſto in aliquo ſpecie conueniant: qua ratione homo, & bellua ſpecie diſtinguuntur: at Petrus includit intrinſecè, & formaliter vnionem ſpecie diuerſam ab ea, quam Paulus inuoluit.

Reſpondeo vnionem Petri ſpecie diuerſam eſſe ab vnione Pauli, & nihilominus Petrum ne ſecundum quid aut vllatenus ſpecie differre à Paulo. Ratio eſt quia neuter conſiſtit formaliter in ſua materia, forma, & vnione, ſed in toto quodam & integritate earum partium ab his realiter diſtincta, quæ ſicut ex hac materia, forma & vnione reſultat, ita & ex aliis quibuſuis poſſet reſultare. Quam doctrinam latè explicabimus & recentiorum obiectionibus tuebimur in phyſica libro ſecundo, tractatu nono per totum. Iuxtà eam vero facilè apparet, quatenus ex diuerſitate ſpecifica vnionum Petri, & Pauli horum inter ſe diſcrimen ſpecificum haud quaquam ſequatur.

Enimuero qui diuerſam tuentur ſententiam, putantque Petrum v. g. & Paulum partes ſuas earumque vniones intrinſecè inuoluere, nihil probabilius poſſunt reſpondere quam Petrum & Paulum propter diuerſas ſpecificè vniones diſſidere inuicem ſpecie, non quidem ſimpliciter, at ſecundum quid & quadantenus. An enim inquient aduerſarij debet Petrus eſſe magis idem ſpecie cum Paulo quam ſecum ipſo, tum ſpecie, tum etiam numero idem in quocunque ſtatu? quod non debeat eſt vero verius. At Petrus, cum puer, & cum ſenex, eſt diuerſus ſpecie à ſemetipſo ecundum quid ratione diuerſarum ſpecè vnionum quas habet in vtroque ſtatu vi continuæ accretionis, & decretionis ſubſtantialis; necnó etiam diuerſus numero ſecundum quid à ſeipſo propter diuerſas materiæ partes, quidni ergo poſſit eſſe diuerſus ſpecie ſecundum quid à Paulo: verum quod huius ſolutionis doctrina falſa ſit, conſtabit in phyſ. loco memorato, ac proinde noſtræ ſtandum eſt, vt veriori, ac magis probabili, quidquid obſtrepant Neoterici. 22

CAPVT III.

Quænam eſſe poſſint genera, & ſpecies.

QVod in primis nullum non ens, ſiue id ſit aliquid poſitiuè fictum ab intellectu, vt hircoceruus, vel homo equus, ſiue carentia aliqua, vt cæcitas, vel tenebræ, poſſit eſſe ſpecies, aut genus, eſt communior, ac verior ſententia. Eam tenent B. Thomas 1. 2. quæſt. 72 art. 6. & in 2. diſt. 28 quæſt. 1. art. 1. Caietanus in prædicab. cap. de ſpecie, Capreolus in 1. diſt. 29 in ſolut. ad 5. argum. contra 3. concl. Heruæus de ſecundis intentionibus quæſt. 2. art. 3. Louanienſes in prædicab. cap de accidenti. Hiſpalenſis in 1. diſt. 29. Conimbricenſes in caput 1. de genere quæſt. 2. art. 1. Tellez ex parte in log. diſp. 6. ſect. 2. n. 2. & quod caput eſt Ariſt. 1. de part. animal. c. 3. & 4. top. text. 67. 23

Probatur autem hæc opinio: nam ſpecies debet prædicari de pluribus numero differentibus: ſed hircocerui v. g. inferiora non conficiunt numerum numerus enim eſt collectio vnitatum, ſiue multiplex vnitas: vnitas autem conuenire nequit non entibus, vti neque veritas, aut bonitas, aliaue proprietas entis: item numerus eſt quantitas diſcreta; ſed quantitas eſt genus quoddam entis: nequit igitur non entibus cuiuſmodi ſunt hircocerui inferiora competere. Deinde ſpecies debet prædicari de ſuis inferioribus in quid, ſiue quidditatiuè; ea ergo debent habere quidditatem: hircocerui autem inferiora deſtituuntur quidditate: quidditas namque, & eſſentiæ iuxta ſunt; illa ergo cum ſint non entia, carent eſſentia, ac proinde quidditate: neque non eorum quodlibet eſt nihil, ſiue, quod eodem redit, nullum eorum eſt aliquid: haud ergo poſſunt habere quidditatem, quæ eſt abſtractum huius concreti quod aliquid, ſiue quidpiam nuncupatur. Vlterius ſpecies prædicari debet de ſuis inferioribus completè: hæc ergo ſortiri oportet complementum, & perfectionem: at inferiora hircocerui, cum ſint mera fig- 24

menta, & non entia sunt omni complemento, ac perfectione destituta: haud ergo hircoceruus in communi potest esse species in ordine ad illa.

25 Eisdem autem rationibus probari potest, nullum non ens esse posse genus: tum, quia, hoc constituit speciem aliquam, & sine ea est nunquam: species ergo cum non reperiatur in non entibus, quî potest in eis inueniri genus? tum etiam, quia ad hoc requiritur numerus inferiorum, quippè qui est coniunctus cum eorum diuersitate specifica, necnon illorum quidditas, & essentia: prædicatur enim genus de pluribus differentibus specie in quid: ast in non entibus, nec est quidditas, vt dictum est: tum denique à paritate rationis: eadem namque videtur esse generis, & speciei, quoad præsentem quæstionem attinet.

26 Alij nostram probant sententiam ita: Metaphysica compositio speciei ex genere, & differentia fit per accessum formæ ad materiam: nil ergo esse potest genus, quod non sit materia quædam, nil species, quod materiam quandam, & formam non includat: at in non entibus haud est materia, vel forma vlla: ergo nec genus, aut species. Parum tamen arbitror esse præsidij in hoc argumento: siquidem ad componendum aliquid metaphysice non concurrunt materia, & forma proprie tales, sed quædam vtriusque imitatio, ac veluti vmbra: sed non est quapropter in non entibus non sit quædam similitudo imperfecta materiæ, & formæ; aut cur ea quodammodo imitari nequeant per vnam sui formalitatem materiam physicam, & propriam, & vi alterius strictam, & veram formam: proinde si non obstet, aliunde poterit in eis genus, & differentia, adeoque species locum habere. Alia etiam argumenta solent afferri ad probandum, non entia haud esse posse vniuersalia vllatenus, ac proinde neque genera, & species: tamen supra lib. præced. tract. 1. ad eius finem à nobis proposita sunt, atque diluta.

27 Progrediamur ergo ad ea, quibus in præsenti quidam neoterici in diuersam abeuntes sententiam, communem, & veram à nobis traditam impugnant. Primum est tale: hic, & ille hircoceruus v. g. non differunt specie, cum nulla sit vtriusque dissimilitudo maior, quam duorum hominum, vel duûm Ceruorum: ergo conueniunt specie; adeoque species aliqua, nimirum hircocerui potest ab eis abstrahi: hircoceruus autem est ens rationis commentitium, & non ens magis, quam ens. Item hircoceruus, & homo equus non differunt genere: ergo conueniunt genere: proinde ens rationis in communi, siue non ens est respectu vtriusque genus. Secundum eorum argumentum est huiusmodi: Hoc, & illud non ens v. g. cæcitas, & surditas tam conueniunt in ratione non entis, quam visus, & auditus in ratione entis cuiusdam, videlicet potentiæ vitalis: igitur ab vtraque potest abstrahi ratio communis non entis, & negationis: non ens ergo est quoddam vniuersale comparatione vtriusque: at non differentia, proprium, vel accidens propter id, quod non prædicetur de eis instar alicuius alteri adiacentis, siue in quale, sed seruata proportione tanquam potentia vitalis de hac, & illa quidditatiue: erit ergo genus respectu illorum: quo fiet etiam cæcitatem esse speciem respectu huius, & illius, & surditatem contemplatione subiectarum sibi rationum. Tertium argumentum eorum est tale. Negationes, & non entia possunt esse propriæ, ergo & genera, & species: consequentia liquet: quod enim ad præsens attinet, quæ maior ratio est, quarti prædicabilis, quam primi, & secundi? antecedens suadetur: nam entis proprium est vnitas, quæ est negatio quædam diuisionis. Item substantiæ independentia, siue negatio dependentiæ, vel inhærentiæ.

Ad primum argumentum respondeo: quemadmodum Petrus, v. g. aut quiuis alius singularis homo, nec differt specifice, siue generice à seipso, nec secum alterutro modo conuenit, defectu videlicet distinctionis à semetipso; ita similiter entia rationis haud specie, haud etiam genere consentient, vel discrepabunt inuicem, propter id nimirum, quod sint omni entitate, ac realitate destituta. 28 Ad secundum argumentum respondeo; ens rationis esse quidem vniuersale: cæterum nullum ex quinque enumeratis à Porphyrio; hæc enim ab eo tradita sunt, pro solis prædicamentis, & ad meliorem istorum intelligentiam, vberioremque lucem; quamobrem in eis locum non habent, entia rationis, siue non entia; quippe quæ cum prædicamentis nihil habent commercij. Sic ipsum ens est vniuersale: & tamen est probabile, quod nullum ex quinque communiter circumferri solitis. Sic etiam iuxta Louanienses, quod est genus respectu specierum, est etiam vniuersale, intuitu individuorum, & tamen nullum eorum, de quibus in Isagoge Porphyriana. Alij respondent argumento, ens rationis, haud esse vniuersale, haud prædicabile vllatenus: quæ tamen responsio ostensa est inuerisimilis esse libro præcedenti, eiusque tractatu paulo superius memorato.

Ad tertium respondeo: vnitas, siue indiuisio est 29 negatio negationis, adeoque reipsa affirmatio, siue positio, atque entitas, tametsi sit virtualiter, ac secundum quid negatio: item independentia substantiæ propria, non est actualis: hæc enim est communis accidentibus, vt patet in eis, quæ in Eucharistia, pani, & vino supersunt, sed potius aptitudinalis; aptitudo autem, & exigentia, non dependendi à subiecto inhæsionis, esto nomen vendicet, carentiæ cuiusdam, re tamen vera est quidpiam reale, & positiuum. Quamuis ergo hæ, & similes negationes sint propria, haud tamen eiusmodi esse poterunt, haud consequenter genera, & species, aliæ, quæ simpliciter, ac reipsa, & non tantum secundum quid sunt non entia.

Hæc de non entibus: entia autem, si sint substantialia completa, vt animal, viuens, homo, equus, &c. vel si accidentalia incompleta, vt color, albedo, actio, generatio, vbicatio circumscriptiua, &c. esse posse genera, & species, & sponte sua liquet, & omnibus est in confesso. 30 Solum ergo potest esse quæstio de entibus substantialibus incompletis, cuiusmodi sunt partes physicæ essentiales, vt materia, & forma substantialis, & partes physicæ integrales; aut animatæ, vt caput, cor, brachium, &c. aut inanimæ, vt punctum, linea, & superficies: necnon partes metaphysicæ cuiusmodi creduntur à pleriſque substistentia, & natura hominis v. g. & animalis in abstracto sumpta humanitas, atque animalitas dici solita; qualesque etiam ab aliis censentur essentia, & existentia ab ea realiter distincta.

Substantias incompletas superiùs enumeratas haud 31 esse genera, & species tuentur Caietanus in caput de specie, Soncinas 7. metaph. quæst. 39. Ioannes à S. Thoma 2. parte log. quæst. 7. art. 3. §. *respondeo omnes*, & alij plures Thomistæ. Item Albertus Magnus tract. 1. in prædicabilia cap. 8. & Cardinal. Toletus de specie quæst. 1. ad 3. §. ad secundam partem. Arguunt autem primo: species est, quæ prædicatur de

de pluribus differentibus solo numero in quid, vtique complete, vt cap. præced. ostensum est, vtque omnes sentiunt, quod ergo non fuerit ens completum, id neutiquam sortietur rationem speciei. Arguunt secundo: genus est totum quoddam: similiter species: cum ergo entia superius recensita sint partes, qui possunt in eis habere locum genera, & species? Arguunt tertio: omnia genera, & species sub prædicamento, siue supremo aliquo genere cohibentur: quod ergo non fuerit in prædicamento, id nequit esse genus, aut species: At ens incompletum, quod illud cumque fuerit, non est in prædicamento ergo, &c.

32 Arguunt quarto. Caput, v. g. est ens per accidens constans ex forma, & certa portione materiæ cum quadam complexione, & figura: sed nullum ens per accidens est genus, aut species: hæc enim sunt entia per se, saltem penes id, quod in recto inuoluunt. Arguunt quinto, animalitatem haud posse prædicari vere de humanitate, v. g. & equinitate, multisque id rationibus probant, quarum inferius fiet à nobis mentio tract 8 huius lib. cap. 2. quomodo ergo animalitas respectu earum potest esse genus, aut illæ intuitu animalitatis species? quæ autem est conditio eorum abstractorum, eadem est quorumuis aliorum. Sexto opponunt Aristotelem lib. 7. metaph. text. 37. vbi sic habet; *è multis numeris vnus numerus fit, ex speciebus verò, quomodo species vna?* Quod si naturæ incompletæ, cuiusmodi sunt materia, & forma species forent, profecto duæ species, nimirum materia, & anima rationalis speciem aliquam, videlicet hominem constituerent. Quo argumento videtur confici posse idem de cæteris entibus incompletis: nam vt silentio prætermittantur alia, subsistentia, & natura hominem constituunt: aut ergò ambæ non sunt species, aut ex duabus speciebus emerget tertia: item existentia, & essentia componunt hominem actualem, qui species quædam est contemplatione huius, & illius ergo, &c.

33 Argumentantur septimo: subsistentia includit differentias indiuiduales, easque naturæ superaddit at indiuidui non datur ratio generica, aut specifica, aliaue communis: ergo nec subsistentiæ. Rursus octauo: si existentia esset genus in communi sumpta maximè existentia latissime fusa, & provt complectitur omnes rerum saltem creatarum existentias: quidni vero? Sed ista nequit esse genus: nam ens creatum non obtinet rationem generis, cum ens per se creatum, siue substantia creata, & mox ens creatum quantum, & ens creatum quale, &c. sint prædicamenta, ac suprema genera, ac proinde ea quibus nullum est superius: quî ergo fieri potest, vt ens creatum sit genus: quod autem ad præsens attinet eadem videtur ratio entis creati, & eiusdem ordinis existentiæ: hæc ergo latissime fusa nequaquam est genus. Tandem argumentantur: Si in partibus integrantibus inanimis ita dictis hactenus, non quod animam reiiciant, sed quod eam non poscant, genus daretur, ac species, sane indiuisibile in communi esset earum comparatione genus, & illæ eius respectu species: cedo enim aliud earum genus? At indiuisibile in communi non est genus respectu eiusmodi inferiorum, videlicet puncti, lineæ, & superficiei: nihil igitur est ad illa genus, & quod consequens est, eorum nullum erit species. Minor (cætera enim haud videntur egere probamento) suadetur ita: punctum, linea, & superficies inæqualiter participant rationem indiuisibilis: illud enim primum est cæteris magis indiuisibile, quippe tale versus longitudinem, latitudinem, & profunditatem, linea vero est magis indiuisibilis, quam superficies, propterea quod hæc diuisionem recipiat penes solam profunditatem, illa autem, tum penes profunditatem, tum etiam penes latitudinem, solaque longitudine tenus sit diuisioni obnoxia: quemadmodum ergo ens non est genus respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, quia ab his inferioribus participatur inæqualiter; ita similiter in præsenti, &c.

Verum in omnibus substantiis incompletis superius memoratis locum habere genera, & species tuentur Conimbricenses in caput de genere q. 2. art. 2. solis partibus animalium exceptis: Item Tellez in log. disp. 6. sect. 2. num. 1. vbi ait hanc sententiam esse inter nostrates communem, & certam: Necnon Raphaël de Auersa in log. quæst. 8. sect. 4. quamuis oppositum etiam velut probabile defendat, totamque controuersiam esse de vocabulo existimet. Probatur autem primo: quia entia incompleta accidentalia, qualia sunt vbicatio, duratio, actio, &c. sunt genera, eorumque species: magis ergo est, vt entia incompleta numerentur in generibus, & speciebus. 34

Secundo ad homines: multi aduersariorum putant entia rationis esse genera, & species: quid ni ergo entia, de quibus est quæstio? cum non obstante eorum incomplemento, sint multo magis perfecta, quam entia rationis. Tertio etiam ad homines: aduersariorum non pauci sola quinque vniuersalia admittunt, videlicet genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens: quæcunque vero alia, tamquam commentitia reiiciunt: materia autem respectu cælestis, & sublunaris est vniuersale quoddam: at non differentia, proprium, aut accidens, cum prædicetur de eis in quid tantum, & non in quale solum, aut in quale mixte: ergo vel genus est respectu illarum, si sunt dissimiles; sin autem similes, è contrario species. Quartò suadetur hæc opinio rationum, quæ sunt obiectæ superius, solutione: quam si tradidero sufficientem, & expeditam euici vel hoc solo argumento circumscriptis cæteris quidni enim entia substantialia incompleta, nisi aliqua obstet ratio, eaque ponderosa, & efficax, perinde, atque completa ad genera, & species ius habeat. 35

Ad primum ergo argumentum pro contraria obiectum sententia respondeo: speciem prædicari completè est eam esse ens completum eorum respectu, de quibus prædicatur: At materia v. g. (æqua autem est ratio cuiusuis altèrius entis incompleti) est ens completum intuitu huius, & illius materiæ, de quibus enuntiatur, earumque tota essentia, quamuis contemplatione hominis haud ita se habeat: potest ergo, & debet esse species. Ad secundum respondeo iuxta dicta superius tract. 2. cap. 4. genus (par autem est ratio speciei) esse totum potestatiuum, quia licet non actu, at certe virtute, siue potestate cohibet inferiora sua: hoc autem pacto esse totum non prohibet quominus sit pars actualis in physica compositione, adeoque ens incompletum. Confirmatur: quamuis sit ea ratione totum, potest nihilominus esse pars in compositione metaphysica, & simul cum differentia speciem constituere: ergo similiter, &c. 36

Ad tertium respondeo, iuxta ea, dicenda à nobis in Metaph. lib 3. tract. 1. cap. 1. & 2. ens incompletum esse posse in prædicamento metaphysicè vsurpato: Rursus fac, illud in prædicamento nullatenus esse: quid inde? non certe quod non possit esse genus, 37

nus, & species: nam si ita arctè sumitur prædicamentum, vt de eius ratione esse quid completum, tum ipsum, tum quidquid est in ipso, cur non extra illud ea cum restrictione, & limitatione non sint plura genera, & species? Ad quartum respondeo; ens per accidens esse posse vniuersale: id enim à me probatum est lib. 8. tract. 1. cum esset sermo de vniuersalitate in communi. Quod si vniuersale cur non genus, & species? haud enim ad genus, & speciem requiritur maior vnitas rationis, quam ad quoduis aliud vniuersale. Deinde hoc ipso libro tract. cap. 3. & tract. 3. cap. 1. probatum est ens, siue concretum per accidens posse definiri, definitio autem est oratio explicans rem per genus, & differentiam: eiusmodi ergo ens esse potest species, cum hæc genere, & differentia coalescat: quod si species, certe etiam genus, nam tale ens per accidens nequit esse species, quin aliud eo superius sit genus, sicut tale animal, videlicet rationale non est species, quin animal in communi rationem generis adipiscatur.

38 Ad quintum respondeo, inferius citato illo tract. 8. huiusmet lib. vbertim à nobis probandum esse ex sententia Fonsecæ, Suarez, Gilij, Tellecij, & aliorum abstracta substantiarum esse genera, & species, eaque de suis inferioribus vere prædicari. Ibidem etiam argumenta in contrarium obiici solita, nisi fallor, satis luculenter sunt diluta. Ad sextum respondeo; Aristotelem non negasse duas species physice vnam componere, quod solum ex nostra sententia sequitur, sed solum metaphysice, siue ratione, aut intellectu eas constituere, quod verissimum est, atque nostrum. Hanc autem eius esse mentem perspicuum est, quia numeros cum speciebus, & compositionem physicam cum metaphysica comparat, & vnam speciem ex duabus metaphysice coalescere negat, esto ex duobus numeris verbi gratia, binariis alius tertius, nimirum quaternarius coalescat.

39 Ad septimum respondeo; subsistentiam, si pro eo ac verius est, sit substantia singularis completa, siue resultans ex partibus per se vnitis, siue partium omnium expers, ita institutam esse, vt eius nulla detur ratio communis generica, aut specifica, videlicet, quia nulla admitti potest ratio communis indiuidui, vt tract. sequenti clarebit. Cæterum vbi sit entitas quædam incompleta, non conspicio, cur magis concernat differentias indiuiduantes, quam forma substantialis, vel materia, aut cur instar harum genus, & species esse non possit.

40 Ad septimum argumentum respondeo: in primis propter rationem in eo obiectam existentiam creatam in communi, provt omnes omnino cohibet, haud esse genus: id, quod præter alios censent Conimbricenses loco superius citato: quare maiorem argumenti esse falsam: quæ enim in existentia illa latissime fusa militat ratio, ea certe non procedit in aliis inferioribus, nec prohibet quo minus existentia spiritualis respectu spiritualium, & corporalis intuitu corporearum sint genera, necnon humana species respectu huius, & illius; & equina similiter contemplatione subiectarum sibi partium. Respondeo secundo concessa maiori, & admissa ratione generis in existentia provt omnes saltem creatas complectitur, nullo earum facto discrimine: Ita sentit Molina 1. part. quæst. 3. art. 4. disp. 2. Ratio autem in contrarium adducta, non vrget: tum, quia in metaphys. lib. 5. tract. 2. à nobis ostendetur; haud esse improbabile, quod ens pro vt abstrahitur à creato, & increato sit genus, quantumuis prædicamenta eoinferiora dici soleant, & ex vero, suprema genera: à fortiori ergo genus esse poterit, ens creatum: tum, quia licet illud generis rationem non adipiscatur, at certe hoc eam poterit obtinere: nam ens, vt sic, & communissimè sumptum, vti dissecatur in substantiam, & accidens, ita etiam in creatum, & creationi minime obnoxium: sicut ergo, substantia sub eo immediate contenta est genus, quidni etiam ens creatum?

Ad postremum argumentum respondeo, indiuisibile in communi, haud esse genus respectu trium vulgarium: quamuis enim Conimbricenses, vbi suprà, ea in re dubios sese exhibeant, atque etiam in affirmatiuam partem, magis inclinent; quod tamen negatiua sit præferenda, mihi videtur longe probabilius; non ob rationem argumenti contrarij, cuius est præ manibus solutio: tum, quia album est genus, respectu huius, & illius albi, videlicet eius, quod est, vt octo, & eius, quod est, vt septem, ac cæterorum retro, vsque ad album vt vnum; si, quod est valde probabile, hi inferiores gradus specie dissident ac sunt dissimiles: & tamen ex eiusmodi albisaliud est magis album alio: tum, quia lux, & calor, habitus, & actus, intellectus, & intellectio inæqualiter participant, rationem qualitatis quantumuis genericam; hoc sensu, vt quamuis earum specierum vna fortasse non sit magis qualitas, quam alia, at certe ita, vt vna prius conceptum qualitatis sortiatur, & alia posterius, atque cum dependentia à priori: tum denique, quia etiam ens in communi, est, non solum vniuocum, sed etiam fortasse genus respectu substantiæ, & accidentis, Dei, & creaturarum, quantumlibet horum inferiorum alia aliis sint magis entia, & non solum hoc ex titulo, sed etiam ex alio, videlicet subordinationis, ac dependentiæ conceptum entis inæqualiter recipiant. Hæc ergo ratio cum nulla sit, quænam inquies est, ob quam indiuisibile non sit genus respectu trium supra memoratorum? 41

Ea quidem tradi potest, & me iudice facilis, nimirum hæc: quod punctum solum sit proprie, & simpliciter indiuisibile, & linea, ac superficies dumtaxat impropriæ, & secundum quid: vt docent multi graueque authores præsertim vero noster Fonseca lib. 5. metaph. cap. 13. quæst. 6. sect. 5. post medium: & quidem merito, negatio enim est malignantis naturæ, totumque tollit: quare, vt sit aliquid propria, & stricta ratione indiuisibile, haud satis est, vt versus vnam tantum dimensionem, nempe profunditatem, sit diuisionis expers, vti superficies; haud etiam sufficit, vt versus duas, scilicet profunditatem, & etiam latitudinem, vt linea; sed opus est, vt versus omnem, quo pacto se habet punctum: hoc ergo solum est proprie indiuisibile, vt dictum est, quippe in quo negatur, ac de medio tollitur omnis diuisibilitas: proinde respectu illius, & lineæ, ac superficiei non magis potest esse genus indiuisibile in communi, quam animal intuitu veri, & picti. 42

Quod autem obiiciunt Conimbricenses, quantitatem esse genus respectu huius, & illius, nimirum permanentis, & successiuæ; videri ergo comparatione inferiorum indiuisibilium esse similiter genus iudiuisibile in communi; hoc inquam parum facessit negotij: siquidem vtraque quantitas rationem quantitatis simpliciter, ac proprie vendicat, cum tamen indiuisibilia illa particularia communem indiuisibilis conceptum propria ratione non adipiscantur. Porrò, quamuis hac de causa indiuisibile non sit genus respectu trium, in quæ dissecari consueuit, haud propterea metus est, ne desit eis aliud genus, 43

aut

aut ne consequenter desinant illa esse species : namque respectu lineæ,& superficiei non minus , quam profunditatis quantitatem esse genus , ac verum prædicamentum suprà lib. 3. metaph. tract. 4. cap. 5. ostendendum est ex Aristotele , Suario , Auersa , & aliis aduersus Dominicum Sotum:Quidquid autem de hoc sit, sane *indiuisibile quadamtenus , siue versus aliquam partem* genus esse potest respectu illarum trium specierum,cum eis proprie,& strictè cõueniat.

TRACTATVS IV.

De indiuiduo speciei correlatiuo.

CAPVT I.

Quid sit indiuiduum.

1 IN primis indiuiduum definiri solet à scholasticis ex Porphyrio : *quod de vno solo prædicatur.* Quæ definitio,quantum opinor, quidditatiua non est : tum , quia prædicabilitas non est de essentia vniuersalis , vt sic,sicut ostensum est in tempore : multo ergo minus erit de essentia indiuidui latissime fusi : tum , quia veritas, seu cognoscibilitas est passio cuiusque entis à parte rei existentis, ac proinde indiuidui , cum nil non indiuiduum, & singulare existat ; at prædicabilitas est cognoscibilitas quædam : ergo prædicabilitas est passio indiuidui , & non essentia, ac per consequens indiuiduum vniuersim sumptum per prædicabilitatem essentialiter,& quidditatiue non definitur. Verum enim, si paulo arctius sumatur, ac provt est secundo intentionale, nihil prohibet,illud quidditatiuè definiri vti supra : qua ratione , licet non vniuersale in communi,at certè logicum,cuiusmodi est genus,species,&c.definitur quidditatiuè per hoc, quod possit prædicari de multis.

2 Porro autem superior definitio etiam intuitu indiuidui latissimè vsurpati vera est , illudque absque vlla falsitate saltem describit. Quamuis enim Auerroës , Sotus, Toletus , & alij contrarium censeant, moti authoritate Aristotelis, qui cap. de substantia indiuiduum de nullo prædicari docet ; verum facilè explicari potest de prædicatione scientifica, quæ vniuersalis esse debet , eo , quod scientiæ de vniuersalibus , non vero de singularibus sint, vt plurimum. Caietanus autem Aristotelem de prædicatione directa exponit , deque eius mente solum censet esse,fieri non posse, vt indiuiduum de aliquo prædicetur directè. Displicet tamen hæc expositio tanquam veritati parum consentanea : siquidem indiuidua incompleta de completis directa ratione prædicantur hunc in modum : Petrus est hic homo confusè cognitus : hoc animal ; hæc substantia. vt bene Hurtadus, & neoterici docent : vtque est per se manifestum. Affinis est superiori definitioni alia indinidui,à Porphyrio tradita, & à scholasticis communiter recepta, quæ ita se habet indiuiduum est, *quod speciei subiicitur* : ea autem , si sit indiuidui secundo intentionaliter sumpti (haud enim est minus secunda intentio rem subiici , quam prædicari) est vera,& quidditatiua,sin autem indiuidui latius sumpti,vera,sed non quidditatiua : vtrumque constat ex super dictis circa priorem definitionem.

3 Quartò igitur definiri solet indiuiduum , tum quidditatiuè , tum etiam ita , vt nullum non comprehendat:*quod est indiuisum in se,& diuisum à quolibet alio*:ita B.Thom.1.p.q.29. art.4. Posterior particula definitionem non ingreditur,sed eam à posteriori vt aiunt,magis illucescere facit ; siquidem sola indiuisio in se indiuiduum essentialiter constituit, & definit , & diuisio à quolibet alio indiuisionem rei in se,velut passio consequitur. Porrò , ne ita intellecta definitio , vndequaque proba apparet : nam species hominis v.g.non est indiuiduum,sed vniuersale quoddam:& tamẽ est indiuisa in se,cum species hominis diuidi nequeat in plures species humanas.

4 Respondent nonnulli primò,addita hac particula *vltima diuisione*:species autem hominis,esto in plures species hominis indiuidua sit , in plures tamen homines particulares diuidua est:quare non est indiuidua in se vltima diuisione. Verum nec Petrus, v.g. est indiuisus in se vltima diuisione, quia licet indiuiduus sit in plures Petros , diuiduus tamen est in formam,& materiam,& hæc vlterius in suas partes: perperam ergo adstruitur eius genij indiuisionem esse de ratione indiuidui,eique essentialem.Respondent alij secundò , superaddendam esse particulam, *eiusdem nominis,& rationis*,ita,vt indiuiduum sit,indiuisum in se,vtique per partes eiusdem nominis,& rationis cum toto , quo certè pacto Petrus in materiam , & formam minimè diuiditur. Cæterum difficultas adhuc manet insoluta : siquidem nec species hominis in plures species humanas diuidi sustinet, quantumuis in plures homines, quorum nemo species est dissecari queat:cur ergo species hominis quatenus talis non fiet indiuiduum.

5 Tandem alij respondent , addita particula *metaphysicè* ; vt indiuiduum sit,quod est indiuisum in se diuisione metaphysica : Petrus autem in materiam, & formam solum physicè diuidi potest , cum tamen species humana in diuersos homines metaphysicè (hac enim phrasi vtuntur ,) & velut totum potestatiuum, ac ratione nostra abstractum diuidatur. Contra tamen sic argumentor , ac ne ita difficultatem tolli suadeo : Petrus in hoc animal , & hoc rationale diuiditur , non physicè , sed metaphysicè, atque consideratione nostra : nihilominus est indiuiduum : hoc ergo per indiuisionem metaphysicam haud rectè explicatur.

6 Quocirca respondeo : speciem humanam esse indiuiduum , & simul rationem communem respectu diuersorum:sic idem est verum,& falsum, bonum,& malum intuitu diuersorum , vt suis locis constabit: est quidem indiuiduum species hominis respectu plurium specierum humanarum , in quas diuidi nequit:est verò communis, & vniuersalis ratio intuitu Petri & Pauli,de quibus , secundum quod importat in recto prædicari , & in quos ita sumpta scindi potest. Eadem ratione Petrus est indiuiduum contemplatione huius, & illius Petri in quos diuidi nequit: & non est indiuiduum comparatione materiæ , & formæ , in quas fas est eum dissecari. Proinde diuisio , quam definitio indiuidui negat vniuersaliter sumi potest,ac debet , nec ad physicam magis , quam ad metaphysicam , neque ad eiusdem magis , quam diuersæ rationis diuisionem est coarctanda. Vel si mauis dic indiuiduum esse indiuisum in se diuisione vniuersali : qua ratione omnia rectè sibi cohærebunt.

7 Quod toto hoc cap.diximus , indiuiduum haud semel, sed iterum, atque iterum posse definiri quidditatiuè,id intelligi non potest de quidditate logica, physica , aut metaphysica. Quidditas enim , siue

primo

primo modo, siue secundo, siue tertio sumatur, propria est solius rationis communis: quare non poterit indiuiduo conuenire: quippe cuius non est possibilis ratio communis & abstracta, vt patebit inferius. Quocirca id tantum hactenus voluimus, indiuiduum definiri posse quidditatiuè indoctrinaliter: quod namque quidditas indoctrinalis conuenire possit rei singulari, ostensum est à nobis supra c. vltimo tract. præcedentis.

CAPVT II.

Expenditur alia definitio indiuidui.

7 ALia definitio indiuidui communiter circumferri solet: nimirum cuius collectio proprietatum in nullo alio reperitur. Huiusmodi autem proprietates in indiuiduis speciei humanæ, quæ quidem sensibilibus, & corporeis omnibus dignitate præstant, potissimè sunt septem; his versiculis commoditatis gratia comprehensæ.

Forma, figura locus, tempus cum nomine sanguis,
Patria sunt septem, quæ non habet vnus, & alter.

Forma solet homines disseparare propterea, quod alter sit, v.g. simus, alter nasutus, alter albus, alter fuscus, alter pulcher, alter deformis, &c. figura, eo, quod alter sit Magnus, alter paruus, alter quadratus quodammodo, qualem olim ferunt fuisse Magnum Alexandrum, alter oblongus, &c. Locus, propterea ea quod vnus hic, alter habitet alibi. Tempus propterea quod vnus heri, & alter hodie, vnusve hoc anno, & alter multis ante sit natus. Nomen, eo quod vnius sit Ignatius, & alterius sit Franciscus. Sanguis, eo quod alter his parentibus, alter vero aliis sit genitus. Patria, propterea quod eorum vnus sit v.g. Hispanus, alter vero Gallus, aut Hibernus. Sub forma, & figura comprehenditur cuiusque indoles, quippe cuius ambæ solent esse indicia.

8 Superior definitio quidditatiua certe non est, eo quod pro priori ad proprietates accidentarias per hæcceitatem intrinsecam, & essentialem quæuis res sit indiuidua, & singularis: proinde non magis quidditatiuè definitur indiuiduum per collectionem proprietatum sibi peculiarem, quam homo per risibilitatem, pro priori ad quam est homo. Maior est controuersia an ea definitio sit vera, & nusquam falsitati obnoxia? Negant Arriaga disp. 7. log. sect. 4. subsect. 1. Raphaël de Auersa quæst. 9. log. sect. 4. paulo ante medium. In eadem sententia fuit olim Democritus, & alij apud Ciceronem lib. 1. Academicarum quæstionum, qui inscribitur Lucullus post eius medium: *Stoicum* (inquiunt ibi) *est quidem, nec admodum credibile, nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum granum.* Et paulo post: *sed si hominum similitudo tanta esse non potest, ne signorum quidem? Dic mihi, Lysippus, eodem aere, eadem temperatione, eodem cœlo, aqua, cæteris omnibus centum Alexandros eiusdem modi facere non possit? qua igitur notione discernere? Quid, si in eiusmodi cera centum sigilla hoc annulo impressero, ecquæ poterit in agnoscendo esse distinctio?* Aliqui etiam neoterici graues, qui nondum prælo sua scripta dedere ei definitioni multis in indiuiduis de facto, vt aiunt, atque in non paucis de possibili falsum subesse existimant.

9 Porro autem hi authores concedunt, minus contingere posse in hominibus, vt omnia eorum accidentia sint eadem, quam in aliis animantibus, aut rebus inanimis. Et quidem merito: namque, vt ait Plinius lib. 7. natural. hist. cap. 12. *Similitudinum quidem in mente reputatio est, & in qua credantur multa fortuita pollere visus, auditus, memoria, Hausteque imagines sub ipso conceptu. Cogitatio etiam vtriuslibet animum subito transuolans, effingere similitudinem, aut miscere existimatur. Ideoque plures in homine, quam in cæteris omnibus animalibus differentiæ; quoniam velocitas cognitionum, animique celeritas & ingenij varietas multiformes notas imprimit; cum cæteris animalibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulisque in suo genere.* Quamuis autem hæc ita se habeant in hominibus; verum inquiunt, quæ ab eis, & alias res parilitas esse potest. Cur duo vermes eiusdem coloris, formæque, & figuræ eodem loci, ac temporis, & ex eadem telluris putrefactione prognati, vtque eiusdem naturæ, sic etiam eiusdem nominis, & quo ad cæteras omnes proprietates, inuicem similes esse nequeant? Rursus, quidquid sit de animantibus; quid est, quapropter duæ partes aquæ, aut ligni, duove lapilli cunctis accidentibus, multoties non consentiant? Hanc rerum inanimatarum similitudinem accidentariam, omnis expertem similitudinis belle expressit Plautus in Menæhmo act. 5. scen. 9.

Nec aqua aquæ, nec lac lacti, credes mihi vsquam similius,
Quam hic tui est, tuque huius.

Opponunt secundo aduersarij: tametsi nulli fuerint 10
homines, in quibus proprietatum suprà memoratarum, non esset aliqua diuersitas; quis enim vt ait Arriaga, *vnquam vidit duos homines, eiusdem omnino ætatis, iisdem parentibus, eodem loco natos, eiusdem altitudinis, nominis, faciei, ingenij, & indolis, ita, vt nullum esset vestigium, quo dignosci posset inter illos?* Cæterum posse accidere in hominibus quibusdam, tantam accidentium consensionem, vt penes nullum differant. Etenim multoties contigit, vt duo homines eiusdem essent formæ, ac figuræ quin alter ab altero posset discerni: talesque certe quales fuisse duos Lari filios cecinit Maro lib. 10. Æneid.

Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in aruis
Daucia, Laridæ, Tymberque simillima proles.
Indiscreta suis, gratusque parentibus error.

Aut quales Lycormam, & Eurymedonta Silius libro 2.

Vos etiam primo gemini cecidistis in æuo
Eurymedon fratrem, & fratrem mentite Lycorma.
Cuncta pares, dulcisque labor sua nomina natis
Reddere, & in vultu genitrici hærere suorum.

Aut quales vtrumque Castora Claudianus in quarto consulatu Honorij.

Haud aliter summo gemini cum patre Lacones,
Progenies Ledæa, sedent: in vtroque relucet
Frater, vtroque soror: similis Chlamys effluit auro,
Stellati pariter crines: Iuuat ipse Tonantem
Error, & ambiguæ placet ignorantia matri:
Eurotas proprios discernere nescit alumnos,

Aut quales Plautus comœdia superius citata in prologo Menæhmum, & Solidem.

Mercator quidem fuit Syracusis senex.
Ei sunt nati filij duo gemini.
Ita simili forma pueri, vt mater sua
Non internosse posset, quæ mammam dabat:
Neque adeò mater ipsa, quæ illos pepererat.

Eiusmodi certè quales Poëtæ passim describunt, videlicet

videlicet lineamentis oris, & omnium membrorum compares fuisse refert Valerius lib. 9. cap. 12. Strabonem Pompeium Magni patrem, & Menogenem eius coquum, à quo etiam dictus est Strabo: Cornelium Scipionem nobilem Romanum, & Serapionem Victimarium; Metellum, ac Lentulum in consulatu collegas; & duos histriones: item Antiochum Regem à Laodice vxore interfectum, & Artenionem quendam Hibræam clarum oratorem, & seruum tapetas in scena colligentem. Præter hos autem, & alios, quos memorat Valerius, aliorum facit mentionem Plinius lib. 7. histor. natural. cap. 12. Quæ cum ita sint, negari non posse videtur, quin duo homines queant omnimodis esse similes inuicem. Siquidem, vt ex adductis liquet exemplis, oris, & corporis habitus in eis potest esse prorsus idem: hac autem dissimilitudine sublata, quæ quidem cæteris tolli difficilior est, cur nam aliæ haud adeo necessariæ nequeant abigi, & cum similitudinibus contrariis commutari? aut quid est, quapropter concordi prorsus forma, ac figura præditi non possint eodem tempore nasci, eodem loco commorari, eodem nomine vocari, ad eosdem parentes genus suum referre, idemque natale solum vendicare? Nihil ergo prohibet, illos similitudinem integram, & numeris omnibus absolutam sortiri.

11 Tandem arguunt tertiò aduersarij, atque à rebus visibilibus ad inuisibiles, & incorporeas appellant. Cur enim inquiunt duo Angeli infra eandem speciem atomam non sint vndequaque similes? haud namque, nostrum instar, eos potest disseparare forma, & figura, quarum videlicet sunt expertes: haud color, & complexio, eadem de causa: haud locus, cum possint ex natura rei, & citra miraculum penetrari: haud tempus, quippe quos Deus initio temporis simul condidit: haud nomen, nullum enim eis est inditum: haud genus, vt pote quod ducunt à solo Deo: haud denique patria, quibus nimirum vna cælum est: Ecque ergo in eis diuersitas accidentium, aut proprietatum cogitari potest?

12 Cæterum multis partibus probabilius arbitror definitionem illam esse vniuersim veram, & nunquam, ac nusquam falsitati subiectam. Ita Porphyrius in præsenti cap. de specie: *indiuidua*, inquiens, *ex eo igitur talia dicuntur, quia ex proprietatibus quidque constat, quarum idem aggregatum nunquam in alio fiet: Socratis namque proprietates nullo in alio particulari eadem fient.* B. Thomas 1. part. quæst. 3. art. 3. & quodlib. 2. art. 4. Caietanus de ente, & essentia cap. 2. quæst. 5. Iauellus 5. metaph. quæst. 15. & communiter alij Thomistæ. Item Albertus, Alensis, Ægidius, Richardus de Media-Villa: neque non cum Scoto, & Okamo vtriusque assecl æ. Rursus ex nostris Conimbricenses cap. 2. de specie quæst. 3. art. 1. Hurtadus disp. 5 log. sect. 5. Tellez disput. 6. log. sect. 4. ac tantum non cæteri omnes.

13 Patrocinatur etiam Damascenus in dialect. c. 4. *impossibile est enim inueniri duo aliqua non differentia inter se secundum aliquid.* Et cap. 5. *propria autem differentia est inseparabile accidens: puta est quis simus, impossibile est separari ab ipso similitatem, similiter & glaucitatem, & alia: Secundum hæc igitur inseparabilia accidentia indiuiduum ab indiuiduo, id est hypostasis ab hypostasi differt:* Et c. 11. *Fieri non potest, vt duæ hypostases non differant accidentibus, & numero: Oportet autem cognoscere, quod characteristicæ proprietates accidentia sunt indiuiduantes hypostasim.* Et cap. 21. *numero autem differunt quæcunque complexione accidentium proprietatem propriæ hypostaseos separatam habent, & eam, quæ secundum ipsam habuerunt existentiam, id est indiuidua, vt Petrus, & Paulus, & vnusquisque hominum.* Ac denique lib. primar. institut. cap. 3. & 4. *inter vnum, & alterum hominem hoc interest, quod hic longus, ille breuis: hic albus, ille ater: hic valet, ille ægrotat: hic pater est, ille filius.* Consentiunt Nyssenus in lib. de differ. essentiæ, & hypost. Boetius lib. 1. de Trinit. cap. 1. Basilius in epist. de differentia naturæ, & hypostaseos, atque, vt alios Patres prætermittam, Anselmus de incarn. Verbi cap. 5. *Diuersarum vero personarum impossibile est eandem esse proprietatum collectionem, aut de inuicem eas prædicari: nam, & Petri, & Pauli non est eadem proprietatum collectio: & Petrus non dicitur Paulus, nec Paulus Petrus.*

In eadem sententia est Fabius lib. 10. cap. 2. *Tantam enim difficultatem habet similitudo, vt ne ipsa quidem natura in hoc ita eualuerit, vt non res, quæ simillimæ videntur, vtique discrimine aliquo discernantur.* Et declamat. 8. *Nihil in rebus humanis voluit esse rerum natura tam simile, quod non aliqua proprietate secerneret.* Et Seneca epist. 113. his verbis, *circumspice omnia corpora, nulli non, & color proprius est, & figura sua, & magnitudo. Inter cetera, propter quæ mirabile diuini artificis ingenium est, hoc quoque existimo, quod in tanta copia rerum nunquam in idem incidit: etiam quæ similia videntur, cum contuleris, diuersa sunt: tot facit genera, filiorum, nullum non sua proprietate signatum: tot animalia, nulli similitudo cum altero conuenit, vtique aliquid interest: exegit à se, vt quæ alia erant, & dissimilia, essent & imparia.* 14

Cicero etiam citato lib. primo Academ. quæstionum longam texit pro nostra sententia disceptationem. *Cur potius id contenditis, quod rerum natura non patitur, vt non suo quodque genere sit tale, quale est? nec sit in duobus, aut pluribus nulla re differens vlla communitas?* vt sibi sint & oua ouorum, & apes apum simillimæ. Quid pugnas igitur? aut quid tibi vis in geminis? conceditur enim similes esse, quo contentus esse potueras: tu autem vis eosdem esse planè non similes, quod fieri nullo modo potest. Deinde confugis ad physicos, eos, qui maxime in academia irridentur: à quibus, nè tu quidem iam te abstinebis: & ais Democritum dicere innumerabiles esse mundos, & quidem sic quosdam inter se se, non solum similes, sed vndique perfectè, & absolutè ita pares, vt inter eos nihil prorsus intersit, & eo quidem innumerabiles: itemque homines. Deinde postulas, vt si mundus ita sit par alteri mundo, vt inter eos ne minimū quidem intersit, concedatur tibi, vt in hoc quoque nostro mundo aliquid alicui sic par sit, vt nihil differat, nihil intersit. Cur enim, inquies, cum ex illis indiuiduis, vnde omnia Democritus gigni affirmat in reliquis mundis, & in his quidem innumerabilibus innumerabiles Q. Lutatij Catuli non modo possint esse, sed etiam sint, in hoc tanto mundo Catulus alter non possit effici? Primum quidem me ad Democritum vocas, cui non assentior: potiusque refellam propter id, quod dilucide docetur à politioribus physicis singularum rerum singulas proprietates esse. Fac enim antiquos illos Seruilios, qui gemini fuerūt tam similes, quam dicuntur: num censes etiam eosdem fuisse? non cognoscebantur foris; at domi: non ab alienis; at à suis: An *videmus hoc vsuenire, vt quos nunquam putassemus à nobis internosci posse, eos consuetudine adhibita, tam facile internosceremus, vti ne minimum quidē similes esse viderentur.* 15

Et ibidem paulo infra subiungit, *ad similitudines istas vsus adhibendus est: vt mater geminos internoscit consuetudine oculorum, sic tu internosces, si assueueris. Videsne, vt in prouerbio sit ouorum inter se similitudo? tamen hoc accepimus Deli fuisse complures saluis rebus illis, qui gallinas alere permultas, quæstus causa, solerent: hi cum ouum inspexerant, quæ id gallina peperisset dicere solebant.* Hactenus ille.

16 Sententia nostra hucusque auctoritate probata suadetur iam ratione, eaque breui, sed nisi fallor, satis efficaci: Nullum indiuiduum est, quod ab alio solo numero distincto diuersas specie logica vbicationes, durationes, & actiones non sortiatur, actiones inquam, seu quibus à suis potest egredi causis, seu quibus suos potest producere effectus: omne igitur indiuiduum eiusmodi est, cuius collectio proprietatum in nullo alio reperitur: consequentia est perspicua: antecedens etiam ex iis, quæ dicta sunt tract. præcedenti cap. 1. obiectione sexta, eiusque solutione. Et quidem huiusmodi proprietates, quæ ne metaphysicè quidem, ac de potentia, vt aiunt, absoluta possunt non esse diuersæ, in quibusuis indiuiduis, reduci queunt, ad eas, quarum facta fuit mentio huius initio capitis, & quæ comprehendi solent versibus illic positis, nimirum si nomine loci intelligantur vbicationes, temporis durationes, & sanguinis, vel originis actiones, seu quibus res producitur, seu per quas producit.

17 Hinc facilis est solutio rationum, quæ contra sunt obiectæ. Ad primam dicendum est, rerum inanimatarum, necnon animantium rationis vsu carentium, durationes tamen, actiones, & vbications esse distinctas, ac specie logica diuersas, quod satis, superque est, vt in eis collectio proprietatum, non sit prorsus eadem. Alia, eiusdem difficultatis solutio colligi potest, ex adductis nuper è Cicerone, necnon ex mox dicendis. Ad secundam rationem contrariam eodemmodo respondendum est, homines quantumlibet habitu oris, totiusque corporis sint similes, tamen fieri non posse, etiam diuinitus, quin illorum accidentia, quibus, vel sunt in loco, vel in tempore, aut à suis oriuntur causis, suosve producunt effectus, sint specie logica dissimilia inuicem.

18 Deinde verisimilius est, in quibusuis hominibus, quantumuis eiusdem appareant formæ, & figuræ, semper vtraque tenus aliquas esse dissimilitudines, & quod inde consequens est, non paucas penes indolem animorum, ac mores. Ita Cicero lib. 1. de offic. in hæc verba: *vt enim in corporibus magnæ dissimilitudines sunt (alios enim videmas velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere) itemque in formis aliis dignitatem ineſſe aliis venustatem; sic & in animis existunt etiam maiores varietates.* Plinius, lib. 7. cap. 1. *in facie*, inquit, *vultuque nostro cum sint decem, aut paulo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiscretas effigies existere; quod ars nulla in paucis numero præstet affectando.* Et eodem lib. cap. 12. *Magno* inquit, *Pompeio Vibius quidam è plebe, & Publicius etiam seruitute liberatus indiscreta prope specie fuere similes, illud os probum reddentes, ipsumque honorem eximiæ frontis.* Vbi pende vocula, *prope*, quasi iuxta Plinium illa similitudo, qua in antiquorum historiis nulla decantatior, magna quidem esset, non tamen omnibus numeris absoluta neque in nulla re differens. Consentit Philo in lib. de temulent. *natura*, inquiens, *in geminis sæpè eodem vsa charactere pene indiscretas similitudines expressit.* Eodem etiam libro sic ait: *homines immane quantum in rebus omnibus inter se differunt: qui non modo aliàs aliter de iisdem iudicant, sed & alij aliter, dum iisdem quidam delectantur, quidam offenduntur: nam quæ his probantur, aliis displicent: quæ hi vltro accersunt, vt domestica, alij procul in malam rem profligant vt alienissima.*

Accedunt Eusebius lib. 6. præparat. cap. 8. *non enim vnus cibus omnibus est, sed alij, sicut leones, nutriuntur, alij, sicut oues. Non est vnus vniuersim vestitus, non mos, non lex, non vnus viuendi modus, non simplex rerum cupiditas.* Et paucis intercisis. *Multi hominum, ac maximè Alaneorum gentis, quasi atroces bestiæ carnibus aluntur, panem non comedunt, non quia non habent, sed quia nolunt. Nonnulli carnes omnino fastidiunt: alij pisces solum modo edunt: nonnulli, etiamsi fame morerentur, pisces non essent. Alij aquam, alij vinum, alij ceruisiam bibunt. Adeo multiplex, atque diuersa cibi, & potus in hominibus est differentia, vt in oleribus quoque comedendis conuenire non videantur. Sunt etiam, qui veluti scorpiones, aut aspides non læsi iniuriantur. Et qui non iniuriantur quidem, sed læsi propulsant iniuriam. Nonnulli tanquam lupi rapiunt, & sicut catæ furantur. Alij tanquam oues sic omnia ferunt, vt etiam iniuria vexati perpetiantur.* Necnon Stobæus serm. 2. *Cur Prometheus, quem dicunt nos formasse, reliquaque omnia animalia, brutis quidem dedit singulis pro suo genere vnam naturam? Omnes leones sunt robusti; timidi contra omnes ex ordine lepores. Non est vulpes, alia quidem vafra, & dissimulatrix sua natura, alia vero sui cuiusdam, & peculiaris ingeny. Verum si triginta millia vulpium quis congreget, vnam naturam omnibus cernet ineſſe, modumque vitæ, & tenorem parem. Nostrum autem quot corpora numero, totidem est, & vitæ rationes cernere.* 19

Quæ autem ex Poëtis adducta sunt, haud vrgent: nam vt eorum quidam ait in arte Poëtica, pictoribus, atque poëtis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Præterquam quod illorum non pauci nostram de dissimilitudine hominum, quoad oris, & corporis lineamenta supponant: inprimis vero Persius satyra 5. 20

Mille hominum species, & rerum discolor vsus.

Et Ouidius lib. 2. Metamorph.

Facies non omnibus vna est,
Nec diuersa tamen, qualem decet esse sororum.

Atque Manilius lib. 4. astronomici cap. 1.

Cuius signi quis parte creatur,
Eius habet mores, atque illo nascitur astro.
Talis per denas sortis natura feretur
Testis erit varius sub eodem sydere fœtus,
Quodque in tam multis animantum millibus vno,
Quæ veniunt signo, tot sunt, quot corpora mores,
Et genus externum referunt aliena per astra,
Confusique fluunt partus hominum, atque ferarum,
Scilicet in partis iunguntur condita pluris,
Diuersasque ferunt proprio sub nomine leges.

Ad tertiam rationem contrariam dicendum est; 21 præterquam quod multi Thomistæ renuant Angelos infrà eamdem speciem atomam posse plurificari; sanè quanquam eiusmodi admittantur, aut actu existentes, aut certe possibiles, nihilominus possunt, ac debent accidentium non paucorum diuersitate separari; eorum videlicet, quibus sint in tempore, ac loco, aut causas, effectusve suos intuentur.

CAPVT

CAPVT III.

An detur ratio communis indiuidui?

22 DAri negant Albertus Magnus, & Louanienſes cap. de ſpecie. Item Martinez eodem cap. de ſpecie quæſt. 3. Scot. in 1. diſtinct. 23. quæſt. 1. Gab. ibid quæſt. vnica dub 1. & in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. Aureolus diſtinct. 23. & 25. Necnon Caietanus, Sotus, ac plures alij Thomiſtæ. Item ex noſtris Cardinal. Toletus capite de ſpecie, Fonſeca 5. metaph. cap. 6. quæſt. 5. ſect. 4. & cap. 28. quæſt. 11. ſect. 3. Molina 1. part. quæſt. 29. art. 1. diſput. 3. §. *confirmari etiam poteſt*, Vaſquez, & alij, quibus libenter ſubſcribo. Namque ratio illa communis indiuidui eſſet, & non eſſet indiuiduum: conſequens eſt abſurdum: ergo & illud ex quo ſequitur. Rationem illam non fore indiuiduum, ſuadetur: tum, quia indiuiduum eſt, quod de vno ſolo prædicatur, at illa ratio communis non prædicaretur de vno ſolo, ſed de pluribus inferioribus, ſi daretur: haud ergo eſſet indiuiduum: tum, quia commune, & ſingulare opponuntur ſaltem reſpectu eiuſdem, at ea ratio abſtracta communis eſſet: non ergo quid ſingulare, & indiuiduum.

23 Deinde rationem illam futuram eſſe indiuiduum, æque facile poteſt euinci: primo, quoniam ratio illa communis indiuidui de vno ſolo prædicaretur: ergo eſſet indiuiduum: conſequentia eſt perſpicua: probatur antecedens, quia cum definitur indiuiduum *quod de vno ſolo prædicatur*, ea definitio more cæterarum ſuo conuenit definito: ſed definitum eius definitionis eſt ratio illa communis, ſi forte poſſibilis eſt: ergo ratio illa communis indiuidui, vbi ſemel admittatur, neceſſaria ratione debet de vno ſolo prædicari maior apud omnes eſt in confeſſo: minor etiam; eaque, ſi negetur, facile ſuaderi poteſt aliarum exemplo definitionum, quibus nimirum omnibus id vniuerſale eſt, vt rationes communes, quandocunque hæ abſtrahi poſſunt à ſingularibus explicent: quo pacto definitio hominis, vt ſic huic ſoli, non autem Petro, vel Paulo tanquam definito conuenit. Secundo, quoniam ſi ratio illa communis indiuiduum non eſſet, ſane ratio indiuidui abſtracta non foret ratio communis indiuidui, ſed alia ratio longe diuerſa: quemadmodum ſi ratio à Petro, v. g. & Paulo abſtracta nequaquam eſſet homo, abſtrahi non poſſet ab eis ratio communis hominis.

24 Huic argumento nonnulli primò reſpondent, rationem illam communem non eſſe indiuiduum, ſed rationem duntaxat vniuerſalem: Primam autem, & communem probationem oppoſitam eludere ſibi videntur aſſerendo, definitionem indiuidui conuenire indiuiduo vt ſic, non formaliter ſumpto, ſed ſolum fundamentaliter. Contra tamen, quia indiuiduum fundamentaliter ſumptum ſunt plura indiuidua: at hæc, non de vno ſolo prædicantur, ſed de pluribus: ergo indiuiduo fundamentaliter ſumpto, neutiquam ea definitio conuenit.

25 Quamobrem ei ſolutioni quidam ingenioſi recentiores addunt particulam, *diuiſiue*; quaſi ſupradicta definitio competat indiuiduo fundamentaliter diuiſiue ſumpto. Sed contra etiam, quia indiuiduum fundamentaliter diuiſiue ſumptum, eſt hoc, vel illud indiuiduum diuiſiue ſumptum: at hoc, aut illud indiuiduum de pluribus ſaltem diuiſiue prædicari poteſt: haud ergo prædicari de vno ſolo congruit indiuiduo fundamentaliter diuiſiue ſumpto. Confirmatur, quia in omni definitione definitum ſupponit ſimpliciter, & pro ſuo immediato, ac formali ſignificato, non vero perſonaliter, & pro ſuo mediato, & fundamentali ſignificato, aliàs in hac definitione; *homo eſt animal rationale*; homo ſimpliciter, & pro immediato, & formali ſignificatio, minimè ſupponeret: igitur etiam in definitione indiuidui, indiuiduum pro mediato, & fundamentali ſignificato, ſeu perſonaliter non ſupponit.

26 Ad ſecundam rationem, quam nos oppoſuimus, non video quid aduerſarij reſpondere poſſint, niſi fortè rationem illam abſtractam eſſe indiuiduum in actu ſignato, non verò in actu exercito. Cæterum hæc ſolutio largitur intentum, & non tam rationem communem indiuidui, quam nomen commune indiuidui adſtruit, cum actus ſignatus ad nomen, exercitus ad rem ipſam pertineat. Et certè eo pacto canis v.g. in actu ſignato ad ſydereum, æquoreum, ac latrabilem, dici poſſet ratio communis.

27 Rurſus ſecundo reſpondent alij, rationem illam abſtractam eſſe indiuiduum. Ad primam autem rationem oppoſitam dicunt, indiuiduum in communi, provt eſt à parte rei, non prædicari de pluribus, ſed de vno ſolo, tametſi provt actui intellectus ſubeſt, de pluribus prædicetur: illud autem prius ſufficere, vt ea ratio communis, dici debeat indiuiduum. Ad ſecundam, rationem illam communem ſumptam à parte rei eſſe indiuiduum, & ſumptam per intellectum eſſe rationem communem: nihil autem eſſe incommodi in eo, quod, idem diuerſimodè ſit indiuiduum, & ratio communis: indiuiduum eſſentialiter, & intrinſece; ratio communis, & vniuerſalis accidentaliter, & extrinſece.

28 Cæterum hæc ſolutio non ſatisfacit. Primum, quia ratio illa communis indiuidui à parte rei ſumpta eſt collectio omnium indiuiduorum: aſt ea collectio non eſt indiuiduum, ſiquidem collectio eſt pluralitas, ſeu multitudo, indiuiduum autem vnum eſt, porrò vnum, & multa opponuntur, nec multa vnum eâdem ratione eſſe poſſunt: collectio igitur indiuiduorum indiuiduum eſſe aut dici nequit: quod ſi collectionem illam diuiſiue ſumptam indiuiduum eſſe aſſerant, eodem modo, quo auctores primæ ſolutionis oppugnari poſſunt. Secundo diſplicet ea ſolutio, quia, ſi ratio illa communis indiuidui accidentaliter ſumpta, & in ſtatu abſtractionis indiuiduum non eſt, certe non tam ratio indiuidui, quam alia longè diuerſa communis erit huic, & illi indiuiduo: quo pacto, ſi homo, vt ſic, & in ſtatu abſtractionis neutiquam eſſet homo, ſane ratio communis hominis nulla daretur, vti ſuprà arguebamus.

29 Secundum argumentum pro ea ſententia eſto. Si ratio communis indiuidui ab hoc, & illo abſtrahi poſſet indiuiduo, conceptus vltimus indiuidui, ſiuè hæcceitas non eſſet indiuiduatio: conſequens eſt adeo manifeſtè abſurdum, vt nihil ſuprà. Sequela vero in hunc modum probatur: conceptus vltimus indiuidui, v. g. Petri virtualiter diſtinguitur ab indiuiduatione; conceptus igitur vltimus indiuidui, ſiue hæcceitas nequaquam eſt indiuiduatio: conſequentia haud videtur poſſe in controuerſiam reuocari: ſuadetur antecedens: diſtinctio virtualis intrinſeca formalitatum eſt fundamentum abſtractionis, per quam altera formalitas abſtrahitur ab altera: ſed indiuiduatio vt ſic à conceptu vltimo Petri, & conceptu vltimo Pauli, ſiue ab hæcceitate vnius, & hæcceitate alterius abſtrahitur: iam igitur conceptus vltimus indiuidui, ſiue hæcceitas virtualiter intrinſece ab indiuiduatione diſtinguitur,

ac proinde formalissime indiuiduatio non erit, quo tamen, vt dictum est, nihil dici potest absurdius.

30 Huic argumento respondent obiectiuè præscindentes, conceptum vltimum indiuidui, siue hæcceitatem Petri, v. g. virtualiter inadæquate ab indiuiduatione distingui, ac proinde formaliter, seu quidditatiue indiuiduationem esse posse, haud secus, ac homo est formaliter rationalis, esto à rationali sit virtualiter inadæquate distinctus. At male, quia omnis distinctio virtualis inadæquata duorum est cum distinctione adæquata aliquorum coniuncta, vt vel exemplo conspicuum est adducto: siquidem homo inadæquate à rationali distinguitur, eo quod animalitatem ab eo adæquate distinctam includat; at in conceptu vltimo Petri nihil est adæquate ab indiuiduatione distinctum, aliàs ille vltimus non foret, quippe qui in alium conceptum partialem ab indiuiduatione adæquate distinctum posset vlterius resolui.

31 In sententia verò negante præcisiones obiectiuas, in qua eodem modo procedit argumentum factum, ei respondeti consueuit, Petreitatem à qua indiuiduatio abstrahitur, ab ea inadæquate distingui propterea quod ratione nostra indiuiduatio sit penes omnia, quæ formaliter vt est Petreitas includit, cum tamen è conuerso indiuiduatio vt sic non sit formaliter Petreitas: cuius ratio est, quia indiuiduatio vt sic sine Petreitate concipi potest, non è conuerso, in quo nullam est cernere repugnantiam: proinde conceptus vltimus indiuidui Petreitas, v. g. est formalissime indiuiduatio, quantumuis ab ea hæc abstrahatur. Cæterum hæc solutio haud est solidior priori. Displicet ergo, tum, quia eius authores inconsequenter loquuntur, sibique non satis cohærent, cum paulo suprà rationem illam communem indiuidui indiuiduationem esse negarint, modo verò eam esse indiuiduationem admittant. Tum secundo, quia distinctionem rationis obtrudunt non mutuam, quæ tamen haud minus repugnat, quam distinctio realis irreciproca, atque in contrarium non recurrens, iuxtà dicenda à nobis in Metaph. l. 5. tr. 1. c. 5. & aliis.

32 Tertio respondebit fortasse aliquis, conceptum vltimum Petri, v. g. esse indiuiduationem, & aliquid aliud, & hoc aliud esse indiuiduationem, & insuper aliud; & rursus istud aliud esse indiuiduationem, & præterea aliud; atque ita sine termino: hoc autem sufficere, vt indiuiduatio possit abstrahi; quo pacto dicemus in Metaph. citato libro quinto tract. 1. cap. 10. & 11. quamlibet differentiam esse ens, & aliud ab ente sine fine; atque id esse satis, vt ab omnibus abstrahatur ratio entis. Verum etsi ea doctrina enti applicata, haud sit improbabilis, huic tamen instituto, in quo versamur nescio quomodo possit ita accomodari, vt verisimilitudinem præseferat aliquam: quæro enim, vt potest esse conceptus vltimus, qui semper est resolubilis in alium vlteriorem? quamobrem, vti in primo inferebatur argumento, contra auctores diuersæ sententiæ indiuiduationem, si posset abstrahi, fore indiuiduationem, & simul eam non fore; ita hic licet inferre, aduersus eos, quibus præsens fortasse solutio placebit, conceptum vltimum Petri v. g. fore, ac non fore vltimum: fore quia id supponitur, non fore ob causam iamiam insinuatam. Adiicio argumentum factum hac postrema solutione non obstante, saltem habere vim ad homines, vt aiunt, essque ad minimum efficax aduersus eos, qui transcendentiam entis, & indiuidui negant, necnon eos, qui formalitatum infinitatem reiiciunt.

Tertium nostræ sententiæ firmamentum esto. Si daretur ratio communis indiuidui, sequeretur processus in infinitum: namque ratio illa communis est indiuiduum, & cum inferioribus in ratione indiuidui conueniet: erit ergo, vt ab ea, & inferioribus, secunda ratio communis indiuidui possit abstrahi: quæ cum sit etiam indiuiduum, cum suis inferioribus, in ratione indiuidui conuenit, & sic tertia ratio communis indiuidui poterit abstrahi; & ab hac iterum quarta, & sic in infinitum: rationem autem communem indiuidui indiuiduum esse ex dictis est perspicuum. 33

Respondent obiectiue præscindentes; sicut ex hac humanitate, & humanitate in communi non abstrahitur alia humanitas, alioqui fieret, vt in omni abstractione sine fine abiremus; ita similiter non esse cur ab hac indiuiduatione, & indiuiduatione vt sic, alia abstrahatur indiuiduatio. Sed hæc solutio non eleuat argumenti difficultatem: quia humanitas quatenus hæc est, siue hæcceitas humanitatis non est formaliter humanitas: vnde non mirum, quod ab humanitate vt sic, & hac humanitate, qua tali, siue hæcceitate nequaquam abstrahi possit alia humanitas: ast ratio illa communis indiuidui formaliter est indiuiduatio, & hæc indiuiduatio, siue hæcceitas est formaliter indiuiduatio: ergo ab vtraque secunda indiuiduatio in communi, & tertia, & sine fine vlterior abstrahi poterit, quantumuis ab humanitate vt sic, & Petreitate alia humanitas vt sic abstrahi nequeat, propter id nimirum, quod humanitas vt sic, & Petreitas in humanitate non conueniunt. 34

Respondent secundò non præscindentes obiectiue; indiuiduationem vt sic ex parte obiecti non distingui: proinde rationem communem, & vniuersalem indiuiduationis ab vtraque abstrahi non posse, cum omne vniuersale plura inter se distincta pro fundamento postulet. Contrà tamen, quoniam à formalitatibus ratione distinctis, siue ea ratio sit obiectiua, siue formalis vniuersale abstrahi potest, vt ostensum est in principio libri præcedentis: at indiuiduatio vt sic, & talis indiuiduatio quatenus talis distinguuntur quodammodo ratione; alioqui quo pacto fieri posset alterius ab altera abstractio? ab vtraque ergo abstrahetur tertia indiuiduatio vt sic, & ab hac rursus quarta, & sic vltra. 35

Tertio non deerit, qui fortasse respondeat, haud repugnare infinitatem formalitatum virtualiter distinctarum, vt vel à nobis concedetur in Metaph. lib. 2. & lib. 5. cum erit in altero sermo de distinctione virtuali, & in altero de transcendentia entis. Cur ergo repugnet in præsenti infinitas abstractionum: aut, quod perinde est, quid est, quapropter non possint dari infinitæ indiuiduationes communes, quarum aliæ sint superiores aliis, & quæ velut hydræ capita denuo semper pullulent? Quominus tamen hæc solutio placeat in causa est, indiuiduationem in communi primò abstractam continere sub se omnes: quî ergo fieri potest, vt suprà eam sit, non solum alia quædam indiuiduatio in communi, sed quod omnem superat fidem, infinitæ. Vnde vti in primo disputabamus argumento prima ratio communis indiuidui erit, & non erit indiuiduatio in communi: erit, vt solutio supponit: non erit, quia non tantum aliquam rationem indiuidui, sed etiam infinitas sub se neutiquam continet. Quo pacto si homo, vt sic infinitos, imo si vel vnum sub se non cohiberet, haud esset ratio communis hominis. Par conditio est entis; par cuiusuis alterius conceptus communis. 36

Quartum

37 Quartum argumentum pro noſtra ſententia ſit: quia iuxta contrariam ſpecies de indiuiduo, homo v.g. de Petro immediatè prædicari non poſſet. Conſequens eſt abſurdum, & quod, vel aduerſarii inficias eunt. Sequelam ſuadeo: ratio illa communis indiuidui inter Petrum, & hominem mediaret: igitur homo de Petro non poſſet immediatè prædicari: conſequentia eſt in propatulo: probatur antecedens: Namque ratio illa communis indiuidui eſt verè indiuiduum: at indiuiduum iuxta dialecticos omnes ſpeciei ſubiici, eaque inferior eſſe debet: rurſus ea ratio communis indiuidui eſt ſuperior Petro, vt exploratum eſt: iam ergo ea ratio communis indiuidui eſt inferior homine, & ſuperior Petro, atque adeo inter vtrumque media, & in amborum confinio poſita.

38 Argumentor quintò: Per actum, quo plura exprimuntur indiuidua nequit abſtrahi ratio communis indiuidui: ſed per actum reſpondentem huic voci, *indiuiduum*, plura indiuidua explicantur: igitur per eum actum ratio communis indiuidui abſtrahi nequit, ac proinde per nullum: etenim ille, ſi quis alius rationem illam communem abſtrahere poſſet, ac deberet: maior eſt perſpicua: minor ſuadetur, quia per illum actum indiuiſio, ſeu carentia diuiſionis exprimitur, ac per conſequens ipſa diuiſio: at diuiſio non, niſi inter multa intelligi poteſt: igitur multitudo per eum actum exprimitur: cum ergo multitudo ſit aggregatio quædam vnitatum, neceſſe eſt, vt is actus plures vnitates, ſiue indiuiduationes exprimat.

39 Tandem argumentor. Nequit dari ratio communis differentiæ infimæ: ſi enim eſt ratio communis & ſuperior quomodo poteſt eſſe infima: at differentia indiuidualis, & numerica eſt infima: eius ergo nequit dari ratio communis: maior vna propoſita eſt, atque probata: minor ſuadetur, quia tametſi infra differentiam genericam ſit ſpecifica propterea quod genus prædicetur de pluribus differentibus ſpecie, & infra differentiam ſpecificam ea, quæ dicitur numerica, & indiuidualis, eo videlicet, quod ſpecies prædicetur de pluribus ſolo numero differentibus; cæterum infra indiuidualem, ac numericam non eſt alia vlla differentia: haud enim eſt ab indiuiduo ſpeciei ſubiecto deſcendere ad alia inferiora inter ſe diuerſa: differentia igitur indiuidualis eſt infima, cum id ſit infimum in vnoquoque genere, infra quod non eſt aliud quidpiam.

CAPVT IV.

Quid alij de conceptu communi indiuidui ſentiant.

40 EVm dari poſſe affirmant B. Thomas 1. part. q. 30. art. 4. corpore. Ioannes à S. Thoma quæſt. 9. log. art. 2. Hurtadus diſp. 5. log. ſect. 7. Arriaga diſp. 7. log. ſect. 4. ſubſect. 2. Tellez diſp. 6. log. ſect. 4. concl. 2. Auerſa in log. quæſt. 9. ſect. 12 per totam, & ſect. 16. in ſolut. obiect. 1. Suarez diſp. 6. met ſect. 8. Rubius cap. 3. de ſpec. quæſt. 6. n. 138. Doctor Canterus, tum cap. de ſpec. tum cap. de ſubſtantia. Compton. diſp. 35 log. ſect. 1. num. 6. Oña, Conimbricenſes, & alij complures, tum ex noſtris, tum etiam ex exteris. Pro quorum ſententia obiicies primo: Petrus v.g. eſt verè & propriè indiuiduum & Paulus etiam: ergo ſunt ſimiles in ratione indiuidui: hæc ergo ab eis abſtrahi poteſt, haud ſecus, ac ratio communis hominis ab eis abſtrahi poteſt, quia ſunt ſimiles in ratione hominis.

Obiicies ſecundò: vnum, & indiuiſibile perinde 41
ſunt, atque in idem recidunt: ſed datur ratio communis vniuerſ. ergo & indiuidui. Sequela videtur perſpicua, necnon maior: probatur autem minor, quoniam abſtracta eſſentia proprietas abſtrahi poteſt, ac debet, qua ratione à Petro & Paulo abſtrahere datur, non minus riſibile, quam hominem: ſed ens à ſuis inferioribus abſtrahi poteſt: ergo & vnum entis affectio, ac proinde huius eſt ratio communis. Obiicies tertio, & præcedens confirmabis argumentum: vnum, quod conſequitur ens, velut eius attributum, & quod ſimul cum eo neceſſaria ratione abſtrahitur haud eſt vnum tranſcendentale ab indiuiduali, vniuerſali, & virtuali abſtractum, vt aliqui fingunt: ergo eſt vnum indiuiduale, ſiue indiuiduum, atque adeo huius datur ratio communis: conſequentia verti nequit in dubium: ſuadetur antecedens, quoniam vnum illud tranſcendentale abſtractum, ab indiuiduali, vniuerſali, & virtuali, eſſet ſuperius, & inferius, vno vniuerſali: ſuperius, quia ab eo abſtrahitur: inferius, quia vnum vniuerſale, continet ſub ſe vnum vniuerſale, v. g. animal, hominem, equum, &c. adeoque illud vniuerſale, quod peculiariter abſtrahitur à triplici vno.

Obiicies quartò: Petrus v. g. eſt ſimilis Paulo in 42
ratione indiuidui: hæc ergo poteſt ab eis abſtrahi: conſequentia palam eſt ex dictis: antecedens, cuius maior eſt difficultas, probatur ita: ſi Petrus non eſſet ſimilis Paulo in ratione indiuidui, eſſent ambo in ea diſſimiles propriè, ſicut hæc linea, ſi non eſt alteri æqualis, hoc ipſo eſt ei inæqualis: ſed non eſt alter alteri diſſimilis in ratione indiuidui: tum, quia ambo ſunt conceptus omnino ſimiles, nullamque admittentes diſſimilitudinem, vt omnibus eſt in conceſſo: tum etiam, quia aliàs diſtingui duo quædam eſſet ea diſſimilari.

Obiicies quintò: duo indiuidua creata quatenus 43
indiuidua non magis differunt, eſto vltimo differant quam ens creatum, & increatum reale, & rationis: horum enim eſt infinita diſtantia per defectum alterius extremi, eiuſque ſummam imperfectionem; illorum vero, ſcilicet entis creati, & increati per exceſſum alterius extremi, eiuſque ſummam, & illimitatam perfectionem: quæ autem eſt infinita diſtantia, ea non patitur aliam ſe ſuperiorem. Tum ſic: ab ente creato, & increato reali, & ſolius rationis, quantumcunque diſtent, ac differant inuicem, poteſt nihilominus abſtrahi ratio communis entis, vt oſtendetur in metaph. lib. 5. tract. 2. cum nobis erit ſermo de vniuocatione entis. Quantacunque ergo ſit diſtantia, ac diuerſitas indiuiduorum provt talium, poterit tamen ab eis abſtrahi ratio communis indiuidui in qua cuncta conueniant.

Obiicies ſextò: ſi non poſſet abſtrahi ratio com- 44
munis indiuidui, maximè, quia ea foret indiuiduum & ſimul ratio communis: hoc autem, eſto ſequatur, haud eſt adeo abſurdum, atque à nobis ſupponitur: quin potius in noſtris debet admitti principiis: namque tract. 2. huius libri admiſimus prædicabile in communi eſſe ſimul ſuperius, & inferius reſpectu primi prædicabilis, videlicet generis, à quo, & cæteris quinque abſtrahitur: quid ergo veremur in præſenti, admittere rationem abſtractam ab omnibus indiuiduis provt talibus eſſe ſimul indiuiduum, & rationem communem, ſiue vniuerſalem. Obiicies ſeptimo: quando eminus conſpicio hoc animal, illud eſſe indiuiduum cognoſco, & quale indiuiduum ſit ignoro: diſtinctus igitur eſt conceptus indi-

uidui à conceptu talis indiuidui, adeoque alter ab altero poterit abstrahi. Hoc pacto nos etiam citato tract. primo huius libri rationem entis à tali ente siue substantia distingui debere & abstrahi posse censuimus, quia nimirum de altero conceptu certi & de altero incerti esse solemus.

45 Obiicies octauo. Medium syllogismi debet esse vnum: nam, si non habet vnitatem, sed multiplicitatem, & distinctionem, haud poterit deseruire syllogismo, vt visitur in hoc: aliquis homo currit, sed Petrus est aliquis homo, ergo currit. At sic est, quod indiuiduum potest esse medium syllogisticum ergo est vnum, adeoque abstrahitur ab inferioribus, eorumque multiplicitate: minor (haud enim cetera probatione egent) hunc in modum probatur: hic syllogismus est formalis, ac legitime, & in eluctabiliter concludit: omne indiuiduum est prædicabile de vno solo, sed Petrus est indiuiduum; est igitur prædicabilis de vno solo: huius autem syllogismi medium, ac veluti angulus est indiuiduum.

46 Obiicies nono. Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia iuxtà Boetium, ac cæteros Theologos: sed datur ratio communis personæ: ergo & indiuidui. Obiicies decimo. Hæc, & illa distinctio realis conueniunt in ratione communi distinctionis realis: in eaque sunt similes: vt videtur certo certius: abstrahatur ergo ab illis distinctio, siue diuisio realis, vt sic: quidni ergo ab hac, & illa indiuisione in se, siue indiuiduatione indiuiduatio vt sic abstrahatur? aut, quod ad præsens attinet, quidni recta sit comparatio diuisionis realis ab alio cum indiuisione rei in se se. Obiicies vndecimo: & ferme recidit in idem. Quandocunque datur ratio communis vnius oppositi; ea quoque dari potest, ac debet alterius: vt cernere est in affirmatione, & negatione, amore, & odio, calore, & frigore, visu, & cæcitate, ac reliquis oppositis: Sed datur ratio communis diuisionis, ac distinctionis: ergo & indiuisionis, siue indiuiduationis. Nec vero hic est recurrere ad indiuisionem transcendentalem, quasi satis sit eius solius dari rationem communem: Namque datur ratio communis multitudinis, siue diuisionis indiuidualis ad hanc, & illam: ergo & est admittenda vnitatis, non cuiuscunque, sed oppositæ, & indiuidualis ad omnes, & singulas.

47 Obiicies duodecimo: ab hoc, & illo vniuersali, reali nimirum, & solius rationis, siue commentitio abstrahitur ratio communis, eaque vniuoca vniuersalis, quia videlicet vtriusque materialia extrinsecè sumpta, & provt subsunt actui intellectus inuicem conueniunt, tametsi destituta sint conuenientia intrinseca, & in ratione entis, vt colligi potest ex dictis supra tract. 1. huius libri cap. septimo. Sed hoc, & illud indiuiduum conueniunt extrinsece in ratione indiuidui, ac provt eius nomini, & conceptui subiacent: hoc igitur sufficiet, vt ab eis absolute abstrahatur ratio communis etiam vniuoca indiuidui. Postremo obiicies, & superiorum argumentorum non pauca confirmabis: omnia indiuidua sunt similia inuicem, vt est toties dictum: possunt ergo confuse, & indiscriminatim cognosci: quæ enim sunt sine discrimine, quidni absque illo percipi queant? quæ confusa, & similia, cur non vt talia attingi? potest ergo ab eis abstrahi ratio communis indiuidui: quemadmodum quia animalia omnia confuse, atque indiscrete cognosci possunt, & solent, eo ipso vna ab eis abstrahitur ratio communis, quæ cuncta cohibeat. Et quidem vniuersim haud videtur aliud inferiora quædam in eandem coalescere rationem communem, quam ea vi cognitionis nostræ confundi, ac permisceri inuicem.

Ad primum argumentorum horum respondeo, 48
concesso antecedenti, & negata prima consequentia: sicut enim canis sydereus est vere, & proprie canis, & canis æquoreus, ac latrabilis vere, & proprie etiam canis: & tamen in ratione canis haud sunt similes, nec ab eis abstrahi potest communis conceptus canis, vt omnibus est in confesso: ita similiter hoc, & illud indiuiduum vere, & proprie sunt indiuidua, quin tamen in ratione indiuidui ob id similia sint, sicut ad eius abstractionem oportet: quamobrem vti vox, *canis* rationem, non eandem, aut similem, sed potius diuersam significat, ita vox, *indiuiduum*, rationem minimè eandem significat: quod & nostris argumentis probatum manet, & à priori, vt aiunt, hunc in modum potest ostendi: Petrus, siue hoc animal rationale, per animalitatem est similis equo, per rationalitatem dissimilis: at per hæcceitatem, nec similis, nec dissimilis, sed duntaxat distinctus à quouis alio: proinde Petrus quatenus indiuiduum, siue hic homo, nulli censendus est esse similis.

Quam solutionem dupliciter declaro, & confirmo. Primo sic: Perinde est dicere Petrus est indiuiduum, & Paulus est indiuiduum, ergo sunt omnino similes in ratione indiuidui; ac dicere, hic paries est albus, & ille paries est niger: ergo sunt omninò similes in qualitate: cum hoc tamen discrimine, quod ad exprimendum album, & nigrum in se non similia, nomina etiam dissimilia nobis suppetant, secus vero ad exprimendum hoc, & illud indiuiduum, quæ cum non sint similia in se, non nisi nominibus similibus à nobis explicari possunt quoad eorum rationem indiuidualem. Quocirca distingui debet antecedens superioris argumenti in cuius solutione versamur: Petrus est indiuiduum, & Paulus est indiuiduum, sicut Petrus, nego; aliter, quam Petrus, concedo: vnde quæ vtriusque similitudo in ratione indiuidui colligi queat? Nulla certe nisi satis inuerisimiliter. 49

Secundo eandem solutionem confirmo, & declaro: Huius argumenti: Petrus est hic numero, Paulus etiam est hic numero: ergo vterque est hic numero, ac proinde vnus, & idem numero homo: huius inquam argumenti consequens est falsum, & consequentia nulla: falsitati ergo, & inconsequentiæ obnoxius est modus arguendi contrarius, cuius solutio præ manibus est impræsentiarum. Quemadmodum ergo in casu instantiæ omnes causamur inopiam nominum, & dicimus Petrum esse hunc numero, Paulum vero esse etiam hunc numero, sed alium hunc numero à Petro, tametsi aliud nobis ad hoc exprimendum non suppetat nomen; ita similiter dicendum est, Petrum esse indiuiduum, & Paulum etiam esse indiuiduum, sed non tale, quale Petrus est, siue simile, sed potius omnino diuersum, vtvt eodem nomine vtriusque exprimatur indiuiduatio. 50

Alia quoque eidem argumento potest adhiberi 51
solutio, quæ sic habet: Quamuis hoc, & illud indiuiduum similia sint in ratione indiuidui, adhuc ratio communis indiuidui nequit ab eis abstrahi: siquidem similitudo non semper est fundamentum abstractionis, sed tunc solum, quando in ratione abstracta nulla cernitur repugnantia, vel contradictio: cum ergo in ratione illa communi, & abstracta indiuidui, non vero in ratione communi, & abstracta animalis repugnantia sit, vt supra ostendimus, mirandum non est, quod ab hoc, & illo animali,

mali, quia similibus in conceptu animalis, huius abstrahi possit ratio communis; cum tamen abstrahibilis non sit ratio communis indiuidui ab hoc, & illo quantumlibet vtrumque in conceptu indiuidui simile esse disputandi gratia permittamus. Cuius solutionis quemadmodum, & superioris duplex est confirmatio, & declaratio. Prior est: bonitas coniuncta cum malitia alicuius rei creatæ, potionis v. g. quæ saluti mala est, & gustui bona; fundat simultâneam volitionem, & nolitionem inefficacem, non vero efficacem, quoniam in hac posteriori datur repugnantia, quæ non reperitur in priori, pari ergo modo similitudo in conceptu hominis, aut animalis, v.g. alterutrius fundat rationem communem, & abstractam, quin tamen similitudo in conceptu indiuidui ad hoc abstrahendum fundamento esse possit, nimirum quia in posteriori abstractione visitur repugnantia, quæ neutiquam in priori. Posterior eiusdem solutionis confirmatio, & declaratio sic habet: homo, & equus iuxta negantes præcisiones obiectiuas, & distinctionem virtualem in rebus creatis sunt similes in rationali non minus, quam in animali: & tamen abstrahi nequit ab eis vna ratio communis rationalis; tametsi ergo Petrus, & Paulus sint similes in conceptu indiuidui, huius tamen ab eis ratio communis haud propterea poterit abstrahi.

52 Ad secundum argumentum respondeo: vnum entis attributum cum indiuiduo non recurrit, nec est idem, sed potius ab vnitate indiuiduali vniuersali, & virtuali præscindit, easque transcendit, adeoque vnum transcendentale dici consueuit: quapropter abstracta ratione entis, haud est necesse ob id abstrahi rationem communem indiuidui, seu vnius indiuidualis, sed potius vnius transcendentalis: hoc enim, vt dictum est, non vero illud consequitur ens tanquam eius proprietas. Ad tertium argumentum, superioriique replicam, respondeo, negato antecedenti: eius autem probatio non vrget: quando namque vnum vniuersale est concretum secundo intentionale, nil vetat vnum transcendentale eo simul esse superius, & inferius, vt in simili dictum est supra tract. 1. huius libri, cum esset de prædicabili vt sic, & genere sermo.

53 Ad quartum argumentum respondeo primò, Petrum & Paulum fortasse dici posse in ratione indiuidui esse dissimiles, sin minus specificè, & essentialiter, at certè numericè, & indiuidualiter quo pacto tum ambo, tum etiam quæuis indiuidua sub eadem contenta specie dicuntur à Porphyrio differre numero: differentia autem videtur esse dissimilitudo quædam. Respondeo secundò, & probabilius, Petrum, & Paulum in ratione indiuidui, nec esse similes, nec etiam positiuè & propriè dissimiles, sed tantum negatiuè, & impropriè dissimilari inuicem. Ita res sibi ipsi, nec est similis; & tamen non est propriè sibi dissimilis. Ita etiam vna carentia iuxta multos, alteri neque similis est, neque dissimilis. Ita quoque vnum infinitum alteri haud est æquale, id est tantum, quantum illud: haud etiam est ei propriè inæquale, id est eo maius, aut minus, sed tantum habet respectu illius negatiuam, impropriamve æqualitatem, & fortassis etiam inæqualitatem. Etquidem haud opus esse vt in aliquo prædicato detur, aut similitudo, aut dissimilitudo duorum illud respicientium, vlterius constat exemplo quantitatis, quatenus, si formalissimè loquamur, nulla sunt similia, nulla dissimilia, sed tantum æqualia, vel inæqualia; namque iuxtà Aristotelem, eiusque sectatores, quorum qualitas est vna, vel diuersa, ea dumtaxat sunt similia, vel dissimilia, cum tamen vnitas, ac diuersitas quantitatis æqualitatem, & inæqualitatem impertiat. Quod autem aduersarii probant, Petrum, & Paulum esse debere similes in ratione indiuidui, quia nimirum non sunt in ea dissimiles; exemplo lineæ vtique finitæ, quæ si non sit alteri inæqualis, ei debet esse æqualis, friuolum est: siquidem ex defectu inæqualitatis eas inter lineas nequaquam sequitur earum æqualitas vi formæ, vt superioribus liquet exemplis, sed duntaxat vi materiæ, quæ quidem satis disparet in præsenti.

Ad quintum argumentum respondeo. Quod hoc 54
& illud indiuiduum haud magis distent, differantve, quam ens creatum, & increatum, reale, & rationis, tantum arguit abstrahi posse ab vtroque indiuiduo rationem aliquam communem in qua conueniant. Quod autem ea ratio sit indiuidui, & non hominis, animalis, substantiæ, aliaue vnde obsecro infertur? Hoc pacto canis sydereus, latrabilis, & maritimus, quia non magis differunt, distantiuè, quam Deus, & creatura, ens, & non ens, eo ipso cohibentur sub aliqua ratione communi, non tamen sub ratione communi canis, sed aliqua alia v.g. substantiæ, aut entis, similiter ergo in præsenti, &c.

Ad sextum argumentum fortasse paucis aliis, 55
præterquam nobis difficultatem facessurum, respondeo; idcirco idem esse superius, & inferius alio à se distincto, quia potest illud sub se continere, ac simul cum illo etiam alia; necnon etiam ab eo contineri, qua in re nullam esse repugnantiam, & à nobis est ostensum loco, cuius est in argumento ipso facta mentio; & vlterius breuiter potest declarari vno, vel altero exemplo: nam creaturæ continentur in creatore velut in causa, & principio, vnde cunctæ fluunt; & creator continetur in creaturis tanquam in effectis, atque in earum quauis velut in speculo, & perfectionis suæ infinitæ, cuius aliquam eis particulam communicat, imagine mirum in modum refulget. Res etiam vbicata continetur in sua vbitate, velut loco intrinseco, & vbitas vicissim in ea continetur tanquam subiecto, ac velut eius accidens. At esse vniuersale, & singulare, siue indiuiduum est posse diuidi, & non posse diuidi in plura, quæ duo quo pacto possint cohærere inuicem, haud possum assequi: proinde quod in nostris principiis idem esse queat superius, & inferius alio, argumento esse non debet alicui, vt existimet rationem communem indiuidui admittendam esse, talem quidem, quæ simul sit indiuiduum, & ratio communis siue vniuersalis: quam enim vtriusque diuersa sit ratio, satis liquet, vt dictum est

Ad septimum argumentum respondeo: nunquam 56
cognosci clarè indiuiduum, quin quale sit cognoscatur eo ipso. Exemplum autem argumenti haud premit: hoc enim animali eminus cognito, etsi non cognoscam esse hoc animal, at certè assequor esse hoc viuens, aut hanc substantiam, aut hoc ens, aut hoc subiectum accidentium: quæ mihi procul apparent. Quocirca cognosci aliquid eminus visum esse indiuiduum, non tamen, an hoc animal, aut hic homo, haud est præscindi rationem indiuidui à ratione talis indiuidui, sed differentiam genericam à specifica, aut genericam superiorem à generica inferiori; percepta tamen non in communi, sed in singulari ratione indiuiduationis quando fit eiusmodi præcisio. Aut aliis terminis: id genus præcisionis haud abstrahit indiuiduum in communi ab indiuiduo omni in particulari, sed vnum indiuiduum particulare ab alio, videlicet incompletum à completo, vel minus incompleto: quod aduersariis quid potest prodesse, aut nobis quid obesse.

57 Ad octauum argumentum respondeo, ad rectitudinem medij satis aliquando esse, vt sit vnum ex parte vocis de obliquo importatæ, veluti si quis ita arguat: canis qualiscunque demum sit est ens, sed canis latrabilis est canis; ergo ens. tenet syllogismus, quia nimirum canis, qui est eius medium, tametsi re significata tenus sit quid multiplex, ac diuersum, at est quidpiam vnum voce significante tenus: æquipollet enim ille discursus huic; omne, quod significatur hac voce canis est ens: sed canis latrabilis significatur hac voce canis: ergo est ens: Quæ cum ita sint, indiuiduum in obiecto nobis syllogismo est medium, adeoque vnum, sin minus quoad rem ipsam, quam importat, at certe penes vocem: æquiualet enim ille syllogismus huic: omne, quod significatur hac voce, indiuiduum, est prædicabile de vno solo: sed Petrus significatur hac voce, indiuiduum: ergo est prædicabilis de vno solo. Atque haud alia requiritur vnitas medij syllogistici, cuius indiuiduum rationem obtinet: illa vero vnitas mere vocalis à nobis indiuiduo permissa non est, quæ reuocatur in controuersiam in præsenti.

58 Respondeo secundo: medium syllogismi debet esse vnum, haud tamen in se, & absolute, sed duntaxat respectiue, & in ordine ad præmissas; vt sensus sit, haud posse illud esse diuersum in vna, & altera earum, sed oportere esse in vtraque idem, siue in se multiplicitatem, siue vnitatem habeat: hoc pacto valet hic syllogismus: omnes Apostoli Dei sunt duodecim: sed Petrus, Andreas, Ioannes, &c. sunt omnes Apostoli Dei: ergo duodecim: & tamen medium importat in se pluralitatem, ac multitudinem, siue diuersitatem quandam, non tamen eam, qua medium sit in vna præmissa vnum, & in alia aliud, quavè eius vtrobique varietur suppositio. Contra vero syllogismus nobis in argumento obiectus haud valet, quia nimirum habet pluralitatem respectiuam, estque in vna præmissa vnum, & in alia aliud, id est supponens pro vno in altera, & pro alio in altera. Cum enim dicitur; aliquis homo currit: sed Petrus est aliquis homo: ergo currit, medium, videlicet aliquis homo, supponit in maiori pro Paulo, si contingat hunc currere, & in minori pro Petro. Quæ cum ita se habeant; quod huius syllogismi nobis oppositi; omne indiuiduum est prædicabile de vno solo: sed Petrus, &c. medium legitimum sit indiuiduum, haud arguit istud esse rationem quandam vnam in se, & abstractam ab omni inferiorum multiplicitate, sed solum esse vnam respectiuè, ac talem, quæ non sit alia omninò, aliaque in præmissis, & in eis iam supponens pro vna re, & iam non pro illa, sed pro alia prorsus distincta.

59 Quod si regulam quandam aueas, qua dignosci possit, quando indiuiduum, aut aliud æquiuocum esse queat medium syllogisticum, & quando non, isthæc potest assignari. Quando latitudo prædicati est talis, vt non restringat subiectum, tum hoc, etsi sit æquiuocum, subire potest rationem medij, & tam esse vnum respectiuè, quam est absolutè, & in se multiplex, ac diuersum, vt claret in syllogismis duobus, qui obiecti sunt in argumento principali. Cæterum quando prædicatum est tale, vt restringat subiectum iuxtà vulgarem paræmiam: subiecta talia sunt qualia permittuntur à prædicatis, tum quidem neque indiuiduum, neque aliud vllum æquiuocum potest medij partes sustinere. Atque ea de causa haud valent hi syllogismi: omnis canis latrat: sed canis syderus est canis: ergo latrat; omne indiuiduum currit: sed hoc cadauer est indiuiduum: ergo currit.

Ad nonum argumentum respondeo, inprimis 60
nullam illud habere vim aduersus eos, qui subsistentiam, ac personalitatem esse censent entitatem quandam incompletam naturæ superadditam, eamque vltimo terminantem: eius enim rationis incompletæ, adeoque subsistentis, aut personæ per eam constitutæ quidni sit conceptus communis, haud secus, atque aliarum quarumuis partium, & quæ per eas constituuntur totorum? Et quidem ita de subsistentia, & personalitate sentiunt plerique eorum, quibus cum in præsenti cernimus. Porro si secus se res habeat, & neutra sit entitas incompleta, sed potius alterutra sit substantia singularis completa, vt probabilius esse suo constabit loco; certe, vt indiuidui repugnat ratio communis, & abstracta ita etiam & subsistentiæ, ac personalitatis, necnon, quod consequens est, subsistentis, & personæ: qui autem contra disputant, nihil afferunt, aut possunt, quo talem probent rationem communem.

Ad decimum respondeo: quidquid sit de distinctione reali, certe eius concretum, videlicet distinctum realiter ab alio quopiam haud esse rationem vnam, & communem, præcisamque ab omni inferiorum multiplicitate: namque illud aliud, quod respicit foret, & non foret aliud realiter à ratione communi realiter distincti: foret, vt supponitur: non foret, quia si est aliud realiter ab illo; ergo distinctum realiter ab illo: non ergo aliud realiter à distincto in communi. Vide dicenda in Metaph. lib. 3. tract. 6. c. 24. inter ostendendum repugnare rationem communem relatiui, siue relati realis: iam ergo si à distinctione fiat argumentum ad indiuisionem, siue indiuiduationem, vt illius concretum, sic etiam huius concretum, hoc est indiuiduum haud poterit abstrahi suis ab inferioribus, eorumque multiplicitate. Respondeo secundo; vt relationis realis iuxtà disputanda suprà loco nuper memorato, sic etiam distinctionis realis in abstracto sumptæ dari rationem communem, & abstractam. Hinc autē nihil fit, nisi indiuisionis, siue indistinctionis realis in se dari rationem communem, non autem indiuisionis, indiuidualis siue vltimę, & infimæ: ea namque esset, & non esset infima: esset, vt supponitur, non esset, quia esset ratio communis, & superior pro eo, ac suprà perstrictum est capite tertio ad finem. 61

Ad vndecimum respondeo, rationem communem, & abstractam vnius extremi, siue oppositi haud semper esse coniunctam cum ratione itidem communi alterius, ex cuius est aduerso: namque vnionis Petri datur ratio communis, & specifica, non tamen ipsius Petri: idem cernere est in cognitione, & amore, actione, & quouis modo rei singulari suapte natura illigato. Rursus secundo: aut sermo est de multitudine reali; atque ex eius vniuersalitate, & communitate quid aliud colligitur, quā vnitatis admittendam esse rationem, communem & vniuersalem; secus vero quod vnitatis indiuidualis, de qua sola in præsenti disputatio: aut sermo est de multitudine indiuiduali; atque huius non est ratio communis: esset enim multitudo indiuidualis, & infima, atque non esset, vt sæpe sæpius in simili dictum. 62

Ad duodecimum respondeo, eo probari dari rationem communem etiam vniuocam indiuidui respectu huius, & illius: at non intrinsecam, sed extrinsecam, non primo intentionalem, sed secundò intentionalem, non in actu exercito, sed in actu signato: communis autem ratio indiuidui, non posterioribus 63

rioribus modis, sed prioribus in controuersia posita est,& à nobis impræsentiarum negata. Declaratur solutio : tametsi canis intrinsece, ac primo intentionaliter sumptus, haud sit ratio vniuoca, & abstracta, sed potius æquiuoca, & abstractioni minimè obnoxia, intuitu huius, & illius ; cæterum extrinsecè, & secundò intentionaliter vsurpatur, & provt est,perinde atque *significatum huius vocis canis*,est reuera conceptus vniuocus, & non æquiuocus, comparatione suorum inferiorum : pari igitur modo indiuiduum, licet æquiuocum sit, intrinsecè ac primo intentionaliter acceptum ; at erit vniuocum,& abstractioni,atque vniuersalitati subiectum, quatenus sumitur extrinsece,& secundo intentionaliter, ac provt perinde valet, atque *significatum huius vocis indiuiduum* : Hoc autem est, quod dumtaxat conuincitur argumento contrario, ac verissimum est : at nihil minus, quam nobis contrarium, quamvè ad rem, qua de agimus, pertinens.

64 Ad postremum argumentum Respondeo; indiuidua omnia provt talia, siue in ratione indiuidui, haud esse similia, haud etiam dissimilia,sed distincta,vt sæpe sæpius dictum est : quo circà, si cognoscantur provt sunt,vti contendit obiectio,magis esse, vt cognoscantur distinctè, quam confusè, & instar vnius, sicut ad abstrahendam ab eis rationem communem indiuidui oportet. Rursus, fac ea esse similia,& indiscriminata : hinc certè tantum sequitur, quod cognoscantur à nobis, vt talia: bene autem possunt ita cognosci à nobis sine abstractione vnius ab eis rationis communis indiuidui : namque etiam Deus ea,vt sunt, adeoque vt similia in ratione indiuidui iuxta aduersarios, cognoscit, quin abstrahat rationem communem, & vniuersalem indiuidui:discrimen autem huius, & animalis facta vtriusque comparatione ad nostrum intellectum iterum, iterumque est à nobis suprà traditum.

CAPVT V.

Quatenus cognosci possit indiuiduum?

65 NOnnulli recentiores censent nullum à nobis indiuiduum cognitione distingui, aut secerni posse ab alio indiuiduo,nisi in ordine ad accidentia aliqua existentia specie diuersa, quæ quidem in vnũ conueniant,& non in aliud.Quam sententiam suadent primo,quia de indiuiduo vtique creato de quo est in præsenti quæstio,nulla scientia, aut definitio esse potest ? at si ab alio quoad prædicata essentialia distingui, ac secerni posset independenter ab accidentibus, quæ actu ei inexistant, indiuiduum sciri posset, atque definiri. Maior est perspicua,quoniam aliàs scientia de vniuersalibus necessaria non esset: minor probatur, quia definitio est cognitio qua res cognoscitur penes prædicata essentialia, munere quorum ab aliis differt,& cum aliis conuenit : si ergo indiuiduum ita cognosci potest, sanè definiri poterit eo ipso.Secundo, & recidit in idem : Deus definitur, esto singularis, & indiuiduus sit : non alia ratione, nisi quia sinè ordine ad vlla accidentia ei inexistentia per prædicata essentialia exprimi, & à quouis alio secerni potest : ergo & indiuidua creata definiri poterunt, ita si possunt distingui : at definitionis incapacia sunt : ergo & cognitionis, qua secundum sola prædicata essentialia, & sine respectu ad accidentia actualia distinguantur inuicem.

Tertio, quoniam Dialectici omnes definiunt indiuiduum ; cuius collectio proprietatum in nullo reperitur alio : perperam autem in ordine ad proprietates definiretur indiuiduum, si sine respectu ad illas definiri posset,seu quod perinde est à quouis alio cognitione secerni, ac diuidi. Quarto, quia cum vnum indiuiduum ab alio simili distinguere, ac secernere volumus,his pronominibus hoc, illud,istud, & similibus vtimur, quæ sane indiuiduis actu accidunt : ergo sine ordine ad accidentia actualia fieri nequit, vt vnum indiuiduum ab alio cognitione secernamus. 66

Quinto, quoniam indiuidua substantialia non nisi per species accidentium actu existentium cognoscere possumus : ergo non nisi in ordine ad accidentia existentia, & sensibus externis obuia ea inuicem distinguere, ac secernere poterimus. Demum essentia vnius indiuidui est omnino similis essentiæ alterius indiuidui eiusdem speciei : nostra igitur cognitio alterum ab altero dilucidare non poterit in ordine ad prædicata essentialia : quippè in quibus omnino conueniunt: accidentia autem mere possibilia, quæ in vno indiuiduo esse possunt, in alio eiusdem speciei eadem ratione esse quoque sustinent aliàs eiusdem speciei,& essentiæ nequaquam essent: vnum ergo ab altero secerni non poterit per ordinem ad accidentia mere possibilia, vtpote quæ vtrique communia sunt ex æquo. 67

Hac sententia inprimis videntur sibi explicasse Scotum, dum hæcceitatem à natura distinguit : namque accidentia à natura distincta, eique superaddita hæcceitas quædam, & indiuiduatio sunt, per quam vnum indiuiduum ab alio quoad nos distinguitur, ac secernitur. Deinde sibi videntur emolliuisse sententiam illam Thomisticam, quæ indiuiduationem à materia signata desumi docet:siquidem materia signata quantitate,& reliquis accidentibus indiuiduatio quoad nos est, per quam vnum indiuiduum ab alio secernimus. 68

Cæterum hæc opinio mihi maximopere displicet:Tũ quia in hac anima rationali v.g.plura possũt esse accidentia, quæ in alia diuinitus esse nequeant: ergo per ordinẽ ad illa accidentia,esto numquã extitura,secerni potest altera ab altera:antecedẽs ex c.2. constat, vbi quoduis indiuiduum habere posse,vbicationes, durationes, actiones, vniones specie diuersas ab iis, quas aliud quoduis etiam simile sortiri potest, satis ostensum : Tum etiam, quia cognitio est magis præcisiua ratione suæ perfectionis, & immaterialitatis, quam actio physica sponte sua imperfecta, & materialis : sed actio physica pro priori ad accidentia actualia, & quin illa attingat, hanc formam equi, Bucephali v. g. ab alia quauis præscindit, & illam producit quin aliquam producat aliam : ergo à fortiori,vt aiunt, nostra cognitio pro priori ad accidentia actualia, & quin ea attingat vnum indiuiduum præscindere poterit ab alio, eaque secernere inuicem. 69

Tum tertio : Hæc propositio ; *Petrus non est Paulus*, distinguit Petrum à Paulo : at non in ordine ad accidentia actualia, quæ vni, & non alteri inexistentia cognoscat : ergo,&c. Maiorem quis neget ? Minor suadetur:cognitio correspondens iis vocibus illud per se attingit, quod eiusmodi voces significant ; alias cognitio his subiecta vocibus ; *Deus est trinus* : Iudam esse damnatum assereret:ast eæ voces; *Petrus non est Paulus*, solam substantiam Petri, & Pauli significant : solam ergo illam, & non accidentia vlla actualia percipit : Tum demum : quoduis indiuiduum per hæcceitatem sibi intrinsecam, 70

&

& essentialem pro priori ad accidentia à quouis alio distinguitur: ergo per eam à quouis alio cognitione secerni poterit, atque distingui: siquidem ideo per accidentia cognita vnum ab alio cognitione distinguitur, quia per ea reipsa vnum ab alio accidentaliter distinguitur.

71 Ad primum argumentum oppositum respondeo, id, quod definitur cognosci posse, & debere, non solum tanquam distinctum à quouis alio, verumetiam tanquam strictè differens à quouis alio, seu dissimile cuiuis alij: qua ratione omnes philosophi definitionem constare genere, & differentia adasserunt: vnde esto indiuiduum aliquod Petrus v.g. in ordine ad sola prædicata substantialia cognitione distingui possit à Paulo, & quouis alio indiuiduo eiusdem speciei, adhuc definiri propriè non poterit, eo quod velut ab alio eiusdem speciei strictè differens, seu dissimile cognosci nequeat: imo quatenus indiuiduum est, nec ab indiuiduis diuersæ speciei strictè differens cognosci potest, eo quod per indiuiduationem res propriè non differant, nec dissimiles sint, sed distinguantur. Rursus, esto distinctio numeralis indiuiduorum sit eorum differentia qualis qualis (id, quod fateor esse non improbabile) profectò nihil eo supposito sequitur ex nostra sententia, nisi indiuidua creata definiri posse quodammodo; at non definitione scientifica, & doctrinali: scientiæ namque, & doctrinæ haud sunt vt plurimum de indiuiduis, vt per Logicam, Physicam, Metaphysicam, & cæteras discurrenti clarebit. Ad secundum respondeo, Deum, si definiri potest definitione doctrinali, & eius scientiæ, quæ theologia nuncupatur, propria (quod adeò constans non est) idcirco esse, quia tanquam à quouis alio essentialiter differens, seu diuersus, aut dissimilis in hac vita cognoscitur: quæ ratio non procedit in indiuiduis ordinis creati. Deinde fortassis falsum est, quod sub umitur in argumento, indiuidua creata esse definitionis omnis, & qualislibet incapacia, vti perstrictum paulo suprà.

72 Ad tertium respondeo, cum distinguimus vnum hominem ab alio, his pronominibus, *hic*, *ille*, &c. vtimur, non quia cognitio distinctiua ea pronomina necessario attingit, sed quia iis exprimitur, & significatur, quod aliud, & aliud est. Ad quartum respondeo, inprimis in ea definitione Porphyriana de proprietatibus actu existentibus mentionem non esse: quare sine harum notitia vnum indiuiduum ab alio secerni poterit. Prætereà sicut homo in ordine ad sensiones, & discursus definitur, cum tamen sine respectu ad illa explicitè cognita à non homine distingui, ac secerni possit, videlicet in ordine ad figuram, colorem, staturam, vocem, & alia eiusmodi accidentia: cur etiam vnum indiuiduum ab alio secerni nequeat sine respectu ad accidentia vlla actualia explicitè cognita, quantumuis in ordine ad ea definiatur.

73 Ad quintum respondeo, absque accidentibus actualibus prius cognitis, & species ingerentibus sui, cognitionem haberi non posse indiuidui substantialis: cæterum ea semel comparata vnum indiuiduum substantiale ab alio secernere poterit intellectus præscindendo ab accidentibus eiusmodi non secus, ac sine indiuiduis prius cognitis notitia rei vniuersalis haberi non potest, & nihilominus cognitio naturæ vniuersalis semel comparata præscindendo ab indiuiduis illam à quauis alia natura vniuersali discriminat. Ad vltimum respondeo: distinctio realis vnius naturæ ab alia sufficiens est, vt intellectus vnam ab alia secernat, quamuis neutiquam dissimiles sint essentialiter, sed tantum distinctæ, & quamuis proprietates actuales inter se dissimiles, aut iis non insint, aut certè ab intellectu non cognoscantur.

Porrò Scotus huic sententiæ neutiquam fauet: 74
nam hæcceitatem à natura tantum formaliter distinguit: at pleraque accidentia à natura realiter distinguntur: hæcceitas ergò Scotica cum accidentibus perperam confunditur. Rursus hæcceitas, quam adstruit Scotus à natura formaliter distinctam præscindit ab eo quod sit existens actu vel non existens: sed accidentia, de quibus est in præsenti sermo, existentiam, & actualitatem inuoluunt: quid ergo his cum illa commercij? A Thomistis etiam hi authores longissimè distant: siquidem Thomistæ de indiuiduatione physica intrinseca, & rerum quoad se loquuntur: at hi de indiuiduatione intentionali extrinseca, & quoad nos.

CAPVT VI.

Quotuplex sit indiuiduum.

INdiuiduum aliud est primò intentionale quod 75
nimirum est indiuisum in se vniuersaliter, vel cuius collectio proprietatum in nullo reperitur alio: aliud secundò intentionale, quod prædicatur de vno solo vel quod subiicitur speciei. De vtraque definitione satis supra cap. 1. & 2. Rursus indiuiduum aliud est completum, vt hic homo: aliud incompletum, vt hoc animal, quin an sit homo vel equus aliave bellua subluceat, quæ est eius distantia ab illo cui cernitur. Tertiò indiuiduum aliud est vagum aliud determinatum: circa quæ (haud enim de cæteris restat quidpiam disputandum) quæres primò, in quo differant.

Aliqui docent, indiuiduum vagum perinde esse 76
atque rationem communem indiuidui ab omnibus abstractam, determinatum verò id indiuidui, quod continetur sub ea ratione communi. Ita sentit Ioannes à S. Thoma 2.p.log.q.9. art.2. Idem etiam insinuare videtur Angelicus ipse præceptor 1.p.q.30.a.4. in hæc verba. *Indiuiduum vagum significat naturã communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, vt scilicet sit per se subsistens distinctum ab aliis: sed in nomine singularis designati significatur determinatum distinguens.*

Verum aduersus hanc doctrinam argumentor 77
primò: Repugnat talis ratio communis indiuidui, vt superius visum est: perperam ergo definitur per eam indiuiduum vagum, perperam distinguitur à determinato. Rursus secundò, aliquis homo est indiuiduũ vagum; haud enim est determinatum, vt videtur luce clarius: at non est ratio communis indiuidui ab omnibus, & quibuslibet abstracta. Tertiò: indiuiduum vagum importat quandam disiunctionem, vt liquet ex ipso nominis etymo: eam autem haud inuoluit ratio communis indiuidui esto admittatur: omne siquidem vniuersale præscindit à quauis disiunctione & inferiorum multiplicitate, alioqui vniuersalitate sua cariturum. Quartò: communis indiuidui ratio disputandi gratia permissa abstrahitur ab omni indiuiduo: ergo à vago & indeterminato: haud ergo est vagum suapte natura. Melius ergo ex Hurtado disp. 6. log. sect. 8. & Arriaga disp. 7. log. sect. 6. subsect. 4. definio indiuiduum vagum, & determinatum; vt hoc sit, quod explicatur per particulam, *hic*, aut aliam demonstratiuam, vt, *Petrus*, *Bucephalus*, &c. illud verò, quod per particulam, *aliquis*, *Petrus*, *vel Paulus*, aliamve disiunctiuam.

Quæres

78 Quæres secundò, num detur indiuiduum vagum ex parte rei formaliter? Negant vbi suprà Hurtadus, Arriaga, & communiter neoterici. Sed immerito: quis enim neget, à parte rei aliquem hominem currere, quemdam sedere, alium studere, vel ludere? Aſt obiiciunt aduersarij; quidquid est realiter, est certa res atque determinata: nihil ergò est realiter, siue, vt aiunt, à parte rei indeterminatum, aut vagum. Concedo antecedens, & distinguo consequens: nihil est à parte rei indeterminatum, indeterminatione excludente omnem determinationem, concedo consequentiam: indeterminatione determinationem aliquam includente intimè, nego consequentiam. Itaque quod eo conuincitur argumento haud aliud est, quam non existere ex parte rei aliquem formaliter hominem v.g. absque eo, quod Petrus, vel Paulus existat aliusvè destinate homo: non verò quòd non detur existentia alicuius hominis, verificata tamen in Petro, aut Paulo aliovè determinato indiuiduo.

79 Obiiciunt secundo iidem: indiuiduum vagum, provt tale, tantum est formaliter in intellectu disiunctiuè & vagè rem concipiente, vt ipsa vocis etymologia videtur indicare: non ergo à parte rei, nisi fundamentaliter ad summum. Respondeo, negato antecedenti: cuius nulla affertur ab aduersariis probatio, quæ vrgeat: siquidem etymologia indiuidui vagi tantum conuincit, illud esse tale, vt si provt est formaliter à parte rei, explicetur, & cognoscatur, haud nisi per particulam, *vel*, exterius exponi, aut cognitionem disiunctiuam possit interius dignosci. Et quidem aliàs fingi posset, ne indiuiduum determinatum esse formaliter à parte rei, sed in intellectu, illud determinatè, ac distinctè cognoscente.

80 Quæres tertio, an indiuiduum vagum sit propriè indiuiduum? Negat Hurtadus, at affirmat Arriaga locis supra citatis: vterque suos habet adstipulatores. Mihi magis probatur, quod sit propriè indiuiduum: tum, quia ita communiter censetur, vt ex eius constat ipso vocabulo: tum, quia non est vniuersale, vt ex libro superiori patet: actus enim disiunctiuus, & vagus obiectorum attingit, multitudinem, ac pluralitatem: haud ergo ab ea abstrahit, sicut ad impertiendam vnitatem illis vniuersalem oportet; id etiam, quod aduersariorum aliqui habent in confesso: non ergo est indiuiduum: antecedens vnà propositum, atque probatum est: consequentia probatur; quia inter indiuiduum, & vniuersale reipsa non datur medium, vt fermè omnes edocent, vtque demonstrat natura indiuidui, quod definiturindiuisum diuisione vniuersali, seu metaphysica: tum demum, quia indiuiduum vagum, de vno solo simul prædicatur, nec fieri potest, vt de pluribus simul, & collectiuè prædicetur; hæc enim propositio; *Petrus, & Paulus, &c. est aliquis homo*, citra dubium est falsa: qua in re differt indiuiduum ab vniuersali, quippe quod potest de pluribus, & simul, & seorsim etiam prædicari, vt claret ex libro superiori. Hinc emergit responsio ad argumentum contrarium, cuius nimirum puppis, & prora est, indiuiduum suapte natura de vno solo prædicari.

81 Quæres quarto, num indiuiduum vagum possit à Deo cognosci? Censeo posse cum Arriaga citata illa subsect. 4. Namq; Deus cognoscit, materiam primam naturaliter connecti cum hac, vel illa forma substantiali; effectum creatum essentialiter pendere ab hac, vel illa causa, præceptum audiendi sacrum hac, vel illa hora, hac, vel illa ecclesia, hoc vel illo sacro adimpleri posse, item hunc, vel illum oculum ad videndum, & hunc, vel illum equum ad equitandum requiri: multa igitur indiuidua vaga, siue, quod perinde est, indeterminata, ac disiunctiua percipit. Rursus secundò Deus in sacra pagina dicitur voluisse sibi dari *hostiam secundum quod dictum est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum*: ita habetur Lucæ c. 2. quemadmodum ergò diuina voluntas cum indeterminatione, & disiunctione in sua contendit obiecta, quidni etiam eius intellectus ferri possit in indiuidua vaga?

82 Enimverò Hurtadus superius citatus nobis aduersatur: quoniam cognoscere indiuiduum vagum est rem aliquam vagè, & disiunctiuè attingere: is autem attingendi modus Deo repugnat, cum nunquam, & nusquam non oriatur ex imperfectione nostri intellectus impotentis cognoscere rem in singulari, & provt à quauis alia distinctam. An non enim homine eminus viso idcircò affirmo esse hunc, vel illum, quia haud satis penetro, an sit Petrus, cum tamen is sit reipsa? Respondeo in nobis per imperfectionem nostri intellectus esse multoties in causa, vt cognoscamus res vagè & disiunctiuè: At haud tarò eum cognoscendi modum nobis contingere, non eo ex titulo, sed ex rerum ipsarum naturis ita cognosci aptis natis, nec aliter cognoscibilibus, quam falsò, & contrà quam se habent, vt liquet exemplis, quibus vsi sumus in argumento: quidni ergò Deus eiusmodi obiecta cum disiunctione cognoscat? aut quidni duplex distinguenda sit confusio, siue disiunctio, alia clara, aliaque obscura, quarum prior in eum conueniat, secus verò posterior?

83 Quæres quintò, num vnius indiuidui determinati sensio sufficiat ad abstrahendam speciem? Non defuere qui negarint. Verum oppositum mihi arridet: tum, quia aliàs species Solis non posset à nobis abstrahi, cum vnicum tantum conspiciamus: tum, quia vt aduersarij largiuntur, sensio vnius speciei ad abstractionem generis sufficit, vnius, inquam, speciei, eo modo, quo hæc sub sensum cadere potest: ergo & sensio vnius indiuidui sufficiens erit ad abstrahendam speciem, quæ enim disparilitas obtendi potest? tum demum, quia species abstrahitur ab omnibus indiuiduis, etiam non existentibus, nec in lucem editis, ac proinde à pluribus, quæ non sint vlla sensione percepta, nisi verò indiuidua non existentia, ac tantum possibilia sentiri tamen finxeris: iam ergò vnius indiuidui sensio satis erit ad abstrahendam speciem: consequentia suadetur: nam, si qua ratione plura præsentiri oporteret, maxime, quia nisi à præsensis abstrahi non posset species, quod tamen falsum esse claret ex antecedenti.

84 Tandem Quæres, an indiuidua determinata diuersarum specierum possint esse æqualia quoad perfectionem, & an eiusdem contrà esse inæqualia? Vtrique difficultati satis, cumulateque fiet in metaphysica. Interim veluti in anteceſſum respondeo ad priorem quidem difficultatem affirmatiuè, & ad posteriorem negatiue. Nam tres diuinæ personæ sunt æqualis perfectionis, quin earum vlla dici possit alia maior, minorve: & tamen sunt inuicem dissimiles, quatenus sunt personæ, ac relationes certo certius: quid est ergo, quapropter in rebus creatis indiuidua dissimilia, specierumque diuersarum esse nequeant æqualia inuicem? Idem argumentum fieri potest in duabus vnionibus hypostaticis, quarum altera, Pater æternus incarnaretur, vt aiunt, & altera filius incarnatur modo; idem in duobus actibus

intellectus,

intellectus, aut voluntatis nostræ hoc solo dissimilibus, quod ferantur ad duas illas personas. Rursus, vt secundam solutionis nostræ partem in transcursu confirmem; indiuidua inæqualia ita sunt instituta, vt alterutrum cum aliis sibi æqualibus seriem quandam tantæ perfectionis entitatiuæ constituat: alterutrum ergò est diuersæ speciei logicæ ab alio, quidquid sit, an moraliter sint eiusdem speciei ob paruam, & vix notabilem eorum dissimilitudinem, & inæqualitatem.

TRACTATVS V.

De differentia.

CAPVT I.

Quid sit Differentia.

1 PORPHYRIVS differentiam tertium prædicabile definit, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid.* Contrà quam definitionem illud facit, quod differentia infima, qualis est hinnibile, aut rationale non prædicatur de pluribus differentibus specie, sed solo numero, cum tamen sit vera differentia, vt quæ maximè. Cui argumento plures plura respondent.

2 Primò nonnulli, definitionem curtam esse, & pro differentia in communi insufficientem largiuntur: cæterum definientem defendunt, vel quod solas differentias subalternas, & nullam infimam dari censuerit, vel, quod differentias infimas dari quidem censuerit, nobis tamen ignotas existimarit, vel quod nobis notas quidem existimarit, cæterum ex pluribus subalternis conflari putauerit: quare, inquiunt, merito Porphyrius solam differentiam subalternam definiuit: cur enim infimam specialiter definiret, quam, aut negauit, aut ignotam censuit, aut non nisi ex pluribus subalternis ratus est compositam.

3 Verum prima ratio pro Porphyrio allata eum, non tam defendit, quam ignorantiæ insimulat. Secunda ratio de differentiis vltimis nobis ignotis esto verum assumat, Porphyrio non prodest: qui, vt proprium quarto modo omni, & soli, & semper conueniens nobis cognitum fassus est, non est cur differentiam essentialem omni, soli, & semper speciei congruam, ac proinde vltimam nobis ignotam neget, aut negare censendus fiet. Tertia ratio de differentia vltima ex subalternis conflata non magis iuuat: quia species etiam ex genere, & differentia coalescit; & tamen præter definitionem generis, & differentiæ aliam speciei propriam Porphyrius merito tradidit: similiter ergo differentia infima quantumlibet ex multis conflata subalternis, definiri tamen specialiter debuit, aut certè non ita prætermitti, vt eam ne definitio differentiæ in communi comprehenderet.

4 Secundò Caietanus, & Sotus ipsam definitionem defendunt, aiuntque verba illa, *differentibus specie*, non positiue, sed negatiuè accipienda esse. Pro quo notant, differentiam in communi, quatenus differentia est, tantum deposcere prædicari de pluribus in quale quid: quod autem prædicetur de pluribus differentibus specie, non ex eo habere, quod differentia sit, sed ex eo, quod subalterna sit quatenus natura: contrà verò, quod nequeat de differentibus specie prædicari, non inde ei obuenire, quod differentia sit, sed ex indè quod vltima: quocirca, inquiunt, differentia in communi, atque in tota sua latitudine rectè definitur, ea, *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*, videlicet, quia differentiæ vt sic, quatenus differentia est, non repugnat de iis prædicari, esto positiuè ita prædicari non postulet.

Cæterum displicent primò, quia in definitione rationis communis nulla poni potest particula, quæ rationi inferiori positiue repugnet, vt ex definitione animalis, hominis, equi, & reliquis manifestè constat: & quidem aliàs homo verbi gratia, definiri posset animal mugibile: at prædicari de pluribus differentibus specie differentiæ infimæ positiuè repugnat: perperam ergò in definitione differentiæ vt sic adhibetur. Rursus secundò, sicut differentiæ vt sic ex conceptu communi differentiæ minimè repugnat, prædicari de pluribus differentibus specie in quale quid, ita similiter ei non repugnat ex conceptu cõmuni differentiæ, prædicari de pluribus solo numero differẽtibus in quale quid: sed non obstante hac posteriori non repugnantia nequit definiri differẽtia vt sic, quæ prædicatur de pluribus solo numero differentibus in quale quid: ergo etiam non obstante priori non repugnantia definiri haud poterit differentia vt sic, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid: certè sicut in vna definitione, sic in, alia verba negatiuè accipi possent. 5

Tertiò alij apud Auicennam, & Conimbricenses respondent, differentiam vt sic prædicari de pluribus differentibus specie, non inter se, sed à quouis alio: quasi differentia sit, per quam vnum ab alio specie differt: quæ definitio etiam differentiæ infimæ, rationali videlicet conuenit, cum per eam Petrus, & Paulus ab omni non homine specie differant. Cæterum hæc solutio non magis placet. Inprimis enim Porphyrius cap. vltimo docet, differentiam cum genere conuenire in eo, quod differentia, & genus de pluribus specie differentibus prædicentur: at genus prædicatur de pluribus differentibus specie inter se: ergo & differentia: aliàs vtriusque conuenientia æquiuoca esset, ac reapse nulla: quocirca hi authores non tam Porphyrianam definitionem defendunt, quàm aliam comminiscuntur. 6

Vlterius secundò, sicut differentia prædicatur de pluribus differentibus specie ab alio, ita, & species, sed species non definitur per hoc, quod de pluribus differentibus specie (subaudi ab alio) prædicetur: ergo nec differentia. Item tertiò, si differentia in communi rectè definiretur per hoc, quod de pluribus specie differentibus prædicetur, definitum expresse sumptũ definitionẽ ingrederetur, haud aliter, ac si quis animal definiret: animal est animal viuens, sensibile. Quartò demum particula illa, *differentibus specie ab alio*, planè superfluit, eo ipso, quod vocula, *in quale quid*; subsequatur: quod enim, *in quale quid*, de homine v. g. prædicatur, id eo ipso hominem à quouis alio specie differre facit; cum prædicari in quale quid sit prædicari, per modum determinantis genus in quo res cum aliis conueniit. 7

Quare planius, & dilucidius differentia definiri 8
potest, quæ prædicatur de pluribus in quale quid. In qua definitione sola vltima particula explicationis indiga

indiga est: quam tripliciter explano. Primò: id prædicatur in quale quid, quod, cum sit de essentia, & substantia metaphysica rei, per modum tamen accidentis prædicatur: in quo certè nihil est incommodi; nihil, quod repugnet: sicut etiam corpus, & spiritus in vno per identitatem cohærere nequeunt, & tamen spiritus per modũ corporis concipi potest; & solet, ita licet essentia, & substantia metaphysica, seu logica accidens logicum esse nequeat, tamen instar accidentis prædicari & concipi potest: in quo quale quid differentiale consistit.

8 Deinde id, quod in compositione metaphysica æquipollet formæ physicæ ex modo, quo concipitur, & prædicatur, id inquam, in quale quid prædicatur sicut id, quod in compositione metaphysica subiecto physico æquiualet, in quid prædicatur, & quod in compositione metaphysica essentia non est, sed accidenti physico æquipollet, id præcisè in quale prædicatur. Demum communis modus quale quid explicandi non displicet: is autem sic habet: quod ita est de essentia logica rei, vt per conceptum nomini adiectiuo respondentem prædicetur, id in quale quid prædicabitur: in quid verò, si per nomen substantiuum exprimatur. Nec. verò, quantum arbitror, operæ pretium est in hoc amplius immorari.

CAPVT II.

Quotuplex sit differentia.

9 Differentia in primis, alia est infima; alia subalterna: hæc illa est, cui definitio Porphyriana superius impugnata competit: illa verò, quæ de pluribus solo numero differentibus in quale quid prædicatur: haud enim est in præsenti sermo de differentia infima indiuiduali, quippe quam absoluimus tr. superiori. Aduersus definitionem differentiæ subalternæ, & eius ab infima discrimen obiicies: definitum ingredi definitionem, quod vitij etiam à nobis ad finem capitis præcedentis reprehensum est in aliis, duo enim differre specie differentiam formalissimè importat: iam ergò differentia subalterna, vt est differentia suam intrabit definitionem.

10 Leuiculum, nisi fallor, argumentum, cui respondeo, eius negata sequela. Primò namque non differentia subalterna, & generica facit inferiora sua differre specie inter sese, sed infima: vnde definitum haudquaquam ingreditur definitionem præsentem: si quam enim eius particulam, maximè illam, *differentibus specie*: Item secundò: in differentia subalterna duo sunt, videlicet differentia, & subalternatio: hæc verò sola explicatur per *differentibus specie*, differentia verò per reliqua: proinde definitum neutiquam intrat definitionem, eive sese immiscet, si vtriusque singulæ particulæ inter se aptè, atque cum proportione comparentur.

11 Secundò diuidi consueuit differentia in diuisiuam generis, constitutiuam speciei, & prædicabilem in quale quid de inferioribus: quæ membra diuidentia absolutè non distinguuntur, at respectiuè, aut in ordine ad idem sunt distincta, licet enim rationale eo ipso, quo animal contrahit, seu diuidit, reipsa hominem constituat, & quo hunc constituit, sit reuera prædicabile de suis inferioribus in quale quid; cæterum rationale animal diuidit, non tamen constituit, hominem verò constituit, non diuidit, nec contrahit: neutrum autem facit prædicari de suis inferioribus in quale quid, cum tamen ipsum ita sit prædicabile citra dubium.

12 Circa secundam hanc diuisionem differentiæ communiter discepari solet, num differentia respectu speciei, quam constituit, sit vniuersale? Negant Hurt. dip. 6. log. sect. 2. §. 5. Arriaga disp. 8. log. sect. 1. subsect. 3. num. 14. Ioannes à S. Thoma quæst. 10. art. 3. Conimbricenses in caput de differ. quæst. 1. art. 2. ipso eius initio, quibus subscribo. Namque vniuersale est vnum in multis sibi subiectis: non ergo differentia est vniuersale, nisi respectu inferiorum, quæ sibi sunt subiecta: ac proinde nõn intuitu speciei, quippe quæ ei non subiicitur, nec inferior est, sed æqualis potius. Parco aliis probationibus: arbitror enim conclusionem positam sponte sua esse claram, ac manifestam.

13 Obiicies tamen aduersus eam primò: hæc prædicatio, *homo est rationalis*, est alicuius prædicabilis, & vniuersalis: non alterius, quam differentiæ; hæc ergo est vniuersale, dum prædicatur de specie. Respondeo esse; sed non re pectu illius, esto de ea prædicetur actu, sed contemplatione indiuiduorum, de quibus potest prædicari. Obiicies secundò: fieri diuinitus etiam nequit vt rationale v.g. constituat hominem, quin instar illius prædicari possit de indiuiduis: nec etiam esse vllatenus potest, vt rationale prædicetur in quale quid de indiuiduis, quin sit pars constitutiua hominis, cum idcirco dicatur in quale quid, & non in quid tantum, aut in quale, quia animali velut eius compars in compositione essentiali speciei superuenit: quocirca cum inseparabilitas sit indicium distinctionis realis, eadem prorsus erit relatio rationalis ad indiuidua, atque ad speciem: sed per relationem ad illa est vniuersale: ergo etiam per respectum ad hanc. Respondeo, eas relationes esse quidem realiter indistinctas, at ratione distingui, cum sine respectu ad indiuidua possimus concipere rationalitatem provt speciei constituiuam, deque ea prædicabilem, & contrà sine ordine ad speciem, veluti prædicabilem de indiuiduis: hæc autem distinctio rationis sufficit, vt rationale vi vnius relationis sit vniuersale, ac non vi alterius: quo pacto animal, & rationale distinguuntur tantum ratione: ac nihilominus animal est genus, & ad primum vniuersale, seu prædicabile spectans, secus verò rationale, & hoc è diuerso, & non illud est respectu suorum inferiorum differentia, & ad tertium vniuersale, siue prædicabile pertinet.

14 Obiicies tertiò hæc prædicatio: *homo est rationalis*: est æqualis de æquali, siue ad conuertentiam, vt aiunt, at vnum vniuersale, cuiusmodi est homo, non æquatur, nisi ab alio vniuersali rationale ergo in ea prædicatione, ac per consequens respectu speciei est vniuersale. Cæterum hoc argumento id tantum conuincitur, differentiam, vbi prædicatur de specie, esse quidem vniuersale non tamen comparatione illius, sed potius indiuiduorum, vti perstrictum est paulò supra. Quocirca retorquetur obiectio: ea prædicatio est æqualis de æquali: ergo rationale est æquale homini: haud ergo est eo superius; haud igitur vniuersale: omne namque vniuersale suapte natura superat id, cuius intuitu vniuersalis rationem obtinet.

15 Tertiò dissecari solet differentia in propriissimam, propriam, & communem. Circà quam diuisionem quæres, an sit vniuoca? Affirmant Conimbricenses cap. de differ. quæst. 1. art. 2. concl. 2. Louanienses etiam, necnon Porphyrius ipse. Quibus subscribo: namque per rationale, quæ est differentia propriissima verè, & simpliciter differt homo ab equo:

per risibile, quæ est differentia propria, similiter: nec minus verè, & simpliciter per album, quæ est eius differentia communis: quemadmodum ergo animalis diuisio in hominem, & equum est vniuoca, quoniam vterque simpliciter, & vere participat rationem animalis, ita similiter in præsenti, &c.

15 At contrariam tuentur sententiam Auicenna, Albertus Magnus, Sotus, Caietanus, Rubius, ac Balthasar Tellez: Pro quorum sententia obiicies primò: quod est commune pluribus, haud facit ea simpliciter, ac stricte differre, sed secundum quid ad summum: fieri ergò nequit, vt differentia communis sit simpliciter differentia: talis autem vbi non sit, sed potius secundum quid haud poterit vniuocè conuenire in ratione differentiæ cum cæteris. Obiicies secundò: substantia, & accidens haud conueniunt vniuoce in ratione entis: ergo nec differentia accidentalis, cuiusmodi est propria, & communis, potest vniuocam sortiri conuenientiam cum differentia substantiali, siue essentiali, qualis est propriissima.

16 Priorem obiectionem repelles ita. Differentia communis, tametsi competere possit pluribus, at eis haud semper actu competit: tum autem quidni faciat ea differe actu: exemplo sit candor, qui actu est in homine v.g. & non in equo aliquo: vtrique tamen inesse potest ex æquo: primum autem satis est ad hoc, vt sit differentia vera: secundum verò ad hoc, vt sit communis. Posteriorem obiectionem sic reiicies: substantia, & accidens inprimis cõueniunt vniuocè in ratione entis: falsè igitur ex oppositio colligitur, differentiam substantialem, & accidentalem haud sortiri vniuocam in ratione differentiæ conuenientiam. Rursus transeat, substantiam, & accidens entis haud quaquam esse vniuocata. Quid inde? Certe quemadmodum eo non obstante conuenientia, & veluti identitas plurium, siue sit substantialis, siue accidentalis, fundat relationem vniuersalis abstractam vniuocè ab omnibus vniuersalibus, vt superius visum, non conspicio, cur etiam diuisio, ac disconuenientia, siue sit substantialis, siue accidentaria non fundet rationem differentiæ abstractam vniuocè ab omnibus, adeoque à tribus, de quibus est in præsentiarum sermo.

17 Quartò distribuitur differentia in differentiam in actu primo, & differentiam in actu secundo: illa est causa veluti efficiens, & inferens relationem, qua formaliter vna res differt ab alia, eique est dissimilis, vt rationale in homine, hinnibile in equo, rugibile in leone, &c. hæc vero est ipsamet relatio, quæ effici dicitur, atque inferri: differentia priori modo sumpta spectat ad præsens institutum, & sola vocari consueuit tertium prædicabile: posteriori verò vsurpata modo haud attinet ad præsentem materiam, sed ad prædicamentum ad aliquid: vt sumitur priori modo, ab aliis relatio facientis differre, ab aliis ratio facientis differre, nuncupatur: vt verò posteriori, relatio facti differre. Circa hanc relationem, necnon circa illam Conimbricenses in cap. tertium de diff. q. 1. art. 1. ad Tellez in log. disp. 7. sect. 1. & alij satis longè disputant, quænam sint earum fundamentum, ratio fundandi, terminusque? A qua tamen difficultate breuiter me expedio: haud enim suppositis iis, quæ disceptanda sunt in Met. lib. 3. tract. 6. cum erit de relatione prædicamentali sermo, operæ pretium est in ea multum immorari. Quod ergo attinet ad relationem facientis differre, cum non sit propria relatio, sed relationis principium, quæ versetur inter extrema, non disputo: nam verius est inter nulla eam vltrò citróque prò-gredi. Quod verò ad relationem facti differre, in homine v.g. respectu equi existentem, spectat; aio illius fundamentum proximum esse rationale, remotum vero, hominem: hic enim mediante rationalitate, & hæc per se ipsam immediatè causat eam relationem; & alter remote quodammodo, altera proximè refertur ad equum, ab eoque differt. Eius vero ratio fundandi, ac veluti conditio est disconuenientia radicalis hominis, & equi, ac differentiarum vtrique in existentium. Denique talis relationis terminus est equus, vt sponte sua claret.

Quintò tantem diuiditur differentia in physicam, 18
& metaphysicam, siue, vt loquuntur alij, logicam: posterior est, quam hactenus explicuimus, vt rationale, sensibile, &c. prior vero est anima hominis, equi, aut alterius compositi substantialis forma: ita enim se habet anima ad materiam eam actuando, vt sic dixerim, & determinando, vti rationale ad animal: de posteriori differentia tantum, non de priori sermo est dialecticis in præsenti.

Non me latet, Conimbricenses, & alios hanc di- 19
uisionem aliter explicare; vt nimirum differentia physica sit esse materiatum, formatum; metaphysica contra, denominatio rationalis, hinnibilis, & alia quæuis id genus à materiæ, & formæ coniunctione desumpta. Hæc explicatio mihi quoque haud displicet. Quod enim aliqui negant, eas prædicationes, in quibus materia, & forma enuntiantur in concreto nullius esse prædicabilis, adeoque, nec differentiæ, qua de agimus, omni caret fundamento, ac verisimilitudine. Rursus quod alij volunt, eas prædicationes esse generis, & speciei haud est probabilius: nam esse materiatum contrahit rationem communem corporei, quod suapte natura præscindit ab eo, quod constet materia incompleta, vel non; eique adiacet: aliunde verò essentiale est homini: de eo ergò prædicatur in quale quid: haud ergo esse potest genus, quippe cui non contingit nisi in quid prædicari. Eadem ratione conuinci potest, esse formatum anima rationali, aliaue forma nequaquam esse speciem.

CAPVT III.

An differentia subalterna sit de conceptu infimæ?

INter sectiones differentiæ hactenus in transcursu 20
traditas eius in differentiam infimam & subalternam celeberrima est, ac cæteris magis operosa. Quapropter ea est iterum ad incudem reuocanda: potissima autem circà eiusmodi partitionem difficultas hoc, & sequenti capite est discutienda: tum verò duæ aliæ haud tanti operis, sed non parui pendenda tamen. Quò autem ea, quæ est huius præfixa titulo capitis, commodius possit enucleari.

Præmittendum est primo, differentiam infimam 21
nequaquam esse de conceptu quidditatiuo, & formali generis, aut differentiæ subalternæ; alias, si rationale v.g. foret ita de conceptu animalis, seu sensibilis, quidquid esset sensibile, & animal, id esset rationale, non secus, atque omne, quod est homo, est rationale, eò quod rationale sit de conceptu, & quidditate hominis. Præmittendum est secundò, eandem esse rationem generis, ac differentiæ subalternæ, quod ad præsens attinet: quare promiscuè, tam genus, quam differentiam subalternam cum infima

compara

comparabimus, & ſi ſolam differentiam ſubalternam in titulo præfixerimus, nimirum vt ordo, ac tenor totius doctrinæ de differentia minimè varietur.

21 Quibus poſitis prima ſententia eſt, differentiam ſubalternam, genuſque includi quidditatiuè, & formaliter in infima. Ita Themiſtius lib. 1. poſter cap. 8. text 7. Philop. 2. poſt. 23. & 1. topic. cap. 1. Auerroës 7. metaph. text. 43. Referri etiam pro ea ſententia ſolent Alexander, & alij interpretes Ariſtotelis. Illam item tuentur Occamus in 1. diſt. 8. q. 6. & cum eo Gabriel, & cæteri Nominales. Soncinas quoque 7. metaph. quæſt. 37. Auerſa in log. q. 13. ſect 5.

22 Pro quibus ſequentia argumenta partim poſſunt partim ſolent confici. Hinnibile eſt per aliquod definibile genus: non per aliud, quàm animal: ergo eſt formaliter animal: Siquidem genus omnium conſenſu eſt de conceptu definiti per illud, vt viſere eſt in homine, & animali. Rurſus ſecundò: plus diſtat ens ab vltimis differentiis, quam quoduis genus, cum nullum genus ſub ente non contineatur, eoque non ſit inferius: ſed ens eſt de conceptu differentiæ cuiuſuis, quantumuis vltimæ: ſiquidem eſſe cuilibet rei ſiuè ſit ratio conueniendi, ſiuè differendi eſt quidditatiuum, ac formale, primumque, quod de eo concipitur ab intellectu: genus igitur à fortiori, vt aiunt, eſt de quidditatiuo, ac formali conceptu differentiæ vltimæ, vtpote cui vicinius eſt, quam ens, quamque propius attingit.

23 Præterea tertio: non ideo eſt formaliter animal equus, quia conceptus reſpondens huic voci, *equus*, ſit conceptus, qui huic voci, *animal*, reſpondet: equus igitur ideo eſt formaliter animal, illudque quidditatiua ratione includit, quia repugnat aliquid eſſe obiectum cognitionis equi, quod non ſit obiectum cognitionis, quæ huic voci, *animal*, eſt ſubiecta: cum ergò repugnet, aliquid eſſe obiectum cognitionis, quæ reſpondet huic voci, *hinnibile*, quod non ſit obiectum cognitionis animalis, vel ſenſibilis, ſanè hinnibile erit formaliter animal, & ſenſibile, atque adeò hæc de illius erunt conceptu formali: duæ conſequentiæ ſunt perſpicuæ: probatur antecedens, quia conceptus reſpondens huic voci, *equus*, explicitè, & formaliter equum, animal verò implicitè, & virtualiter repræſentat, cum cognitio animalis vtrumque oppoſito modo repræſentet.

24 Quarto: quoniam hinnitus eſt formaliter ſenſatio, & vita: principium ergo hinnitus eſt formaliter principium vitæ, & ſenſationis: hinnibile igitur eſt formaliter ſenſibile, & viuens: ſiquidem hinnibile cum principio hinnitus, & viuens, ac ſenſibile cum principio vitæ, & ſenſationis recurrunt, ac ſunt eadem prorſus. Quintò: nulla differentia infima eſt ſimplex, ſed compoſita ex pluribus ſubalternis: at differentia ſubalterna eſt de conceptu compoſiti, quod formaliter conſtituit: ergo & de conceptu differentiæ infimæ: maior, in qua ſola eſt difficultas, ſuadetur hunc in modum. Differentia infima hominis munere cuius à quouis alio differt, & cum nullo alio conuenit, non eſt rationale, ſeu intellectiuum, in quo cum Angelo conuenit, nec ſenſibile, in quo cum bellua conuenit: ergo ex ſenſibili, & rationali componitur, quorum alterutrum eſt differentia ſubalterna, & de pluribus differentibus ſpecie prædicatur. Deinde actus ſimul practicus, & ſpeculatiuus, quatenus talis, differt vltimò ab actu purè practico, & purè ſpeculatiuo: ſed quà ſimul practicus, & ſpeculatiuus eſt abſolutè practicus, nec re tantum, ſed ratione formali: differentia igitur illa vltima actus intellectus, nimirum eſſe ſimul practicum, & ſpeculatiuum includit formaliter hoc, quod eſt eſſe abſolutè practicum, quod certè differentia ſubalterna negari non poteſt, cum de pluribus differentibus ſpecie, videlicet de purè practico, & mixtè practico prædicetur.

Item ſextò: Cognitio, cum diuiditur in apprehenſiuam, iudicatiuam, & diſcurſiuam, huiuſcemodi differentiæ non poſſunt non formaliter includere in ſuis conceptibus rationem communem, & genericam cognitionis: idem ergo dicendum eſt de quibuſuis aliis differentiis infimis, ſuorum comparatione generum: conſequentia eſt in propatulo: ſuadetur antecedens: ſiquidem eſſe apprehenſiuam aliquam cognitionem inuoluit formaliter apprehenſionem, hæc autem cognitionem, quorum alterum, & alterum videtur luce clarius: ea ergo differentia cohibet intimè, & formaliter cognitionem: par autem ratio eſt duarum ſequentium, videlicet illarum, quibus cognitio redditur iudicatiua, & diſcurſiua. Septimo: Numerus in communi velut differentias vendicat binarium, ternarium, quaternarium, &c. aſt hæ differentiæ rationem communem, & genericam numeri formaliter, & quidditatiue inuoluunt: ergo & quæcunque aliæ: prior antecedentis pars ſponte ſua claret: poſterior autem haud minus, niſi valde fallor: ſiquidem binarius v. g. ſiuè dualis eſt formaliſſimè numerus, nec aliquid concipi poteſt, quod non ſit numerus: Vel ſi dualitas non eſt quidditatiuè numerus, cedo, quid ſit formaliter.

Secunda ſententia eſt, genus, & differentiam ſubalternam haudquaquam imbibi formaliter, & quidditatiue in infima. Ita Capreolus in 1 diſt. 2. quæſt. 2. Caietanus in prædicab. cap. de diff. Sanchez in log. lib. 3. quæſt. 28. Cabero tract. 3. diſp. 4. Ioannes à S. Thoma 2. part. log. quæſt. 10. art. 4. Gabriël Zerbus 7. metaph. quæſt. 16. Sueſan. diſp. 16. Maſuis in præſenti ſect. 2. Scotus etiam 7. metaph. quæſt. 7. & 2. poſter. quæſt. 58. & communiter ſectatores, Simplicius cap. 3. de anteprædicam. Auicenna in dialect. cap. 11. Albertus Magnus tract. 5. de prædicabil. cap. 6. & apud eam Alpharabius: Ex noſtris Fonſeca 5. metaph. c. 28. quæſt. 17. ſect. 2. Suarez diſp. 6. metaph. ſect. 9. Collegium Conimbricenſe in præſenti quæſt. 2. art. 2. §. *oppoſita tamen ſententia.* Rubius quæſt. 5. Amicus tract. 5. quæſt. 2. dub 3. Petrus Hurtadus diſp. 6. log. ſect. 3. Arriaga diſp. 8. log. ſect. 1. & ſubſect. 1. Balthaſar Tellez diſp. 7. log. ſect. 1. num. 19. Compton. diſp. 36. log. ſect. 3.

Potiſſima autem huius ſententiæ argumenta præter tot, ac tantorum authoritatem Doctorum ſunt iſthæc. Si genus eſſet de conceptu formali differentiæ ſpecificæ vltimæ, etiam eſſet de conceptu proprij quarto modo: quid enim potius habet differentia propriiſſima, ac ſpecialis equi quoquomodo explicata per hanc vocem, *hinnibile*: quam differentia quarto modo propria hominis huic voci, *riſibile*, ſubiecta, vt vna potius, quam alia genus in ſe, nimirum animal, aut viuens formaliter includat, præſertim ſi rationes ſpectes aduerſariorum: aſt animal non eſt de formali conceptu proprij quarto modo: ergo nec de conceptu differentiæ infimæ: partes omnes ſyllogiſmi nullo egent probamento, ſi ſola minor excipiatur: hæc autem probatur: quia aliàs propriũ in quale quid prædicaretur: in quale, vt confitentur omnes: in quid, quia formaliter includit genus, quod ſanè in quid de ſuis prædicatur inferioribus.

25

26

27

28 Secunda eius sententiæ probatio sic habet. Inter differentiam infimam, & subalternam debet esse aliqua distinctio rationis. Tum, quia id est in concesso apud plerosque aduersariorum: tum etiam, quia altera est gradus superior, & altera inferior: horum autem graduum distinctio vniuersim, est à nobis probata lib. præcedenti. Eiusmodi autem distinctio rationis vtriusque differentiæ debet esse mutua, & reciproca, ita, vt quantum differentia subalterna ab infima, tantùndem infima è contrario distinguatur à subalterna, quod exemplo distinctionis realis, & aliarum etiam relationum non semel est à nobis ostensum in Metaph. Sed differentia subalterna ita est ratione distincta ab infima, vt eam formaliter non inuoluat: ergo etiam infima ita distinguitur à subalterna, vt eam formaliter non cohibeat.

29 Tertia eius sententiæ probatio esto. Species hominis v. g. componitur ex genere, & differentia metaphysicè vtique, siue logice, sed compositio metaphysica fit ex partibus adæquatè distinctis, & quarum neutra formaliter complectitur alteram: ergo &c. maior conspicua est: minor suadetur paritate compositionis physicæ, in qua, siue sit ex materia, & forma substantiali, siue ex subiecto, & accidenti, siue ex extremis continuis, siue ex natura, & subsistentia semper partes adæquatè, & ex toto sunt distinctæ, ita, vt neutra alterâ includat realiter: Equidem aliàs ex homine, & animali compositio metaphysica fieri posset; quod quis absurdum non censeat? Postrema eius opinionis probatio est talis. Ex oppositâ, sequeretur, fore vt differentia infima equi v.g. per hinnibile, vel propriè, sed certè, translatitiè explicata, haud esset tantum differentia, sed tota species: hæc enim, quid aliud est, quam genus, & differentia: sed ea, qua de loquimur, esset genus, & differentia; genus, quia illud formaliter includit iuxtà contrarios; differentia verò, quia nequit seipsam veluti dediscere, siue à se distingui. Vno verbo: ea differentia esset formaliter animal hinnibile, adeoque totus equus: animal; quia hoc est eius genus: hinnibile verò, vt per se liquescit.

CAPVT IV.

Eligitur posterior sententia, & satisfit argumentis prioris.

30 ARbitror, posteriorem sententiam esse multis partibus veriorem: tum propter eius argumenta: tum etiam, quia est magis consona iis, quæ disseram in metaph. lib. 5. tract. 1. de differentiis infimis, non tantum specierum, de quibus modo, sed etiam quorumuis aliorum graduum superiorum. Citato namque loco ostendam, nullam differentiam infimam transcendi quidditatiue ab ente: multo ergo minus transcendi poterunt à generibus inferioribus, magisque crassis, atque compositis vltimæ specierum differentiæ. Quo autem expeditius respondere possimus rationibus in contrarium adductis animaduertendum est, differentias vltimas specierum proprie innominatas esse, nec explicari à nobis posse, aut solere, nisi improprie, & vocibus aliundè emendicatis, eis nimirum, quibus, aut differentiæ subalternæ cumulatim sumptæ, aut totæ species, aut proprietates quarto modo strictè significantur.

31 Ecquid enim est rationale, per quod hominis specifica differentia solet explicari, quam intellectiuum ministerio sensuum, siue intellectiuum, ac sensitiuum, ac per consequens plurium differentiarum subalternarum, nomen proprium? Ecquid hinnibile, quod translatum est ad significandam differentiam propriam equi, eamque formalitatem, addit talis sensibilitas equi supra rationem communem sensibilitatis, ac vitæ, quam vocabulum proprietatis cuiusdam equi quarto modo? Ecquid denique dualitas, qua solet significari differentia quædam infima numeri, quam totius speciei nomenclatura, aut apprehensio, qua dicitur vltimò differre cognitio, vt sic, à iudicio, & discursu, quam vox integræ etiam speciei?

Et quidem hoc haud mirum vlli debet contingere, rem si recte perpendat. Namque voces subtilitatem intellectus nequaquam possunt assequi: proinde licet intellectus valeat secernere differentias infimas specierum, tum à quauis complexione differentiarum subalternarum, tum à speciebus ipsis, tum etiam ab earum proprietatibus quarto modo, haud propterea fiet, id posse facultatem elocutiuam. Rursus secundo iuxtà nostra principia nulla res est, quæ non sit in formalitates infinitas, virtualiter distinctas sectilis: & tamen non suppetunt nobis infinita nomina ad eas inuicem secernendas, & seorsim exprimendas: similiter ergo quanquam differentiæ specierum infimæ à generibus, & proprietatibus suis adæquatè, & speciebus inadæquate distinguantur, non ob id necessum est, eas propria sibi, ac distincta nomina vendicare. Præterea tertio, id colligi videtur ex Aristotele Poster. tex. 27. vbi quod ait differentias *in plus esse, quam species*, seu speciebus vniuersaliores, de differentiis nobis quidditatiuè notis explicant Peripatetici omnes, quasi nimirum Aristoteles differentias nobis, ita notas, speciebus magis vniuersales, ac subalternas esse assereret: iuxtà eum ergò differentiæ infimæ specierum, quidditatiua, & exacta ratione nobis sunt ignotæ: quid mirum ergo, si propriis nominibus designari nequeant, & aliena sibi arrogent? Etenim ex inopia conceptus proprij &, quidditatiui, proprij nominis inopia non potest non proficisci: Hoc pacto per pronomen, *hoc*, aut, *illud*, & similia indiuiduationem Petri designamus, cum tamen eiusmodi voces demonstratiuæ cuiuis alij indiuiduationi sint communes, videlicet quia indiuiduationem Petri stricte definire, & eius à quauis alia disconuenientiam, & veluti dissimilitudinem, quantum satis est, cognoscere haud valemus. Tandem in probationem huius instituti multa sunt à nobis adducenda metaph. lib. 5. tract. 1. nuper citatis. 32

Hinc respondeo ad primum argumentum contrarium eorum, quæ sunt initio capitis præcedentis proposita. Quemadmodũ genus supremũ, quod illud cunque sit, & siue ens, siue substantia v.g. per genus, & differentiam definiri nequit, cum genus superius supremo dari non possit, ita similiter nihil incommodi in eo videtur esse, quod differentia infima cuiusuis speciei porrò definiri nequeat per genus, & differentiam. Deinde respondeo: differentiam infimam equi v. g. ad quam significandam translatum est hinnibile, fortasse definiri posse per aliquod genus; non illud tamen, cum quo speciem velut pars constituit, animal v. g. de quo solo est quæstio, sed per aliud nobis ignotum, & innominatum, haud secus, ac ipsa differentia infima equi, & cuiusuis alterius speciei nobis quidditatiuè nota non est, nec proprio aliquo indigitata vocabulo. 33

Ad secundum respondeo, ens non includi formaliter in differentia vlla infima, vt late, & ex professo 34

profesſo oſtendendum eſt citato libro 5. metaph. tract. 1. Deinde eſto includatur; quid inde? id certè ab eius ſimplicitate, ac ſubtilitate proficiſcitur: quo enim ſimplicior, & ſubtilior eſt res aliqua eo magis penetrat, ſeſeque immiſcet, vt cernere datur in rebus phyſicis: ens autem vniuerſalitatis ſuæ gratia ſimpliciſſimum, ac ſubtiliſſimum eſt, omniſque compoſitionis etiam metaphyſicæ, ſeu logicæ exors ſuapte natura: mirum ergo non eſt, quod conceptus omnes etiam vltimos penetrare poſſit, & petat, eoſque magis tranſcendere, quam genus ſibi ſubiectum, & differentia ſubalterna, quæ, vt vniuerſalitatem, ſic etiam ſimplicitatem ac ſubtilitatem entis minimè attingunt.

35 Ad tertium reſpondeo: ſicut nihil eſt, aut eſſe poteſt obiectum huius actus, *intellectio diuina*, quod non ſit quodammodo obiectum actus, qui huic voci, *volitio diuina*, reſpondet: & tamen intellectio diuina ab eius volitione diſtinguitur; idemque in miſericordia, & iuſtitia, aliiſque Dei attributis accidit; ita ſimiliter, eſto, nihil ſit, eſſeve poſſit obiectum huius actus, *hinnibile*, quod non ſit obiectum huius actus *animal*, non propterea hinnibile, quodve per illud tranſlatiue aut, ſi mauis, propriè ſignificatur, erit formaliter animal. Ratio autem, cur equus ſit formaliter animal, non eſt ea, quam intendunt aduerſarij, ſed potius compoſitio, qua equus ex animali, & hinnibili metaphyſicè, ſeu logicè componitur: partem autem metaphyſicam in concreto ſumptam de toto metaphyſico eadem vſurpatorratione formaliter prædicari apud omnes confeſſa res eſt, atque manifeſta: quæ ratio non procedit in differentia infima equi, ad quam ſignificandam tranſlatum eſt hinnibilis vocabulum: quippe quæ ex animali non componitur, aliàs non tam differentia futura eſſet, quam tota ſpecies, vt ſuprà arguebamus. Ad hæc ſecundò: quidquid ſit, an omne, quod eſt obiectum actus reſpondentis propriè aut translatiuè huic voci, *hinnibile*, ſit obiectum actus ſubiecti huic voci, *animal*, obiectum, inquam, materialiter & implicitè: at certè tale non eſt formaliter, & explicitè, cum noſtris in principiis intellectus poſſit, & ſoleat obiectiuè præſcindere alterutram earum formalitatum ab altera, quæ eſt earum virtualis diſtinctio, & hæc reciproca, valenſque retrorſum.

36 Ad quartum reſpondeo. Hinnitus non eſt formaliter ſenſatio, & vita, cum equum hinnire, ſaltem diuinitus accidere poſſit, quin hinnitum ſentiat, ſeve hinnire aduertat: quare non eſt cur hinnibile, aut principium hinnitus propriè ſumptum ſit formaliter principium vitæ, & ſenſationis, ſeu viuens, & ſenſibile. Inſuper tranſeat, hinnitum, propriè loquendo, eſſe vitam, & ſenſationem equi, adeoque hinnibile eadem proprietate eſſe principium vitæ, & ſenſationis ſiue viuens ſenſibile; hoc ſanè id tantum conuincitur, differentiam quandam notam, ac nominatam equi, eoque ipſo non minus latè fuſam includere genus, ac differentiam ſubalternam: nos autem haud aliud ſtatuimus ſuprà, quam differentiam infimam equi quidditatiuè ignotam, ac propriè innominatam, nec niſi in hinnibili latentem non tranſcendi formaliter à genere animalis, diſſerentiaque ſubalterna.

37 Ad quintum reſpondeo: differentia infima ſimplex eſt, & ex pluribus ſubalternis minimè compoſita: tum, quia differentia indiuidualis eſt ſimplex, & nequaquam coaleſcens ex aggregatione plurium accidentium, vt plures Thomiſtæ cenſent, aduerſus quos tamen agendum eſt in metaphyſica: tum etiam quia in compoſitione phyſica forma ſpecifica, & infima, hominis v.g. ſimplex eſt, omnium conſenſu; etquidem iure optimo, cum ſit ſpiritualis: ſimiliter ergò in metaphyſica compoſitione differentia ſpecifica, & infima hominis ſimplex erit, & non plurium ſubalternarum cumulus. Atque ita de ea & de quacunque aliâ cenſent Conimbricenſes, Fonſeca, & plerique authores pro noſtra opinione laudati ſuperius.

Ad primam probationem oppoſitam dicendum 38
eſt, rationale propriè ſumptum eſſe quidem formaliter ſenſitiuum, & intellectiuum, adeoque complexionem quandam plurium differentiarum ſubalternarum: cæterum ita vſurpatum haud eſſe differentiam infimam hominis, ſed quatenus transfertur ad ſignificandum id, quod vis intellectiua hominis ſeorſim à gradu ſenſitiui addit ſuprà vim intellectricem in communi, idque penes quod ab ea virtualiter diſtinguitur: huiuſmodi autem occulta formalitas, nec niſi impropriè per rationalitatem ſignificata non eſt ſenſitiuum, & intellectiuum, nec eſſe probatur argumento contrario: erit ergo ſimplex, & incompoſita.

Ad ſecundam probationem contrariam dicen- 39
dum eſt, hoc, quod eſt actum eſſe ſimul practicum, & ſpeculatiuum, ſeu mixti generis, nequaquam eſſe differentiam infimam actus intellectus, cum actus mixtus in tali, ac tali modo mixtum diuidi poſſit vlterius; quemadmodum ſenſibile diuiduum eſt in hoc, & illo modo ſenſibile, humanum ſcilicet, & belluinum. Cæterum vbi ſemel differentia ſuperior ſit incluſa formaliter in inferiori, qualis eſt actum intellectus eſſe mixtum reſpectu practici abſolutè, non erit cur includi nequeat in infima. Proinde ſecundò reſpondeo, actum ſimul practicum, & ſpeculatiuum eſſe duos actus ratione diſtinctos, duabuſque differentiis ratione diſtinctis conſtare, ex quibus vna differentia, ratione noſtra componi nequit: ad modum, quo ex genere, & differentia vna ſpecies coaleſcit: quare, tametſi practicum abſolutè ſit de conceptu, & quidditate practici ſimul, & ſpeculatiui, non ob id differentia ſubalterna erit de conceptu formali infimæ, ſed vna infima de conceptu duplicis infimæ, aut, ſi mauis, vna ſubalterna de conceptu duplicis ſubalternæ; provt nimirum quiſque eas differentias practici, & ſpeculationis habuerit, & ſiue eas in actu illo mixto, ac ratione noſtra, duplici, malit infimas, ſiue ſubalternas.

Hæc dicta ſunto iuxta magis communem: & à no- 40
bis etiam receptam ſententiam, penes quam formalitatum virtualiter diſtinctarum inuicem quæuis eſt indiuiſibilis. Quod ſi infinitarum formalitatum nulla non ſit infinities diuiſibilis, vt tanquam probabile admittemus in loco; ita quidem fatendum eſt differentiam infimam, & ſpecificam: haud eſſe ſimplicem omni ſenſu, ſed aliquo compoſitam: cæterum ea compoſitio non eſt differentiarum ſubalternarum quam ſolummodo refutamus, ſed aliarum formalitatum inferiorum. Itaque differentia infima equi, v.g. ad quam, vt toties dictum eſt, ſignificãdam translata eſt hinnibilitas, haud eſt compoſita ex differentia viuentis, & differentia ſenſibilis, aliiſque innumeris id genus; ſed potius eius infinita compoſitio, & numeroſitas haurienda eſt ex aliis gradibus metaphyſicis quibus nimirum, vel infinitas partes continuas materiæ, vel, ſi mauis, formæ reſpiciat, aut certè aliqua alia connotata numero omni carentia. Maneat ergo, tum ei differentiæ, tum cuiuis alteri infimæ, eam conſtare ſimplicitatem, qua de loquimur, tametſi ſit expers alterius ſimplicitatis, quæ

est extrà præsentem controuersiam, quæque potius spectat ad aliam. Vt autem eo vndè digressus sum, reuertar, alia solutio superioris argumenti ordine quinti; nimirum ea, qua mox fiet satis, tum sexto, tum etiam septimo.

41 Ad quæ respondeo; binarium, ternarium, & sequentes sine fine combinationes esse differentias numeri, & apprehensiuum, iudicatiuum, & discursiuum esse quoque differentias actus intellectus nostri: cæterum alterutras differentias esse nominatas & speciebus suis paret, ab eisque prorsus indistinctas: Quare, quod includant genus, nihil aliud esse, quam hoc in speciebus formaliter claudi. At in præsenti sermo nobis est duntaxat de differentiis numeri, & cognitionis à speciebus suis distinctis, iisque minus latè fusis, & quæ tametsi per binarium, ternarium, &c. nec non apprehensiuum, iudicatiuum, & discursiuum translatitiè, & impropriè significentur; at propriis sint destitutæ nominibus, & hoc sensu occultæ, & innominatæ: Huiusmodi autem in differentiis, ecquis non videat, nihil habere roboris sextum, & septimum argumentum aduersus nostram obiecta sententiam? Ea ergo est contrariæ præferenda,

CAPVT V.

Duæ aliæ difficultates circa diuisionem differentiæ in infimam, & subalternam.

42 PRior est, quatenus, tum ipsum diuisum, tum etiam membra diuidentia sint abstractioni obnoxia? Cui respondeo triplici assertione. Assero igitur primò: differentia infima, speciesque vltimò constitutiua nequit ab hac, & illa abstrahi. Suadetur autem: quia magis distat vna differentia specifica ab alia, quam vnum indiuiduum ab alio, cum eiusmodi differentiæ sint dissimiles, indiuidua vero non tam dissimilia sint, quam distincta: Sed indiuidua ita distant inuicem, vt conuenire, & coalescere nequeant in vnam, eandemque rationem communem: id ipsum ergo dicendum est à fortiori, vt aiunt, de differentiis specierum infimis. Rursus secundo, quia alioqui ratio illa communis, & abstracta differentiæ infimæ foret, & non foret differentia infima. Neque non sequeretur processus in infinitum in differentiis specierum vltimis; & alia incommoda quæ supra tract. 4. probatum est sequi ex ratione communi indiuidui.

43 Assero secundo: Nequit etiam abstrahi ratio communis differentiæ ab infima, & subalterna. Probatur assertio hunc in modum. Nam ratio illa communis, & abstracta esset, & non esset differentia subalterna, repugnat ergo: non esset; quemadmodum enim animal vt sic non est formaliter homo, à quo abstrahitur, ita etiam differentia hoc ipso, quod sit abstracta ab infima, & subalterna nequit esse formaliter subalterna: Deinde esset necessaria ratione subalterna, quæ est altera pars contradictionis: siquidem differentia subalterna est ea, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie, atque, vt visum est superius, hoc solo differt ab infima: sed ratio communis differentiæ abstracta ab infima, & subalterna de his, ac proinde de pluribus differentibus specie prædicatur: quid ergo ei deesse potest, ad rationem differentiæ subalternæ?

44 Respondebit fortasse aliquis huic argumento, differentiam vt sic, & vniuersalissimè sumptam non esse formaliter subalternam, quia, licèt prædicetur de pluribus differentibus specie, non tamen in quale quid, sed in quid: cuius ratio est, quoniam hæc, & illa differentia hinnibile v.g. & sensibile, ita sunt institutæ, vt respectu illarum differentia vt sic, non sit differentia, sed genus, vti accidens respectu huius. & illius est genus, & non accidens in actu exercito, vt aiunt, sed impropriè, & in actu signato ad summum: proinde ratio differentiæ abstracta, de qua est in præsenti quæstio, non est subalterna differentia; oportet enim, hanc prædicari de pluribus differentibus specie in quale quid, & non in quid, siue instar generis.

Verum si differentia vt sic, & latissimè fusa est genus respectu huius, & illius differentiæ; cedo, quorum inferiorum respectu sit differentia? atque idem redibit argumentum: nulla certe possunt assignari, quam genera, & species, quæ differentiam illam in communi provt contractam per suas peculiares inuoluunt: differentia ergo in communi, qua de loquimur, prædicatur de pluribus generibus, ac de pluribus speciebus in quale quid: ergò prædicatur velut differentia & in quale de pluribus differentibus specie, & quod plus est genere etiam: nisi vero species differre specie, & genera genere ausis inficiari; ergo est formaliter subalterna: quod tamen repugnat, cum ab ea abstrahatur non minus, quam ab infima. 45

Præterea differentia vt sic, semel admissa, est prædicabilis in quale quid de aliquibus multis: at non de multis solo numero differentibus: ergo etiam de pluribus specie differentibus; quemadmodum oportet, vt sit formaliter differentia subalterna: Maior est citra dubium: minor suadetur: si differentia vt sic esset restricta ad inferiora solo numero differentia, sanè nulla esset differentia particularis, quæ prædicari posset, nisi de inferioribus solo numero diuersis: adeoque nulla esset subalterna: quemadmodum, si prædicabile vt sic ad sola inferiora similia sponte sua restrictum esset, profectò nullum ex quinque prædicabilibus in particulari alia inferiora præterquam similia posset vendicare. Nec valet, si respondeas, præscindi ab eo, quod inferiora differentiæ vt sic debeant esse solo numero, vel etiam specie differentia inuicem: Namque eiusmodi præcisio est coniuncta cum aptitudine, & non repugnantia quadam differentiæ, vt sic ad inferiora specie diuersa: hoc autem satis, superque est, vt sit formaliter subalterna. 46

Assero tertiò: probabilius videtur, ab hac, & illa differentia subalterna abstrahi posse rationem communem, atque vniuersalem differentiæ subalternæ. Suadetur primò: quoniam nulla repugnantia earum, quas paulo suprà comperimus in abstractione differentiæ infimæ vt sic ab hac, & illa, aut differentiæ latissimè fusæ ab infima, & subalterna procedit in ratione communi, & abstracta differentiæ subalternæ, vt intuenti palam erit: quorsum ergo negetur? Secundo, quia genus in communi abstrahitur ab omnibus generibus in particulari: quid ni ergo differentia subalterna ab hac, & illa? 47

Contra tertiam hanc, & postremam assertionem nihil video, quod difficultatem possit aliquam facessere. Contra secundam illud potest obiici: nisi detur ratio communis, & abstracta differentiæ vt sic ab omnibus, & singulis, fieri non posse, vt differentia sit vnum prædicabile: Consequens autem est absurdum. Sed respondeo; tametsi ratio communis, & vniuoca differentiæ latissime fusæ neuriquam detur, nihilominus 48

nihilominus differentiam vt sic vnum prædicabile posse quoddammodo constituere, sicut ad numerum quinque prædicabilium oportet : namque necessum non est, vt tertium prædicabile sit aliter vnum, quam vnitate solius aggregationis : quod etiam de genere primo prædicabili, non vera, at certe communis antiquorum sententia tradit, vt liquet ex dictis supra tract. primo. Contra primam assertionem obiici potest. Differentia infima, siue specifica hominis v.g. est propriè differentia infima: similiter equina, & quæcunque alia: omnes ergo sunt similes in conceptu differentiæ infimæ : hæc ergo ab eis poterit abstrahi : Sed huic argumento, & multis aliis id genus in simili responsum est supra tract. 4. cum esset de ratione communi indiuidui sermo.

49 Posterior difficultas circà prædictam diuisionem differentiæ in infimam, & subalternam est, an ambæ ad vnum, idemque prædicabile attineant. Abraham de Raconis in sua logica, & quidam alij negant : Nam si genus, inquiunt, & species sunt diuersa prædicabilia, & non vnum, quia genus de pluribus differentibus specie in quid, & species de pluribus differentibus solo numero prædicatur in quid; non est, quapropter differentia infima, & subalterna non sint aliud, & aliud prædicabile, siquidem altera de pluribus specie differentibus in quale quid, & altera de pluribus solo numero differentibus in quale quid prædicatur. Cæterum opposita sententia est tanquam verior amplectenda: tum, quia est Porphyrij, & plerorumque Dialecticorum: tum etiam, quia ratio contraria nihil vrget : namque genus incompletè, & species completè prædicatur, idque, vt visum est in loco, ex adducta vtriusque definitione apertè colligitur : quocirca, non est, cur iuxtà eam non sint diuersa prædicabilia : cæterum differentia vltima, & subalterna, id commune habent, vt earum alterutra prædicetur incompletè, & velut pars metaphysica; proinde ad idem prædicabile pertinebunt : quod autem altera vltimò, & altera non vltimò prædicetur, nequaquam obest; aliàs genus supremum, & infimum ad diuersa prædicabilia spectarent.

50 At dices ex Arriaga : per differentiam infimam, ac speciei parem, res omnis completè, siue adæquatè differt ab alia, eivè est dissimilis, cum nihil sit, à quo vi illius, ita non dissideat : at per subalternam vna res tantum inadæquatè, & incompletè à quauis alia, cum vi illius tantum disseparetur à rebus, quæ non sunt eiusdem secum generis, non vero ab iis, quæ sub eodem, cum ipsa cohibentur genere: Quemadmodum ergo genus, & species sunt duo prædicabilia propter rationem à nobis traditam, ita etiam ambæ differentiæ, de quibus est quæstio. Respondeo, vtramque differentiam prædicari incompletè: aliud enim est facere differre, aliud prædicari: nam genus non facit differre, & tamen prædicatur : quocircà, licet differentia infima faciat rem completè differre, non ob id prædicatur complete: Ratio autem, quapropter genus est diuersum prædicabile ab specie iuxtà nos, est, quia hæc dicitur in quid complete, illud vero incompletè : istiusmodi verò ratio, neutiquam procedit in differentia infima, & subalterna : non est ergo, quod ambæ non possint reduci ad vnum, idemque prædicabile.

TRACTATVS VI.

De proprio, & accidenti.

CAPVT I.

De Proprio.

PROPRIVM (à Porphyrio in præsentiarum capite quarto quàdrupliciter diuiditur. Primum est, quod soli alicui speciei conuenit, non tamen omni : vt esse musicum strictè loquendo soli competit homini, non cuicunque tamen. Secundum est, quod omni conuenit, non tamen soli, vt esse bipedem, omnis enim homo suapte natura bipes est, non tamen solus, cum alites etiam eam vendicent proprietatem. Tertium est, quod omni, & soli, non tamen semper congruit : quo pacto se habet ridere respectu hominis. Quartum est, quod omni, soli, & semper congruit, veluti eiusdem hominis intuitu risibile : quocirca in prædictis definitionibus vti syncategorema, *soli*, suprà speciem, ita syncategorema, *omni*, supra indiuiduum appellat. 1

Quale proprium ex his quatuor strictè proprium sit, & quartum predicabile constituat maiori contentione, quam vtilitate decertatur inter authores. Inprimis proprium primo modo stricta ratione proprium non esse, & ad quartum prædicabile non spectare mihi est exploratum : quis enim sentiat, proprietatem strictam hominis id esse, quod fere nulli homini conuenit : at proprium primo modo est huiusmodi; siquidem esse summum oratorem, dialecticorum principem, & his similia soli homini, non tamen omni, aut semper conueniunt, cum nemo fermè sit, qui eo peruenire possit, & pauci, qui eo prope accedant. Deinde propriù secundo modo ad quartum predicabile non spectare, & proprie proprium non esse, ita suadeo: quod homini cum alio commune est, ei strictè propriù non est, cum proprium, & commune opponantur : at esse bipedem homini cum aliis speciebus commune est: Idem de proprio tertio modo dicendum est, quia duo opposita nequeunt esse strictæ proprietates eiusdem rei, cum oppositæ proprietates oppositas, & diuersas essentias omnium consensu postulent: at si proprium tertio modo propriè tale esset, idem oppositas proprietates suo sibi iure vendicaret : ergò &c. minor, quæ sola videtur egere probamento, hunc in modum probatur : assentiri actu, vt aiunt, secundo omni, & soli intellectui, non tamen semper conuenit: idemque de hoc, quod est dissentiri pariter dicendum est : is ergo conueniendi modus, si ad proprium stricte sumptum sufficit, intellectus vt sic, & quæuis alia essentia oppositas, & repugnantes proprietates sibi vendicabit. 2

Quare proprium quarto modo solum stricte, tale est, & ad quartum prædicabile spectat : id quod Aristoteles 4. top. expressè docuit : *proprium* (inquiens) *est quod soli inest, & conuersim prædicatur de re, nemo enim proprium dixerit, quod contigerit alij inesse* : Ex quibus verbis in hunc modum argumentor : quod conuersim prædicatur de aliquo subiecto, omni, soli, & semper tali subiecto conuenit: at proprium simpliciter, & strictè sumptum con- 3

uersim prædicatur, siue quod iuxtà est, cum subiecto conuertitur. Hanc etiam fuisse mentem Porphyrij simili quodam ostendo: quia in cap. de differentia eam diuidit in communem, propriam, & propriissimam, ibique solam vltimam ad tertium prædicabile de quo agit, spectare censet, vt Conimbricenses hic, & reliqui interpretes eum censuisse tradunt: ergo in cap. de proprio ita illud in quatuor genera diuidit, vt solum vltimum ad proprium quartum prædicabile, de quo agit, reuocasse censeatur, cum Aristotele, ac Porphyrio B. Thom. Caiet. Sotus, Tolet. & plerique alij consentiunt.

4 Quod autem docet Hurtadus, omnia quatuor exigere subiectum, licet ea subiectum è conuerso non exigat, atque adeo omnia, & singula esse strictè propria, & ad hoc prædicabile attinere; hoc inquam non vrget: quoniam, vt aliquid sit proprium strictè alicui subiecto, huius potissimè attendi debet exigentia; alioqui gratia esset stricta, ac rigorosa proprietas voluntatis naturalis, cum hæc eam exigat, tametsi ab ea non exigatur, & similiter vnio, munere cuius vnitur aquæ calor, futura esset aquæ proprietas vera, & propria: quod quis credat, cum aqua eam vnionem abhorreat, eamque quam primum potest, à se depellat. Quod verò Arriaga solum secundum excludit, & reliqua, quæ soli conueniunt speciei, strictè propria appellat, ex dictis haud ægrè potest confutari.

5 Proprium autem quarto modo sumptum, quartumque prædicabile constituens interdum cum essentia realiter identificatur: id, quod omnes fatentur & constat ex Porphyrio, qui in risibili exemplum huius prædicabilis adhibuit: interdum verò ab essentia realiter distinguitur: qua ratione Aristoteles cap. 4. de sensu, & sensibili primas qualitates, videlicet calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem proprietas elementorum asseruit: idem vlterius suaderi potest ex numero prædicabilium à Porphyrio tradito: quoniam accidens commune ad prædicabile diuersum pertinet à proprio realiter distincto, cum ad argumentandum, & veritatem colligendam, ad quam prædicabilia præcipuè destinantur, longe aliter vtrumque conducat; eo quod ab illo ad essentiam aut è conuerso argui nequeat; possit verò ab hoc, vt intuenti constabit: proprium ergò ab essentia realiter distinctum ad idem prædicabile, ad quod indistinctum spectat, aliàs prædicabilia plura, quàm quinque forent, videlicet præter tria prima, proprium realiter indistinctum ab essentia, quod omnium consensu quarti prædicabilis est, & proprium ab essentia distinctum, quod hi authores ad diuersum prædicabile à quarto reuocant & accidens commune, quod à proprio realiter distincto distinctum prædicabile constituere iamiam probauimus.

6 Verùm inquies contrà: Accidens commune, & proprium ab essentia realiter distinctum ad idem prædicabile spectant: ergò si proprium realiter distinctum ad quartum attinet prædicabile, & accidens commune ad idem attinebit: ac proinde prædicabilia quatuor tantum erunt, quod non minus est absurdum, quam si sex, aut plura essent: consequentia, vna eademque opera proposita est, atque probata: suadetur antecedens; quoniam accidens commune, & proprium realiter distinctum ab essentia in maiori, & minori connexione cum subiecto solum differunt: at hoc non sufficit ad diuersa prædicabilia inuehenda, aliàs proprium ab essentia realiter distinctum, & quod est ab ea indistinctum diuersa forent prædicabilia, quandoquidem eorum connexio cum essentia inæqualis est, & alterum magis, alterum minus, alterum per identitatem, alterum per vnionem meram cum illa connectitur. Quod argumentum ita confirmabis, & declarabis: hæc prædicatio, *aqua est calida*, & hæc, *aqua est frigida*, in modo prædicandi non dissident, vt videtur sponte sua manifestum: ergo ad idem prædicabile spectant, cum tamen altera sit accidentis communis, & altera proprij realiter distincti, ac proinde hoc ad quintum, & non ad quartum prædicabile attinebit.

Cæterum respondeo, & satis ex facili, accidens commune, & proprium ab essentia realiter distinctum ad diuisum prædicabile spectant ratione maioris & minoris connexionis, quia ea maior, & minor connexio ad arguendam veritatem, quæ prædicabilium, & totius logicæ finis est, diuerso modo cõducit: quæ ratio in diuersa cõnexione vtriusque proprij, distincti, scilicet, & indistincti, nequaquam procedit, cum ea diuersitas ad arguendum impertinens sit, eodemque modo ex vtroque proprio colligi possit essentia, & è contrario, videlicet, quia vtrumque cum essentia conuertitur. Confirmatio argumenti, haud est eo magis momentosa: quod enim in illa supponitur esse manifestum, est manifestè falsum: vti namque prædicari vt totam essentiam, vel vt partem essentiæ, genus, & speciem in modo prædicandi variant, ita similiter prædicari cum connexione subiecti cum prædicato, eaque reciproca, & adæquata, siue totali, aut sine illa accidens, & proprium ab essentia distinctum in modo prædicandi poterunt variare: præsertim cum eo faciat ratio in argumenti adducta responso. 7

Illud autem aduertendum est, vt Porphyriana definitio sustineri possit, ita intelligendam esse, vt proprium essentiæ iam completæ, attenta præuia exigentia ipsius, ei soli, omni, & semper conueniat: tum quia rationale omni homini, soli, & semper competit, & tamen proprium non est, eo quod essentia completè minimè superueniat, sed potius eam constituat: tum, quia, si omnis substantia rationalis creata ab initio suæ creationis in gratia confirmaretur, vt aiunt, gratia omnis substantiæ naturali creatæ, & soli, & semper conueniret: & tamen gratia eius substantiæ rationalis, ac naturalis proprietas dici non posset, videlicet, quia natura gratiam prius, quam eam recipiat exigere nequit, aut postulare. 8

Alij, & quidem satis expeditè, & bene proprium quartum prædicabile definiunt, *quod prædicatur de pluribus in quale per se*. Alij, *quod prædicatur de pluribus in quale necessariò*. Alij, *quod in quale conuertibiliter*, subaudi attenta naturali exigentia subiecti, quæ omnes definitiones in eandem recidunt. Cæterũ oppones, & aduersus has postremas definitiones proprij, & etiam contra alias accidentis, quibus hoc etiam in quale prædicari, tametsi non necessariò, per se, aut conuertibiliter asseremus inferius: tum proprium, tum etiam accidens prædicari in quale quid, & non in quale tantum: Ita enim videtur censuisse Damascenus in dialect. cap. 9. in hæc verba *genus & species in eo, quod quid est prædicantur, differentia autem substantialis, & accidentalis, id est accidens, & proprium in eo, quod quale quid est, prædicantur.* 9

Respondeo, si sumantur proprium, & accidens, cuiusmodi sunt v.g. risibile, & album, vt sunt differentiæ quædam nominatæ, inuoluere intimè, & formaliter gradum entis, & fortasse alios inferiores ente, genera nimirum aliqua, atque ita prædicari in quale quid: in quid; quia sic prædicantur ens, & genera inferiora: in quale, propter id, quod eiusmodi rationibus supremis addunt: cæterum ita sumpta non esse 10

rigo

rigorosè proprium, & accidens, sed complexionem quandam horum, nec non graduum, quos contrahunt: Sin autem sumantur magis strictè, & penes occultam illam, & innominatam formalitatem, qua secernuntur à generibus, & ente cunctis superiori; ita quidem haud prædicari in quale quid, sed in quale tantùm. Prius illud duntaxat voluit Damascenus, & à nobis latè probandum est in Metaphysica lib. 5. tract. 1. per totum. Posterius verò, quod ad sufficientiam earum, quas tradidimus, definitionum satis, superque est, nec à Damasceno negatum est, nec ab vllo potest negari, nisi iniuria, & absque vlla verisimilitudine.

11 Confirmatur hæc solutio: Quoniam differentiæ infimæ, si de notis, ac nominatis fit sermo, sunt totæ species, atque instar harum prædicantur complete, vti tract. præterito cap. penultimo visum est. vtque indicat Aristoteles lib. 7. metaph. lect. 12. *Si itaque* (inquiens) *hæc sic se habent; palam, quia differentia finalis rei substantia erit, & definitio,* & paulo post: *Si quidem igitur differentiæ differentia fiat, vna erit, quæ finalis species, & substantia.* At quia differentiæ infimæ propriè sumptæ, & quatenus nobis ignotæ, & innominatæ prædicantur incomplete, idcirco absolutè loquendo differentiæ infimæ censentur prædicari incomplete, & à speciebus differre suis: Similiter ergo, licet proprium, & accidens provt notitiis, ac nominibus subsunt nostris, prædicentur in quale quid; tamen, quoniam aliter vsurpata, & provt latent in iis, quæ nobis nota sunt, ac nominata dicuntur tantum in quale, hoc sufficiet, vt præcisè loquendo ita censeantur enunciari. Hæc de mente Damasceni. Fortasse tamen nomine proprij intellexit, quod à nobis, ac ceteris appellatur differentia propriissima, & nomine accidentis, quod reliqui vocamus, tum proprium, tum etiam accidens: ita verò sires habet, perspicuum est nostris definitionibus eum haud refragari.

CAPVT II.

De Accidenti.

12 Accidens quintum prædicabile definit Porphyrius: quod potest adesse, & abesse, absque subiecti corruptione. Quam definitionem falsam esse, & velut Græculam reiiciendam censent Laurentius Valla lib. 6. elegantiarum cap. 34. & Erasmus Roterodamus in epitome eiusdem operis littera. *P.* verbo *persona*: Quid tamen hi Grammatistæ censeant, parum est curandum: standumque potius plerorumque auctoritati Philosophorum, quibus communiter ea placet definitio. Eam certe iam olim amplexus est Lucretius Carus, non solum Philosophus, sed etiam cultissimus Poëta, & hac de causa maius fortasse authoritatis pondus apud Erasmum & Vallam habiturus; namque de proprio quod coniunctum & de accidente, quod euentum nominat, sic disserit lib. 1. de natura rerum haud multum ab initio:

Coniunctum est id, quod nunquam sine perniciali
Discidio potis est seiungi, seque gregari:
Pondus vti saxis, calor ignibus, liquor aquai
Tactus corporibus cunctis, intactus inani.
Seruitium contra, libertas diuitiæque
Paupertas, bellum, concordia, cætera, quorum
Aduentu manet incolumis natura, abituque:
Hæc soliti sumus, vt par est, euenta vocare.

En & quidem dissertissimè accidentis à proprio seu coniuncto distinctionem, eiusque provt sic distincti nostram & communem definitionem. Quo autem melius intelligatur, obiicies aduersus eam primò: mors est accidens animalis: at ei adesse & abesse nequit sine illius corruptione: abesse enim potest sine ea, non tamen adesse, cum ipsa sit formaliter corruptio animalis.

Respondeo primò: particulam, *&*, in ea definitione 13
sumi, non copulatiue, sed disiunctiue: ac vim habere huius particulæ, *vel*, veluti cum dico, *potest voluntas amare, & odisse, & intellectus assentiri, & dissentiri*, vtrobique particula, *&*, perinde est, atque, *vel*. Ita autem intellecta definitione Porphyriana nihil habet aduersus eam ponderis obiectio facta. Respondeo secundò: Mors eo modo, quo est accidens, animalis, ei potest abesse, ac tum etiam adesse, quin illud corrumpat, destruatve, adest enim ei, non physicè, sed intentionaliter, seu denominativè, quoniam animal dicitur mori: At intentionaliter non corrumpitur esto ei adsit mors, sed potius ita manet: quid enim euidentius est, quam animal manere in meo intellectu quoties de eo, quod moriatur, affirmo. Quocircà destructio illa, siue corruptio subiecti, de qua est sermo in definitione, non semper est realis, sed intentionalis, seu mentalis aliquando. Qui autem mortem, aut, quod perinde est, calorem mortiferum, ac feralem, non tam animalis, quam materiæ accidentia volunt, haud sunt audiendi: quoniam etiam animali non inhæsiuè, & physice, at intentionaliter, & denominatiue mors & calor immodicus conueniunt, cum animal mori, & calescere, atque ardere dicatur, quod satis est, vt eius accidens logicum censeatur, de quo solo, & non de physico, disputamus inpræsentiarum.

Obiicies aduersus eandem accidentis definitionem 14
secundò ita. Vel in ea sermo est de separabilitate reali: & sic definitio non conuenit omni definito, cum plura accidentia à suis subiectis absque eorum corruptione realiter separari nequeant, vt in nigredine corui, aut Æthiopis cernere est: Vel sermo est de separabilitate rationis, aut mentali, qua præscindendo ab accidenti concipere possumus integram subiecti essentiam, & sic definitio conuenit alij à definito, nimirum proprio quarto prædicabili: siquidem eo per intellectum circumscripto adhuc concipere possumus integram rei essentiam, vtpotè quæ ab eiusmodi proprio saltem ratione distinguitur, eoque est ratione prior.

Huic obiectioni Cardinalis Bellarminus lib. de 15
amissione gratiæ capite 3. Toletus, Caietanus, Conimbricenses, & alij, quibus subscribo, communiter respondent, separabilitatem rationis duplicem esse, aliam præcisiuam, qua essentia subiecti præscinditur ab accidenti; & hanc ei cum proprio communem esse: aliam negatiuam, qua videlicet accidens ob exigentiam intrinsecam subiecti cum eo connecti, & conuerti negatur; & hanc ei cum proprio neutiquam esse communem, vt constat ex cap. præterito. De hac autem sola, non de illa accidentis definitionem procedere. Cui autem ea, quæ tradita est, salebrosa videtur, is accidens in hunc modum definiat: *Quod prædicatur de pluribus in quale contingenter, seu inconuertibiliter*, quod proinde est.

Missis leuioribus dubiis, hoc solum, in præsenti 16
libet disputare, an ad prædicationem accidentis logici inferiorum actualis requiratur existentia?

Raphael

Raphaël Auersa hic quæst. 54. sect. 4. Ioannes de S.Thoma 2.parte log. quæst. 12. Rodericus Arriaga disput.8. log. sect.3. partem negantem tuentur. Quorum sententiam probo, rationes improbo; iisque omissis, hunc in modum argumentor. Non solum hæc prædicatio, *aqua est calida*, ad accidens quintum prædicabile spectat, vt Conimbricenses, & Fonseca nobis aduersarij existimant; verum etiam hæc, *aqua possibiliter est calida*, seu *calida esse potest*? at ad hanc posteriorem prædicationem aquæ existentia non requiritur, quantumuis sit ad priorem requisita; eo quod hæc posterior sit sempiternæ veritatis, & in ea copula, *est*, absoluatur à tempore, cum tamen illa prior oppositio modo se habeat: vt igitur accidens quintum prædicabile de suis prædicetur inferioribus, eorum non postulat existentiam: minor est per se, ac sponte sua manifesta: maior probatur, quoniam non sola aqua possibiliter calida est; & tametsi sola, omnis, & semper eiusmodi esset; non tamen attenta exigentia intrinseca subiecti: haud enim aqua possibilitatem caloris sibi contrarij suapte natura deposcit.

17 Rursus secundo nullo existente subiecto hæ prædicationes; *si Petrus existat, erit albus*; *si Paulus existat, erit etiam albus*, & similes, essent verissimæ: sed eiusmodi prædicationes, quà desinunt, ad accidens quintum prædicabile spectant, cum sint in quale contingenter. Deinde tertiò; hæ prædicationes: *hoc album est album*; *illud album est album*, ad accidens quintum prædicabile pertinent: at veræ sunt nullo subiecto existente, vt aduersus Scotum, & alios suo loco probatum manet: ergo, &c. Maior suadetur quia esse album, licet sit essentiale concreto, quod ei subiicitur concrete sumpto, & secundum id, quod in recto, & obliquo simul importat, tamen ei accidentarium est penes id præcisè, quod inuoluit in recto: illæ ergo prædicationes ad accidens quintum prædicabile ex parte spectant, quamuis partim etiam attineant ad speciem, aliudve prædicabilium essentialiũ: & sanè, sicut idem respectu diuersorum potest esse accidens physicum, & essentia physica, vt in candore respectu sui, & parietis cernere datur, nonest cur idem respectu diuersorum accidens logicũ & essentia logica non sit, atque instar vtriusque non prædicetur.

Præterea quarto: mori, & immodice calescere de animali, tanquam accidens logicum prædicatur: ast animalis non postulat existentiam, sed potius eius non existentiam. Tandem quinto: esse cognitum, esseve volitum, vt aiunt, tanquam accidentia logica enuntiantur, atque ad quintum attinent prædicabile, cum prædicentur in quale contingenter: at, vt proximè prædicari possint, actuque sint vniuersalia, haud semper postulant rem cognitã, & volitam existere; imò potius contrarium haud raro; nimirum quoties futura, vt futura cognoscuntur aut desiderantur.

TRACTATVS VII.
De quinque prædicabilibus respectu Dei.

CAPVT I.
An de Deo, Personisque diuinis aliquod ex quinque Prædicabilibus dici possit?

1 EXplicatis quinque prædicabilibus, restat explicandum, an eorum aliquod, videlicet genus, species, differentia, proprium, aut accidens dici possit de Deo, aut aliquo eius prædicato? Sententiam affirmantem sequor, atque ita suadeo. Substantia est genus: at Deo non minus, quã de creatura dicitur: ergo, &c. Maior probatur: tum quia substantia prædicatur de pluribus differentibus specie in quid, hæc autem est definitio generis: tum etiam, quia substantia primum, & præcipuum prædicamentum est: prædicamenta autem nuncupantur ab omnibus prima decem genera.

2 Rursus secundo suadetur eadem sententia. Relatio vt sic est prædicamentum, & genus: at de diuinis relationibus, Paternitate nimirum, Filiatione, & Spiratione passiua propriissime prædicatur. Ad hæc: ratio personæ vt sic est genus ad creatam, & increatam, cum de iis prædicetur in quid, & eæ specie differant: non enim solo numero dissident, sicut Petrus, v.g. & Paulus, quandoquidem inter se sunt verè dissimiles. Eadem ratione conuinci potest, personam diuinam vt sic, respectu triplicis sibi subiectæ, genus esse.

3 Accedit authoritas Augustini lib. 5. de Trinit. cap. 8. vbi docet, *sacram scripturam de Deo loqui secundum categorias, seu prædicamenta, aliquandò propriè, vt cum spiritus, aut substantia nuncupatur.* Censet ergo prædicamentum, seu genus substantiæ de Deo dici posse. Augustino consentit Damascenus in elementis cap. 8. ibi *substantia, quæ continet supersubstantialiter increatam deitatem, cognoscibiliter autem continet omnem creaturam generalissimum genus est.* Vbi genus substantiam esse, ac de Deo dici clarè existimat. Quod autem ex Augustino, & Damasceno dictum est, Deum esse sub genere generalissimo, seu prædicamento, dictum puta de prædicamento, non physicè, sed metaphysicè sumpto, vt explicandum est ex professo in Metaph. lib. 3. tract. 1.

4 Speciem etiam prædicabilem in Deo locum habere suadeo. Quoniam, aut circà idem obiectum Petrum, v. g. Deo inesse possunt duæ virtualiter scientiæ visionis omninò similes, altera in sensu diuiso alterius, aut non? Si primum? ergò ab vtraque ratio specifica visionis Petri abstrahi poterit: siquidem ad speciem, & quoduis aliud vniuersale inferiora virtualiter, seu ratione ratiocinata distincta sufficere probatum est tract. primo libri superioris. Si secundum: ergò à visione Petri, & visione Pauli eodem modo tendentibus ratio specifica visionis Dei de homine poterit abstrahi: siquidem ratio illa abstracta ideo generica, non specifica esse deberet, quia visio Dei de Petro in alias visiones omninò similes esset vlterius diuidua, sicut de vnione humana comparatione vnionis Petri, & vnionis Pauli suprà philosophati sumus tract. de secundo prædicabili: sed visio Dei de Petro in alias omnino similes indiuidua est, si secundum illud eligatur.

5 Iam de differentia id ipsum suadeo, quia differentia indiuiduè comitatur genus, eique semper adiacet; at de Deo genus, ergo & differentia prædicatur. Deinde cui accidens physicum conuenit, ei accidens logicum quintum prædicabile conuenire potest, vt intuenti perspicuum erit: cui ergò conuenit differentia physica, eidem differentia logica, quæ est tertium prædicabile conueniet: quando igitur Deus omnium confessione physicè, & realiter differt à creatura ei differentia logica nonpoterit non conuenire.

6 Proprium autem quartum prædicabile de Deo dici posse in hunc modum ostendo: Omnis ratio specifica proprietates aliquas strictè sumptas, saltem à se

se realiter indistinctas suo sibi iure vendicat, at de aliquibus prædicatis diuinis ratio specifica prædicari potest: ergò & de iisdem proprietas aliqua stricte sumpta, seu proprium quartum prædicabile poterit enunciari. Sic de tribus personis diuinis esse immensum, æternum, aut infinitum tanquam proprium prædicatur. Accidens verò quintum prædicabile, aut est intrinsecum subiecto, & cum eius mutatione coniunctum: atque ita prædicari nequit de Deo, quippe in quem nulla mutatio, aut vicissitudinis obumbratio cadere potest: aut est extrinsecum subiecto, & cum eius mutatione minimè coniunctum, vt esse cognitum, aut amatum: atque ita, quid vetat illud de Deo prædicari?

7 Contra ea, quæ hactenus disseruimus obiicies primò: si de Deo, genus, & differentia dici possent species ex iis composita de Deo etiam dici valeret: cui enim partes, huic etiam totum potest, ac solet attribui: sed species composita ex genere, & differentia in Deum non conuenit: eiusmodi ergo partes illius metaphysicæ, seu logicæ non possunt in eum conuenire: minor probatur: quoniam actus, & potentia quales sunt genus, & differentia in ordine ad speciem, quam constituunt cum summa simplicitate, & actualitate Dei non cohærent. Obiicies secundò ex Magistro Bañez: omne genus finitam, & limitatam perfectionem importat: siquidem certas, ac destinatas species, non omnes includit: nec mirum id, cum nullum genus species alterius generis cohibeat: at de Deo nihil finitum, aut limitatum dici potest, vt est luce clarius: ergo nec genus.

8 Obiicies tertiò: species prædicabilis de Deo dicta, aut est ratio superior Deo, & creatura: & hoc repugnat, quia ea ratio plura solo numero differentia sub se nequit complecti sicut ad speciem oportet, cũ Deus, & creatura solo numero non differant. Aut est peculiaris Deo: & ita etiam inferiora solo numero differentia infra se nequit intueri: quemadmodum opus est ad speciem, cum nulla prædicata Dei solo numero differre possint, eo quod omnis conceptus solo numero distinctus ab alio cohæreat cum imperfectione, & limitatione, merito cuius totam perfectionem specificam rationis communis claudere, & ambire non potest, vt in indiuiduis hominis v. g. cernere licet. Obiicies demum: ratio personæ diuinæ non respicit plura specie prædicabili differentia, cum nulla persona diuina species sit, aut vniuersalis sed potius quæuis sit singularis, sed sine eo respectu non constat genus, vt cum de eo esset superius sermo, visum est: igitur persona diuina non est genus ad hanc, & illam, illamque. Idem de persona vt sic contemplatione creatæ, & increatæ facilius probari potest, cum videlicet ne mediatè quidem plures species prædicabiles hinc, atque inde respiciat, eo quod persona diuina, non solum species prædicabilis non sit verumetiam illam sub se non contineat, sicut persona creata eam sub se cohibet.

9 Ad primum respondeo: actus, & potentia virtualiter intrinsecè, aut virtualiter extrinsecè tales cum summa simplicitate, & actualitate Dei non repugnant: siquidem Pater æternus ex natura diuina, & personalitate patris tanquam actu, & potentia virtualiter intrinsecè, vel certè extrinsecè distinctis componitur, secundum quid vtique: actus autem, & potentia huiusmodi ad genus, & differentiam, & speciem ex his metaphysicè compositam est sufficiens: proinde genus, & differentia, ac species ex iis coalescens cum simplicitate, & actualitate Dei ritè cohærent.

10 Ad secundum respondeo: Genus omne finitum, & limitatum quoad perfectionem esse minimè oportet, quantumuis finitas, & determinatas numero species includat: quia ex iis speciebus, quæ ei subiiciuntur aliqua infinitæ, & illimitatæ perfectionis esse potest: quare quamuis genus aliquod de Deo prædicetur, non ob id prædicatum aliquod finitum, & limitatum quoad perfectionem de eo poterit enunciari. Quod si finitum, & limitatum, non quoad perfectionem, sed quoad numerum accipiatur, ità tanè quidpiam fine, ac limite coërcitum aliquo poterit in Deum conuenire, cum personæ diuinæ sint numero tres, ac proinde finitæ: quam ob rem, licet genus finitas, ac determinatas numero species sub se claudat, atque adeo in hoc sensu finitum sit, adhuc poterit de Deo dici. Quid? quod omne genus, non finitas numero species, vt argumentum supponit, sed infinitas sub se claudere, in physica ostendendum sit latè, & ex professo.

11 Ad tertium respondeo. Distinctio merè numerica, si simpliciter talis, siue realis sit imperfectionem Deo repugnantem importat, vt argumentum persuadet; secus verò distinctio numerica virtualis, & secundum quid: siquidem quiuis conceptus partialis includit realiter perfectionem rationis specificæ, quæ ab eis abstrahitur: vnde species prædicabilis in Deo locum habere potest, quantumuis inferiora omnino similia, & solo numero distincta respiciat.

12 Ad vltimum respondeo: Genus prædicatur de pluribus specie prædicabili; formaliter, aut, certè virtualiter differentibus, sicut etiam species prædicatur de pluribus numero formaliter, aut solum virtualiter intrinsecè, vel etiam sola ratione extrinseca differẽtibus, vt visum est in loco: Tres autem personæ diuinæ specie prædicabili virtualiter, seu æquiualenter differunt, cum non minus differant, ac dissimiles sint, quam si formaliter species prædicabiles essent: quare persona diuina vt sic esse poterit illarum respectu genus. Quatenus autem persona vt sic, & latissimè fusa contemplatione creatæ, & increatæ genus esse possit, facilius est exposita: nam persona diuina, & persona creata specie prædicabili non solum virtualiter, siue æquiualenter, verumetiam formaliter differunt, quantumuis alteta tantum, videlicet creata speciem prædicabilem concernat, & sub se contineat: sicut enim Deus, & creatura infinitè distare dicuntur, esto alter tantum infinitam perfectionem includat: ita similiter in præsenti, &c. Doctrina hoc capite tradita colludit cum ea, quam tradunt Okamus in 1. distinct. 8. quæst. 5. & Holchot, & Gregorius in 1. etiam distinct. 8. quæst. 3. Gabriël quoque ibidem quæst. 5. ac Marsilius in 1. quæst. 12. art. 2. conc. 6.

CAPVT II.

An præter quinque Prædicabilia sint admittenda respectu Dei, ac trium personarum alia assumptiua dici solita.

13 QVanquam Dei duntaxat verbum caro factum sit; at supponendum est claritatis gratia ex B. Thoma 3. p. q. 3. art. 5. quam sequuntur Caietanus, Capreolus, Suarez, Vazquez, & reliqui communiter Theologi, potuisse tamen fieri, vt etiam Pater æternus, ac Spiritus Sanctus incarnarentur, vt aiunt: Tum autem, non solum hæ prædicationes Verbum diuinum

diuinum est animal, Verbum est homo, Verbum est rationale, Verbum est risibile, Verbum est album essent veræ. Verum etiam aliæ similes, quibus de prima ac tertia persona dicerentur eadem prædicata. Quæstio igitur est, quorum nam prædicabilium sint eæ, quæ modo sunt veræ, & quorum nam essent, quæ in explicata hypothesi forent veræ? & an scilicet quinque vulgarium, vel potius aliorum, quæ dici adsolent assumptiua? Respondeo gemina assertione.

14 Quarum prima sit. Probabile est propter prædicationes propositas nullo modo, nulla in euentu illo possibili admittenda esse vniuersalia assumptiua; sed propositionum earum quamlibet spectare semper oportere ad aliquod quinque prædicabilium, quæ sunt à Porphyrio iam olim digesta, & à cæteris fermè dialecticis, tum priscis, tum etiam nòtericis recepta. Suadetur autem assertio primò. Namque hæc prædicatio; verbum est homo; est quinti prædicabilis: par autem est ratio cæterarum, tum, quarum subiectum est verbum, tum etiam earum, in quibus subiici possunt pater, & spiritus ab eo, filioque procedens? nulla ergò potest non spectare ad quintum prædicabile Porphyrianum, & vulgare, nulla ad aliud assumptiuum: Maior, quæ totius argumenti veluti puppis, ac prora est, hunc in modum suadetur: omnis propositio in materia contingenti est quinti prædicabilis, cum hoc definiatur: quod prædicatur in quale contingenter, aut quod potest adesse, & abesse sine subiecti corruptione: at ea propositio est in materia contingenti: potuit enim verbum non fieri homo, ac proindè quod sit homo ei contingit. Rursus ea propositio non est in materia essentiali, & necessaria: quæcunque enim est in hac, etiam si sumatur eius subiectum cum aliqua reduplicatione, nihilominus vera euadit, vt palam est in his propositionibus: homo est rationalis: homo in quantum homo est rationalis: quarum posterior haud est minus vera, quam prior, videlicet quia ambæ sunt in materia essentiali, & necessaria. Atqui, si subiectum eius propositionis, de qua est quæstio, congeminetur, hunc in modum: verbum in quantum verbum est homo erit omni falsitate, vt sic dicam, falsior.

15 Deinde ea propositio, si est necessaria, & essentialis, ac minimè contingens, par erit ratio huius: Deus est homo, vt per se palam est, atque apud omnes in confesso: At hæc non est necessaria, & essentialis, sed potius contingens: alioqui certè quidquid est Deus, eo ipso erit reuera homo, adeoque erit homo Pater, & Spiritus sanctus. Qua ratione, quia hæc propositio est essentialis, & necessaria: homo est animal, aut rationalis, quidquid est homo, id animal, ac rationale nequit non esse. Quocircà propositionem illam, verbum, siuè Deus est homo: esse accidentis quinti prædicabilis, siue in materia contingenti (hæc enim duo perinde videntur esse) censent tum P. Vazquez tom. 1. in 3. part. quæst. 16. art 12. disp. 68. cap. 2. num. 4. & apud eum Bonauentura, Scotus, Durandus, Gabriël, Major, Bassolis, Lichetus; Almaïnus; & Paludanus. Item P. Suarez tom. etiam 1. in 3. part. q. & art. citatis in commentario articuli paulò post medium, vbi etiam Capreolum præter alios laudat, sententiamque istam de contingentia eius propositionis docet esse inter Theologos communiorem.

16 Suadetur secundo eadem assertio: tametsi hæc propositio, verbum est homo, in sensu superius explicato, eo nimirum, quo verbum sumitur secundum se, & provt condistinctum à natura, quam assumpsit, sit contingens, atque quinti prædicabilis: cæterum alium admittit sensum priori minus vsitatum in scholis, & extra scholas fortasse haud receptum, iuxtà quem sit essentialis, & in materia naturali, atque huic æquiualens; verbum humanatum, vt aiunt est homo, siue Christus, aut Iesus est homo. Ita sentiunt B. Thom. tum loco citato tertiæ partis, tum etiam in 3. dist. 7. quæ 1. art. 1. & 4. ac Richardus de Media-villa eadem dist. tertij lib. sententiarum art. 1. q. 1. ad 3. Argentinas in 3. etiam dist. 7. quæst. vnica art. 4. ad 3. nec non Ferrariensis 4 contrà Gentes cap. 45. Caietanus, & plerique Thomistæ, quanquam in eo mihi displiceant hi authores, quod propositionem illam, verbum, siue Deus est homo: alio sensu, videlicet qui explicatus est suprà, negent esse contingentem: quemadmodum etiam probare non possum, quod Doctores priori loco memorati (vno excepto Patre Suarez) non agnoscunt alium intellectum illius propositionis, in quo ea sit essentialis, ac necessaria.

Probatur autem hoc institutum: quoties alibicunque natura specifica prædicatur de aliqua hypostasi, siue individuo suo, hoc sumitur in concreto cum natura, quam participat, facitque totius prædicationis sensum esse necessarium, & essentialem, vt patet in his enunciationibus; Petrus, siuè hic homo est homo: Bucephalus, siue hic equus est equus: vbi ergò natura specifica hominis de hypostasi diuina siue verbo prædicatur hoc modo, *verbum est homo*; tota propositio esse poterit aliquandò essentialis, & necessaria: quidni ergo homo sit species, eaque Porphyriana, & vulgaris respectu verbi de quo in illa prædicatur: animal ergo erit similiter genus respectu illius, & cæterorum animalium irrationalium, ac rationale differentia: De risibili, & albo, quod sint eius proprium, & accidens, minus potest dubitari, suppositò, quod probatum manet de prioribus prædicatis: Quæ autem eius propositionis est conditio, ea certe est cæterarum omnium, in quibus prædicata ordinis creati, & naturalis de prima, ac tertia persona sanctissimæ Triados enuntiarentur: quæ ergò esse potest necessitas aliorum prædicabilium, quibus assumptiuorum impositum est nomen? 17

Assero secundo. Probabile etiam est dari vnum aliquod, aut plura vniuersalia assumptiua ab iis distincta, quæ Porphyrius in Isagoge explicuit sua, quæque cæteri ferme scholastici pleno consensu sunt complexi: Huius autem assertionis tuendæ, & explicandæ triplex esse potest modus. Primus est P. Fonsecæ in Isagoge cap. vltimo, & 5. metaph. cap. 8. quæst. 7. sect. 6. necnon aliorum recentiorum. Ita autem sic se habet. Ad genus, speciem, & differentiam à Porphyrio tradita, & vulgo recepta opus est prædicari in quid, aut omninò, aut mixta qualitate, non quoad rem ipsam, sed magis quoad modum, adeoque necessum est dici reuera essentialiter: at, cum prædicatur de verbo esse hominem, animal, aut rationale nihil horum ei est essentiale, nihil non contingens: propositiones ergo talibus terminatæ prædicatis nequaquam possunt attinere ad tria prædicabilia vulgata. 18

Cæterum quodlibet prædicatum eorum trium dicitur de verbo substantialiter: substantia enim sæpe apud sanctos Patres perinde est, atque subsistentia: at ea prædicata dicuntur de verbo veluti subsistentia per ipsummet, videlicet verbum, & non tanquam ei hærentia accidentaliter: consequens igitur est, vt, sicut dictum est, de eo enuntientur substantialiter: hoc autem satis, superque est, vt sint respectu illius genus, species, & differentia: non 19

autem

autem vulgaria, propter rationem paulo suprà propositam: assumptiua ergò, & diuersæ rationis. Rursus, tametsi prædicata illa haud dicantur de verbo in quæstionie, quod quid est, siue essentialiter, at certe in quæstione, quisnam est, siue quodnam supposítum est, vt per se claret: hoc ergo ex titulo poterunt esse specifica, generica, & differentialia: at non vulgari, & recepto modo: ergo assumptiuè, vt vt sic dixerim. Deinde tertio: quodlibet eorum extremorum enuntiatur de verbo instar subsistentis, vt monitum est haud semel: subsistere autem est existere præcipua quadam, & singulari ratione per se, ac provt hoc opponitur modo existendi in alio, siue per accidens: eiusmodi ergò extrema prædicantur de verbo per se, & nequaquam per accidens: adeóque, non velut accidens proprium, aut commune, quorum alterum est quarti, alterum quinti prædicabilis: reliquum ergò est, vt sint respectu illius, genus, species, & differentia: cumque non vulgari, & Porphyriana, certe hoc ipso assumptiua. *Nec mirum*, inquit Fonseca, *quod nouæ species* (prædicabilium vtique) *mundo aduenerint, cum nouo esse substantiali, quod verbum diuinum pro mundi salute susceperit, quod, nec auditum, Ethnicis philosophis erat, nec cogitatum.*

20 Porrò nihil, inquit est, quod cogat proprium, & accidens, alia præter vulgata adstruere. Namque quæ dicuntur de verbo, ei non conueniunt nouo aliquo modo, aut aliter, quam congruunt subiectis suis, quæ vulgo sunt recepta: etenim prædicantur de illo, duntaxat contingenter, & accidentaliter, hoc est, nec essentialiter, nec substantialiter; cum tamen genus, species, & differentia assumptiua, noua quadam ratione verbo conueniant; id est non essentialiter, at non propterea accidentaliter: Horum ergo trium prædicabilium, atque duum illorum dispar est conditio. Et quidem accidens & proprium haud sunt assumpta à verbo immediatè, sed tantum mediante natura humana, eiusque interstitio, vt est per se exploratum, vtque supponunt Beatus Thom. 3. part. quæst. 5. Suarez ibidem disput. 15. sect. 8. & cæteri Theologi. Eatenus ergò prædicantur de verbo, quatenus de natura ab eo assumpta, nec aliter de illo, quam de ista. Atqui intuitu naturæ sunt proprium, & accidens proprie talia, nec alia, aut alius rationis, quam duo vltima prædicabilia: eiusmodi ergo erunt etiam respectu verbi modo, essentque comparatione aliarum duûm personarum, si naturam assumerent humanam, pro eo, ac possunt citra dubium: haud ergo propter mysterium incarnationis inuehenda sunt, vti noua genera, species, & differentia, sic etiam noua propria, & accidentia. Hactenus sententia Fonsecæ, quam satis ingeniosam, & probabilem arbitror.

21 Secundus modus declarandæ, ac propugnandæ assertionis nostræ secundæ est P. Balthasaris Tellez 1. part. log. disput. 5. sect. 1. num. 30. admittenda videlicet esse respectu Dei triumque eius personarum quinque vniuersalia assumptiua respondentia ex æquo, & ex aduerso quinque Porphyrianis, & communibus: Tria quidem priora propter fundamenta Patris Fonsecæ: duo verò posteriora, quoniam, vti ad hoc, vt aliquid sit genus, species, vel differentia vulgari, ac Porphyriano modo, opus est, vt prædicetur essentialiter, & non hypostaticè, & substantialiter, ita etiam, vt aliquid habeat instar accidentis proprij, aut communis, communi & recepta ratione inter Philosophos etiam gentiles, ac mysteriorum fidei ignaros, necessum videtur esse, vt conueniat subiecto, ratione alicuius naturæ essentialiter conuenientis tali subiecto, & non tantum substantialiter, siue hypostaticè, hoc est, quia accidit proprie, aut communiter naturæ, quam essentialiter participat subiectum illud, de quo dicitur: At esse risibile, v.g. aut album non conuenit verbo ratione naturæ diuinæ, eique essentialis, sed merito naturæ humanæ ab eo assumptæ, eique hypostaticè vnitæ, neutrum ergò erit gratia verbi proprium, aut accidens prisci moris: proindè erunt intuitu illius proprium, & accidens assumptiua, & noua.

Quapropter quidquid vnitum est verbo quocunque modo, aut de eo dicitur, velut tota, & completa natura; & sic est species assumptiua: aut velut pars eius naturæ, eaque quasi materialis, siue materiæ æmula, & imitatrix quodammodo; & erit genus assumptiuum: aut veluti pars eius naturæ quasi formalis, ac potior, hoc est formæ physicæ instar habens, & similitudinem quandam referens; & sic erit differentia assumptiua, aut veluti quidpiam, quod naturæ assumptæ accidit propriè vel communiter; atque ita erit proprium assumptiuum, & accidens assumptiuum itidem. Diffiteri non possum huic etiam opinioni suam constare probabilitatem. 22

Tertius modus posterioris assertionis nostræ tuendæ, & explicandæ est, vnum duntaxat vniuersale assumptiuum admittendum esse, & quod videlicet nec sit genus, nec species, nec differentia, proprium, aut accidens, sed aliud ab his quomodolibet sumptis diuersum. Cuius ratio hæc potest tradi. Quemadmodum non sunt multiplicandæ entitates naturales sine necessitate; quo pacto in metaphysica ostendendum est, quantitatem haud esse entitatem distinctam à re quanta, eive superadditam; ita nec etiam multiplicandæ sunt entitates ordinis supernaturalis, quin aliqua ad id necessitas cogat; qua de causa iuxtà Scotum, & alios non paucos gratiæ haud est distinctus habitus à charitate nobis infusa supernaturaliter; & quantitas iuxtà plerosque, contrà quam ipsi, & Nominales sentimus distinguitur à materia prima, quia nimirum ita, pauciora sunt miracula in Eucharistiæ mysterio: Vniuersalia ergò assumptiua, & supernaturalis ordinis haud sunt plurificanda, sed potius vnum duntaxat est admittendum: nulla enim fortasse necessitas, vel etiam vtilitas plurium.

Quod hoc pacto suadeo. Idcirco prædicabilia à nobis vi luminis naturalis inuestigata non sunt vnũ, sed plura, videlicet quinque, quia species in eo dissidet è genere, & differentia, quod horum quodlibet prædicetur incompletè, illa verò complete: at nihil eorum, quæ prædicantur vi vnionis hypostaticæ de verbo, cuiusmodi sunt v.g. esse hominem, animal, rationale, risibile, album, illud complet, aut perficit, tantum abest, vt eorum aliquid sit totum illius complementum, ac perfectio essentialis: omnia ergo de eo dicuntur incompletè. Rursus genus, & differentia inter se in eo differunt, quod illud dicatur in quid tantum, hæc vero in quale quid, id est illud tanquam pars essentiæ prior logice, & hæc velut pars essentiæ posterior logicè, ad modum, quo in compositione essentiali physica materia, cuius simulacrum est genus, antecedit formam, & hæc ad cuius instar concipitur differentia, ordine naturæ est post materiam. Atqui ea, quæ dicuntur de verbo vi vnionis hypostaticæ, ita instituta sunt, vt alterum eorum nõ sit pars essentiæ illius suapte natura prior, & alterum pars posterior; omnia enim sunt eius extra essentiam, & ab ea infinito quodam interuallo dissita. Iam accidens, proprium, & commune ob 23

id sunt diuersa prædicabilia, quia alterum dicitur necessariò,& conuertibiliter, alterum verò non necessario, nec conuertibiliter: at siuè sermo sit de homine rationali, aut animali, siuè de risibili, & albo, ita quoduis eorum comparatur, vt illud, verbumque, nec connectantur, nec conuertantur inuicem. Rationes ergò, quæ coegere dialecticos ad vulgaria & naturalis ordinis prædicabilia multiplicanda, nullam necessitatem conuincunt multiplicandi ea, quæ sunt assumptiua, ac supernaturalis seriei:non nisi ergo vnum huiusmodi vniuersale, siuè prædicabile adstruendum. Quamuis autem P.Tellez vbi suprà hanc reiiciat sententiam, mihi tamen videtur cæteris nihilominus verisimilis.

25 Quo luculentius innotescant hucusque in vtramque disputata partem, aduersus ea quædam obiectiones sunt diluendæ.Primum ergo obiicies. Coniunctio physica, seu realis verbi, & humanitatis est per se, & non accidentalis, siue per accidens: quis enim ausit dicere, Christum esse ens per accidens? similiter ergo vtriusque coniunctio,siue compositio intentionalis, ac logica, qualis certe est hæc enuntiatio; verbum est homo, erit per se, & non accidentaria,aut quinti prædicabilis: idem ergo dicendum est de cæteris propositionibus,de quibus est quæstio, iis nimirum, quæ sunt initio capitis propositæ: proinde falsò videmur adstruxisse quodam eas sensu ad quintum attinere prædicabile.

26 Obiicies secundo: species nequit prædicari de pluribus differentibus specie, sed potius solo numero: rursus species nequit non prædicari de suis inferioribus completè: At neutrum horum quadrat in hominem respectu verbi,& cæterarum personarum: nequit ergò esse species contemplatione illarum: vnde etiam fit, animal non esse earum intuitu genus, nec rationale differentiam, nec risibile fortasse, aut album proprium, & accidens: Iam igitur falsò adstruximus secundo loco quendam alium sensum, in quo homo sit species,eaque vulgaris, & Porphyriana respectu Verbi,& aliarum personarum facta hypothesi, qua naturam assumerent humanam, aut animal genus &c. Quod autem duæ illæ conditiones speciei nuper propositæ haud conueniant in hominem respectu personarum Triados, suadetur: nam tres personæ diuinæ specie differunt, sin minus formaliter at certe, quod perinde est,ad præsens institutum, æquiualenter, siuè virtualiter; homo ergo cum de illis omnibus prædicatur, eo ipso non prædicatur de pluribus differentibus solo numero, sed potius specie, & plusquam numerice: deinde homo, nec complet verbum diuinum modò, nec compleret Patrem,aut Spiritum sanctum, hi si mortalitatis nostræ vile tegmen induerent: qui ergo habere potest locum in homine respectu trium personarum modus ille prædicandi in quid complete proprius speciei.

27 Quid? quod ita prædicari sit dici velut integram essentiam: Catholice autem affirmari nequit, hominem esse integram essentiam verbi, aut talem futuram intuitu primæ,& tertiæ personæ,si vnirentur hypostatice nostræ naturæ: Huc facit illud Athanasij in Symbolo:*Vnus autem, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: Vnus omninò, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.*Huc etiam illud B.Thomæ 3 p.q.2.a.6.damnantis hæreseos Eutichetem, & Dioscorum, *qui posuerunt, quod ex duabus naturis est constituta vna natura,ita, quod confitentur Christum esse ex duabus naturis quasi ante vnionem distinctis: non autem in duabus naturis quasi post vnionem naturarum distinctione cessante,*Quod si natura humana, esset integra verbi essentia, quod damnatur locis adductis ab Athanasio, ac B.Thoma, & quod caput est ab Ecclesia vniuersa,haud posset non sequi.

Obiicies tertio: hæc prædicatio; *materia prima est informata,aut animata*, est quinti prædicabilis: & tamen esse informatum, aut animatum est quid substantiale, adeoque substantialiter enuntiatur de materia: quod ergò homo,animal, & rationale de verbo djcantur instar subsistentis, aut alicuius substantialis, adeoque substantialiter, haud conuincit, prædicationes eiusmodi terminatas extremis esse generis,speciei, aut differentiæ, quæ dici solent assumptiua; haud non esse quinti prædicabilis.Rursus Verbum non est in aliquo prædicamento:homo ergo nec est respectu illius species,nec animal, genus etiam assumptiue:alioqui,cum homo,& animal sint in prædicamento substantiæ,fieret genus,& speciem esse in aliquo prædicamento in quo non sit eorum indiuiduum quoddam. 28

Tandem obiicies: vniuersalia assumptiua dicuntur eiusmodi,per analogiam ad vulgaria,& Porphyriana:hæc ergò, cum sint quinque, totidem esse debent, & illa:quo pacto, quia partes compositionis essentialis logicæ dicuntur distingui, & plures esse per analogiam,& proportionem quandam cum partibus compositionis essentialis physicæ;quemadmodum hæ sunt duæ,materia nimirum, & forma, ita & illæ,videlicet genus,& differentia. 29

His argumentis procliue est respondere. Ad primum dicendum est, quod coniunctio physica verbi, & humanitatis sit per se,id est substantialis, & non vllius accidentis cum substantia, aliovè accidenti, hoc tantum arguit, coniunctionem intentionalem vtriusque, siue propositionem affirmantem hominem de verbo esse aliquo modo per se,siuè substantialem:quo pacto quod terminus generationis equi sit substantia facit,vt ipsa generatio equina dicatur quodammodò substantialis: Verum vti quod talis terminus sit substantia,non tollit, quo minus actio eius generatiua sit alio sensu, eóque magis stricto accidentalis;ita similiter, quod coniunctio physica Verbi,& humanitatis sit per se,&substantialis,haud oberit,quominus propositio ad eam terminata coniunctionem, enuntiansque de Verbo hominem sit per accidens,& contingens, alio quidem sensu,eoque,qui magis spectat ad præsens institutum. Adiice,si de composito, quod resultat ex humanitate,& Verbo, videlicet Christo, affirmetur homo, hanc compositionem intentionalem, siue propositionem esse per se:atque hoc fortasse tantum colligi ex eo, quod compositio realis, & quodammodo physica Verbi,& humanitatis sit per se,& non per accidens. 30

Ad secundum dicendum est, quod problematice defendimus, hominem esse speciem,eamque vulgarem respectu verbi, & aliarum duarum personarum (paremque esse rationem generis, differentiæ, & à fortiori accidentis proprij, & communis) id intelligendum esse de verbo, non secundum se sumpto, sed in concreto cum humanitate, siue provt est homo: necnon idem intelligi oportere de duabus aliis personis seruata eadem proportione sumptis. Ita autem homo non prædicatur de verbo, & cæteris personis, velut de pluribus differentibus specie:provt enim omnes esse possunt homines, haud ita differunt inuicem. Rursus homo de verbo, & aliis duabus personis ita sumptis, vti manet explicatum,haud prædicatur incompletè, sed potius completè:tota enim essentia verbi in quantum est homo & Patris,& spiritus sancti,si cum eadem conge- 31

minatione

minatione sumantur, & facta aliqua hypothesi, est esse hominem. Atque hoc pacto humanitatem esse integram essentiam Verbi diuini, aut fore patris, vel spiritus sancti, si nostram assumerent naturam, nihil habet commercij cum Eutychetis, & Dioscori errore, nihil Athanasio, Thomæ, aut Ecclesiæ contrarium.

32 Ad tertium, quoad priorem eius partem dicendum est, in ea prædicatione: *materia est informata, siue animata*, substantiam quidem aliquam dici de materia, at non substantialiter, siue instar substantiæ, sed potius per modum meri accidentis, ideoque eam prædicationem esse quinti prædicabilis: quo pacto hæc propositio, *lignum istud est auratum*, huius est prædicabilis iuxtà omnes, quia tametsi substantiam auri prædicet, non tamen per modum substantiæ, sed magis accidentis: Cæterum, cum dicitur, *verbum est homo*, non modò prædicatur substantia hominis de verbo, sed substantialiter, siue instar substantiæ, aut per se subsistentis, non verò accidentaliter, sicut si diceretur verbum esse humanatum: quid mirum ergo, si posterior hæc prædicatio non sit quinti vniuersalis, eius verò sit prior illa?

33 Ad posteriorem eius argumenti tertij partem respondet P. Balthazar Tellez vbi suprà admissa sequela, videlicet fieri posse, vt indiuiduum aliquod sit sub aliquo prædicamento, sub quo tamen haud sit genus, & species, quibus eiuscemodi subiicitur indiuiduum. Verum à me nunquam impetrare, poterit, vt id concedam: quemadmodum enim fieri nequit, vt corpora isthæc inferiora sint sub lunæ cauo, quin hoc ipso sint sub primo mobili, ac decimo cœlo, quod, tum sphæram lunæ, tum reliquos planetas, ac stelligerum orbem sub se continet, & infinita propemodum ambitione cingit; ita similiter non conspicio, quo pacto indiuiduum aliquod sit sub specie, aut genere inferioribus aliquo prædicamento, siue supremo genere, quin etiam sub isto cohibeatur. Respondeo igitur primò; verbum esse sub prædicamento substantiæ, sub quo est animal, & homo, vt in Metaphysica loco ostendam. Respondeo secundo, tametsi verbum non sit sub prædicamento substantiæ per se, & essentialiter (quod certè de eiusmodi prædicamento physicè sumpto probabilius duco) esse tamen sub illo contingenter: qua tantum ratione est etiam sub animali, & homine: In hoc autem quid obsecro est incommodi absurdiuè?

34 Ad quartum dicendum est; prædicabile assumptiuum haud inuectum esse de nouo in scholas propter analogiam, & proportionem cum vulgari, & Porphyriano, sed potius propter illius ab hoc diuersitatem non mediocrem, & quia huius conditiones, & leges haud seruat, haudvè potest: proinde, quamuis hoc sit quintuplex, non ob id necesse est, illud in totidem species dissecandum esse satisque, ac super erit, si tantum siet vnum.

CAPVT III.

Occasione eorum, quæ disputata sunt capite præcedenti quæritur in hoc, an numerus quinarius prædicabilium sit rectè constitutus?

35 QVod enim plura esse debeant, hisce videtur argumentis confici. Præter illa quinque est aliud assumptiuum, vnum certè, aut multiplex, vt tanquam probabile à nobis propugnatum est capite superiori: numerus ergò ille vulgaris prædicabilium haud est ex vero, vel æquo constitutus. Secundo ens est prædicabile & vniuersale: at nullum eorum quinque: non enim genus, alias esset prædicamentum, siue, quod iuxtà est, supremum genus, & sic non essent decem prædicamenta: non species, differentia, proprium, aut accidens, vt per se, ac sponte sua manifestum: præter ergò quinque illa est aliud, videlicet ens. Tertio hæc prædicatio; *homo, v. g. est existens*; est alicuius vniuersalis, & prædicabilis, non generis, speciei, aut differentiæ: hæc enim tria prædicabilia sunt essentialia; at existere cuiuis contingit creaturæ: non proprij, aut accidentis: hæc enim duo prædicabilia distinguuntur realiter à subiectis suis, earumque substantiæ nequaquam sunt; at existentia hominis haud est ab eo realiter distincta, haud aliud reipsa, quam eius substantia, quidquid sit, an ab eo distinguatur ratione nostra.

Quarto: hæc prædicatio; *homo est animal rationale*, est alicuius vniuersalis, siue prædicabilis: at 36
nullius eorum quinque: siquidem non est generis, quia hoc prædicatur incompletè; at animal rationale completè: non speciei, quia hæc prædicatur tantum in quid; at animal rationale etiam in quale merito differentiæ, quam inuoluit: non differentiæ, quia hæc dicitur in quale quid, & velut alteri adiacens; at animal rationale nulli comprædicato adhæret, nullo est ratione nostra posterius: non denique proprij, vt palam est: igitur præter hæc quinque aliud assignandum est, quod prædicetur, partim in quid, partim in quale quid, vti animal rationale, & quoduis aliud simile vniuersale.

Quintò: hæc prædicatio; *homo, in quantum est substantia, est substantia*, est prædicabilis alicuius: sed 37
nullius eorum quinque, quæ communiter circumferri adsolent: haud enim generis, siquidem hoc prædicatur incomplete, id est non tanquam tota rei essentia; substantia autem est tota essentia hominis, sin minus vt homo est integre, at saltem quatenus est substantia: quo pacto superius dictum est, totam essentiam Verbi in quantum est homo, esse hominem: haud etiam speciei: quî enim fieri potest, vt substantia, quæ respicit plura specie, imo etiam genere differentia sit species prædicabilis, & infima? haud denique differentiæ, proprij, vel accidentis, vt per se liquescit.

Sextò, & ferme recidit in idem: hæc propositio; 38
hoc rationale, nimirum quo constat Petrus, est rationale, non est generis, defectu videlicet inferiorum dissimilium, & specie differentium: non speciei, nam rationalitas non est tota hominis essentia logica, quippè quæ non ex ea sola, sed ex ea, & vlterius animalitate coalescit: non differentiæ, quoniam hæc dicitur in quale quid; at rationale de hoc rationali tantum in quid: vti enim quærenti, quid est hic homo, est homo recte respondeas, ita & disquirenti, quidnam est hoc rationale per hoc, quod sit rationale: aut paulo aliter; idcirco rationale dicitur de homine in quale quid, quia illum cum animali velut pars logicè posterior constituit: ita autem non se habet respectu huius rationalis, hoc siquidem rationale provt tale formaliter constituitur sola rationalitate, & hæcceitate seorsim ab animali: denique præfata propositio non est proprij, & accidentis, vt certo certius: at alicuius prædicabilis. Septimò ex Caietano: indiuiduum vagum, vt quidam homo, est vniuersale, & prædicabile: sed non genus, vt constat: nec species; homo enim

secundum se tantum, & provt ab omni indiuiduatione etiam vaga, & indeterminata præcisus, est species, vt etiam per se videtur constans: non item proprium, aut accidens: aliud igitur ab his quinque.

39 Rursum octauo: Genus, & species idcirco sunt duo prædicabilia, quia illud prædicatur de pluribus differentibus specie in quid; & hæc de pluribus differentibus solo numero in quid: At etiam genus infimum, & subalternum ita instituuntur, vt alterum prædicetur de pluribus differentibus specie sola, & alterum de pluribus differentibus etiam genere: item differentia infima, & subalterna ita sunt institutæ, vt altera sortiatur inferiora specie, & altera genere differentia: tantum ergo dissident ex modo prædicandi genus subalternum, & infimum, tantumque differentia similiter subalterna, & infima, quantum genus, & species: iam ergo præter speciem, proprium & accidens sunt quatuor prædicabilia, videlicet genus infimum, & genus subalternum; necnon differentia infima, & differentiatia subalterna: quo fit prædicabilia vniuersim sumpta haud esse quinque tantum, sed septem: quatuor enim addita tribus numerum efficiunt septenarium.

40 Tandem: modus prædicandi sequitur quodammodo modum essendi: cum ergo modi essendi, siue entium sint decem, videlicet substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, vbi, quando, situs, habitus, totidem erunt prædicabila: nimirum prædicabile substantiæ, vt cum dicuntur de aliquo esse animal, hominem, rationale, aliaue genera, species, aut differentiæ: prædicabile quanti, vt cum esse magnum vel paruum, longum, aut breue, &c. prædicabile qualis, vt cum esse bonum, vel malum, calidum, aut frigidum; potens, aut impotens, &c.

41 Iam verò quod prædicabilia sint pauciora, quam quinque, aliis videtur argumentis posse conuinci. Siquidem, si strictissimè sumantur, & provt à Porphyrio, & aliis destinata sunt ad perfectam intelligentiam prædicamentorum, quid est, quapropter esse debeant plura, quam duo, genus videlicet, & species? Namque in prædicamentali serie ab eius capite, & initio ipso, nimirum prædicamento ad indiuiduum vsque tantum directè collocantur genera, & species: cætera verò vniuersalia tantum versus latera, & indirectè in ea constituuntur. Atque dualem hunc prædicabilium numerum admittunt, & approbant Ammonius in anteprædicam. cap. 3. Commentator ibidem cap. 2. Boëtius in prædicam. commento sexto, Simplicius com. 6. & 9. Dexippus cap. 24. & Porphyrius ipse in prædicam. interrogat. 35. quos refert, & magna ex parte sequitur Auersa in log. q. 8. sect. 16.

42 Rursus secundò, prædicabilia strictissimè sumpta, & provt ad prædicamenta viam sternentia videbuntur alicui esse tria, nimirum genus, species, & differentia; excludi enim debere proprium, & accidens, ob causam paulò suprà positam: includi autem differentiam, quia tametsi indirectè, & obliquato tramite à prædicam. siue supremo genere ad indiuiduum vsque recurrat, tamen est essentialis speciei & compars generis. Atque ita sentit tum Auersa vbi paulò supra, tum etiam, quod caput est B. August. in cathegor. cap. 7. vbi tria illa tantum prædicabilia assignat, aliorumque nullam habet rationem.

43 Tertiò tandem defendi potest, prædicabilia esse quatuor, quorum primum sit genus, secundum species, tertium differentia propriissima, cuiusmodi est rationale, necnon propria, quale est risibile, & quartum accidens. De genere, specie, & accidenti esse diuersa prædicabilia, constat ob eas rationes, quibus probari consueuit numerus quinarius prædicabiliū: quod vero differentia propriissima, & propria sit vnum tantum prædicabile, suadeas ita: proprium realiter essentiale, & realiter distinctum ab essentia rei ad idem, iuxta nos etiam, & plerosque prædicabile attinet, videlicet quartum: à fortiori ergo, vt aiunt, differentia propriissima ratione nostra essentialis, & propria ratione nostra, non essentialis, sed ab essentia distincta, & tamen realiter eadem ad idem spectabunt prædicabile: plus enim distant inuicem esse idem, & non esse idem realiter, siue, quod perinde esse realiter, & non esse realiter extra essentiam rei, quam esse idem, siue essentiale ratione nostra, & non esse ita idem, & essentiale: hæc namque duo posteriora compatiuntur identitatem realem, & veram, secus vero illa priora. Etquidem numerum hunc quaternarium prædicabilium videtur insinuare B. Damasc. in dial. c. 9.

Arbitror inprimis numerum quinque prædicabilium satis rectè esse constitutum: Eum complectuntur Porphyrius, & Boëtius in præsenti, Auerroës in epitomæ log. cap. 1. Ammonius com. 2. B. Thom. in summa log. cap. 1. Scotus quæst. 2. in prædicabil. & vtriusque sectatores omnes: Item Albertus Magnus tract. 2. in prædicab. cap. 9. Auersa supra quæst. 8. log. sect. 16. Ex nostris quoque Conimbr. tom. 1. log. q. 7. in præfat. Porphyrij art. 1. Fonseca, tum in Isagoge: tum etiam 5. metaph. cap. 8. quæst. 7. Suarez in met. disp. 6. sect. 8. num. 7. Toletus quæst. 3. prædicabil. concl. 1. Hurtad. in log. disp. 7. quæst. 2. Rubius in log. qu. 9. de vniuersalibus ante medium, Arriaga disp. 9. log. sect. 1. num. 1. Balthasar Tellez, in summa philosoph. 1. part. disp. 5. sect. 1. ac, ne multis morer, nostri omnes, quos viderim. Huius autem diuisionis ratio tradita est obiter, & ex occasione cap. præcedenti: nam, aut prædicatur aliquid in quid completè & erit species, vel in quid incompletè, & erit genus, vel in quale quid, & erit differentia, vel in quale necessario, & erit proprium, vel in quale contingenter, & erit accidens. Præter hoc autem prædicandi modos, quis alius esse potest. 44

Quanquam autem numerum illum quinarium prædicabilium probem, haud tamen ei sic adhæresco vt negem assignari posse alium magis locupletem, minoremve, & magis curtum. Censeo ergo inprimis, ita numerari posse prædicabilia, vt sint plura, quam quinque, videlicet sex, genus, species, differentia, proprium, & accidens, necnon vniuersale assumptiuum: aut septem, vt genus infimum, genus supremum, species, differentia infima, differentia subalterna, siue suprema, proprium, & accidens: aut decem vt prædicabile substantiæ, quanti, qualis, &c. videlicet iuxta numerum prædicamentorum, siue modorum essendi multiplicatis prædicabilibus, siue modis prædicandi: aut alio ex titulo decem, scilicet genus, species, differentia, proprium, & accidens, vulgaria, ac totidem assumptiua iuxta disputata capite præcedenti. Rursus censeo, numerum prædicabilium assignari posse minorem: ita nimirum, vt prædicabilia sint duo, aut tria, aut quatuor: vel eo sensu, qui paulo suprà ex veteribus propositus manet, & confirmatus: vel certè alio, nimirum iuxtà quem sint duo prædicabilia, alterum in quid, & alterum in quale; siue essentiale, siue accidentale: aut tria, vt prædicabile in quid, & in quale quid, & in quale tantum; aut, quod perinde est, essentiale, tantum, accidentale tantum, & partim essentiale, partimque accidentale, illud ex parte rei ipsius, & hoc ex parte 45

solius

solius modi: aut quatuor, vt prædicabile essentialiter complete, & essentialiter incomplete, & accidentaliter conuersim, & accidentaliter inconuersim.

46 Porrò autem hæc doctrina optimè cohæret cum superiori: quid enim vetat, prædicabilia alio, alioque modo sumpta posse dici quinque tantum, aut etiam plura, vel pauciora? an non licet res quasvis aliter, aliterque ordinare, & numerare? Sic certe diuidi potest exercitus; vel quadrifariam, videlicet in quatuor legiones, vbi his constet; vel trifariam, scilicet in legiones, & cohortes, & maniplos: Sic annus diuiditur; modo quadrifariam, nempe in ver, æstatem, autumnum, & hyemem; modo vero fusius longè, nimirum in duodecim menses: Sic denique à nobis in Metaph. lib. 5. tract. 1. cap. 3. constituetur, prædicamentorum numerum ita esse denarium, vt alius, aliusque possit assignari. Quod ergo prædicabilia sint quinque, hoc nullum importat præiudicium aliter ea numerare volentibus.

47 Atque hinc obiter constat aduersus Conimbricenses in præf. Porphyrij q. 7. art. 3. Hurtadum disp. 7. log. sect. 2. num. 10. & Arriagam disp. 9. log. sect. 2. num 10. prædicabile vt sic haud diuidi in quinque prædicabilia vulgaria tanquam in species infimas, & immediatas: tum, quia species infima non est diuisibilis in alias vlteriores: at genus diuiditur in supremum, & infimum, necnon differentia in infimam, & subalternam: haud ergo genus haud etiam differentia, est species infima prædicabilis in communi: tum etiam, quia inter speciem infimam, & rationem, quam contrahit, nequaquam mediare potest alia ratio superior, & generica, vt cernere est in homine, & animali: at inter prædicabile, vt sic, & genus, speciemque mediat prædicabile in quid: item inter prædicabile vt sic; & genus speciem, & differentiam, prædicabile essentiale: necnon inter illud, & proprium, accidensque, prædicabile in quale tantum. Atque huic nostræ sententiæ fauent Rubius citata q. 9. de vniuersalibus, n. 171. Tellez supra disp. 5. log. sect. 1. num. 34. Ioannes à S. Thoma 2. p. log. q. 6. art. 2. ad finem, quamquam etiam oppositum probabile esse inibi existimet.

48 Proximum est, vt argumentis aduersus numerum vulgarem, & quinarium prædicabilium à nobis approbatum, tametsi non reiectis aliis prædicabilia numerandi modis, respondeam. Ad primum dicendum est, in primis eo non conuinci, quin numerus quinq; prædicabiliũ, recte sit assignatus, si sermo sit, de prædicabilibus naturalis ordinis, & quorum vnio cum subiectis suis haud est miraculosa: deinde, cum probabile sit nulla dari vniuersalia assumptiua distincta à vulgaribus, hæc esse quinque tantum, quis neget eo ipso esse probabile? Ad secundum respondeo; ens haud esse prædicabile strictissimè sumptum, siue prædicamentale, de cuius solius agitur numero inpræsentiarum: nimirum, quia est suprà omne prædicamentum. Rursus respondeo satis probabile esse, quod ens sit genus: vt videbitur in met. lib. 5. tract. 2. inter tuendam vniuocationem entis: vbi, quantum in nobis erit, fiet quidem satis, cumulateque difficultati in contrarium adductæ.

49 Ad tertium respondeo, existens haud esse vniuersale rigorosissimè sumptum, siue prædicamentale, cum omnibus sit commune prædicamentis, vti de ente paulo superius dictum: quocirca, esto illud nullius sit prædicabilis: eorum, de quibus agimus, haud propterea, quidquam sequi aduersus quinariũ, & vulgarem illorum numerum. Vel secundo dici potest, eam prædicationem, *homo est existens*, esse quinti prædicabilis: de huius autem ratione satis esse, vt sit realiter separabile, à subiecto, de quo dicitur, siue vt hoc sine illo possit reperiri: ita autem homo essentialiter sumptus, & provt in possibilitatis suæ statu consideratus esse potest sine existentia, & quin huiusmodi prædicatum ei conueniat.

Ad quartum respondeo; hanc prædicationem; 50
homo est animal rationale, non esse vnius prædicabilis, sed duorum, videlicet generis, & differentiæ. Idcirco enim hominis v. g. & equi in vnam quandam tertiam speciem commixtio repugnat, quoniam ambobus est essentialis distinctio realis eos disseparans inuicem: at etiam animali, & rationali est essentialis distinctio rationis alterum secernens ab altero: fieri ergo nequit, vt ambo in vnum, idemque prædicabile mixti generis confundantur.

Ad quintum dicendum est, propositionem illam; 51
homo, in quantum substantia, est substantia: esse speciei: quamuis enim homo ei subiectus, Leo, equus, & cætera substantiæ inferiora differant specie, quod quidem videtur contra rationem speciei; at non provt sunt substantiæ: homo autem non nisi cum hac moderatione substantiæ subiicitur in ea prædicatione: hæc ergo respectu illius, & quoruncunque inferiorum similiter sumptorum sortitur rationem speciei. Quod autem obiicitur, substantiam haud esse totam essentiam hominis, id falsum est, si hic accipiatur, non absolutè, sed cum præfata geminatione, videlicet provt est substantia. Secundo responderi potest, eam prædicationem non esse formalem, sed identicam, huius instar: *substantia est substantia*: quocirca, quod ea nullius sit prædicabilis ex quinque vulgatis, nihil interesse: numerum enim prædicabilium assignatum esse pro eis duntaxat, quæ prædicantur formaliter, & non identice; propterea, quod in scientiis solarum propositionum formalium ratio habeatur, vtplurimum.

Ad sextum dicendum est, quod dictum est ad præ- 52
cedens argumentum seruata proportione: videlicet eam prædicationem; *hoc rationale est rationale*, esse speciei, eo nimirum, quod huius rationalis, vt præcise est hoc rationale, vtque sumitur seorsim à quouis alio gradu metaphysico, tota essentia logica sit rationale, esto eius in sensu composito animalitatis, siue pro vt est perinde, atque hic homo, rationale non sit tota quidditas logica: Vel secundo, illam propositionem esse identicam, & non formalem, ac proinde nullam facessere difficultatem. Ad septimum dici debet indiuiduum vagum, haud esse prædicabile, aut vniuersale, vt supra tract. 4. huius libri ostensum est.

Ad octauum, & nonum respondeo, iis, quemad- 53
modum & quibusdam superiorum, hoc tantum effici, prædicabilia aliter censeri posse, atque ita, vt sint plura, quam quinque; nempe septem, aut decem: Hoc autem vltro largior, sic tamen vt abnuam numerum quinarium, & vulgarem illorum ob id reiiciendum esse: quæ duo, quo pacto cohæreant inuicem, inter nostram hac in controuersia sententiam proponendam declaratum est paulò superius. Rursus, vt explicatum est tract. 2. huius lib. c. 1. & tract. 5. cap. vlt. potior ratio est, vt genus, & species sint diuersa prædicabilia, quam genus infimum, & subalternum, quamve differentia infima, & subalterna: scilicet genus, & species ita comparata sunt, vt illud prædicetur incompletè, & hæc completè: quod tamen discriminis haud est reperire inter genera vlla, haud etiam inter vllas differentias. Iam vero tribus aliis argumentis, quibus confici videbatur, prædicabilia reduci posse, vel ad duo, vel ad tria non est, quod

immoremur: haud enim recusamus, quin ita possint reduci ad pauciora, quàm quinque: illud largiri non possumus, nec debemus, communiorem sententiam, ea quinque dispertientem, propterea esse refutandam.

TRACTATVS VIII.

De prædicatione concretorum, & abstractorum ad quinque prædicabilia spectantium.

CAPVT I.

Quid de eorum prædicatione nobis verius videatur.

1 Asfero primò: abstracta substantialia ratione quidem, sed sola inuicem distincta, nihilominus possunt inuicem verè prædicari: quare hæ prædicationes sunt veræ, humanitas est animalitas, humanitas est rationalitas, animalitas è conuerso est humanitas, rationalitas etiam est humanitas, animalitas est rationalitas, rationalitas est animalitas. Ita quoad quatuor priores propositiones Fonseca lib. 5. metaph. cap. 28. quæst. 13. sect. 4. Oña qu. 3. vniuersalium art. 3. Masius quæst. 6. Mercadius in cap. de genere. Canter. cap. de differ. & plures alij quos suppressis nominibus refert Rubius in logica tractatu de natura entis rationis num. 11. Ita etiam tum quoad quatuor illas priores propositiones, tum quoad duas posteriores, Sotus in prædicabilibus quæst. 3. art. 2. post medium. Hurtadus citata disputat. 3. sect. 3. Arriaga disp. 4. logic. sect. 9. subsect. 2.

2 Suadetur autem ea assertio hunc in modum: identitas realis subiecti, & prædicati sufficit ad veritatem enuntiationis neutiquam reduplicatiuæ: at prædictæ enuntiationes nulla particula reduplicante sunt affectæ, earumque prædicata subiectis sunt realiter eadem: quidni ergo sint veræ? Item secundo: hac ipsa de causa, videlicet ob realem identitatem nulla reduplicatione adiecta affirmatam, verè inuicem prædicantur abstracta accidentium, necnon concreta, tum accidentium, tum etiam substantiarum: harum ergo abstracta similiter poterunt absque vllo falsitatis periculo inuicem prædicari: Rursus tertiò: de humanitate eius essentia ac definitio verè prædicatur: ea autem alia non est quam animalitas: & rationalitas: hæ igitur de illa verè prædicantur. Præterea quartò: hæc prædicatio est vera; hæc humanitas Christi v. g. est humanitas: ergo etiam hæc erit vera, humanitas est animalitas: antecedens est per se notum, & à nemine, quem viderim, non admissum: consequentia perspicua: cur enim abstractum speciei de abstracto indiuidui, nempè huius hominis, verè prædicari queat, & non abstractum generis de abstracto speciei. Quintò, & recidit in idem: hæc propositio est vera, hæc animalitas est animalitas: quidni ergo & ista, humanitas, siue quod iuxta est, animalitas rationalis est animalitas.

3 Sextò: hæc prædicatio, vel iuxtà plerosque aduersarios est vera; paternitas est essentia diuina, siue deitas, nimirum quia, licet subiectum sit abstractum Patris & prædicatum Dei, tamen alterum cum altero realem habet identitatem: par conditio est huius propositionis profectò verissimæ, iustitia diuina est eius misericordia, vbi nihilominus abstractum de abstracto, iusti scilicet de eo quod est misericordis, enunciatur: cur non ergo similiter in creatis, abstracta de abstractis secum realiter identificatis prædicentur? quod si paternitas diuina non solum re sed ratione includat naturam, ac deitatem, & iustitia diuina misericordiam (an enim ita se res habeat, vel secus, impræsens non definio) adhuc valet nostrum argumentum, si non vt probet, animalitatem verè dici de rationalitate, at certè vt conuincat, eam nec non rationalitatem ex vero affirmari posse de humanitate: hæc enim illas non re modo sed etiam ratione includit. Vlterius animalitas est ratio quædam communis & non singularis: habet ergò aliqua inferiora sibi proxima, & immediata, de quibus verè possit enunciari: ea verò quænam obsecro sunt nisi humanitas, & equinitas? potest igitur, ac debet animalitas de eis, verè prædicari. Profectò iuxtà contrariam sententiam animalitas esset, & non esset ratio superior: esset, vt omnes habent in confesso: non esset, quia de nullis inferioribus immediatè prædicabilis: quemadmodum autem id quod potest de aliquibus inferioribus sibi immediatis verè prædicari, nequit esse indiuiduum, aut ratio singularis; ita è regione quod de nullis inferioribus sibi immediatis verè prædicatur, cuiusmodi secundum aduersarios est animalitas, id nequit esse ratio superior, & vniuersalis. Denique humanitas, & equinitas haud sunt primò diuersæ, sed potius in aliquo prædicato vtrique communi vniuocè conueniunt, aliàs ne homo & equus eam haberent conuenientiam: quo pacto, nisi albedo, & nigredo vniuocè participarent rationem coloris, sanè album, & nigrum neutiquam possent in ratione colorati vniuocè conuenire: quodnam autem esse potest iliud commune prædicatum, in quo humanitas, & equinitas vniuocè conueniant nisi animalitas, aut aliud abstractum id genus? Dices, esse non animalitatem, sed rationem transcendentem entis, aut rei, quippè apud aduersarios nihil est celebrius, quam hanc prædicationem, humanitas est res quæ est animalitas, & alias similes esse veras: cæterum in primis eorum non pauci censent, rationem entis & rei esse non vniuocam, sed analogam: Deinde si lubet esse vniuocam, inde potius sequitur quod intendimus, nempe animalitatem etiam esse rationem vniuocam respectu humanitatis & equinitatis: quî enim fieri potest, vt conceptus remotus, & vniuersalior sit vniuocus respectu aliquorum inferiorum, quin eorundem etiam contemplatione sit vniuoca ratio inferior, & immediata tametsi è contrario fieri quandoque possit, vt ille sit analogus, quin hæc talis sit, sed potius vniuoca? Sic iuxtà omnes repugnat hominem, & equum v. g. vniuocè conuenire in ente aut substantia, quin ita conueniant in animali sibi pro priori, quamuis è conuerso conueniant iuxtà non paucos analogice in ente, non tamen in animali. Quocirca vt dictum est, si humanitas, & equinitas conueniunt vniuocè in conceptu entis, aut rei, magis est vt similem conuenientiam habeant in animalitate, quæ vtramque propius contingit.

4 Assero secundò: abstracta substantiarum in sensu formali, & reduplicatiuo modo verè, modo falsò inuicem prædicantur. Ita Fonseca lib. illo 5. metaph. c. 28. q. 13. Hurt. vbi suprà, & alij perplures. Probatur, & declaratur ex dictis: hæ propositiones; rationalitas formaliter est animalitas, animalitas in quantum

animalitas

animalitas duntaxat est humanitas, aliæque similes, sunt omnino falsæ, nimirum quia faciunt sensum formalem, nec solam identitatem realem, quæ datur, sed identitatem rationis, qua earum extrema carent, affirmant. Sic hæ propositiones; Deus voluntate intelligit, intellectu amat, misericordia punit, iustitia condonat, necnon etiam istæ, attributum æternitatis est attributum immensitatis, & vnitatis est bonitatis, aliæque id genus, à Theologis communiter iudicantur falsæ, propterea quod non in re sola sistant, sed ad modum eius concipiendæ se extendant, ac rationes identitatem enuntient. Sic etiam eodem nomine concreta ipsa substantialia formaliter ac reduplicatiuè sumpta nisi falsò non prædicantur inuicem: nemo enim Realium has propositiones negabit esse falsas; animal in quantum animal est rationale, animal formaliter ac ratione nostra est hinnibile, hoc provt tale, & quoad conceptum suum vltimum animali superadditum est animal, rationale similiter sumptum est animal. Cæterum hæ prædicationes sunt veræ, humanitas formaliter, ac ratione nostra est animalitas; rationalitas, in quantum rationalitas, est humanitas, eamvè quidditatiuè cõstituit; necnon harum conuertentes. Recte ergò positum est assertumque, abstracta substantiarum, de abstractis eiusdem generis secum realiter identificatis, interdum falsò, interdum verè adstrui.

5 Quod attinet ad concreta, & abstracta secundæ intentionis comparata tum inter se, tum etiam cum concretis abstractisque primæ intentionis; tandem tertio assero: hæ prædicationes sunt veræ, homo est species, animal est genus: hæ falsæ; homo est specieitas, vt ita loquar, haud enim aliud vocabulum suppetit; animal est genereitas: hæ veræ albedo est species, color est genus: item hæ similiter, animalitas est genus, humanitas est species, rationalitas est differentia: hæ verò falsæ, genereitas est specieitas, specieitas est genereitas: hæ autem veræ, genereitas est vniuersalitas, specieitas est vniuersalitas: deindè hæ genereitas est genus, specieitas est species, veræ aut falsæ provt genus, & species naturam genericam, & specificam in recto, & formam intentionalem in obliquo, aut è contrario inuoluit: denique hæ veræ, genus respectu quorundam inferiorum, est accidens respectu aliorum, v.g. coloratum est genus comparatione albi, & nigri, accidens verò, si cum aliquo subiecto secundum se sumpto comparetur. Hęc assertio quoad omnes suas partes, dempta ea, qua statuimus, abstracta substantiarum esse genera, species, & differentias, de qua capite sequenti, ea inquam exempta & insuper ea, qua posuimus genereitatem esse genus, & specieitatem esse speciem, quando genus & species eiusmodi formas intentionales important in recto, secus verò quando non eas sed naturam genericam & specificam in recto concernunt; est P. Rubij tractatu illo de natura entis rationis, qui est ante cap. 2. de gen. & aliorum omnium authorum; estque per se, ac sponte sua perspicua: necnon ex dictis supra lib. 3. tract. 3. cap. 3. ibi enim latè & ex professo ostensum est, quid concreta accidentalia, siue primæ, siue etiam secundæ intentionis importent in recto, quid in obliquo, quid intrinsecè, quid extrinsecè & tantum connotatiuè. Ex modo autem, quo eiusmodi concreta includunt partes suas, dependet modus illa prædicandi, aut de se inuicem, aut de abstractis, formisve suis, necnon etiam subiectis. Videnda etiam sunt, quæ disputauimus tract. 2. huiusmet libri cap. 3.

CAPVT II.

Proponuntur, & dissoluuntur argumenta aliqua contra assertiones capitis præcedentis.

ATque in primis abstracta substantiarum, siue 6
æqualia sint, siue inæqualia, ac superiora, vel inferiora non posse inuicem verè prædicari; aut absolutè, contrà quam statuimus assertione prima; aut à fortiori adiecta particula, *in quantum*, *formaliter*, aliave simili, contrà quam deliberauimus assertione secunda, tuentur Beatus Thomas 4. contra gent. cap. 87. & opusculo de ente, & essentia cap. 3. & 4. Caietanus cum eo hoc posteriori loco, & Ferrara tum priori, tum etiam primo contra gentes cap. 18. & 23. Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. communiter eius assęclæ Canarienses 1. part. quæst. 28. art. 2. disp. 2: Niphus 3. metaph. quæst. 2. concluſ. 5. Suarez tom. 1. metaph. disput. 6. sect. 10. Rubius tract. illo de nat. ent. rationis iterum iterumque citato. Amicus de vniuers. tract. 4. q. 9. dub 5.

Probatur autem hæc opinio, & nostra improbatur, primo talem in modum: nequit idem prædicatum poni per intellectum verè in aliquo subiecto, & simul ab eo per intellectum abstrahi; sicut per informationem, durationem, vbicationem, nequit aliquid esse physicè, & simul non esse in alio velut subiecto, tempore, aut loco: at duo illa semel contingerent, si qua propositionum earum, de quibus controuertitur, esset vera: nam cum dicitur, humanitas est animalitas, hæc inprimis ponitur iuxtà nos verè in humanitate, quippè de qua verè prædicatur; deinde simul ab ea abstrahitur per intellectum, quoniam sumitur, vt abstractum quoddam: par autem ratio est cæterarum prædicationum, de quibus est quæstio; omnes ergo sunt falsæ, tum absolutè sumptæ, tum à fortiori, si qua earum particulam aliquam reduplicatiuam adiiciat. 7

Secundo probatur eadem opinio: nulla pars, quatenus talis, potest de toto prædicari: tum quia hæc de causa hæc propositio est falsa, homo est animal: tum quia nè ipsum animal posset verè prædicari de homine, & reliquis inferioribus, nisi esset totum quoddam potestatiuum ea virtualiter, & implicitè continens; atqui animalitas, provt talis, non habet rationem totius continentis quodammodò species, & differentias, sed potius partis, aut formalitatis cuiusdam respectu illarum: haud enim nisi pars potest à toto abstrahi; animalitas autem est abstractum quoddam: nequit ergò de humanitate, rationalitate, aliisve speciebus, ac differentiis, in abstracto sumptis verè prædicari, aut hæ de illa: quo fit, vt omnes enunciationes in controuersia positæ sint prorsus falsæ, vt intuenti constabit.

Rursus tertio suadetur eadem opinio, quoad qua- 8
tuor priores propositiones, nempè has humanitas est animalitas, humanitas est rationalitas, earumque conuertentes: siquidem hæc prædicatio, *equinitas tantum est equinitas*, iuxtà Auicennam, quem sequuntur omnes, est vera: equinitas ergò nec est animalitas, nec hinnibilitas, aut è conuerso; aliàs non esset tantum equinitas: quod ergo perinde est, humanitas non est verè animalitas, nec rationalitas, aut è diuerso. Vlterius quartò suadetur eadem sententia, quoad easdem quatuor prædicationes controuersiæ præsentis: rationalitas nequit prædicari de humanitate velut differentia: huius enim proprium est, prædicari in quale, adeoque per modum alteri

adiacentis, illudque quodammodò determinantis, & consequenter in concreto; siquidem hæc tria in idem concurrunt: rationalitas ergò, vt dictum est, nequit prædicari de humanitate, tanquam differentia, cum sit abstractum quoddam: ergo nec tanquam eius pars: ac proindè, cum dicitur, humanitas est rationalitas, quod significatur per hanc propositionem est, rationalitatem esse totam, & adæquatam essentiam humanitatis, hoc autem est manifestè falsum: ergo & est falsa ea propositio: ergo & similiter hæc; humanitas est animalitas: omnes enim vtramque iuxtà habent; ergo & vtriusque conuertentes pariter erunt falsæ adeóque quatuor, de quibus agimus. Quin etiam eodem argumento confici posse videtur, has propositiones etiam esse falsas, animalitas est rationalitas, rationalitas est animalitas: nec enim illa huius differentia esse potest, nec consequenter hæc illius genus: aliter autem altera nequit de altera prædicari verè, aut è conuerso, nisi instar generis, & differentiæ.

9 Enimverò duas illas vltimas propositiones præsenti subiectas controuersiæ veras esse non posse planius, ac facilius probari solet hoc argumento, quod est ordine quintum: Termini abstracti important non tantum res ipsas, sed earum etiam rationes formales per intellectum præcisas, vt constat ex abstracti provt à concreto distincti etymologia: quoties ergò prædicantur inuicem, propositiones, quibus constant, identitatem rationis affirmant, ac sensum faciunt, non identicum, sed formalem: at hæc propositio, animalitas, & hæc etiam rationalitas est animalitas, eo sensu sunt falsæ iuxtà omnes, ac proinde, cum alium non admittant, veræ nunquam esse poterunt. Denique sexto probatur aduersaria opinio, quoad duas vltimas propositiones: quoniam in illis sumuntur animalitas, & rationalitas vt abstracta quædam: abstractio autem, ac distinctio rationis gradus generici est potissimè à differentiali, & huius ab illo: tam ergo animalitas, quam rationalitas accipiuntur in prædictis propositionibus velut inuicem abstractæ, & condistinctæ ratione nostra: animalitas ergo præcisè provt est animalitas, & rationalitas simili modo in iis sumitur, ac prædicatur: alterutra ergò in sensu formali, ac reduplicatiuo, & velut cum altera non re modò, sed etiam ratione eadem enunciatur: Ita verò fieri nequit, quin ambæ enunciationes sint veritatis expertes.

10 Hæc potissima contrariæ sententię argumenta, quæ ni splendide fallor, apertam patiuntur instantiam. Etenim pleraque eorum inde vim suam, & efficacitatem sumunt, quod termini substantiales, de quibus est sermo, sint abstracti, sumanturque vt partes, non vero alicuius totius instar: quocirca cum abstracta accidentium sint vera, ac propria ratione abstracta, & accipiantur instar partium quarundam, videtur similiter ea inuicem haud posse ex vero prædicari, atque has propositiones esse falsas, albedo est color, hic est qualitas: item si, quod aliqui putant, albedo sit quanta per seipsam, & non per quantitatem à se distinctam, nihilominus hanc prædicationem esse falsam, albedo est quantitas: & similiter hanc fore falsam, albedo est dulcedo, etiamsi vtraque esset eadem realiter, & non diuersa qualitas, vt modo: sunt enim qui ambas in alia rerum serie indistinctas, & alterius quam nunc genij esse posse existiment.

11 Respondent primum cum Scoto eius sectatores, & aliarum etiam sectarum quidam scholastici, abstracta alia esse eiusmodi abstractione vltimata, quædam verò abstractione non vltimata: abstracta prioris generis sunt, quæ abstrahuntur, tum à subiecto, suppositovè, tum etiam ab inferioribus, sic vt de neutris possint verè prædicari, aliudque non inuoluant, quam quod ipsis est quidditatiuum, & essentiale: dicitur talis abstractio vltimata, quoniam non est dare aliam maiorem, aut vlteriorem: abstracta posterioris generis sunt, quæ quidem à subiecto, suppositovè, non tamen ab inferioribus abstrahuntur, nec ista perinde ac illud excludunt: posteriori hac abstractione gaudent abstracta quædam accidentium, veluti albedo, color, qualitas: vnde mirandum non est, quod prædicentur inuicem: priorem vero abstractionem amant abstracta omnia substantiarum, cuiusmodi sunt animalitas, rationalitas, humanitas, &c. quare nihil mirum, si non affirmantur inuicem; haud aliter atque etiam abstracta quædam accidentium videlicet vltimata, cuiusmodi sunt albedinitas, coloritas, & similia nequeunt inuicem affirmari.

At mihi displicet magnopere hæc doctrina, cum 12
P. Fonseca citata illa q. 13. sect. 4. & plerisque scholasticis extrà Scoticam disciplinam: primò enim, cur, sicut animalitas est natura animalis præcisa ab inferioribus, non sit etiam albedo forma albi præcisa ab inferioribus suis? sed animalitas, propter eam præcisionem, seu abstractionem, qua maiorem aliam facilè haud reperias, est abstractum quoddam vltimatum: ergò & albedo, propter eandem præcisionem. Rursus è contrario, sicut color: v.g. est iuxtà aduersarios accidens provt abstractum à subiecto ab eoque distinctum, coloritas vero idem accidens provt ab inferioribus etiam abstractum; quo etiam pacto secundùm eosdem habent se albedo, & albedinitas, lux & luciditas: cur non animalitas pariter sit natura animalis, quatenus condistincta solum ab eius subsistentia suppositovè, animalitas verò eadem natura animalis abstracta, tum ab eius subsistentia, tum etiam ab inferioribus? aut cur non sit etiam abstrahere ab homine tam humanitatem, quam etiam humanitasitatem, & ab equo equinitatem, atque equinitasitatem præterea? nam si res spectes, par earum vtrobique ratio; sin autem voces, haud magis barbaræ, ac portentosæ sunt hæ, quam illæ ab aduersariis confictæ, atque in vsum versæ, aut potius abusum.

Tertio animalitatem esse abstractum vltimata 13
abstractione, aut est animalitatem absolutè abstrahi, tum à supposito, tum etiam ab inferioribus; atque ita color etiam erit abstractum vltimatum, cum procul dubio sit genus, & abstrahatur absolutè non tantum à supposito, sed etiam à suis inferioribus; aut quod de aduersariorum mente magis esse reor, animalitatem esse abstractum vltimate est, eam reduplicatiue abstrahi, ita vt animalitas sit non tantum natura animalis abstracta ab inferioribus, sed sumpta provt ita abstrahitur, & particulæ alicui supra abstractionem reduplicanti subiacet: atque hoc sine illa videtur ratione confictum: cur enim hæc vox, animalitas, magis quam color, albedo, vniuersalitas, Beatitas, aliæque similes accidentium notiones, & naturam rei, & eius reduplicationem præterea significet?

Alij respondent cum nostro Suarez, nullum esse 14
discrimen illud inter abstracta subsantiarum, & accidentium à Scotistis constitutum, eaque potius esse eiusdem rationis, si cum proportione sumantur: sicut enim, aiunt, albedo est abstractum à subiecto, suppositouè, necnon etiam à compósito per accidens, quod cum illo constituit, albo nimirum; ita similiter anima substantialis est abstractum quoddam

dam à corpore, & etiam animali, animatóve, & quemadmodum albedo abstractionis eius merito excludit duntaxat suppositum, cui ineſt, & album quodãmodò, ac de neutro potest prędicari, nõ de illo propter distinctionem ab eo adæquatam, non etiam deboc, propter distinctionem ab eo inadæquatam, seu partis à toto: at eadem albedo nihilominus de suis inferioribus, hunc in modum albedo Petri est albedo, albedo Pauli est albedo, &c. ita beneficio similis abstractionis anima exercet à se corpus & animal, ac de neutro potest enunciari; at bene de suis inferioribus, talem in modum, hæc forma est anima, anima rationalis est anima, &c. Vlterius vti albedinitas est abstractum quoddam inferiora excludens, natura videlicet aut forma albedinis, quatenus præcisè talis, quin possit dici, albedo est albedinitas, color est coloritas, lux est luciditas, &c. ita quid mirum, si animalitas v. g. sit abstractum quoddam inferiora cuncta excludens, pura videlicet ac puta animalis natura, adeoque prohibeat, ne dici possit ex vero, humanitas est animalitas, equinitas est animalitas, rationalitas est animaliras, &c. atque quoad hoc posterius fatentur hi authores se à doctrina Scoti neutiquam dissidere. Quæ cum sit à nobis superius satis improbata, vel eo nomine præsens illi innixa responsio nequit nobis probari. Illud etiã magnopere non arridet tum in ea, tum etiã in priori responsione, quod vtraq; abstractionẽ vltimatam explicet per præcisionem rei ab inferioribus, animalitatis, v. g. ab humanitate, equinitate, earumque differentiis, & non præterea ab æqualibus, & inferioribus: quod enim horum etiam ratio haberi debuerit, constat: nam rationalitas, v. g. est abstractum quoddam vltimatum respectu animalitatis se superioris, & risibilitatis sibi æqualis, ita vt iuxtà aduersarios neutri possit subiici, aut de nutra verè prædicari. Sed aggrediamur argumentorum, quæ nobis sunt obiecta, solutionem.

15 Ad primum dicendũ est, illud haud magis probare, quod abstracta substantiarum de abstractis suis, quam quod earundem concreta de concretis sui generis verè nequeant enunciari: nam animal. v. g. quamuis concretum, tamen abstrahitur à suis inferioribus, homine scilicet & equo: aut igitur de neutro vere poterit affirmari, aut certe erit, vt per intellectum sit in aliquo subiecto, à quo per eundem simul abstrahitur: viderint aduersarij, quid responderi possit huic difficultati, atque id sibi dictum putent. Insuper respondeo absolutè, animalitatem v. g. esse in humanitate, & simul ab ea abstrahi, iuxtà nostra principia; aliter tamen, & aliter: siquidem est in ea per notitiam comparatiuam, & abstrahitur ab illa per aliam realiter, aut virtualiter distinctam, haud comparatiuam, sed abstractiuam: item est in ea per identitatem realem propositione enunciatam, & abstrahitur ab illa, non per negationem eius identitatis, sed per solam distinctionem, ac præcisionem rationis cum identitate reali compossibilem: hæc autem nullam contradictionem inuoluunt, quemadmodum contradictoria neutiquam sunt, quod forma sit in materia velut subiecto per vnionem, non verò tanquam loco, aut tempore per vbicationem vel durationem; aut quod è contrario forma aliavè res sit alicubi temporis, aut loci, vbi nequaquam velut in subiecto. Atque hoc modo cæteris propositionibus disputatationi nostræ subiectis fieri potest satis, quippè quæ difficultatem habent eandem.

16 Ad secundum argumentum respondeo, illud etiam in concretis infringi: vt enim de cæteris taceam, an non animal est pars quædam hominis, de quo verè prædicatur? quod si simul totum potestatiuum respectu illius, quidni etiam tale sit animalitas humanitatis gratia? vlterius: hæc propositio, aliquod album est paries, est vera, cum tamen paries sit pars albi, non verò ipsum totum: falsum ergo est, quod pars est non totum comparatione alicuius, haud posse de eo verè prædicari. Dicunt aliqui aduersariorum, cum nostro Rubio superius citato, illud prædicari velut totum non partem, quod prædicatur instar habentis quod est in subiecto; eiusmodi autem esse parietem respectu albi, & animal respectu hominis, & vniuersim quoduis prædicatum respectu subiecti, de quo verè dicitur: at nullum abstractum substantiale prædicari tanquam habitum. Sed, vt ab hoc vltimo incipiam, id quî probatur? non certè ex definitione termini abstracti: quæ ab aduersariis allegatur, & est huiusmodi; terminus abstractus est qui significat rem per modum partis, & consequenter habitæ, non habentis: tum quia inde fieret, nè abstracta quidem accidentium posse inuicem prædicari, vocibus enim terminisque sibi impositis significantur instar partiũ, & velut habita magis quã habentia: tũ etiam quia definitio illa tantum cõstituit, abstracta omnia, & accidentiũ, & substantiarum, respectu concretorum se habere velut partes, & haberi magis quam habere: ad summum igitur arguet, abstracta de concretis non posse verè prædicari, secus verò de abstractis, comparatione quorum partes haud censentur: tum denique quia ne de concretis abstracta vlla dici non posse colligitur ex ea definitione: quid enim vetat, animalitatem v. g. esse partem quodammodo constitutiuam animalis, sicut termini abstracti definitio postulat, & simul esse illius contemplatione totum, non in constituendo, sed in prædicando, qualem ipsi aduersarij dicunt esse totalitatem parietis respectu albi, cum profertur hæc propositio, aliquod album est paries. Atque hæc prima eius euasionis præclusio. Secundò autem; quid manifestius quam parietem de albo dici, tanquam quod ab eo habetur & in eo continetur; non velut quidpiam illud habens continensque, sicut comminiscuntur ij, quibuscum disceptamus? Tertio; forma physica potius habetur à materia, quam eam habet: eodem ergò modo se gerit forma intentionalis, cuiusmodi est prædicatum, respectu subiecti siuè materiæ intentionalis. Absolutè ergò respondeo, animalitatem, tametsi sit pars humanitatis, posse tamen de ea verè prædicari, propter earum realem identitatem, paremque esse rationem quorumuis aliorum abstractorum.

Nec obstat inprimis exemplum animæ: quippe 17
quæ non ideò est inepta de homine prædicari, quia est eius pars, sed quia distinguuntur realiter adæquatè ab homine puro: de quo in Metaph. vel si contrarium placet, quia homo non potest non dicere in recto vel naturam humanam, vel subsistentiam vel vtramque; cum ex iis non minus componatur, quam album ex substantia parietis & albedine, quas vel ambas, vel alterutram necessario dicit in recto. Cum ergo anima non possit prædicari de subsistentia in recto sumpta, ob distinctionem realem adæquatam ab illâ, nec de naturâ humanâ eodem etiam vsurpata modo, propterea quod id foret eam prædicari de corpore à se realiter distincto, & in natura humana, vt supponitur: incluso, per identitatem atque in recto, cum, inquam, hæc ita se habeant, nil mirum si non possit anima de homine vere prædicari. Quandoquidem ergo non ob id nequit de eo prædicari, quia vtrumque est eius

pars,

pars, fieri sanè poterit, vt animalitas de humanitate,& rationalitate verissime prædicetur, vt vt sit pars,& non totum respectu vtriusque:pars,inquam constituens humanitatem,& respiciens rationalitatem: siue,quod perinde est,eius compars. Ex dictis etiam num.præc. patet, posterius exemplum argumenti contrarij ab animali desumptum non valere. Neque enim ideò præcisè animal potest de homine prædicari, quia est respectu illius totum potestatiuum, & non vera pars; cum paries respectu albi non sit totum potestatiuum, sed pars, & possit de eo prædicari. Adiice ad vtrumque exemplum Aduersariorum dici posse, quod animalitas respectu humanitatis sit strictissimè totum potestatiuum.

18 Ad tertium argumentum respondeo,celebrem illam propositionem ab Auicenna primò traditam,& à cæteris postea receptam; equinitas videlicet est tantum equinitas,communiter & optimè explicari, non ita vt equinitas animalitatem excludat, sed ita vt vnitatem, & multiplicitatem inferiorum ratione nostra excludat,& ab vtraque per intellectum præscindatur:perperam ergo ex eo colligitur axiomate, hanc prædicationem esse falsam, equinitas est animalitas, aliamque quamuis similem. Ad quartum: infrà constabit,rationalitatem esse differentiam tum humanitatis, tum etiam animalitatis. Deinde esto non sit, quid inde? erit certè respectu illius principium differentiæ,& hoc sufficiet, vt non dicatur de ea velut tota, & integra eius essentia; item vt non sit nulla prædicatio rationalitatis de animalitate,aut è conuerso.

19 Ad quintum respondeo, illud etiam labefactari in concretis cæterorum ritu: nam etiam animal v.g. haud significat totam essentiam hominis:ergo quandam eius formalitatem ab alia videlicet rationali præcisam; & tamen de hoc illud verè prædicatur, & ediuerso:termini ergo abstracti,quales sunt animalitas,& rationalitas,quamuis significent non res ipsas penes se totas, sed earum formales, ac præcisas rationes, non propterea sequetur, quod non possint inuicem verè prædicari. Quinimò contrarium potius deberent aduersarij ex eo inferre principio:quoties enim non totæ res,sed earum quædam rationes per intellectum præcisè affirmantur inuicem,& conferuntur inter se,magis est vt earum identitas realis cum ea præcisione compossibilis, quam identitas rationis cum ea incompossibilis adstruantur:sic enim omnia optimè sibi cohærent, & veritas propositionum,quæ quoad eius fieri potest,defendi debet,sarta tecta remanet.

20 Ad sextum argumentum, quod à superiori ferè nihil differt,similiter respondeo,quemadmodum hæ prædicationes sunt veræ,animal est rationale, rationale est animal, quamuis concreta, de quibus sunt, abstrahantur inuicem, ita abstractionem, ac distinctionem rationis animalitatis à rationalitate, & huius ab illa, non obesse, quominus possit mutuo prædicari absque vllo veritatis præiudicio. Quod si aduersarij respondeant, animalitatis, ac rationalitatis abstractionem haud esse absolutam, sicut concretorum, sed reduplicatiuam, vt perinde sit animalitas, ac natura animalis provt est talis præcisè, hoc quidem admisso principio, nulla erit nostra responsio, & prædicationes, de quibus agimus, semper efficient sensum formalem, & reduplicatiuum, & non tam realem identitatem,quam rationis affirmabunt. At quod eiusmodi principium sit commentitium,satis superius ostendimus.

21 Postrema tandem ac tertia assertio nostra est parum operosa, quoad pleraque partes suas,vt iam dictum: quoad alias autem particulas nonnullis quidem difficultatibus est obnoxia;at quibus factum est satis suo loco, eo nimirum quem cap. præc. ad eius finem citauimus: supereſt ergo ab obiectionibus vendicanda ea illius assertionis pars,qua statuimus, abstracta substantiarum esse posse genera,species,& differentias. Contrarium enim docet B. Thomas lib.7.metaph.lect.5.his verbis; *quod quid est esse, id quod definitio, significat. Vnde cum definitio prædicatur de definito, oportet quod quid est esse de definito prædicari:non igitur quod quid est esse hominis humanitas, qua de homine non prædicatur, sed animal rationale, mortale. Humanitas enim non respondetur quærenti quid est homo, sed animal rationale & mortale. Sed tamen humanitas accipitur vt principium formale eius,quod est quod quid erat esse, sicut animalitas sumitur vt principium generis,& non genus,rationalitas vt principium differentiæ, & non vt differentia*, idem habet de ente & essentia cap. 3. & Caietanus ibidem,necnon Capreolus in 1.dist.4. quæst. 2. art. 1. & alij sectatores, item Scotus in 1. dist.2. quæst.7. cum suis. Rubius loco supra citato; referri etiam solet Auicenna tract.5.metaph.c.6.qui tamen de solis differentiis sermonem habet,non de generibus,aut speciebus.

22 Mouentur autem hi authores:primò,quia genera species,& differentiæ possunt,& debent verè prædicari de suis inferioribus: ergo si animalitas v.g. est genus, & humanitas species, & rationalitas differentia singulæ poterunt verè affirmari de abstractis sibi subiectis: at nequeunt propter rationes huius initio initio capitis propositas. Secundò; quoniam differentia prædicatur in quale quid: ergo per modum alteri adiacentis,adeoque in concreto,siue connotatiuo, non verò in abstracto: vnde cum rationalitas non nisi in abstracto possit enunciari, haud poterit esse differentia: quare nec animalitas genus, nec humanitas species: huius enim speciei differentia constitutiua, & illius generis diuisiua esset rationalitas, cuius tamen contrarium manet iam probatum. Tertiò, & recidit in idem; differentia debet prædicari conceptu respondente nomini adiectiuo, alioqui neutiquam prædicanda in quale, sed duntaxat in quid,instar generis, aut speciei, vt hoc ipso lib.tract.5.ad finem à nobis constitutum est:at rationalitas non adiectiuè, sed substantiue enuntiatur: haud ergo velut differentia poterit enunciari, ac proinde nec animalitas velut genus, nec humanitas velut species,vt argutum paulo suprà.

23 Cæterum abstracta substantiarum esse posse genera, & species respectu suorum inferiorum docent Fonseca citato lib.5.metaph. cap. 28.qu.13.sect.4. Gilius lib.2.tract.7.cap.5. Tellez part.1.sum.disp.6. sect.2.num. 18. Suarez supra sect.10. ibi enim tandem concedit animalitatem,cum quadam distinctione,& reduplicationis expressa exclusione, posse verè prædicari de humanitate, & hanc de suis inferioribus, atque ita alteram esse genus, & alteram speciem. Verùm enimuero hi omnes negant, rationalitatem,aliudve abstractum substantiale eiusmodi,esse differentiam, propter rationes superius adductas: quo tamen iure, qua doctrinæ consequentia, vtantur hac exceptione, haud satis assequor:quocirca ea reiecta doctrinæ vniuersali superius traditæ insisto, eamque probo,hunc in modum.

24 Christus Dominus assumpsit humanitatem in atomo, siue in indiuiduo, vt ex Damasceno docent omnes Theologi:humanitas ergo Christi est indiuiduum quoddam:non alterius speciei quam humanitatis,

tatis in communi: hæc ergo est species: id quod etiam ita potest suaderi à priori: species est quod prædicatur de pluribus solum numero differentibus in quid: sed huiusmodi est humanitas in commune respectu huius & illius. Iam animalitatem esse genus suadetur: tum à pari; cur enim humanitas sit species, & non illa genus? tum etiam, quia genus est id quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: talis autem est animalitas contemplatione huius, & illius, humanæ scilicet, & equinæ. Hinc etiam probatur, rationalitatem esse differentiam: nam humanitas cum sit absolutè species, aliqua differentia constituitur, at non alia, vel certè nulla melius, quam rationalitate: item animalitas, cum sit genus aliqua differentia contrahitur; atque diuiditur, quæ quidem nequit non esse rationalitas sola, vel quidem ea potissimè: rationalitas ergò duplici ex titulo est differentia.

25 Responderi communiter solet, differentiam constitutiuam humanitatis, & contractiuam animalitatis esse non rationalitatem, sed rationale, vt perinde sit humanitas, atque animalitas rationalis, non verò animalitas, rationalitas, sicut albedo, quæ est abstractum accidentale, habet nihilominus concretum quoddam loco differentiæ, definiri enim solet, non color disgregatio visus, sed color disgregatiuus visus. Verum, vt ab hoc postremo impugnationem ordiar, idcirco disgregatio visus haud est differentia albedinis, quoniam ab ea distinguitur realiter, eiusque verus est effectus: at rationalitas verè, & realiter nec distinguitur, nec efficitur ab humanitate: eius ergò differentia esse sustinet. Secundò, iuxtà non paucos aduersarios nulla concreta de abstractis possunt verè prædicari; at, si humanitas est essentialiter animalitas rationalis, rationale adiacebit animalitati non minus quam animali, ac proinde de ea potest prædicari, quantumlibet sit concretum, & illa abstractum quoddam. Tertiò, fieri non potest: vt homo v.g. & non humanitas sit species, aut animal genus & non ex æquo animalitas: vbi ergo rationale sit differentia animalitatis, & humanitatis, huius scilicet constitutiua, & illius contractiua, talis etiam non esse non poterit rationalitas. Quartò tandem, rationes ob quas negatur, rationalitatem in abstracto esse differentiã, secus verò in concreto, nullius esse momenti statim clarebit: aut igitur altero tantum modo videlicet abstracto, aut, quod arbitror non improbabile, vtroque, debet esse differentia, qua constituitur humanitas, & diuiditur animalitas ea superior.

26 Quod ipsum probo sic: humanitas differt ab equinitate, & quauis alia natura sensibili: at non merito animalitatis: ergò rationalitatis solius: hæc igitur est differentia humanitatis, cum faciat eam differre ab alia quacunque natura: Dices per rationalitatem, non formaliter, sed causaliter differre humanitatem à natura equi, & quauis alia, eamque adeò non esse differentiam, sed principium differentiæ, vt cum Auicenna tradunt plerique scholastici. Quo tamen minus hanc solutionem satisfacere putem, tale facit argumentum: rationale saltem est differentia, vt nemini dubium: at vi illius non differt homo ab equo formaliter, sed veluti causaliter: siquidem alter ab altero differt formaliter per relationem differentiæ seu dissimilitudinis, hæc autem non est rationale, sed in ea fundatur, & ex illa resultat, aut tanquam modus, aut tanquam complexio quædam præter rationale aliud etiam extremum inuoluens more cæterarum relationum prædicamentalium: quamuis ergo non formaliter sed causaliter differat humanitas ab omni alia natura vi rationalitatis, hæc nihilominus illius erit differentia, & ita merebitur appellari.

Quæ autem huc vsque singulatim probata est 27
doctrina, ea semel potest suaderi exemplo per quam appositò, & nobis familiari: uam abstracta accidentium iuxtà omnes sunt genera, species, & differentiæ: qualitas v.g. est prædicamentum, adeoque supremum genus: color similiter est genus, respectu nigredinis, & albedinis: istarum etiam quæuis est species, contemplatione suorum inferiorum: huiusmodi quoque, & aliarum plurium specierum differentiæ, tametsi concreta quædam fortassis sint voce tenus quod ne semper vsuuenit, cum multoties eadem vox speciem, & differentiam indigitet, at reipsa abstracta sunt more ipsarum specierum, cum non minus quam hæ, imò magis sint simplices: quid est ergò, cur similiter abstracta substantiarum non possint esse genera, species, & differentię? Cæterum opus est, vt tribus argumentis contrariis nuper positis respondeamus.

Ad primum dicendum est, quod abstracta substan- 28
tiarum, siuè generica, siuè specifica, siue differentialia, de abstractis quibusuis à se realiter indistinctis veriſſimè prædicentur, hoc à nobis abunde probatum esse superius, nec nouam confirmationem postulare: eaergo propter non esse, cur genera, species, & differentiæ non minusquam concreta censeantur. Ad secundum dicendum est, eo ad summum probari, rationalitatem v.g. non esse differentiam: perperam autem inde vlterius inferri, animalitatem à ratione generis, humanitatem à ratione speciei excludendas esse; quasi verò nulla possit assignari differentia alterius diuisiua, & alterius constitutiua, præter rationalitatem: quidni enim rationale sit earum differentia, duoque illa munera exerceat? Quamuis autem hoc probabile sit, vt prædiximus, non tamen necesse: verius enim est eo argumento nequaquam conuinci, quod rationalitas differentiæ rationem non obtineat: siquidem vt prædicetur in quale, & instar alteri adiacentis non est opus, vt in concreto enuncietur, sed abunde est, vt in obliquo, quamuis in abstracto: talem videlicet in modum; humanitas est animalitas rationalitatem habens, aut per eam contracta. Fortassis etiam ad id sufficiet, quod sit minus vniuersalis, quam genus, eiusque latitudinem, & iodifferentiam determinet, vtvt in recto prædicetur, hoc modo: humanitas est animalitas, ac rationalitas eam contrahens. Ad tertium argumentum similiter dicendum est, eius vim, si qua pollet, sola rationalitate v.g. coërceri, atque vt eam non esse differentiam efficiat, neutiquam tamen, quod animalitas non sit genus, aut humanitas species: Præterea verisimilius esse, illo non obstante, rationalitatem esse differentiam, vtque ea dicatur in quale, & non absolutè, sed connotatiuè, satis esse, quod aut in obliquo prædicetur, aut ita in recto, vt animalitatis vniuersalitatem, & indifferentiam haud exæquet, sed potius illam restringat, certosque præscribat ei fines, quos vltrà citraque nequeat consistere.

LIBER

LIBER DECIMVS ET VLTIMVS.

DE QVIDDITATE, INCOMPOSSIBILITATE cum falsitate, & variis speciebus veritatis.

TRACTATVS I.

De quidditate veritatis.

CAPVT I.

An veritas sit conformitas nostræ cognitionis cum scientia Diuina?

1 VIDAM Neoterici affirmant, his argumentis adducti: Veritas in essendo, transcendentalis vocari solita, consistit in conformitate cum intellectu diuino, vt docent B. Thomas, Suarez, Molina, Valentia, Fonseca, Lessius, & alij communiter auctores: ergo & veritas in repræsentando, siue formalis. Explicatur: quando res ita se habet, sicut Deus iudicat, est verè talis res, habetque veritatem transcendentalem hominis, aut equi aliamve similem: quando igitur cognitio nostra ita diiudicat de re, sicut intellectus diuinus, ea erit formaliter vera. Secundò: conformitas nostræ voluntatis cum diuina est eius bonitas moralis: similiter ergo in præsenti, &c.

2 Tertio: omnis res habet veritatem, ac rectitudinem à conformitate cum sua mensura propria, sed scientia diuina est prima veritas in repræsentando: ergo est mensura omnis veritatis in repræsentando: vt enim ait Aristoteles 10. metaph. cap. 1. primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum: proindè cognitio nostra veritatem habet formalem, siue in repræsentando à scientia diuina. Quarto: res omnis finita dicitur extrinsece possibilis ab omnipotentia Dei: quidni ergo extrinsecè vera à veritate diuinæ scientiæ? actus igitur intellectus nostri hoc ipso, quod sit conformis diuinæ scientiæ repræsentat rem, sicuti est verè in sese: eo igitur ipso, quod sit ita conformis, est formaliter verus.

3 Quinto, ac paulo aliter. Res omnes creatæ sunt transcendentaliter veræ per actum diuinæ scientiæ: *Idcirco namque* (inquit Anselmus in dialogo de veritate cap. 11.) *verè præteritum dicitur esse aliquid, quia ita est in re: & ideo est aliquid præteritum, quia sic est in veritate summa*: Et ibid. paulo supra; *non est vera oratio, quæ dicit futurum esse aliud, nisi reipsa sit aliquid futurum; neque aliquid est futurum, si non sit in summa veritate.* Hæc ille; quod si res dicuntur vere præteritæ, & futuræ per actum diuini intellectus, cur non & verè existentes? vbi ergo actus noster dicatur formaliter verus per conformitatem cum veritate obiectiua, & transcendentali, necessum est, vt talis dicatur ex eo, quod sit conformis diuinæ scientiæ: haud ergo per conformitatem cum obiecto secundùm se præcisè constituitur veritas nostra formalis, sed potius cum eo provt à Deo verè cognito. Sexto tandem: actus, quo affirmo Petrum extiturum, nunc est verus, vt videtur, per se, ac sponte sua manifestum: nunc igitur est omne constitutiuum illius veritatis: at nondum est existentia obiecti videlicet Petri: non ergo hæc, sed potius diuina scientia nunquam non existens talem constituit veritatem: quod si veritas, qua de loquimur, esset conformitas cum obiecto, eiusque existentia, & non cum scientia Dei, aliter se res haberet.

4 Verum acquiescere non possum in hac sententia: eamque in primis impugno authoritate multiplici: atque vt ordiar ab Aristotele; sic habet lib. 1. de interpret. cap. 8. *nam si verè quispiam dicit hoc album, aut non album esse, necesse est album, aut non album esse: etsi est album, aut non album, verum vtique dicit affirmando, aut negando: etsi omnino non est, falsum dicit, & si falsum dicit, non est.* Ac ibidem infra; *si verè quispiam dicit album quippiam esse simul, & magnum, necesse est esse vtrumque, & si verè dicit cras fore, oportet illud cras fore.* Et in prædicam. cap. de substant. text. 10. ad finem, *ex eo quod, res est, vel non est, propositio vera vel falsa est.* Plato quoque sic loquitur in Parmenide; *habere seipsum oportet eo modo, quo diximus: nisi enim sic se haberet, haudquaquam vere diceremus, dum vnum non esse fatemur: sin autem vera, manifestum est, quod ea, quæ sunt proferimus: Nonne? sic est: cum verò nos vera prædicare dixerimus, necesse est, vt ea, quæ sunt asserere profiteamur*: Et in Sophista; *sermo mendax eadem ratione censebitur, qui videlicet ea, quæ non sunt esse, & contrà quæ sunt non esse pronuntiat*: Et in Euthidemo; *quicunque quod est, quæve sunt dicit, vera dicit: quamobrem Dionisodorus, si quæ sunt dicit, vera prædicat, neque quicquam aduersus te mentitur.* Et in Cratylo; *illa verò oratio, quæ existentia dicit, vt existunt, vera est, quæ vt non existunt, falsa* Accedit Anselmus Dial. de veritate cap. 3. *cogitationem quoque dicimus veram, cum est quod, aut ratione aut aliquomodo putamus esse, & falsum, cum non est.* Et paulo infra: *quapropter, qui putat esse quod est, putat quod debet, atque ideo recta est cogitatio: si igitur vera, & recta est cogitatio, non ob aliud, quam, quia*

quia putamus esse quod est, aut non esse quod non est, non est aliud eius veritas, quam rectitudo. Ac denique Augustinus sic ait lib.de vera relig.cap.36. *Cui manifestum est falsitatem esse, qua id putatur esse, quod non est, intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id, quod est.* Ecce hi omnes veritatem formalem explicant per conformitatem actus nostri cum obiecto,& re ipsa nulla diuinæ scientiæ mentione habita. Ita etiam de veritate sentiunt Thomistæ, Scotistæ, Nominales,& cum his authores nostri, atque, vt semel dicam,omnes quorum scripta prælo mandata viderim.

5 Rursus secundo confutatur eadem opinio: siquidem diuina scientia potest, ac debet dici formaliter vera per conformitatem immediatam cum ipso obiecto: haud enim est alia scientia superior,vnde veritatem suam emendicet: quidni ergo nostra per similem duntaxat conformitatem sit vera? Tertiò:diuina scientia haud dicitur vera per conformitatem cum nostra, vt aduersariis est in confesso: non est ergò,quapropter ea,quæ nobis inest,veritatem hauriat ab ea, qua Deus cognoscit. Nec vero est excusare hîc perfectionem diuinæ scientiæ: quantumuis enim sit perfecta, dicitur tamen vera per denominationem ab obiecto ipso: quidni ergo & per scientiam nostram, quæ obiectum à Deo cognitum perfectionis gradu interdum antecellit? item ea, quantæcunque sit dignitatis, & excellentiæ, subit denominationes extrinsecas, & prædicamentales similis, maioris prioris, & alias id genus respectu scientiæ nostræ, & eas ab illa quodammodo accipit: ergo & quod sit vera, vbi semel veritas definiri possit per conformitatem cum scientia, & non cum obiecto solo.

6 Quarto tandem à priori. Debet constitui veritas per connexionem primariam actus cum obiecto ita se habente, sicut cognoscitur: Inde est connexionem talem, quoties est essentialis, & actui prorsus eadem,semper esse veritatem, quia videlicet est primaria. Exinde etiam est, coexistentiam ipsius actus, & obiecti ea ratione,qua repræsentatur, siue aggregatum vtriusque esse veritatem, quia similiter est per se loquendo primaria connexio: licet enim aliquandò supponat reipsa connexionem essentialem, hoc tamen est per accidens ipsi, & etiamsi non supponeretur, daretur nihilominus, sicut in aliis actibus, non essentialiter, sed partim intrinsecè, partim extrinsecè veris,vsuenit. Cæterum ea suppositadoctrina, fieri nequit, vt conformitas cum diuina scientia, ac relatio eam importans constituat veritatem nostræ cognitionis: quamuis enim sit connexio quædam eius cum obiecto provt à nobis cognito, eoque illius statu, qui per actum nostrum adfirmatur;non tamen primaria,sed secundaria, aliamque per se supponens: semper enim prius est ratione nostra, obiectum ita esse, quam verè sciri à Deo, ideoque ab eius intellectu scitur, quia est, & non è conuerso, de quo latiùs tract.4.at obiectum ita esse, facit connexionem quandam actus secum ipso provt ita se habente, & proportionem illam, ac rectitudinem,quam appellamus veritatem: conformitas ergo cum diuina scientia haud est connextio,ac proportio actus, & obiecti primaria, sed secundaria: ac proinde nequit esse veritas.

7 Et quidem, si hæc posset constitui per connexionem secundariam nostri actus cum obiecto, eiusque statu per actum affirmato, ac repræsentato,essent in quouis actu nostro infinitæ veritates formales:Nam v.g.cum affirmo Petrum currere, actus meus connectitur secundariò cum obiecto, nimirum cursu Petri, per diuinam scientiam: deinde per similitudinem, & coexistentiam cursus Pauli: rursus per eam,qua coexistit cursui Ioannis: vlterius, & Ignatij: & sic per infinitas alias relationes prædicamentales, quas obiectum præfati actus subit,& ex quarum hypothesi non potest non esse eo temporis articulo,pro quo à me esse cognoscitur,& adfirmatur. Aut aliter: actus ille verus erit per conformitatem cum cognitione vera Petri de eodem obiecto, & per conformitatem etiam cum cognitione vera Ioannis de illo, & sic in immensum. Quid autem hac numerositate, vel, vt rectius dixerim, innumerabilitate veritatum formalium realiter distinctarum in eodem actu fingi potest magis portentosum, & absurdum?

Ad primum argumentum contrarium dicendum 8
est, inprimis res haud dici veras transcendentaliter per conformitatem cum intellectu diuino solo, sed etiam cum creato intellectu: per prius, vt aiunt, respectu illius, & per posterius intuitu huius. Nec aliud volunt authores in argumento obiecti: præsertim verò B.Thomas quæst.1.de verit. art.2. corp. vbi sic ait: *res ergo naturalis inter duos intellectus constituta secundum adæquationem ad vtrumque vera dicitur: secundum enim adæquationem ad intellectum diuinum dicitur vera in quantum implet hoc, ad quod est ordinata per intellectum diuinum,vt patet per Anselmum in lib.de vero, & Augustinum in lib.de vera religione, & per Auicennam in definitione inducta, scilicet veritas cuiusque rei,&c.secundum autem adæquationem ad intellectum humanum dicitur res vera, in quantum nata est de se formare veram æstimationem,sicut è contrario res falsa dicuntur, quæ natæ sunt videri, quæ non sunt, aut qualia non sunt, vt dicitur in 5. met. Prima autem ratio veritatis per prius inest rei, quam secunda, quia prior est comparatio ad intellectum diuinum, quam ad humanum, vndè etiamsi intellectus humanus non esset, adhuc res dicerentur veræ in ordine ad intellectum diuinum: sed si vterque intellectus, quod est impossibile, intelligeretur auferri, nullo modo veritatis ratio remaneret.* Et art. 4. corpore idem tradit: *per prius*, inquiens, *inest rei veritas per comparationem ad intellectum diuinum, quam humanum, cum ad intellectum diuinum comparetur quasi ad causam, ad humanum autem quodammodo quasi ad effectum,in quantum intellectus à rebus scientiam accipit.* Quæ cum ita sint, si licet arguere à veritate transcendentali ad formalem nostram, hæc haud constituetur per conformitatem cum solo intellectu, & scientia Dei,verùm etiam per conuenientiam cum cognitione creata: quod tamen quam absurdum sit, & quam coniunctum cum infinitudine reali veritatum in eodem actu, superius ostensum.

Secundo respondeo, rationem discriminis inter 9
veritatem transcendentalem, & formalem esse manifestam. Nam omnis res creata cognoscitur necessario sicuti est ab intellectu diuino, estque eius obiectum: proinde non est, cur non sit obiectiuè, ac transcendentaliter vera per respectum ad illum: id siquidem genus veritatis situm est in ratione obiecti, siue cogniti, aut cognoscibilis, sicuti quidpiam est in se. At non omnis actus intellectus nostri habet pro obiecto scientiam diuinam, illamvè cognoscit: quocircà haud est, quod sit vera formaliter per ordinem ad illam: talis enim veritas posita est in repræsentatione rei sicuti est, siue per relationem ad illam ita se habentem quemadmodum repræsentatur. Et quidem miror, aduersarios exigere veritatem formalem ad normam transcenden-

talis, cum tam dispar sit vtriusque conditio. Quamobrem sic argumentum contrarium retorqueo: veritas transcendentalis consistit in conformitate cum actu aliquo humani, aut certè diuini intellectus: at veritas transcendentalis opponitur suapte natura veritati formali: hæc ergo haud est collocanda in conformitate cum actu aliquo, sed potius cum suo obiecto.

10 Ad secundum argumentum contrarium respondeo, actum voluntatis nostræ dici etiam moraliter bonum propter conformitatem cum suo obiecto, quod videlicet nobis proponitur, vt rationi consonum: eius autem actus conformitatem cum diuina voluntate esse tantum arguitiuè bonitatem moralem: quia nimirum hoc ipso, quod Deus optimus maximus velit aliquod obiectum, signo esse potest, illud esse moraliter bonum, atque adeò moralem bonitatem nostrum in actum refundere.

11 Ad tertium respondeo, actum nostrum dici verum formaliter à sua mensura intrinseca, quam videlicet intrinsecè, & essentialiter respicit, atque cognoscit iuxtà dictum Aristotelis superius laudatum; *ab eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa*: secus verò à mensura extrinseca, hoc est ea, ad cuius imitationem efficitur, & habet esse. Atqui solum obiectum priori modo mensurat veritatem nostrorum actuum, & veritas diuinæ scientiæ tantum posteriori. Quid mirum ergò, si non ab hac, sed ab illo actus nostri denominentur veri?

12 Ad quartum respondeo. Quemadmodum res dicitur formaliter possibilis ab omnipotentia Dei, ita etiam ea dicitur extrinsecè, & formaliter vera per denominationem à scientia Dei. Hæc siquidem habet veritatem formalem à relatione ad obiectum, eamque postea refundit in ipsum: quo fermè pacto iuxta dicta superius lib. 8. tract. 5. cap. 2. cognitio nostra reiicit in obiectum multiplex formaliter, & fundamentaliter vnum, vnitatem formalem ab eo acceptam, illudque extrinsecè vnum, siue vniuersale denominat. Eademque ratione, vt ibi declaratum est, actus voluntatis bonitatem formalem, quam sortitur à bonitate radicali rei à se volitæ in hanc pro posteriori signo remittit, eamque extrinsecè bonam, & meritoriam constituit. Hæc cum ita sint, cognitio nostra haud dicitur vera per conformitatem cum obiecto se habente verè formaliter, & extrinsecè, qua tantum ratione inuoluit scientiam diuinam, ac proindè non per conuenientiam cum ista: tantum ergò est vera, quia conformis veritati obiectiuæ fundamentali, seu transcendentali, quæ quidem actum diuinæ scientiæ, vt connotet extrinsecè, non tamen intrinsecè, & essentialiter includit.

13 Ad quintum similiter respondeo, Anselmum hoc solum velle, actum diuinæ scientiæ intimè claudi in veritate formali extrinseca rerum à nobis cognitarum, non verò in earum veritate obiectiua: quocirca conformitas cum huiusmodi posteriori veritate haud est conformitas cum diuina scientia: talis ergò non est actuum nostrorum veritas formalis: hæc ergò perperam definitur ab aduersariis. Ad postremum respondeo, actum nostrum de obiecto non existente dici nunc verum, quia magis principalis pars veritatis nunc existit, videlicet entitas actus, non verò, quod in præsens tota veritas existat: proindè non est, quamobrem scientia diuina semper præsens, ac nunquam non existens eam constituere debeat. Adiice, tametsi veritas sit conformitas actus duntaxat cum obiecto, non propterea fore, vt hoc illam intrinsecè constituat, satisque esse, vt eam extrinsecè terminet, videlicet, si relatio ea conformitatis, ac veritas per illam definita sit actui omnino intrinseca, & essentialis: ea certè ex hypothesi actus de obiecto non existenti, quin constituatur per scientiam diuinam, aut conformitatem cum illa habet tamen ex se nunc temporis totam veritatis suæ essentiam, & integritatem.

CAPVT II.

An veritas sit conformitas nostræ cognitionis cum re cognita, an verò huius secum ipsa prout est extrà intellectum?

14 NOn pauci in ea sententia sunt, vt existiment, veritatem formalem, ac rectitudinem intellectus nostri, quoties sine errore cognoscit, esse conformitatem, non cognitionis nostræ cum re cognita, sed conceptus obiectiui, ac repræsentati cum conceptu physico, reique statu, quem habet extra intellectum: ac propterea hunc verè cognoscere, quia talis est res in eo intentionaliter, qualis est physicè, & extra illum. Ita Durandus in 1. dist. 19. quæst. 5. num. 13. Herueus quodlib. 3. quæst. 1. art. 2. & 3. Henricus in summa art. 34. quæst. 5. Iandunus 6. metaph. quæst. 2. Vasquez tom. 1. in 1. part. quæst. 16. art. 2. disput. 76. cap. 1. Mursia in log. disp. 3. Perihermen. quæst. 1. Iauellus 6. metaph. quæst. 13. & Flandria q. 23.

15 Porrò autem huius sententiæ fundamenta sic habent. Cognitio multoties est spiritualis, & eius obiectum materiale, illa qualitas, hoc substantia, illa existens, hoc in abysso nihili reconditum, ac nondum in lucem rerum existentium productum. Veritas ergo formalis haud est sita in eo, quod cognitio sit talis, quale est obiectum, cum potius dissideant inuicem toto cælo: consistit ergò in conformitate conceptus obiectiui, seu repræsentati cum physico, & extrario. Rursus secundo: cognitio nostra denominatur vera, quia repræsentat obiectum verum: nam Aristoteles definit propositionem hunc in modum; *est oratio verum, vel falsum significans*: veritas ergo formalis, & propria est in conceptu obiectiuo, & repræsentato primario, & per se, & non nisi per denominationem ab illo, & secundario in cognitione nostra: haud ergo est huius, sed potius illius conformitas cum re, quæ est extra animam, eiusque esse physico.

16 Tertio, & eodem redit: illud est propriè, & primariè verum, quod significatur enuntiatione vocali vera: quemadmodum enim color dicitur sanus, quia est signum sanitatis, ita voces denominantur quodammodò veræ, quia verum, quod strictè, & principaliter est tale repræsentant, ac significant: at voces sunt signa conceptuum obiectiuorum, siue rerum cognitarum, non verò cognitionum duntaxat: haud ergo in his, sed potius in illis propriè, & principaliter est veritas formalis, adeoque est definienda per conformitatem, non actuum cum obiectis, sed obiectorum secum ipsis in diuerso statu.

Contraria tamen sententia, nimirum veritatem omnem esse conformitatem cognitionis cum re cognita, adeoque non in hac, sed in illa primario consistere, tuentur B. Thom. lib. 1. de interpret. lect. 3. & 1. part. quæst. 16. art. 1. 2. & 8. Caietanus ibid. art. 2. Ferrariens. 1. contra gentes cap. 59. & 60. Ægid. quodlib. 4. quæst. 7. Soncinas 6. metaph. quæst 17.

Albertus

Albertus Magnus tract. 2. de interpret. cap. 2. Ex nostris Suarez disput. 8. metaph. sect. 1. Cardin. Toletus in log. lib. 1. Periherm. cap. 2. quæst. 2. Rub. lib. 1. post cap. 2. quæst. 2. num. 9. Hurtadus de anima disput. 9. sect. 1. Tellez part. 1. in logicam disp. 11. sect. 2. Arriaga disput. 14. log. sect. 1. num. 2. Compton. disput. 44. log. sect. 1. num. 4. & alij quibus subscribo.

17 Principio namque, si veritas non esset conformitas cognitionis cum re ipsa, sed conceptus obiectiui, & repræsentati cum physico, & reali, sola res cognita provt talis diceretur primario, ac propriè vera, ac tantum per denominationem ab ea, & secundario vera esset cognitio nostra. At hoc, quod aduersariis omnibus est in confesso, quodque eorum placito indissociabili consequentia infertur, est apertè falsum. Siquidem ita si res haberet, perperam dixisset Aristoteles: *ab eo, quod res est, vel non est propositio dicitur, vera vel falsa*: potiusque debuisset aiere: *ab eo, quod res est vera, vel falsa propositio denominatur vera, vel falsa*; vt optime expendunt B. Thomas, & Suarez. Deinde, non actio exterior, sed potius voluntatis nostræ interior motus dicitur primario, & proprie bonus in genere moris, laudabilisque, ac meritorius. Similiter ergò in præsenti, &c.

18 Secundo suadetur nostra sententia: quoniam imago Cæsaris, v.g. est vera, quia ipsa est conformis prototypo suo, non verò ob id, quod esse aliquod repræsentatum Cæsaris, ab eo distinctum quodammodo, sit ipsi simile, & conforme: similiter ergò veritas nostræ cognitionis in ipsius cum re sibi obiecta consistit conformitate, & non conceptus obiectiui cum physico conuenientia.

Tertiò probatur nostra opinio. Conceptus obiectiuus, siue repræsentatus non distinguitur à physico, & reali: quod enim est physicè, & à parte rei, id est, & non aliud, quod cognitio nostra repræsentat. At nullius esse potest secum ipso conformitas: hæc enim est relatio realis, & vniuoca similitudo iuxtà aduersarios, adeoque extrema realiter distincta postulat: perperam ergo constituitur veritas in conformitate præfata, quippe quæ est planè impossibilis.

19 Respondent primò aliqui eorum, quibuscum lis, conceptum obiectiuum distingui à physico, & reali inadæquatè, ac præter illum inuoluere actum, per quem repræsentatur. Contra tamen sic arguo: Veritas consistit in eo, quod res in se talis sit qualis est repræsentata, vt repræsentata, & è conuerso in eo, quod res repræsentata vt repræsentata sit talis, qualis est in se: ergo sita est in conformitate, & conuenientia repræsentationis, & rei, quæ est eius terminus. Ita si Petrus v.g. vt albus sit similis equo, similitudo, & conuenientia Petri, & equi magis erit penes albedinem, supra quam fit congeminatio, quam quoad entitatem albitudini subiectam.

20 Secundo alij recurrunt ad esse possibile, & essentiale, & hoc aiunt esse distinctum, ac separabile ab esse existentiali: aliundè vero ei conforme, cum taliter res omnis existat, qualis est in se essentialiter, & provt est possibilis. Verum inprimis esse essentiale quomodolibet sumptum non distinguitur realiter ab existentia, vt in metaphysica constabit. Deinde quid si conceptus obiectiuus, & à cognitione nostra repræsentatus sit ipsa existentia? an huius ad seipsam relatio realis, & conformitas vniuoca fingi potest? Quid secundo si res, quam cognoscimus, & ex vero, nunquam sit extitura? quodnam est illud esse exercitum, & existentiale cui esse essentiale à cognitione repræsentatum sit conforme?

21 Tertio alij confugiunt ad idola quædam imaginaria, quæ similia rebus extrariis à nobis cognitis, & ab eis adæquatè distincta in se intus quisque format. Cæterum eiusmodi entia rationis, & idola commentitia supra lib. 8. tract. 5. cap. 12. satis, cumulatéque sunt reiecta. Kursus, esto admittantur, & ad alia conferant instituta, certè ad præsens nihil eis est inutilius: quo enim pacto veritas constitui potest in fictione? quæ societas lucis cum tenebris? Ad hæc minor est conuenientia entis rationes cum reali, siue non entis cum ente, quam cognitionis veræ, & realis cum obiecto suo, eovè ente quod cognoscit: quando ergo inter priora illa extrema conformitatem quandam veritati sufficientem admittunt aduersarij, quorsum eam reiiciant inter posteriora?

22 Quarto alij obiiciunt, actum reflectentem supra se in nostro, aut certe in intellectu diuino esse verum: at non habet relationem realem conformitatis cum suo obiecto, videlicet secum ipso: haud enim à se distinguitur realiter, sicut ad talem relationem vbiuis oportet: similiter ergo poterit veritas consistere in conformitate conceptus obiectiui, & physici, quæ non sit relatio realis vtrumque interiacens, nimirum ob eorum indistinctionem.

23 Hæc instantia nobis obiecta maius facessit obiicientibus negotium. Ipsi enim contendunt, veritatem formalem esse vniuocam, & realem similitudinem, eiusque defectu conantur fieri non posse, vt veritas istiusmodi sita sit in conformitate cognitionis cum re, quam repræsentat, quippe cui est dissimillima: quorsum ergo nunc negant assumptum hoc, vt tueri possint, veritatem esse positam in conceptus obiectiui, & physici conuenientia quadam?

24 Deinde absolutè respondeo, veritatem formalem esse conformitatem, & similitudinem quandam impropriam, & analogicam actus, & rei, qua de aliquid adfirmat, vel negat, aut quod perinde est, vtriusque proportionem quandam in eo sitam, eoque explicandam, quod cognitio nostra ita rem repræsentat, sicuti est in se, & hæc è conuerso sic se habeat, sicut illa diiudicat: huiusmodi autem proportio, similitudo, & conformitas erit relatio realis, quoties eius extrema realiter distinguuntur inuicem: vbi autem sint reipsa indistincta, haud erit relatio realis, sed quid reale absolutum, ac solo nomine relatiuum. Quod ergò tueri nequeunt aduersarij in suis principiis, videlicet actum verum talem esse posse respectu sui, id nobis est propugnatu facillimum. Vnde in eos quartò sic insurgo, nostramque sententiam principaliter suadeo. Actus noster reflectens in se dicitur verus: & tamen non est vniuocè similis, & conformis sibi ipsi: quanquam ergò talem non habeat similitudinem, aut conformitatem intuitu aliarum rerum, dici tamen poterit verus per analogicam quandam cum eis conuenientiam, & conformitatem.

25 Ad primum argumentum contrarium dicendum est, cognitionem nostram haud esse vniuocè similem, & conformem obiecto, quod verè repræsentat sed analogicè modo nuper explicato in profligatione postremæ instantiæ aduersus nostram sententiam: proinde nihil nobis obesse, cognitionem, & obiectum dissidere quoad materialitatem, substantialitatem, existentiam, aliasque conditiones: magis enim sunt contrariæ similitudini vniuocæ actus, &

obiecti,quam analogicæ,qua de tantum agimus,& non de illa priori.

26 Ad secundum argumentum contrarium dicendum est,cum definitur propositio esse oratio verum, vel falsum significans, sermonem esse de veritate obiectiua, & fundamentali, siue iuxtà aliorum phrasim transcendentali: quasi sensus sit, propositionem esse,quæ affirmat rem esse,aut adstruit eam non esse:alterutrum enim horum obiectiuè, & fundamentaliter est verum, falsumvè: haud ergo colligitur ex definitione propositionis,quod veritas formalis sit in obiecto primariè,ac per se,sed ad summum, quod fundamentalis. Secundo dici potest, etiamsi sermo sit in præfata definitione de veritate formali, non propterea sequi eam esse primariè in obiecto,sed tantum secundario, & per denominationem à cognitione:perinde enim est asserere,propositio est oratio verum vel falsum significans, atque quod ea denominet rem sibi subiectam extrinsecè veram,eique veritatem sibi principaliter inhærentem communicet:quo pacto, cum dicitur motus interior arbitrij nostri tendere in opus bonum, ac meritorium,non tam indicatur rationem meriti, ac bonitatis moralis in externo opere primariò reperiri, quam ei exintus communicari.

27 Ad tertium argumentum aduersariorum respondendum est,sicut ad præcedens,voces in primis haud significare verum formaliter, sed fundamentaliter, ea saltem parte,qua sunt notæ conceptuum obiectiuorum: proinde his haud inesse oportere veritatem formalem primò,& per se,sed tãtum fundamentalẽ. Secundò responderi potest, ac debet iuxtà disputata superius lib.6.voces etiam primariò,& per se significare conceptus formales nostros: eis ergo quidni possit esse primario,ac per se veritas formalis?

CAPVT III.

An, & quousque distinguatur veritas ab actu vero?

28 NOn parum certè interest ad assequendam veritatis essentiam nosse, an ea, & per quam est definita conformitas, sit distincta, & quatenus à cognitione nostra,atque vtrum consistat in hac sola,vel potius in ea simul,& obiecto,aliovè quopiam Qua in controuersia asserendum est primò, veritatem distingui virtualiter intrinsecè,seu ratione ratiocinata à cognitione, vel etiam ab ea, & re cognita,si in illis duabus realiter posita est,& ab eis reipsa indistincta.

29 Suadetur assertio: quoniam veritas transcendentalis est passio entis, eique ita est realiter eadem,vt ab eo ratione distinguatur,illoque sit eadem ratione posterior: vbi ergo veritas formalis sit eadem realiter actui soli,id haud continget absque vtriusque distinctione,& ordine quodam virtuali, ac rationis ratiocinatæ: quæ enim inter alterutram veritatem discriminis ratio:Item secundò,& à priori: actus est repræsentàtio obiecti; at eius veritas est conformitas repræsentationis cum re repræsentata: has autem rationes formales ecquis non videat esse diuersas? aut paulo aliter: actus verus conuenit in ratione cognitionis cum actu falso:at non in ratione veri:actus ergò, & eius veritas prædicata opposita,nempe conuenientiam, & disconuenientiam, adeoque opposita prædicata, ac distinctionem virtualem subeunt.

30 Quod si veritas,& conformitas superius explicata sit reapse aggregatum actus, & obiecti,haud minus facilis est probatu assertio nostra. Principio namque veritas, vbi consistat realiter in actu solo, ab eo non potest non distingui ratione, vt nuper demonstratum:ergo si reipsa posita sit in collectione actus,& obiecti, ab eis iunctim sumptis non sustinebit non distingui ratione ratiocinata, & virtualiter intrinsecè.Rursus secundò:si veritas formalissimè sita esset in aggregato actus, & obiecti, & ab eis ne ratione distingueretur,profectò actus verus,& obiecto conformis, ac assimilis sibi ipsi conformaretur, & assimilaretur, & è conuerso obiectum, vbi actui conformaretur, sibi ipsi conforme euaderet:haud secus, atque iuxta dicenda in Metaphysica lib.3.tract.6.cap. 17. si relatio paternitatis ex.g.esset formalissime sita in fundamento, & termino,quos demus esse Petrum, & Ignatium, certè alter eorum esset pater, & alter filius suimetipsius. Et, ne multis morer, quidquid contrà relationem prædicamentalem ex fundamento, & termino formalissime coalescentem obiiciendum est à nobis loco nuper indicato, id omne contra identitatem virtualem,ac summam veritatis cum actu, & obiecto procedit.

Obiicies tamen pro contraria sententia primo. 31
Veritas est assimilatio actus, & obiecti: inuoluit igitur formalissime, tum actum, tum etiam obiectum.Rursus secundo: ab eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera,vel falsa,teste Aristotele vbi paulo suprà:rem igitur esse, vel non esse simul cum actu veritatem,ac falsitatem intimè constituit. Tertio,hoc ipso,quod actus adfirmet aliquid de obiecto, & obiectum ita se habeat sicut affirmatur, circumscripto quouis alio, actus intelligitur verus: veritas igitur in vtroque est formaliter sita.

Nullum argumentum horum premit.Ad primũ, 32
& secundum dicendum est,eis hoc tantum conuinci,veritatem formalissime sumptam connotare obiectum,& obiecto, actuque positis eam necessario resultare, non tamen in vtroque eam quidditatiuè, & intimè consistere.Ad tertium respondendum est, concesso antecedenti, cæterum consequentia eius est nulla:siquidem in particula,&, probabile est tacitè inuolui relationem conformitatis virtualiter distinctam à complexione actus,& obiecti. Secundo etiam responderi potest,negato antecedenti. Nã eo ipso,quod cognitio repræsentet obiectum,& hoc ita se habeat, sicut repræsentatur, circumscripto quouis alio ea est vera,non formaliter,sed radicaliter.Vide dicenda à nobis citato nuper lib.3.tract.6. c.23 ex eis enim clarebit, quam parum sit momenti;tum in hoc tertio argumento, tum etiam in duobus anterioribus.

Asserendum est secundo actibus probabilibus, & 33
incertis,quales sunt v.g. *Petrus currit*, aut *Ignatius loquitur*,nullam inesse veritatem, eis ex toto essentialem,& nullatenus realiter distinctam, sed potius omnẽ earum veritatem esse reipsa positam, tũ in ipsis,tum in eorum obiectis. Suadetur assertio primò. Cõformitas physica,& in esse rei,qua aliquid alteri simile est prædicamentaliter non est fundaméto soli realiter essentialis;sed tum in eo tum etiam in termino reipsa consistens, vt ostendetur à nobis, cum erit disputatio de prædicamento ad *aliquid*: pari ergo ratione conformitas intentionalis,& in esse cogniti, qua actus est verus, haud est ei vniuersim essentialis reipsa, sed potius ei aliquando partim intrinsecùs, partim extrinsecùs accedet, nimirum quoties coexistentia obiecti,tam fuerit contingens respectu actus veri, ab eiusque entitate ex genere suo.

suo separabilis, quam terminus similitudinis intuitu fundamenti. Vlterius secundò: in hoc actu, *Petrus currit*, aliove simili non est adstruenda essentialis connexio cum existentia cursus Petri, absque vrgenti fundamento: aliàs albedo essentialiter connexa cum subiecto, eiusque modus pari libertate fingi posset: at nullum est eiusmodi fundamentum, vt solutione obiectionum iam iam constabit: is igitur actus cum existentia cursus Petri essentialiter connexus non est, sicut ad eius veritatem omnino essentialem, & reipsa prorsus indistinctam oportet.

34 Verum obiicies primò. Veritas est magna quorumuis actuum perfectio, & falsitas magna imperfectio: actibus ergo quibuslibet omnino intrinsecæ, & essentiales sunt: quo enim pacto per aliquid extrinsecum perfici, aut non perfici, meliorari, vt ita loquamur, aut deteriorari possunt? Secundò: si veritas, & falsitas actibus quibusdam essent extrinsecæ, non esset cur in Deum actus falsus cadere non posset: siquidem talis actus tam perfectus esset, ac si verus esset, cum veritas, & falsitas in nostris principiis nullo prædicato intrinseco differant, sed solum extrinseca connotatione obiecti, quæ ad perfectionem inuehendam quid potest iuuare? Tertiò: actus noster quicunque sit, per seipsum præcisè, & essentialiter vel assimilatur obiecto suo, vel non assimilatur ei, si primum; essentialiter ergo, & intrinsecè est verus, & non quadantenus extrinsecè: si secundum; similiter ergo est falsus.

35 Quartò: hic actus, *Petrus currit*, vbi semel verus sit, repræsentat cursum Petri verum, & realem, seu verè, & realiter existentem: is igitur actus verus haud potuit esse diuinitus falsus, atque adeo duntaxat per seipsum, & non per obiectum est verus; alioqui certè, vt obiectum, ita & illius veritas foret contingens, ac variabilis. De antecedenti haud potest esse ambiguitas vlla. Consequentia suadetur quia, vt is actus falsus esset, deberet repræsentare cursum Petri fictitium, & non verum ac realem: at is actus diuinitus repræsentare nequit cursum fictitium, & non realem; alioqui obiectum mutare posset, & aliud ab eo, quod modo respicit vendicare: is igitur actus falsus esse non potest, nec potuit. Quintò: hic actus Petrus currit, vt verus sit, debet repræsentare extrema inter se actu identificata, vt autem falsus sit, exprimere debet extrema inter se non identificata: sed actus repræsentans extrema inter se identificata nequit diuinitus repræsentare extrema inter se non identificata; aliàs variaret obiectum: hic igitur actus, *Petrus currit*, vbi semel verus sit, falsus esse non potest, nec potuit vnquam, adeoque est essentialiter verus.

36 Sextò: veritas, quæ elucet in omni actu creato, est finita, & infra perfectionem diuinæ, & incommutabilis veritatis summo interuallo subsistens: at esset infinita sæpissimè, si constitueretur obiecto, cum hoc multoties sit infinitum, ipse nimirum Deus, vt v. g. si asseras Deum videre cursum Petri, aut simile quidpiam, quod vt potuit non esse, sic etiam à Deo non conspici. Septimo, & eodem redit: falsitas haud potest constituere essentialiter veritatem, vt videtur luce clarius: constitueret autem iuxtà nostram sententiam, cum ea sæpè sit obiectum actus veri, toties videlicet quoties, aut nos, aut alios falli in re aliqua verè iudicamus.

37 Octauo tandem: si actus aliquis verus, provt talis, posset reipsa constitui obiecto, veritas eius haud esset realiter distincta ab illius falsitate, ea scilicet, quam potuerat sortiri, si obiectum aliter se habuisset. Consequens est euidenter falsum: cum enim ambæ sint separabiles, imò, quod plus est, separatæ, qui fieri potest, vt realiter non distinguantur? Sequela probatur: nam ea, quorum constitutiua omnia sunt realiter eadem, haud possunt esse reali distinctioni obnoxia: eiusmodi autem sunt veritas, & falsitas huius actus v.g. *Petrus currit*, siquidem eius entitas, & cursus Petri verus, & realis constituunt per nos eius veritatem: ea etiam constituunt eius falsitatem. Quod si respondeat quis, non cursum Petri, sed eius carentiam reddere eum actum falsum; in contrarium est eam carentiam illo non repræsentari, nec eius esse obiectum: talis ergo carentia non constituit falsitatem illius actus, sed potius cursus, quem negat, aut, si constituit, certè falsitas, de qua loquimur, ex obiecto non coalesceret. Confirmatur ex Augustino lib. 2. contra Faustum cap. 4. vbi sic ait: *non est in Dei voluntate, vt eo sit aliquid falsum, quo verum est.* At si veritas, & falsitas constituerentur obiecto, & actu reipsa quidem hic, quem in exemplum toties adhibuimus, videlicet *Petrus currit*, eo esset verus, quo falsus, & è conuerso; verus scilicet seipso, & obiecto suo; & per vtrumque etiam falsus.

38 Non est tamen propter superiora argumenta ab opinione, cui subscripsimus, abscedendum. Ad primum respondendum est, veritatem, & falsitatem non esse perfectionem, aut imperfectionem actus formaliter, sed solum arguitiuè, si in genere loquamur. Etenim veritas in genere perfectionem aliquam absque vlla imperfectione arguit; falsitas autem genericè loquendo imperfectionem aliquam, videlicet ineuidentiam, & inobscuritatem in actu falso prodit: quamobrem veritas est arguitiuè perfectio actus, & falsitas simili ratione imperfectio, licet neutra formaliter, & propriè actum reddant perfectum aut imperfectum penes omne id, quod includunt. Ad secundum dicendum est, non ideo repugnare Deo falsitatem, quia in eo actus falsus, quatenus talis, esset formaliter imperfectus, sed quia esset arguitiuè imperfectus, eo scilicet, quod defectum cognitionis intuitiuæ, & comprehensiuæ argueret in intellectu creatoris circa materiam erroris, ac falsitatis. Ad tertium dicendum est, propositionem incertam, & probabilem per seipsam essentialiter, nec assimilari, nec non assimilari obiecto, sed ab vtroque præscindere, & ad alterutrum per aliud à se distinctum determinari, vt etiam in similitudine physica, eiusque carentia vsuenit.

39 Ad quartum dicendum est, actum falsum affirmantem, Petrum currere, cursum verum, & realem Petri, non vero fictitium repræsentare, haud secus, ac si verus esset: imo ideo est falsus, quia cursum, verum, & realem adstruit, qui tamen à parte rei non reperitur, pro eo ac adstruitur: quod si is actus cursum Petri fictitium repræsentaret, & affirmaret, haud esset falsus, sed verus, cum cursum Petri fictitium dari eo modo, quo potest, & fictitiè existere Petro non currente sit verissimum. Etquidem non omnem actum falsum efficere ens rationis, aut repræsentare quidpiam fictitium, & impossibile, sed potius obiici posse, & solere non paucis entia realia, & possibilia, plerique docent authores, præsertim Auersa q. 5. log. s. 2 concl. 2. vbi sunt hæc eius notanda verba: *si quis putet v.g. rosam esse in hyeme, fallitur quidem, non tamen facit ens rationis: quia obiectum, licet actu non sit: est tamen possibile: & existentia ipsa, quam tunc rosæ attribuit, est vtique possibilis, atque adeò verè realis.* Vide dicta à nobis superius lib. 2. huius operis tr. 1. c. 8. n. 67.

40 Ad quintum respondeo. Actum aliquem repræsentare

sentare extrema actu inter se identificata, bifariam intelligi potest: primò, vt idem sit ac repræsentare actualem identitatem extremorum, siue ea identitas detur à parte rei siue non: secundò, vt perinde sit, ac repræsentare eam actualem identitatem extremorum, & hanc reipsa dari, & reperiri. Quibus constitutis, hic actus, *Petrus currit*, siue verus sit, siue falsus, eodemmodo repræsentat extrema actu inter se identificata, in primo sensu nuper explicato, cum in omni euentu identitatem extremorum, neutiquam verò distinctionem eorum exprimat: cæterum in secundo sensu actus ille solum repræsentat extrema actu inter se identificata, cum verus est, & extrema actu non identificata, cum falsum ei subest: ast hoc non tam est actum eum mutare obiectum, siue diuerso modo illud repræsentare, quam inuariata repræsentatione actus rem repræsentatam diuerso modo inesse rei se habere.

41 Ad sextum respondeo, veritatem cuiusuis cognitionis creatæ, quatenus cum hac identificatur, & penes id, quod importat in recto esse finitam; at aliquando esse infinitam, quatenus est distincta ab ea cognitione, & secundum id quod inuoluit in obliquo, quod certè nihil habet incommodi. Primò, quia haud est attribuere infinitatem creaturæ vt tali sed alicui rei non creatæ, Deo nimirum, provt est obiectum nostri actus veri. Secundo, quia cognitio nostra, & quæuis res creata subit haud paucas relationes prædicamentales ad Deum totam eius infinitatem intime cludentes, videlicet similitudinem, dissimilitudinem, subiectionem, seruitutem, indistinctionem localem, ac temporaneam, &c. harum autem quæuis (etiamsi sit relatio propria creaturæ non minus, quam veritas est proprietas actus veri) ex parte Dei, quem de obliquo concernit, infinita dici debet: quidni ergo & veritas nostra. Tertiò, quia veritas diuinæ cognitionis de obiecto creato est quadantenus finita, nimirum ex parte creaturæ, quam ex obliquo includit: Econtrario igitur, &c. Quamuis autem hæc ita se habeant, veritas nostrorum actuum circa Deum absolutè, & simpliciter dicenda est finita, & non infinita: tum, quia malum ex quocunque defectu: tum, quia denominatio debiliorem sequi partem amat: tum denique, quia veritas in recto & magis principaliter importat cognitionem, & in obliquo, ac secundario obiectum increatum; magis ergo est, vt ab illius finitudine finita, quam ab huius infinitate nullis circumscripta finibus censeatur, ac dicatur.

42 Ad septimum dico, falsitatem actus alicuius formalem esse veritatem obiectiuam, ac transcendentalem: vnde posse quodammodo constituere veritatem formalem alterius actus, qui in eam reflectat. Vel secundò, & paulò aliter: falsitas formalis, & veritas formalis, cum sint contrariæ tantum, amant se expellere ab eodem subiecto, non vero etiam à diuersis: quod ergo cognitio nostra directa sit falsa formaliter, tantum prohibet, ne ipsa sit vera, non verò quominus reflexa eius cognitio sit vera: quando igitur veritatem in alieno subiecto non tollit, quidni etiam in illo possit eam aliquo pacto constituere? Tertiò tandem: actus intellectus probabilis haud redditur in nostris principiis verus formalissimè per obiectū, sed per formalitatem aliquam ab eo virtualiter, ac ratione ratiocinata distinctam: proinde nihil refert, quod obiectum actus veri sit quid falsum: haud enim quatenus tale veritatem constituit. Sic nihil habet incommodi, Deum amare, & producere malitiam peccati, cum non vt talem, sed potius quatenus entitatem, & rem quandam eam amet, ac producat. Sic etiam haud absonum est aliquid constitui prædicamentaliter maius per id, quod minus est, videlicet terminum eius relationis, quia non formalissimè, vt minus est, relationem prædicamentalem maioris constituit, sed quoad aliquid virtualiter, ac ratione ratiocinata distinctum, ac superadditum.

Ad octauum dico, veritatem & falsitatem nostrorum actuum tametsi realiter sitas in ipsis, & illorum obiectis, tamen distingui reipsa, ac diuersa sortiri constitutiua. Nam, vt bene in argumento disputatum est, veritatem huius actus, *Petrus currit*, tum ipse, tum cursus constituit, eius verò falsitatem ipse, & carentia cursus: nihil autem refert, carentiam illam non cognosci per actum: cum enim sit circunstantia cursus cogniti, eumque essentialiter respiciat, nomine obiecti impræsentiarum intelligitur, adeoque falsitatem poterit constituere. Hac ratione volitio comedendi carnes die veneris, etiamsi non velit earum prohibitionem, cum tamen vitiatur à prohibitione diuina, censetur vitiari ab obiecto, propterea quod prohibitio diuina sit circunstantia obiecti, in quod motus ille voluntatis nostræ fertur, videlicet esum carnium. Hinc ad confirmationem liquet: quam enim differunt cursus, & eius carentia, tam est aliud id, quo cognitio nostra est vera ab eo, quo constituitur falsus. 43

Asserendum est tertio problematicè defendi posse, actibus etiam probabilibus, & incertis veritatem aliquam inesse ex toto essentialem, atque ita in eis realiter sitam, vt ne inadæquatè includat obiecta, siue res cognitas. Ratio est, quia distinctio realis, vel est multiplicitas, vel certè altera alteri est valdè affinis: quemadmodum ergo non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate, ita nec distinguendæ. Atqui, vt solutione argumentorum constabit, nullum prorsus est fundamentum, ob quod veritas omnis actuum probabilium sit ab eis realiter inadæquatè distincta: aliqua ergo ab illis ita non distinguitur, sed potius identificatur omnino. 44

Obiicies tamen primò. Si veritas aliqua in actu & obiecto formaliter non consisteret, sed actui essentialis esset, Angelus posset naturaliter cognoscere futura contingentia, quorum tamen præscientia est solius Dei propria iuxtà illud Isaiæ 41. *anuntiate quæ ventura sunt in futuro, & sciemus quia Dij estis.* Quod idem colligitur ex Danielis 2. cap. & Ioh. cap. 13. & cap. 16. aliisque sacræ paginæ locis. Idem docent Hieronym super Ierem. cap. 8. *nequaquam prophetæ suo tantum loquuntur arbitrio, sed Domini voluntate, maximè de futuris, quorum notitia solius Dei est.* Tertullianus in apologet. aduersus gentes cap. 20. *ideoneum opinor, testimonium diuinitatis, veritas diuinationis.* Anastasius Episc. Nicænus quæstionum in scriptur. quæst. 23. col. 2. *futurorum autem arcanorum nihil præsciunt dæmones, sed solus Dominus, qui nouit omnia prius, quam, fiant.* Origenes contrà Celsum lib. 6. col. 4. *diuini sermonis character est futurorum prædictio* In eadem sententia sunt Aug. Clem. Alex. Anselm. Damascenus, aliique Patres apud nostrum Didacum Ruiz de scient. Dei disp. 22. sect. 3. Quin etiam ipsis ethnicis huius rei lux affulsit aliqua, quamuis crepera, ac tenuis, vt constat ex illo Pacuuij apud Aul. Gellium lib. 14. noctium atticar. cap. 1. *nam si quæ euentura sunt præuidebunt, æquiparent Ioui.* Hæc cum ita sint, argumenti porrò sequela probatur, quia, si quis hanc propositionem, *Petrus cras peccabit*, temerè, & inconsultè proferret, Angelus eam comprehendere posset. Demus autem, eam esse veram: Angelus ergo veritatem eam cognoscet, siquidem est essentialis actui, ac proinde comprehen- 45

sionem

sionem actus præterire non potest, quam nullum prædicatum actus præterit, aliàs comprehensio futura non esset: ergo etiam crastinum peccatum Petri cum quo ea veritas essentialiter coniuncta est, Angelus dignoscet.

46 Obiicies secundo; si veritas aliqua esset essentialis actui, & in eo, atque obiecto simul non consistens, Deus determinaret ad errorem, quod tamen impium est, ac sacrilegum. Sequela probatur, quia in opposita sententia possibilis est duplex propositio affirmans, Petrum currere, altera essentialiter vera, altera essentialiter falsa: intellectus autem est de se indifferens ad vtramlibet, nec magis ad veram, quam ad falsam aut è conuerso se potest determinare, propterea, quod vnam ab altera discernere nequeat, vt est experientia testatissimum: ergo si falsam eliciat, Petro nimirum non currente, à Deo ad eam determinabitur.

47 Obiicies tertio: Hic actus, Petrus currit est incertus, & probabilis duntaxat, ergo est fallibilis: non igitur infallibilis: quod si veritas aliqua esset ei ex toto essentialis, & quod consequens est, falsitas illi repugnans, sane esset infallibilis: haud ergo est essentialiter, & per seipsum præcisè verus.

48 Ad primum horum respondeo, non deberi Angelo concursum ad cognoscendum, & penetrandum, omnia prædicata essentialia, quæ in eo actu nobis obiecto latent, & per quæ ad futura refertur, cum iisque connectitur, haud secus, ac non debetur ei concursus ad cognoscendas omnes cognitationes, & actus naturales, qui in corde alterius Angeli, aut hominis delitescunt, vt perstringitur 2. paralipom. 6. *tu solus nosti corda filiorum hominum*: nec video quæ vtrinque disparitatis ratio queat afferri. Quod autem Angelus comprehendat eam propositionem, non obstat: siquidem ea comprehensio non est exacta, sed vulgaris, quam certè plura prædicata essentialia possunt, & solent subterfugere.

49 Ad secundum, In primis aliud est mentiri, vel decipere, aliud determinare ad errorem, cum species impressæ, & apprehensiones præuisæ ad errorem, siue iudicium falsum determinent, quæ tamen, sicut non loquuntur, ita non decipiunt, nec mentiuntur: illud prius Deo repugnat, at non fortassis posterius. Deinde argumentum in aduersarios efficaciter retorquetur, quia hic actus, *Deus homo factus, non est*, iuxtà eos est de se indifferens, vt verus, falsusvè sit, & quod aiunt, hic, & nunc constituitur falsus per hoc, quod Deus homo factus sit: at Deus determinat ad incarnationem suam, qua falsitas eius actus vltimò completur, & constituitur ergo determinat ad actum illum falsum, siuè ad eius falsitatem: qua ratione, qui determinat ad vnionem albedinis cum subiecto, ad denominationem etiam albi determinat.

50 Præterea ipse intellectus mediis speciebus impressis, & apprehensionibus præuiis, aut si hæ ob nimiam obscuritatem non sufficiunt, medio aliquo imperio voluntatis ad propositionem affirmantem Petrum currere se determinat. Cum autem in his circunstantiis, in quibus Petrus non currit, propositio vera affirmans, Petrum currere, sit impossibilis, inde est, vt intellectus mediis speciebus impressis, aut expressis præuiis, aut imperio voluntatis se ad errorem, siue iudicium falsum determinet, habente se obiecto velut conditione, sine qua non ita se determinaret: qua solutione etiam aduersariis est vtendum. Quod autem intellectus inter duas propositiones affirmantes Petrum currere non discernat, & quæ sit essentialiter vera, quæ essentialiter falsa minimè dignoscat, nihil obest: tum, quia intellectus non se determinat ad vnam præ alia per modum obiecti, sed per modum actus: ad quod vnam ab alia discernere non oportet: qua ratione voluntas ad amorem præ odio se determinat, quin alterum ab altero dilucidet neutrumvè cognoscat, folumque obiectum vtriusque ei proponatur. Quod attinet ad tertium argumentum contrarium, ei satis, cumulateque fiet satis in Metaphysica lib. 7. tract. 6. c. 4. ad eius initium.

CAPVT IV.

Distinctio & indistinctio veritatis ab actu vero vlterius explicatæ.

Asserendum est quartò, actibus metaphysicè certis, siue sint obscuri, ac fidei supernaturalis siuè clari, & euidentes veritatem saltem aliquam esse reipsa omninò identificatam, & ab eisvè realiter inadæquatè distinctam, vel in obiectis etiam ex obliquo sitam. Suadetur assertio primò, quia actibus incertis veritas aliqua identificatur, quantum dictum est, vt ad finem capitis superioris visum: ergo à fortiori, &c. Secundo, quoniam huic actui, *Petrus est homo*, & huic, *verbum caro factum est*, nè diuinitus potest, aut potuit subesse falsum: par est ratio aliorum actuum similium: eis ergo est omninò essentialis veritas falsitati opposita: qua ratione homini est essentialis rationalitas, quoniam ei diuinitus repugnat opposita irrationalitas. 51

Oppones tamen primo. Deus nulla vi aut potentia potest non esse absolutè potens producere creaturas: & tamen hæc ei denominatio haud est essentialis, & eadem ex toto, sed consistens partim in eius entitate, partim in possibilitate, ac non repugnantia creaturarum; haud enim ad has refertur transcendentaliter, vt palam fiet in physica. Similiter ergo, quamuis actus aliquis noster possit diuinitus non esse verus, haud propterea censendus est essentialiter, ac per seipsum præcise talis. Oppones etiam secundo: nulla creatura potest non esse à Deo cognita per scientiam, simplicis saltem intelligentiæ: & tamen eiusmodi denominatio haud est creaturæ intrinseca, & essentialis, sed potius extrinseca. Similiter ergo in præsenti, &c. 52

Respondeo ad primum admisso antecedenti, & negata consequentia. Nam, quod Deus nullatenus carere possit denominatione illa potentis producere creaturas, ideo est, quia hæ ne diuinitus possunt non esse possibiles: proindè non est cur id denominationis sit Deo essentiale. At, quod hic actus fidei, *verbum caro factum est*, nequeat non esse verus, haud oritur ex necessitate alterius extremi, ab eovè, quod verbum non potuerit non incarnari, sed potius ex prædicato aliquo intrinseco, & essentiali, videlicet supernaturaliter, & certitudine sua. Similiter hic actus, *homo est animal rationale*, non emèdicat necessariam, ac ne diuinitus cũ falsitate incommutabilem veritatẽ à necessitate obiecti, sed ab euidentia sua naturali. Non est, ergò, cur his, & aliis propositionibus veritas intrinsecè, & essentialiter non conueniat. Ad secundũ argumentũ respondeo similiter, ideo nè diuinitus posse non esse cognitam creaturam, quamuis à creatore, quia cognitio diuina est necessaria: at, vt prædictum est, haud ideo actus falsitati repugnantes, & cum veritate necessariò coniuncti tales 53

sunt, quia eorum obiecta sunt necessaria, sed, quia provt condistinguuntur ab obiectis sunt, aut naturaliter euidentes, aut supernaturaliter certi.

53 Asserendum est quintò, actibus falsitati repugnantibus merito, vel naturalis euidentiæ, vel supernaturalis certitudinis, vel fortasse specialis cuiusdam perfectionis cum incertitudine, & ineuidentia coniunctæ præter veritatem omnino intrinsecam, & essentialem, aliam inesse, partim intrinsecam, partimque extrinsecam, ac sitam, tam in ipsis quam in illorum obiectis. Probatur assertio. Nam principio quæuis creatura duplicem terminat productionem, siue effectionem etiam respectu eiusdem agentis, alteram scilicet actiuam, & positam in voluntate Dei, alteram passiuam consistentem in ipsa re producta. Item intellectus noster cognoscit obiectum quoduis per duplicem cognitionem imaginem scilicet, & eius productionem, siue expressionem. Præterea in Deo, quod plus est, duplex est duplex est intellectio cuiuslibet obiecti, alia absoluta, & communis tribus personis, alia relatiua, & intentionalis, filij solius propria. Rursus anima nostra duplici pollet intellectu, quorum alter agens, & alter patiens solet nuncupari. Quid multa; paries v.g. est albus, haud per vnam albedinem, sed per plures, nec tantum vnius indiuisibilis maiori radicatione, quam plurium additamento: par ratio est aliarum qualitatum physicarum. Similiter ergo impræsentiarum haud est aliquid incommodi in eo, quod quiuis eorum actuum, de quibus est sermo, duplici sit veritate præditus.

54 Secundò: Omnis creatura duplici similitudine suum imitatur creatorem: est enim ei similis, partim intrinsecè, partim extrinsecè, & vel per vtrumque extremum vel per modum vtrinque interiectum, vt omnibus est in confesso. Neque non ei etiam est similis per seipsam præcisè, & omninò essentialiter: quis enim neget creaturæ tam esse essentiale, quod sit imago qualis qualis Dei optimi maximi, eiusque quædam participatio, quam quod sit ens, non à se, sed ab alio. Pari ergo ratione actus noster erit intentionaliter similis, & conformis obiecto suo, non tantum per conformitatem, ac veritatem omninò essentialem, sed insuper per aliam, partim in se partim in obiecto positam.

55 Tertio, & à priori. Veritas est connexio actus cũ obiecto ita se habente, sicut repræsentatur, & non qualiscunque, sed in genere loquendo primaria, & aliam non supponens iuxta dicta superius cap. 2. talis autem connexio est duplex in iis actibus, de quibus est controuersia: nam ita connectuntur haud dubie per suam essentiam, vt certo certius: nec non per complexionem ipsorum, & rerum cognitarum: hæc enim complexio connectit eos cum obiectis, & quamuis pecificè sumpta supponat aliam connexionem, videlicet essentialem, at non vsurpatæ in genere, vt visere est in eis actibus, qui, aut modo, aut certè in alia rerum serie sunt falsitati obnoxij, & prædicta connexione destituti.

56 Enimuero argues primò aduersus postremam hanc assertionem nostram. Hoc ipso, quod materia existat per seipsam, nequit simul existere per existentiam formæ, quantumlibet sibi vnitam, & in se receptam. vbi ergo actus aliquis intellectus nostri sit per seipsum essentialiter verus, haud poterit denominari postea verus per aliam formam, aut relationem ex parte extrinsecam, & accidentariam.

57 Argues secundò, sicut propositio causalis affirmat v.g. diem existere quia sol est, ita, vt ob aliam causam, vel, quia aliud quidpiam est eius existentiam diuinitus affirmare nequeat, ita similiter actus fidei circa aduentum Anti-christi v. g. ita eum repræsentat sicuti est, vt diuinitus nequeat eum repræsentare aliter, quam est. At propositio causalis non constituitur vllatenus in ratione causalis per obiectum suprà quod particula, *quia*, appellat, sed omnis denominatio causalis, ei est prorsus essentialis, vt nemini non est exploratum. Igitur nec actus fidei necessario verus constituitur vllatenus in ratione veri per obiectum, suprà quod particula, *sicut*, appellat sed quod sit verus nisi essentialiter, & per seipsum ei non conueniet. Haud video certè quæ vtrinque disparitatis ratio queat afferri.

Idem argumentum fieri potest in propositione 58
conditionali, quæ non, nisi essentialiter talis est, & denuo non constituitur in ratione conditionalis per obiectum, suprà quod particula, *si*, appellat. Idemq; fieri etiam potest in intentione salutis v.g. siue amore illius, quia salus est qui certe actus essentialiter intentio salutis est, & non constituitur iterum in ratione talis per salutem, quam habet pro obiecto, & suprà quam particula, *quia*, appellat. Argues tertiò admissa semel nostra de veritate sententia fas esse cuiuis comminisci in omnibus, & singulis actibus nostris euidentibus, ac certis duplicem certitudinem, & euidentiam, alteram omninò intrinsecam, & essentialem, alteram accidentariam, & ex parte extrinsecam, atque in obiecto sitam.

Ad primum argumentum horum responderi de- 59
bet, essentiam, & existentiam non posse realiter distingui, alteramque, vt denominet alteram existentem, egere vnione, non quacunque, sed summa, & identifica: quid mirum ergo, si materiam prius existentem non denominet denuo, & iteratò existentem forma? hæc enim eiusve existentia haud vnitur materiæ per identitatem, sed per informationem. Cæterum veritas, vt denominet actum verum haud postulat vnionem identitatis vtique adæquatæ, de qua sermo, sed etiamsi ab eo distinguatur realiter inadæquatè, poterit eum afficere, vt cernere est in actibus veris falsitati obnoxiis. Poterit ergò huiusmodi veritas aliam essentialem subsequens actũ denuo reddere verum. Quod si quis, vt responsionem hanc eleuet, inficias eat essentiam, & existentiam identificari, potiusque realiter eas distingui contendat, adhuc commodius respondere possumus, ita quidem non denominari materiam existentem per existentiam formæ, quia existentia formæ, huic soli, & non materiæ vnitur intrinsecè: quæ ratio non procedit in nostra sententia duplicem adstruente veritatem: alterutra enim actum immediate afficit.

Ad secundum responderi debet, actum repræ- 60
sentantem necessariò obiectum sicuti est, ei esse similem, & conformem intentionaliter: proinde haud mirum esse, si more similitudinis physicæ talis similitudo intentionalis, adeoque veritas, sit, partim intrinseca, partim extrinseca, & in actu ipso, & obiecto sita; quantumlibet sit necessaria, & ne diuinitus cum oppositа falsitate commutabilis. Cæterũ actus intellectus causalis repræsentans necessaria ratione aliquid esse, quia aliud est, haud est similis obiecto, suprà quod particula, *quia*, appellat; haud enim ea denotat similitudinem actus cũ obiecto, aliumvè eorum ordinem, sed causalitatem duntaxat vnius obiecti respectu alterius. Quorsum ergo actus noster causalis fiet talis, tum per seipsum, tum secundò extrinsecè, ac per obiectum? Atque hinc liquet ad id, quod opponebatur de actu intellectus conditionali, nec non intentione nostræ voluntatis.

Ad

61 Ad tertium respondendum est, inprimis, iuxtà iam iam disputata, veritatem esse similitudinem, & conformitatem, siue conuenientiam actus cum obiecto, adeóque aliquam in alterutro, & non in vno solo sitam esse, vt in propria, & physica similitudine duûm quorumuis extremorum vsuuenit. At certè tùdo haud est similitudo etiam intentionalis, sed formalitas quædam eam supponens: par ratio est euidentiæ: eodem enim modo actus est similis intentionaliter obiecto, siue sit certus, siue incertus, & siue clarus, siue obscurus, & ineuidens, dummodo sit cognitio obiecti præsertim vera. Secundo vti lux isthæc solaris, quæ oculos nostros recreat, reficitque, est per seipsam præcisè clara, & perspicua, quidni etiam actus intellectus nostri sit omnino quidditatiuè clarus, & euidens? item actus intellectus nostri certus, & non euidens habet, quod talis sit à supernaturalitate sua duntaxat, adeóque ab aliquo prædicato omninò essentiali, & intrinseco. Nullæ autem similes rationes conuincunt veritatem omnem esse omnino essentialem actibus nostris. Vide dicenda in metaph. lib. 7. tract 6. c. 4.

CAPVT V.

Quatenus alij de distinctione, & indistinctione veritatis ab actu vero sentiant?

62 PRima sententia est eorum, qui statuunt omnem nostrorum actuum veritatem esse ipsis prorsus essentialem, & eandem. Ita Theodorus Smisingus tract. 3. de Deo disp. 31. num. 1. & alij quidam Scotistæ, Petrus Hurtadus disput. 9. de anima sect. 3. & nostrorum Recentiorum non pauci. Secunda sententia est, veritatem omnem esse denominationem quadantenus extrinsecam actibus nostris, ac tum in eis, tum in eorum obiectis realiter sitam. Ita Suarez, Vasquez, Molina, Ouiedus, Bartholomæus Amicus, Rodericus de Arriaga, Compton, & Nominales omnes. Cæterum vtraque opinio satis est profligata à nobis cap. 3. & 4. huius tractatus: ibi enim visum est contrà priorem, quibusdam actibus nostris nullam inesse veritatem omnino essentialem, & si forte aliqua ita eis conuenit, aliam insuper eis competere, partim extrinsecam, & in obiecto sitam: contrà posteriorem verò, aliquibus actibus veris, & fortassis etiam omnibus veritatem saltem aliquam esse omnino essentialem, & in ipsis, non vero in eorum obiectis consistentem. Quæ autem in contrarium obiici solent, ibidem abundè soluta.

63 Tertia opinio est eorum, qui veritatem ab obiecto, & actu simul sumptis realiter inadæquatè distinguunt, eamque putant vlteriùs importare actum aliquem diuinæ scientiæ. Cuius fundamentum, alterum est, veritatem esse conformitatem actus cum diuina scientia; alterum verò, omnem relationem prædicamentalem coalescere ex extremis, & actu aliquo diuini intellectus ambo conferentis. Cæterum prius fundamentum falsò statuit, veritatem esse conformitatem cum diuina scientia, vt constat ex dictis cap. primo. Deinde eo, quod supponitur admisso, vel potius permisso, quid inde? an non qui conformitatem cum obiecto essentialem actui adstruimus, id ipsum de eius conformitate cum diuina scientia asseremus? Posterius fundamentum latè & ex professo demoliemur in metaph. lib. 3. tract. 6. c. 21.

64 Quarta opinio est quorundam Thomistarum, quos suppressis nominibus refert Arriaga disp. 14. log. sect. 1. subsect. 1. concl. 1. & quos voce sola tenus sequitur Vasquez 1. disput. 76. cap. 2. veritatem esse relationem rationis, & fictionem quandam intellectus actum cum obiecto comparantis, adeoque ab actu vero distingui tanquam non ens ab ente, qua distinctione haud facile excogitari potest alia maior. Verum quis dicat haud posse nos sine fictione veritatem vllam vt talem assequi? Rursum, cum Deus verè cognoscit, aut se, aut creaturas (semper autem id facit) an aliquid fingit, aut comminiscitur? Præterea, ecquid est fictionem actui, & obiecto superuenientem complere vtriusque conformitatem, & vnius, alteriusve constituere veritatem, quàm contraria ex contrariis suis coalescere, & posse parietem v. g. additione nigredinis albicare, aut albedinis nigricare? Equidem adeo falsam arbitror hanc opinionem, vt nulla putem impugnatione magis eam improbabilem reddi posse, quam sit per se, ac sponte sua.

65 Quinta sententia est, veritatem distingui realiter ab actu vero tanquam modum quendam ei superuenientem, haud secus, ac vnio se habet respectu suorum extremorum, & vbicatio forsasse intuitu rei locatæ, ac duratio contemplatione rei temporatæ, vt sic dixerim. Ita Salas 1. 2. tract. 3. d. 2. At inprimis similitudo, & conformitas physica nequit esse modus: ergo nec intentionalis. Antecedens latè à nobis demonstrandum est in Metaph. lib. 3. tract. 6. cap. 17. 18. & 19. Consequentia liquet, tum ob æquitatem rationis, tum, quia argumenta, quibus loco nuper memorato relationem haud esse modum ostendimus, per quam facile possunt applicari ad probandum veritatem haud esse modalem: tum denique, quia probabilius est veritatem comprehendi inter relationes prædicamentales, & esse vnam ex illis, tametsi oppositum sentiat Hurtadus disput. 9. de an. sect. 3. §. 12. & 13.

66 Rursus pro priori ad modum omnem cognitio nostra repræsentat, v. g. Petrum currere, & Petrus reipsa currit: quid ergo ei actui deesse potest ad veritatem, pro anteriori illo signo? nihil certè: superfluit ergò modus subsequens. Tandem, quæso, an Deus, cum verè cognoscit, munere alicuius modi in se recepti, & se immutantis id facit? minimè profectò: quæ ergo formæ modalis necessitas in nobis vt verè cognoscamus? Quapropter quod veritas haud sit modus, vt per se notum statuitur à Durando in 2. distinct. 40. quæst. 3. num. 4. idque ipsum omninò certum existimat Suarez disput. 8. metaph. sect. 2. num. 5.

67 Sexta, ac postrema sententia est, veritatem non distingui realiter adæquatè, vel inadæquatè ab actu vero, haud tamen ei esse necessariam, sed variabilem, eamque, quæ manente actus entitate tota, possit nihilominus deficere, propter obiecti, quod de obliquo connotatur, defectum, ac mutationem. Ita Theophilus Rainaudus in disciplina morali distinct. 4. quæst. 1. art. 2. num. 20. Cæterum hæc sententia in Met. confutanda à nobis est in simili, inter disputandum aduersus connotatores, hoc est eos, qui relationem prædicamentalem, ac physicam à fundamento separabilem, & tamen in eo præcisè sitam existimant: quorum certe opinionem conceptis, & expressis verbis supponit noster Theophilus vbi paulo supra.

TRACTA

TRACTATVS II.

De Incompossibilitate veritatis cum falsitate.

CAPVT I.

An veritas eo vsque sit incompossibilis cum falsitate, vt eadem propositio nè successiuè possit esse vera, & falsa.

1 MIHI semper probabilius visum est, nullam propositionem mentalem, de qua sola sermo, esse posse veram in vno instanti, & in alio falsam, seu veritatem cum falsitate commutare. Ita Hurtadus disput. 9. de anima sect. 4. Arriagà disput. 14 log. sect. 2. Compton. disput. 45. sect. 1. & communiter nostri Recentiores in manuscriptis. Probatur autem hoc vnico argumento, quod tamen plurimorum instar existimo. Si qua propositio de vera in falsam migrare posset, maximè hæc abstractiua, & contingens, *Petrus currit*, aliavè eiusmodi: etenim, quæ intuitiuæ sunt, aut nõ contingentes, sed necessariò veræ ea necessitate, quæ, vel ex obiecto, vel ex modo tendendi proficiscitur, in vno instanti veræ, & in alio falsæ procul dubio esse non sustinent. At ea propositio de vera in falsam ire nequit: ergo, &c. Minor probatur; haud enim maior est in ambiguo: ea propositio, vel affirmat, Petrum currere in duratione A v.g. aut in duratione A, & B; & C. ac cæteris vnius horæ, v. g. aut in duratione A, vel B. vel C. vel reliquis vnius etiam horæ, seu, quod perindè est aut in vna duratione, aut in pluribus determinatè, vel indeterminatè id necessario affirmat. Si in duratione A; aut Petrus in ea currit, aut non currit: si primum; propositio semper vera est, estò Petrus non currat anteà, vel posteà, cum profertur iudicium, haud secus ac diuina propositio circa idem obiectum vera est: si secundum, ea semper est falsa, vt luce clarius. Rursus si in duratione A, & B. & reliquis vnius horæ; aut in omnibus currit, aut in aliquo non currit: si primum; propositio semper vera erit: si secundum, semper falsa, eò quod veritas propositionis copulatiuæ non, nisi in collectione plurium possit salua persistere. Si demum in duratione A, vel B. vel C. vel aliis indeterminatè: aut in aliqua earum currit, aut in nulla: si secundum; propositio semper falsa erit; si primum; semper vera, propterea quod veritas propositionis disiunctiuæ in vno solo sarta, atque tecta possit conseruari.

2 Respondent primò nonnulli, eam propositionem ab omni præscindere duratione, & nullam respicere. Verum hæc solutio inutili, & falso principio innititur. Inutili, quia, licet propositio illa nullam respiciat durationem, adhuc in ea idem procedit argumentum. Siquidem aut Petrus currit secundum se, aut non: si primum; ergo propositio illa affirmans, Petrum currere secundum se præscindendo ab omni duratione, semper erit vera: sicut enim, si affirmaret cursum in instanti A, cessatio à cursu in instanti B, eam posteà non valeret falsificare, ita à fortiori, vt aiunt, hoc ipso, quod adstruat cursum secundum se circumscripto quouis instanti, cessatio cursus in instanti B. aut alio quouis eam haud poterit reddere falsam, quantumcunque in eo propositio cursum affirmans perseueret. Si secundum; ergo ei propositioni semper falsum suberit, cum cursum secundum se adstruat, & is neutiquam detur.

3 Dices, licet ea propositio nullam durationem respiciat, habere tamen eum tendendi modum, ratione cuius ad sui veritatem postulet, Petrum currere in eo instanti, quo editur propositio: cum autem in primo instanti cursus propositioni coexistat, non verò in sequenti, in quo propositio durat, mirum non est, si ea in primo instanti sit vera, & deinceps falsa. Contra tamen sic arguo. Propositio ad sui veritatem postulat duntaxat, vt cursus existat eo modo, quo per ipsam repræsentatur, cum veritas sit conformitas actus cum obiecto: sed propositio non repræsentat cursum Petri sibi coexistere, siue existere, quando ipsa profertur: nequaquam ergò ad sui veritatem eiusmodi poscit coexistentiam.

4 Falso etiam principio tibicinatur ea solutio, vt dictum est. Namque inprimis illa propositio, *Petrus currit*, significat actionem successiuam Petri, scilicet eius cursum, ac motum localem: at omnis successio essentialiter cum tempore coniuncta est, vt certo certius: ea igitur propositio tempus repræsentat, & cum illo significat. Item secundò: Aristoteles lib. 1. de interpret. cap. 3. verbum definit, *quod significat cum tempore*, &c. cui eodem loci lect. 14. B. Thomas adstipulatur; *anima*, inquiens, *in componendo, aut diuidendo necesse habet adiungere tempus:* at ea propositio verbo constat, & more reliquarum affirmationũ componit. Tertio denique ad homines: ea propositio significat saltem existentiam cursus secundum se: sed omnis existentia secundum se est duratio quædam iuxtà P. Suarez disput. 50. metaph. sect. 8. & alios non paucos eorum, quibuscum disceptamus: aut enim, inquiunt, existentia rei est omninò indefectibilis, & immutabilis, qualis est ea, per quam existit Deus optimus maximus; & est æternitas: aut est naturaliter indefectibilis, & supernaturaliter defectui obnoxia, qualis est existentia Angeli; & est æuum: aut est naturaliter defectibilis, & tamen permanens, & in suo esse successionis expers, cuiusmodi est existentia hominis secundum se, & ita est instans permanens, quo eam nomine appellat Durandus in 2. dist. 2. q. 6. aut demum est naturaliter defectibilis, & in suo esse successiua, ac diuisibilis, cuiusmodi est duratio, qua quis temporis labenti coexistit; & ita instans successiuum vnum aut multiplex nuncupari consueuit.

5 Secundo alij respondent, eam propositionem nullam esse ex tribus, quarum sit in argumento mentio, sed esse hanc, *Petrus currit in instanti*: quæ quid est, inquiunt, quapropter de vera transire non possit in falsam? Contra etiam arguo hunc in modum. Propositio indefinita in materia contingenti æquialet particulari, vt visum est supra lib. 4. tr. 3. cap. 2. parum ab initio: hæc igitur propositio, *Petrus currit in instanti*, æquipollet huic, *Petrus currit in aliquo instanti*, quæ profectò veritatem cum falsitate nequit commutare, vt largiuntur aduersarij.

6 Quorum propterea alij tertiò respondent, propositionem illam, *Petrus currit*, æquialere huic, Petrus currit in instanti mihi coexistenti, quæ citrà dubium, inquiunt, de vera mutari potest in falsam. Contrà quoque sic argumentor. Hæc propositio, *Petrus currit*, suprà se minime reflectit: quæ enim eius reflexionis necessitas? haud igitur affirmat Petrum currere in instanti, quod sibi coexistit. Deinde, vel asserit Petrum currere in omni instanti sibi coexistenti,

stenti, aut in aliquo instanti sibi coexistenti, aut in instanti A, v.g. sibi coexistenti; & ita vim principalis argumenti non effugit, sed in eam relabitur. Alias solutiones nostri argumenti, inter contraria soluendum, diluemus.

CAPVT II.

Contraria soluuntur argumenta.

7 PRopositionem mentalem mutari posse de vera in falsam, & è conuerso in diuersis instantibus censent B. Thomas 1.p.q.14.art.15. ad 3.& clarissime q.1.de verit.a.6: Capreolus, Caietanus, Medina, Palacios, Gregorius, Okamus, & Durandus. Ex nostris Suarez disp.8.metaph.sect.2. Salas 1.2. tract 3. dist.2. Bartholomæus Amicus tract. 21. log. disp.4. dubit.& conclus.2. item Valentia, Conimbricenses, Rubius, Cæsilius, & alij. Pro quorum sententia primum argumentum est huiusmodi.

8 Hæc propositio, *instans A existit*, prolata ante eius existentiam est falsa: sed non alia ratione, nisi, quia tunc absolute non existit: quandoquidem igitur postea absolutè existit, si perseueret ea propositio vera erit, atque adeo veritatem cum falsitate poterit cõmutare. Respondeo: ea propositio dupliciter in instans A ferri potest: primò determinate, ac distinctè, nimirum illud secernendo ab omni alio, hunc in modum: *instans A existit eo modo, quo existere potest*; & ita ea propositio semper vera fuit, & erit. Secundo ea propositio ferri potest in instans A indistinctè, & confusè, videlicet non distinguèndo illud ab omni alio instanti, à quo distinguitur, sed potius affirmando illud nunc existere, & esse instans præsens, videlicet Beo, quod hoc etiã indistinctè, & confusè cognoscatur, ad modum, quo viso eminus Paulo eum esse Petrum adstruimus hunc in modum; *hic homo à me visus est Petrus*: & in hoc sensu allata propositio est falsa, & aduenienti alio instanti vera esse non potest, cum falsitas ei sit essentialis.

9 Secundum argumentum. *Conuersio Petri futura est*, modò propositio vera est: at existente conuersione; si perseueret, falsa non esse nequit, cum tunc cõuersio non futura sit, sed præsens potius. Respondeo: propositio mentalis conuersionem Petri futurã affirmans, in hanc recidit: *carentia conuersionis Petri existit in instanti A, & conuersio existit in aliquo alio posteriori*; iuxta disputanda inferius tract.4. c.3. at hæc propositio etiam existente conuersione vera est, vt intuenti perspicuum: quare propositio mentalis conuersionem Petri futuram asserens, etiam ea præsente, est vera. Cæterum hæc propositio vocalis *conuersio Petri est futura*, sicut communiter proferri solet, & sicut ex parte rei proferri debet, existente conuersione, vera esse nequit eò, quod voces de futuro futuritionem rerum solam quando non existunt, & actu futuræ sunt non verò quando existunt, & duntaxat olim erant futuræ significare comm uniter soleant, & debeant: quod autem hinc sequatur, propositionem vocalem transire posse de vera in falsam, parum interest: eiusmodi enim consequens haud esse absurdum, sed potius rationi valde consentaneum cap. venturo liquebit.

10 Tertium argumentum. Hæc propositio, *Petrus currit*, existens in instanti A significat, Petrum currere in instanti A, & existens in instanti B. significat, Petrum currere in solo instanti B, & sic de cæteris: potest igitur transire de vera in falsam. Consequentia est perspicua: quoniam si non posset transire de vera in falsam, maximè, quia significationem, & præsentationem variare non potest: at eam sustinet variare, si verũ est assumptum in antecedenti. Quod probatur primo: quia hæc propositio, *homo currens in foro loquitur*, significat Petrum, si is sit, qui in foro currit, & loquitur: quod si non Petrus, sed Paulus in foro simul currat, & loquatur, eum proculdubio propositio illa postea significabit: eadem igitur propositio est indifferens ad significandum, modò hoc modò illud obiectum, ac proinde, nunc instans A. & postea solum instans B. poterit significare, sicut opus est, vt de vera in falsam transeat. Proximum antecedens suadetur, quoniam ea propositio illud obiectum significat, ratione cuius verificatur, cum à solo obiecto sibi proposito vera reddatur omnis propositio: sed illa, qua de agimus, modò verificatur munere solius Petri in foro currentis, & loquentis, & postea beneficio solius Pauli in foro currentis, & loquentis: eadem igitur propositio est indifferens, &c. 11

Respondeo: Hæc propositio mentalis, *Petrus currit*, modo vnum instans, modo aliud repræsentare nequit: eademque ratione hæc propositio, *homo currens in foro simul loquitur*, non est indifferens ad repræsentandum modò Petrum, modò Paulum, sed ex essentia sua vnum, idemque obiectum, nimirum omnes homines indeterminatè semper significat, & repræsentat. Quod autem communiter dici consueuit, eam propositionem modò ab vno obiecto, modò ab alio verificari, id intelligendum est fusè, & impropriè, cum interim propriè, & rigorosè ab vno, eodemque obiecto semper verificetur, nimirum ab existentia indeterminata cuius, & loquelæ alicuius hominis in foro: quæ, quia ratione solius Petri in foro currentis, & loquentis, & postea ratione solius Pauli à parte rei reperitur, ideo modò ratione vnius, modò ratione alterius, ea propositio latè verificari dicitur: ad modum, quo hæc propositio, *quantitas panis existit*, modò per actionem eductiuam. modo per creatiuam ante, & post consecrationem dicitur, ac censetur verificari: non, quod actio aliqua eam propositionem verificet propriè, cum nulla eius obiectum sit, sed quod impropriè tantum, videlicet, quia modò vna actio, modò alia facit, vt eius existat obiectum, sicut per ipsam affirmatur.

Dices: ea propositio verificatur à suo obiecto, provt à parte rei existit: at à parte rei nihil indeterminatũ existit: ergo, &c. Respondeo, distincta minori: nihil existit à parte rei indeterminatum indeterminatione, quæ omnem indeterminationem excludit: secus vero ea indeterminatione, quæ determinationem aliquam includit; de quo fusè in Physica, vbi communem hac in re æquiuocationem tollemus. Vide P. Compton. disp. 44. log. sect. 6. vbi benè defendit, actus nostri intellectus obiecta sua non posse mutare, pro eo, ac hucusque statuimus. 12

Quartum argumentum. Hæc propositio mentalis, *Petrus currit*, significat eum currere in instanti A, si præsens sit, & B. si præsens sit, & sic de cæteris: existente ergo instanti A illud absolutè significat, & instanti B. non illud, sed hoc absolutè significat, siquidem actus conditionatus purificata conditione in absolutum transit, absolutum inquam formaliter, aut æquiualenter, ac virtualiter: ea igitur propositio, modo vnum, modo aliud instans repræsentat, ac proindè de vera in falsam poterit migrare. Declaratur, & confirmatur, exemplo actuum voluntatis: nam contritio, siue amor Dei super omnia eo ipso, quod sit voluntas faciendi omnia ad salutem necessaria, virtualiter vult confessionem eo, 13

quod

quod ad salutem necessaria sit: quod si Deus præceptum confessionis tolleret, & in alicuius eleemosynæ præceptum illud comutaret, contritio in sequenti instanti, non confessionem, sed eleemosynam virtualiter, siue æquiualenter vellet, & amaret: similiter ergo actus intellectus in vno instanti vnum obiectum, & in alio aliud virtualiter significare, ac repræsentare poterit, quod satis est, vt modo ratione vnius, & postea ratione alterius falsus sit, sicut actus voluntatis gratia obiecti solum virtualiter voliti frustrari, vt sic dixerim, aut efficax reddi potest. Idem cernere est in lege aliqua obligante ciues Galuienses, quæ modò obligat Petrum, si ciuis Galuienſis sit, & postea, non Petrum, sed Paulum, si forte Paulus ciuitate donetur, & Petrus ei nuncium remittat.

14 Respondeo: hæc propositio, Petrus *currit*, in mente conditionata non est: aliàs omnis omnino propositio foret conditionata, cum nulla possit absolutior excogitari, quam, quæ Petrum currere affirmat. Deinde, esto in mente conditionata sit, idque largiamur aduersariis, adhuc de vera in falsam transire non poterit: aut enim affirmat, Petrum currere in instanti, A, si existat, seu præsens sit, aut in aliquo instanti indeterminatè, si existat, aut in pluribus collectiuè, si existant: & quodcunque asseratur, aut semper vera, aut semper falsa erit: vt ex discursu principali perspicuum. Fateor tamen, eam propositionem, *Petrus currit in instanti A, si existit, & B, si existit* &c. eam, inquam, coniunctam cum actu affirmante instans A esse præsens, virtualiter repræsentare Petrum currere in instanti A, & postea coniunctam cum actu affirmante instans B. existere, siue præsens esse, virtualiter affirmare Petrum currere in instanti B. Cæterum hæc virtualis repræsentatio, quam mutat, est denominatio extrinseca ei prouenies à diuersis actibus, videlicet his, *Petrus currit in instanti A, Petrus currit in instanti B*, quos successiuè infert: quare virtualiter, & per denominationem omnino extrinsecam ea propositio in vno instanti vera, & in alio falsa erit, sicut propositio vocalis virtualiter, & per denominationem ab actu interiori, qui diuersus successiuè esse potest successiuè vera, & falsa esse potest: At formaliter, & per denominationem partialiter, aut totaliter intrinsecam ea propositio mentalis nobis obiecta successiuè vera, & falsa esse nequit.

15 Quod autem de actibus voluntatis adducitur, doctrinam hanc potius confirmat, quam labefactat: siquidem actus conditionatus voluntatis intrinsecè, & formaliter idē semper vult, estò virtualiter, ac per denominationem adæquatè extrinsecam ab actibus absolutis, quos purificata conditione successiuè inferre potest, modò vnum, modò aliud velle queat: qua ratione amor Dei super omnia, & consequenter eius, quod ad salutem necessarium fuerit posito præcepto confessionis, voluntatem absolutam confitendi infert, & in instanti sequenti eo sublato, & præcepta eleemosyna huius absolutam efficit volunratem, ac proinde in vno instanti confessionem, & in alio eleemosynam virtualiter, & per denominationem extrinsecam vult, & adamat. Hinc etiam liquet ad exemplum legis, modò hos, modò alios obligantis.

16 Quintum argumentum duobus superioribus sat affine. Hæc propositio, *Petrus currit*, in instanti A est vera, quia tunc currit Petrus: deinde in instanti B. non est vera, quoniam nec est vera, eò quod Petrus currat in instanti B. in eo enim non currit, vt supponimus, nec etiam, eò quod currat in instanti A, nam eo transacto non repræsentatur tale instans sed potius B, in quo, cum non currat, manifestum videtur, actum de vero migrare in falsum. Porrò, quod variet hoc modo suam repræsentationem, suadetur primò; quia actus ille solum repræsentat, cursum Petri existere in instanti præsenti: sed instans præsens est B. hoc ergò solum postea respicit. Secundo, & fermè redit in idem: ideo primò repræsentat instans A, quia sibi coexistit, & præsens est: sed postea instans B. ei coexistit, ac præsens est: ergo &c. Tertiò: illi actui essentiale est, quod non repræsentet cursum, nisi de præsenti, non verò de præterito, aut futuro. At, si postea repræsentaret, sicut à principio, instans A, sanè repræsentaret cursum de præterito, & non de præsenti. Quarto: imago Petri eum nunc repræsentat, quia his lineamentis præditus est: quod si ea mutaret, & in alio reperirentur homine, profecto non Petrum, sed alium exprimeret hominem eiusmodi imago, siue pictura. Similiter ergo actus intellectus nunc vnum obiectum, nunc aliud, instans scilicet A, & B, poterit repræsentare.

17 Authores, tum huius argumenti, tum etiam duorum antecedentium à quæstionis scopo aberrare, eiusque statum omnino euertere mihi videntur. Etenim in præsentiarum illud à priscis, & melioribus scolasticis supponitur dissertandi causa, propositionem mentalem, quidquid semel exprimit, id semper exprimere, suamque ei repræsentationem essentialem esse, atque inuariabilem. Hoc autem supposito quæri solet, an actus possit migrare de vero in falsum manens idem intentionaliter, & in repræsentando, ob solam mutationem physicam, quæ in eius obiecto contingere potest: sunt enim qui nobiscum sentiant, immutata repræsentatione actus, hoc ipso eius veritatem non posse mutari, aut vlli esse vicissitudini obnoxiam: & sunt contrà qui veritatem cum falsitate commutari posse existiment, tametsi repræsentatio eadem maneat, videlicet, quia veritas coalescit ex repræsentatione actus, & esse physico, quod repræsentatur: quarè, inquiunt hoc solo mutationem subeunte veritas mutari, & in falsitatem abire potest, ac debet. Verum, vbi repræsentatio non sit actui essentialis, sed accidentaria, nullus, vt dixi, iuxtà antiquos, & graues scholasticos remanebit quæstioni locus, omnesque, nemine excepto, veritatem actus mutari posse, & in falsitatem transire concedent.

18 Confirmatur: quoniam si potest mutari repræsentatio actus, eius etiam veritatem cum repræsentatione identificatam, aut certe eam instar passionis subsequentem mutari posse in alio instanti, euidens, & inter omnes certum, & exploratum est: cur ergo disputatur in præsenti, an veritas possit in alio instanti sequenti desinere atque in falsitatem facessere, & non potius, an repræsentatio actus mutari possit in diuersis temporis momentis, si in sensu ab his neotericis tradito quæstio procedit? haud enim quæ apud omnes comperta sunt, sed potius quæ incerta, in quæstionem solent reuocari: signum igitur est, præfatum sensum nulli priscorum, ac meliorum philosophorum inpræsentiarum occurrisse.

19 Confirmatur iterum; quia qui disputant, an actus sit accidentaliter verus, sic. vt qui modo est verus, potuerit eodem instanti esse falsus in sensu diuiso prioris suppositionis, haudquaquam disputant, an repræsentatio actus sit ei accidentaria, ita, vt quam modo habet, potuerit in instanti eodem non habere, sed aliam diuersam: quin potius omnes supponunt

disputandi

disputandi causa, repræsentationem omnem actus ei esse essentialem: & hac suppositione facta vni docent, non potuisse actum vnquam esse falsum eo instanti, quo nunc est verus, videlicet ob peculiarem eius perfectionem: alij verò docent, illum in hoc eodem instanti potuisse esse falsum, nimirum quia, etsi repræsentatio eius non potuerit nunc non esse eadem, tamen eius obiectum à repræsentatione distinctum, & simul cum ea veritatem constituens potuit se habere aliter, sicut ad veritatem mutandam oportet. Similiter ergo in præsenti, vbi agitur de mutatione veritatis, non in vno instanti solo, sed in diuersis, & successiuè labentibus repræsentationem esse essentialem supponi debet, & quidquid hoc non supposito adducatur, erit omnino impertinens & extra rem.

20 Confirmatur vlterius: præsens quæstio est, an idem actus possit in diuersis instantibus mutari de vero in falsum: at, vbi repræsentatio varietur, haud est idē actus intellectus, sed diuersus, cum actus intellectus siue cognitio definiatur per repræsentationem obiecti: quod ergo adstruitur, actum conuerti posse de vero in falsum, quia mutare valet repræsentationem, non magis facit ad rem, qua de agimus, quam, quod aiunt, vinum in Cereris sacris. Egregie quidem B. Thomas cit. quæst. 1. de veritate art. 6. vt aliorum Scholasticorum testimonia prætermittam, postquam inquirit, *vtrum veritas creata sit immutabilis*, pro parte affirmatiua hoc proponit argumentum: *si veritas enunciationis mutatur, maximè ad mutationem rei, sed re mutata veritas propositionis manet*: ergo &c. & in corpore sic respondet: *cum veritas sit adæquatio rei, & intellectus, si ab vno æqualiū aliquid tollatur, & non à reliquo, vel si ab vtroque inæqualia tollantur, necesse est inæqualitatem prouenire, quæ se habet ad falsitatem sicut æqualitas ad veritatem. Inde est, quod si in intellectu vero existente mutetur res non mutat intellectu, vel è conuerso, erit mutatio de veritate in falsitatem.* Pende quod ait in prioribus verbis, *ad mutationem rei*, non vero repræsentationis. Pende etiam quod inquit in posterioribus, *non mutato intellectu*, siue repræsentatione.

21 Iam secundò longè probabilius est, repræsentationem actus intellectus nostri nullatenus variari, aliamve esse posse in alio instanti, tum propter rationes haud paucas, ac, nisi fallimur, haud inefficaces adducendas in metaphysica: vt enim dixi, locus omnino alienus est: tum etiam quia eorum, quibus cum disceptamus, plerique docent, huic actui abstractiuo *Petrus currit*, repræsentationem cursus esse essentialem, adeoque nulli varietati subiectam: quidni ergo ei sit essentialis, quidni inuariabilis repræsentatio instantis, in quo curritur? Rationes verò contrariæ sunt parum operosæ.

22 Ad primam dicendum est, actum, de quo sermo, non repræsentare cursum Petri in quocunque instanti præsenti: quare, tametsi instans B. postea sit præsens, haud propterea sequitur, illud præ instanti A. actui obiici, eive in munere terminandi succedere. Ad secundam rationem contrariam dicendum est, propositionem causalem, à qua incipit esse falsam. Ad tertiam dicendum est, haud etiam esse magis veram illius maiorem. Huic enim actui, *Petrus currit*, tantum essentiale est, quod repræsentet cursum Petri pro aliquo tempore determinatè, vel indeterminatè. Quod autem cursus ille sit præsens, præteritus, aut futurus, nequaquam postulat essentialiter, sed ad vtrumlibet horum est indifferens: qua ratione scientia visionis Dei cognoscens, Antichristum v.g. exiturum in instanti A. est de futuro ante existentiam talis instantis, eademque erit de præsenti, quam primum illud extiterit, ac de præterito post eius existentiam.

Vel secundo dici potest, si sermo sit de præsentia, præteritione, ac futuritione non absoluta ab omni tempore, quæ quidem est chimærica, & commentitia, sed de respiciente durationem aliquam; actum illum *Petrus currit*, etiamsi, sicut à principio, repræsentet cursum Petri pro instanti A. iam transacto, tamen eum exprimere talem cursum, vt præsentem instanti A. adeoque de præsenti sicut antea. Dices: ergo nulla propositio mentalis non est de præsenti, nulla de futuro, aut præterito: siquidem quæuis intuetur obiectum vt præsens alicui instanti, saltem extituro, siue existentia functo. Respondeo, concessa sequela quoad priorem eius partem, & negata quoad posteriorem. Illam concedo, propter rationem in obiectione adductam: hanc verò, in qua sola potest esse aliquid incommodi; inficias eo: quia actus aliqui exprimunt carentiam rei ante eius esse, & alij post esse rei, eius carentiam: constat autem, vtrosque horum, licet sint quodammodo de præsenti, esse tamen de præterito, ac futuro. 23

Ad quartam rationem contrariam dicendum est, repræsentationem imaginis, siue picturæ propriam esse similitudinem physicam quoad exteriora accidentia: hæc autem relatio more aliarum prædicamentalium coalescit ex fundamento, & termino: vnde non est, cur mutato termino, ea mutari nequeat, & in vno instanti reperiri, secus vero in alio. Ac proinde repræsentatio artificialis in ea sita eādem potest, ac debet subire mutationem. Cæterum repræsentatio cognitionis nostræ propria haud est similitudo physica, & vniuoca, sed analogica, & intentionalis, magisque nomen habet, quam vim similitudinis. Quamobrem haud est, quapropter sit in diuersis instantibus variationi vlli obnoxia. 24

CAPVT III.

Alia aduersus nostram sententiam diluuntur argumenta.

SExtum, quod mihi olim vim intulit, quod aliis postea placuisse comperio, sic habet. Propositio mentalis potest mutari de simili prædicamentaliter suo obiecto in non similem: potest igitur mutari de vera in falsam. Consequentia, quæ sola eget probamento, ostenditur, tum æquitate rationis; sicut enim similitudo prædicamentalis propositionis est conformitas illius in esse physico cum obiecto, ita veritas illius est conformitas eius in esse intentionali cum obiecto: rectè igitur à similitudine ad veritatem deducitur argumentum in præsenti: tum etiam quia propositio vera per idem constitui potest in ratione similis prædicamentaliter respectu sui obiecti, & in ratione veræ: vbi ergo valeat mutari de simili in non similem obiecto, & sustinebit mutari de vera in non veram. Probatur hæc vltima consequentia primò, quia quæ sunt identificata realiter, æque subiacent, vel non subiacent mutationi in tempore, sed similitudo propositionis est quandoque indistincta ab illius veritate: altera ergo si potest mutari in tempore, & poterit similiter altera: secundo, quia hoc ipso, quod veritas sit indistincta à conformitate cum obiecto, non poterit veritas mutari in tempore non mutata conformitate: hoc igitur ipso, quod veritas haud distinguatur à simili- 25

tudine prædicamentali, quam nequit vna, eandem etiam nequit alia mutationem in tempore subire. Modo suadetur vltimum antecedens consequentiæ bifariam probatæ. Propositio repræsentans cursum Petri sibi coexistere constituitur in ratione similis prædicamentaliter cursui, partim per suam entitatem, partim per cursum Petri sibi coexistentem: atqui per hæc eadem constituitur in ratione veræ; negari ergo nequit, quin illa propositione sit indistincta veritas à similitudine prædicamentali: maior liquebit ex dicendis in Metaph. lib. 3. tract. 6. minor ostenditur, quoniam illa propositio constituitur vera, partim per suam entitatem, partim per obiectum ita se habens sicut repræsentatur per ipsam: cursum autem se habere vti repræsentatur per actum, est eum actui illi coexistere: actum igitur esse verum coalescit, tum ex entitate actus, tum ex cursu ei coexistente non minus, quam similitudo prædicamentalis.

26 Confirmatur: aliqua propositio potest repræsentare existentiam obiecti eo in statu, & sub iis circumstantiis, quæ requirantur, & sufficiant, vt ea sit prædicamentaliter similis obiecto; ast in illa propositione, & aliis id genus non poterunt non recidere in idem veritas, & similitudo prædicamentalis: nonnullis igitur in propositionibus est indistincta realiter veritas à similitudine prædicamentali: sicut igitur in eis potest mutari temporaliter similitudo, ita & veritas. Nec valet, si quis respondeat, veritatem, & similitudinem physicam, saltem virtualiter, debere esse distinctas, vtvt nequeant realiter distingui: virtualem autem distinctionem satis esse, vt altera possit esse mutationi obnoxia sine altera. Haud enim satis est, vt supponitur: siquidem mutari in tempore vnum extremum sine alio, est vnum esse, & aliud non esse: esse autem, & non esse distinctionem exigunt realem, nec sunt virtuali contenta: aliquid ergo mutari; & aliud non, eorum realem distinctionem petit, & virtualem respuit.

27 Respondeo ergò ad argumentum propositum, concesso antecedenti, & negata consequentia: nam similitudo physica actus cum obiecto, aliqua saltem, haud per ea duntaxat constituitur, verùm vlterius per vtriusq; absolutam simultatem iuxtà dicenda in Met. lib. 3. tract. 6. c. 11. & 12. cum ergo terminus modò possit esse simul cum fundamento, modò verò non esse; quid mirum, si fundamentum nunc ei possit esse simile, nunc non simile, sed dissimile potius? Atqui veritas actus eo solo, illiusque obiecto, non verò vtriusque simultate absolutè sumpta constituitur; & quin obiectum in sequente instanti sicut in præcedente coexistat actui, hic tamen ex æquo esse potest in vtroque verus: ac proindè haud est, cur veritatem possit, debeatvè cum falsitate commutare. En quatenus perperam arguitur à similitudine physica ad veritatem.

28 Ad primam probationem contrariam dicendum est, tametsi in pluribus proportionem seruent veritas, & similitudo, siue conformitas physica, & intentionalis, non tamen in mutabilitate, & viciffitudine illa, de qua quæstio impræsentiarum; videlicet ob rationem discriminis iamiam traditam. Ad secundam probationem contrariam dicendum est, etsi actus aliquis affirmet, Petri cursum sibi coexistere, tamen esse similem, tum per vtrumque extremum, tum etiam per absolutam vtriusque simultatem eo in instanti, quo est similitudo physica: at veritatem eius actus esse vtrumque extremum, & non simultatem eorum absolutam, sed ad summum secundum quid, & aliqua cum moderatione: haud enim actum esse verum est absolutè coexistere ei cursum pro quouis instanti, in quo existit actus, sed tantum pro eo, qui destinatè repræsentatur, siue tunc existat actus, siue posteà, vel anteà.

Ad confirmationem argumenti respondeo, propositionem mentalem non posse repræsentare obiectum in eo statu, & sub iis circunstantiis, quæ sufficiant, vt quotiescunque actus est verus, tum sit similis rei cognitæ, & è conuerso; sed tantum sub iis, quæ satis sint, vt propositio in aliquo instanti, quo est vera, sit itidem similis prædicamentaliter obiecto. Cuius ratio est ex dictis procliuis, nam veritas simultatem absolutam haud exigit, vti similitudo. Quamobrem nulla repræsentatio specialis efficere potest, vt veritas actus, & eius similitudo physica, seu conuenientia cum obiecto in idem omnino recidant: illa enim, vt sæpissime monitum, constituitur per obiectum, siue sit existens, & simul cum actu, siue secus saltem in quodam instanti, imo in plerisque, secus verò hæc. 29

Septimum argumentum esto. Appetitus innatus potest in vno instanti satiari, & in altero sequenti non satiari, in vno violentiam pati, & in alio nullam. Mentalis ergo propositio poterit in vno temporis articulo verificari, & in alio non esse vera, sed falsitati subiacere potius. Consequentiam probo, quia nostrum argumentum, si quid probat, eodem, ac proportionali modo ostendit, non posse naturalem inclinationem materiæ ex. g. ad formam substantialem expleri in vno instanti, & in alio vim pati: etenim materia, vt his instructa dispositionibus appetit formam pro omni instanti, vel pro aliquo instanti, vel pro hoc destinatè A. v. g. vel præscindendo potius ab instantibus eum amat secundum se: quodcunque dicatur, vel semper, vel nunquam frustratur eius appetitus ingenitus, vt consideranti clarebit: si quid ergo valet discursus à nobis factus, tam procedit in propensione innata, quam in propositione mentali. Iam probo antecedens argumenti. Materia, si in primo instanti formam recipiat substantialem, quiescit appetitus illius, vt potè substantialiter completus: sin autem conseruetur diuinitus in sequenti instanti sine forma omni, certè insatiata manebit, atque, vt sic dixerim, violentata ob defectum complementi debiti: apertissimum igitur, ac luce clarius videtur, appetitum naturalem vno in instanti posse satiari, & in alio violentiam pati. 30

Confirmatur argumentum. Actus voluntatis potest transire de libero in necessarium, & de bono moraliter in malum: quidni ergo, & actus intellectus de vero in falsum? Antecedens alibi probandum est à nobis, & certe est plurium, & grauium authorum. Consequentia liquet: ea siquidem ratione actus voluntatis potest libertatem cum necessitate, & bonitatem moralem cum malitia commutare, quia huiusmodi denominationes vltra entitatem actus important aliquid ei extrinsecum, & mutabile: sed veritas etiam, & falsitas præter entitatem actus concernunt aliud quidpiam ei extrinsecum, ac variabile: huius igitur extrinseci variatio potest, ac debet redundare in veritatem, & falsitatem, ac facere, vt vna succedat alteri. 31

Respondeo ad argumentum, sicut ad propositum paulò suprà, satietatem appetitus innati esse relationem quandam physicam, & simultatem boni quod amatur, eiusq; absolutam possessionem petere. Cum ergo bonũ eiusmodi possit nũc existere, & possideri, & postea nequaquam, haud mirum esse, si modo satiari 3

tiari poſſit,& expleri appetitus ingenitus,deinde verò fruſtrari. Hæc autem ratio non procedit in veritate,quippe quæ ſimultatem,& exiſtentiam obiecti non depoſcit. Hinc ſeruata proportione ad confirmationem.

33 Octauum argumentum eſto. Si veritas propoſitione huius, *Petrus exiſtit*, haud poſſet mutari in vllo inſtanti ſequenti,certè in nullo poſſet deſtrui Petrus. Conſequens eſt abſurdum, abſonumque. Ergo & illud,vnde ſequitur. Sequela probatur.Ex ſuppoſitione quod Petrus exiſtat , & propoſitio hoc affirmans ſit vera,nequit actui deficere veritas , potiuſque neceſſario verum eſt in quouis inſtanti ſequenti Petrum exiſtere.Atqui exiſtere , ac deſtrui haud cohærent,morantur vè inuicem. Nequit igitur in noſtris principiis deſtrui Petrus,vbi ſemel exiſtat. Hac ratione Deus optimus maximus nulli ſubiicitur deſtructioni, quoniam eius exiſtentia ſemel poſita nequit deeſſe,& in quouis poſtea momento temporis, aut æternitatis neceſſariò verum eſt eum abſolutè exiſtere.

34 Reſpondeo, & perquam facilè ad argumentum, totum illud laborare in æquiuoco. Siquidem aliud eſt , in quouis inſtanti verum eſſe Petrum abſolutè exiſtere , aliud,quod verum ſit pro quouis. Prius illud ex noſtra ſequitur ſententia , ſecus verò poſterius.Ex priori autem haud fit,rem aliquam creatam non eſſe deſtructioni obnoxiam : quid enim obſtat ſempiterna veritas meæ propoſitionis obiecto,quod conſidero,extrinſeca, ne ſit temporale , & interitui ſubiectum?Ex poſteriori verò (nimirum ex eo,quod verum eſſet,Petrum v.g.pro quouis inſtanti abſolutè exiſtere,idque neceſſario) fateor inferri neceſſitatem Petri in exiſtendo , & quod non poſſet deſtrui: at poſterius illud omninò falſum eſt, & cum noſtra ſententia nihil habet commercij , vt dictum eſt. Exemplum autem Dei parum aduerſariis prodeſt: haud enim ideo eſt deſtrui neſcius,quia ex ſuppoſitione,quod ſit,eum exiſtere neceſſariò verum eſt in quouis inſtanti,ſed etiam,quia pro quouis.

35 Nonum , ac poſtremum argumentum.Propoſitio vocalis,ſiue iuxtà aliorum phraſim mentalis in mẽte non vltimata poteſt mutari de vera in falſam, vt eſt per ſe conſpicuum , & omnibus in confeſſo : at non, niſi , quia eius mutatur obiectum quoad eſſe phyſicum , non verò, quod illius ſignificatio mutationem ſubeat vllam : ſimiliter ergo propter eandem mutationem obiecti propoſitio mentalis in mente , vt aiunt , vltimata poterit obire de vera in falſam.

36 Reſpondeo : propoſitio vocalis ita ſignificat rem, vt quod, vt ſignificet conceptum formalem rei , vt quo : proindè eius rei eſt ſignum , cuius conceptum formalem indigitat:cum autem eius conceptus formalis ſit ſignum,ex quo oritur,oriri vero poſſit,modo ex hoc conceptu formali,modo ex illo, fit certe, vt nunc rem vnam , nunc aliam ſignificet. Vnde falſo aſſumitur , propoſitionem vocalem ſemper idem omninò ſignificare : hæc enim propoſitio , *Petrus currit* , vtcunque ſemper ſignificet,Petrum currere, ſi tamen præſupponat in mente loquentis conceptum repræſentantem curſum Petri pro inſtanti A , ſignificabit curſum Petri pro inſtanti A:quod ſi poſtea præſupponat in intellectu fantis,non illum conceptum, ſed alium,quo repræſentetur, Petrum currere pro inſtanti B, ſanè affirmabit , ac ſignificabit curſum Petri pro inſtanti B. At mutata ſignificatione ſaltem ex parte nil mirum variari veritatem , & falſitatem cum ſignificatione coniunctam:quandò autem præſupponit hunc conceptum quando aliud ex circunſtantiis eſt colligendum. In propoſitione mentali aliter ſe res habet,vtpotè quæ , nec ex toto, nec ex parte repræſentationem,aut ſignificationem mutare poteſt, ac per conſequens,nec veritatem,aut falſitatem.

Aliter etiam reſponderi poteſt.Propoſitio vocalis 37
ſignificationem habet ex placito,& libito hominum volentium , vt his vocibus tale obiectum, vt repræſentatum per talem conceptum ſignificetur.At hominum placita varia ſunt,& mutari poſſunt, & ſolent,atque adeo ex eorum mutatione mutari poteſt ſignificatio propoſitionis vocalis:veritas autem propoſitionis vocalis in eius fundatur ſignificatione: vocalis igitur propoſitio variari poteſt de vera in falſam, ac tam oppoſitas , diſtanteſque denominationes ex interuallo ſubire : quamuis autem de facto,vt aiunt,haud contingat expreſſam ſignificationem vocum mutari,& ſeorſim à quibuſuis circunſtantiis vi notæ impoſitionis eas aliter,quam antea repræſentare ; cæterùm caſus adductus vtilis eſt ad præſentem controuerſiam,quippe in qua diſputatur de poſſibilitate huius mutationis in ordine ad ompotentiam Dei,etiam extraordinariam , & abſolutam.

Enimuero P. Hurtadus in auctiori Philoſophiæ 38
editione ſuperiori reſpondet argumento,propoſitionem vocalem non eſſe ſimpliciter veram,& falſam, ſed ſecundum quid,nimirum quatenus mouet ad verum , aut falſum conceptum in mente audientis: quando igitur , modò poteſt ducere audientem ad verum rei conceptum,& modò ad falſum,nil mirum eſſe,ſi nunc poſſit vera eſſe,& poſteà falſa.

Diſplicet tamen hæc ſolutio, & non parum.At- 39
que inprimis , contrà quam ea ſupponit, probabile eſt iuxta diſputata ſuperius lib.6.propoſitionem vocalem,& externam eſſe ſimpliciter, propriéque veram,& falſam:quod enim ſit vera per denominationem à conceptu interno , quem excitat in audiente fortaſſis non obeſt veritati eius propriè , ac ſimpliciter ſumptæ:quo pacto quælibet res dicitur ab aliquo intellectu proprie cognita, & tamen haud cognoſcitur,niſi per denominationem extrinſecam.Et quidem,vti propoſitio externa,& vocalis proprie ſignificat , haud eſt forſitan , cur non obtineat propriam veritatem ac falſitatem cum ratione ſigni recurrentem.Sed de his ſufficiant dicta ſuo loco.

Præterea : non ideo propoſitio vocalis eſt vera, 40
quia mouet ad conceptum verum in mẽte eam auſcultantis:quod igitur hæc ferri poſſit,modò ad conceptum verum,modò ad falſum,non propterea poterit enuntiatio vocalis cum falſitate veritatem commutare,Conſequentia eſt in aperto. Suadetur antecedens : nam propoſitio vocalis eſt vera , aut falſa comparatione illius , quod ſignificat,vt quò , vel vt quod : aut potius vtriuſque gratia : ſed propoſitio vocalis non ſignificat conceptum audientis,vt quod vti per ſe,ac ſponte ſua patet,nec vt quò , quia voces ſunt ſigna,quibus animi noſtri,non alterius ſenſa exprimimus:exprimere autem eſt ſignificare:vnde propoſitio vocalis non ſignificat,vt quò conceptum audientis,ſed ipſius loquentis potius. Declaratur:ſignificare eſt manifeſtare : vocalis autem propoſitio non manifeſtat alium conceptum,quam qui præſupponitur in loquentis intellectu.

Confirmatur primo. Reuelatio, & locutio Dei eſt 41
vera eſſentialiter : & tamen non ſemper mouet ad conceptum verum in audiente : hic enim ſæpè diſſentit locutioni Dei euidenter credibili , vt cernere eſt in Acatholicis omnibus : haud igitur eo locutio Dei,aut noſtra eſt vera,quia elicit in audiente con-

ceptum verum ; quamuis igitur possit , modò elicere hunc assensum in audiente , modò verò alium, non propterea eius veritas erit mutationi, aut vicissitudini subiecta.

42 Confirmatur secundò. Antea , quam propositio vocalis mediis speciebus, aut eis sine cauſet conceptum verum, aut falsum in audiente, est vera, aut falsa: eius igitur veritas, & falsitas non dependet à conceptu illo, in quem impellit audientem, atque adeò ex hoc capite colligi nequit mutatio veritatis in oppositam falsitatem. Suadetur antecedens , haud enim eget probamento consequentia : ideo vocalis propositio in hunc conceptum præ alio ducit audientem, quia ex libito, & instituto hominum hanc destinatam habet significationem : significat ergò pro supradicto priori, atque adeo tum est vera , vel falsa.

43 Confirmatur tertio. Præmissa falsa ex coniunctione cum vera inducit , & causat quodammodo conclusionem veram. Id visere est in hoc syllogismo: omnis lapis est substantia, Petrus est lapis: ergo substantia. Mentalis ergò propositio falsa manens , nihilominus mouet ad conceptum verum: haud igitur dicenda est falsa, quia mouet ad conceptum falsum, haud vera quia ad verum : similiter ergò propositio vocalis, & externa dici potest falsa, & non à motione ad cognitionem falsam, & vera independenter ab eo , quod moueat , alliciatque ad veram.

44 At dices. Quando quis decipit alium , propositio vocalis, qua alteri imponit, est falsa, cum sit mendax: sed non est falsa, aut cum mendacio coniuncta , ratione alicuius conceptus falsi , quem in mente loquentis præsupponat: falsa igitur est , eò quod moueat, impellatque audientem in errorem, & conceptum aliquem falsum : atque adeo hoc ex capite explicari potest mutatio illa , quæ cadit in veritatem externam, & vocalem. Maior , & consequentia sunt perspicuæ. Minor probatur : sæpe decipiens alterum non habet conceptum aliquem falsum rei , qua de loquitur: imo de ea scit aliter se habere , ac ipse per verba significat externa : non igitur ideò falsum ei subest , quia præsupponit in mente loquentis conceptum falsum, & erroneum.

45 Respondeo : ea propositio vocalis non est falsa, quod moueat, & impellat audientem ad conceptum falsum, quo res aliter ac est concipiatur, quando quidem antecedenter ad hunc impulsum, & motionem est falsa, vt paulò suprà demonstrauimus, nec, quia præsupponit in mente loquentis conceptum falsum rei, vt probat instantia facta, sed, quia significat conceptum rei adesse in mente loquentis , qui tamen non adest, sed oppositus. Itaque dupliciter propositio vocalis potest esse falsa: vno modo, quia præsupponit in mente loquentis conceptum falsum , quem , vt quò significat , vt cernere est in hac propositione vocali, à Gentili aliquo prolata, *Deus non est*: alio verò modo, quia significat conceptum rei adesse, qui reipsa non adest: sicut enim propositio mentalis , & interna est falsa, eo ipso quod repræsentet obiectum existere, quod tamen non existit , ita propositio vocalis, & externa potest esse falsa, vbi significet præsentiam alicuius conceptus formalis, qui tamen non est præsens.

46 Secundo respondeo, ac ferme redit eodem. Aliud est præsupponere conceptum formalem, aliud illum significare ; & alterum sine altero potest reperiri. Quando igitur decipit quis alium , eumque in falsam æstimationem, quam ipse non habet , inducit, voces quidem non præsupponunt reipsa conceptum falsum in loquente, at eiusmodi significant conceptum : benè siquidem potest conceptus non existens significare, sicut obiectum, quod non existit , haud rarò tamen significatur existere in rebus.

CAPVT IV.

An ita sit incompossibilis veritas cum falsitate , vt eadem propositio nequeat esse simul vera , & falsa respectu eiusdem obiecti.

47 INter antiquos, & neotericos celebre est id genus propositionum , quas alij insolubiles , alij falsificantes, alij reflexiuas, alij demum inextricabiles appellant. Talis est hæc , *aliqua propositio falsa existit in instanti A*, de qua, an simul vera , & falsa sit , in præsenti controuertitur. Ratio dubitandi est, quia in euentu, quo in instanti A nulla alia propositio creata præter dictam existat (quod nullo iure possibile negari potest) vel ea propositio est vera ; & ita simul falsa erit: siquidem ad eius veritatem requiritur, vt aliqua propositio in instanti A falsa existat, cum hoc affirmet: at nulla alia præter ipsam existit, atque adeo, nec falsa aliqua præter ipsam existit: igitur ad eius veritatem opus est , vt ipsa in instanti A falsa existat, vndè, vbi vera sit , simul falsa non esse nequit: vel eo in euentu eiusmodi propositio falsa est: & negari nequit, quin simul sit vera : etenim ad veritatem eius aliud opus non est, quam , vt aliqua propositio falsa in instanti A existat ; at aliqua ita existit, nimirum ipsa.

48 En labyrinthum illum sophisticum per innumeras ambages, per infinitos flexus , & Mæandros ductum, atque reductum; mille viis imperuium , mille itineribus sectũ, mille fallaciis irremeabilẽ: vbi mẽs sui nescia se fugit, ac sequitur, eoque fertur, quo minimè fertur: vbi millies ire, & bis millies redire cogitur, ac perpetuis erroribus irrequieta circumagitur: quò semel illapsa ne Thesei filio duce, & auspice elabi , aut cæca regere vestigia possit : tot nugis nugacissimi sophistæ hic ficubi alias ineptiunt , tot captiunculis tyronum animos obcæcant , tot tricis propositiones inextricabiles intricant, tot nodis propositiones insolubiles magis irresolutas efficiunt: & quasi quæ in præsenti lucem merentur sine tenebris extenebrari non possent, à luce lucem abigunt, ac tenebris tenebras plus, quam Pharias, plusquam Cimmerias offundunt.

49 Respondent nonnulli apud Sotum opusc. de insolub. not. 3. eam propositionem reflexiuam non esse simpliciter propositionem, eò quod quiescenter non significet, & ad eius veritatem falsitas, & falsitatem sequatur veritas. Contra tamen sic arguo: ille actus vbi semel admittatur, manifeste aliquid affirmat: ergo est propstsitio. Deinde is actus, siue propositio sit, siue non, simpliciter verus, & falsus simul est, vt, & ratio dubitandi conuincit , & hi authores non negant , sed insinuant : difficultatem ergò non declinant, sed sub aliis terminis eam deglutiunt.

50 Secundo alij apud Cicer. lib. 4. academic. quæst. & alibi sæpè censent eam propositionem reflexiuam, & quamuis aliam similem, nec veram , nec falsam, eo quod ex veritate eius, illius etiam falsitas, & ex falsitate sequatur veritas : quare altera alteram destruit, & neutra propositioni conuenit. Verum contra sic argumentor : ea propositio aliquid affirmat: aut ergo ita se habet obiectum, sicut affirmatur, aut non: hæc enim opponuntur immediatè : si primum; propositio erit vera : sin autem secundum ; falsa.

Deinde

Deinde contradictoria illius propositionis, videlicet, *nulla propositio falsa existit in instanti A*, vt vera, vt his Sophistis est in confesso : non est ergò, cur ei etiam propositioni, de qua potissimè sermo, veritas, aut falsitas non conueniat, cum à sua contradictoria hoc solo differat, quod hæc negatiua, illa verò sit affirmatiua: quod certè impertinens est, vt alteri potius, quam alteri veritas, aut falsitas debeat necessariò conuenire.

51 Tandem, propositio est oratio verum, vel falsum significans, Aristotele teste, quem reliqui sequuntur At is actus est propositio. Pulchrè Cicero lib. 2. Academ. quæst. *fundamentum dialecticæ est, quicquid enuntietur (id autem appellatur axioma, quod est quasi effatum) aut verum esse, aut falsum: quid igitur hæc vera an falsa sunt? si te mentiri dicis, idque verum dicis.* Et lib. de fato non multum ab initio : *nisi forte voluimus Epicureorum opinionem sequi, qui tales enuntiationes, nec veras, nec falsas esse dicunt, aut cum id pudet, illud tamen dicunt, quod est impudentius, veras esse ex contrariis disiunctiones: sed quæ in eis enuntiata essent, eorum neutrum esse verum. O admirabilem licentiam, & miserabilem insciti am differendi : si enim aliquid in loquendo, nec verum, nec falsum est, certè id verum non est, quod autẽ verum non est, quî potest falsũ non esse? aut quod falsũ non est, quî potest non verũ esse.*

52 Tertiò alij respondent, eam propositionem esse simul veram, & falsam, eo quod eius veritatem falsitas sequatur, & è conuerso, vt ratio dubitandi conuincit. At ne hæc solutio probabilis est, aut superioribus verisimilior. Namque impossibile est, idem realiter, & virtualiter tale simul esse, & non esse: quod principium adeo est euidens, vt à nemine possit negari : sed propositionem illam esse veram, est obiectum eius esse sicut affirmatur, & eam simul esse falsam, est idem obiectum, idem inquam, realiter, & virtualiter simul non esse sicut affirmatur: impossibile igitur est, eam propositionem simul veram, ac simul falsam esse.

53 Quartò respondent Petrus Hispanus, Sotus, & alij plures, eam propositionem esse solum falsam: quia, cum veritas eius, eius etiã falsitatem, & è conuerso inferat, & ad vtramque apparentiam habeat, vtraque autem ei simul conuenire nequeat; potior ratio est, vt falsa sit, quam vera : tum, quia asserit se esse falsam, & non veram: tum, quia cæteris paribus denominatio partem sequitur debiliorem, falsitas autem debilior pars est in præsenti.

54 Enimuerò falsò supponunt hi authores, veritatem & falsitatem simul, & semel actui illi competere non posse, admisso etiam argumenti casu, quem certè admittere non grauantur: ratio enim dubitandi oppositum manifestè conuincit. Deinde vbi ea propositio falsa sit, eius etiam contradictoria, videlicet hæc : *nulla propositio creata falsa existit in instanti* A. simul erit falsa, quod & aduersarij concedunt, & intuenti manifestè constabit. Consequens autem ab aduersariis vltro concedi solitum euidenter refelli potest. Primò, quia contradictoriæ ab Aristotele definiuntur, quæ simul veræ, & falsæ esse nequeunt. Secundò, quia aliàs notissimum illud principium, *quodlibet est, vel non est*, manifestè rueret : siquidem contradictoriam affirmatiuam esse falsam, est obiectum non esse, sicut affirmatur, & contradictoriam negatiuam etiam esse falsam est nõ dari hoc, quod est obiectum non esse sicut affirmatur: aliquod ergò obiectum, nec est, nec non est sicut affirmatur: ex quo rursus infertur, aliquid simul esse, & non esse : cum enim dicitur res simul non esse, nec non esse, illud, *nec non esse*, perinde est, ac esse, eo quod duæ negationes vnam efficiant affirmationem. Tertiò : Deus alicui ex iis contradictoriis assensum exhibet : ambæ ergò, si falsæ sunt, Deus falsum assensum feret. Quamuis autem non pauci dialectici præsertim antiqui concedant Deum per reflexionem decipi, & falli, id tamen à me nunquam impetrare poterunt, vtpote quod impium, & sacrilegum arbitror. Quartò: eæ propositiones non essent contradictoriæ, sed contrariæ, quod tamen aduersarij negant Sequela probatur: quoniam iis definitio contrariarũ conueniret, nimirum haud posse esse simul veras, esse tamen posse simul falsas. Quintò: nullæ contradictoriæ iuxtà hos, quibus cum disceptamus, esse queunt simul veræ : ergo nec simul falsæ. Sextò: quando pars debilior essentialiter est connexa cum minus debili, denominatio non sequitur partem debiliorem, sed vtramque : atqui veritas cum falsitate, & è conuerso eo in actu essentialiter cohæret, & altera ex altera ineuitabiliter infertur, admissa semel hypothesi argumenti : iuxta eam ergo actus haud erit solum falsus, sed simul verus, ac falsus.

55 Quintò : Thomas Bricot, & cum eo non pauci dialectici respondent, affirmatiuam à nobis positam esse falsam: ob rationem initio numeri præcedentis traditam : cæterum negatiuam ei contradicentem esse veram, quia licet res non ita se habeat, sicut affirmatur, ac significatur per illam; at ad veritatem eius sufficit, vt affirmatiuæ se falsificanti contradicat: cum enim duæ contradictoriæ simul falsæ, aut veræ esse nequeant; vbi altera sit falsa suaptè natura, eo ipso altera vera non esse non poterit. Alij sextò respondent, contrà affirmatiuam esse veram, quia se verificat, & negatiuam esse falsam præcisè, quia ei contradicit.

56 Verùm vtrique displicent: tum, quia quid improbabilius, quam negare propositionem veram esse, quæ significat rem sicuti est, & falsam, quæ significat rem aliter, ac est? quorum tamen alterum hi, alterum illi negant. Insuper, vtraque solutio supponit eandem propositionem simul veram, & falsam esse non posse, ac per consequens duas contradictorias simul veras, & simul falsas esse non posse. Cæterum hoc quod supponunt, neutiquam capere possumus admisso argumenti casu, quem quidem non reiiciunt.

57 Septimò, Okamus, Alliacensis, & plerique Nominales respondent, propositionem illam controuersam non reflectere suprà se, & in alias à se distinctas solum ferri, hunc in modum : *aliqua propositio falsa à me distincta existit in instanti A* : quæ in euentu argumenti omnino falsa est : eius autem contradictoria est prorsus vera, cum non significet, nullam propositionem falsam absolutè existere eo in instanti, sed nullam à priori distinctam; quod verissimum est. Assumptum autem probatur: quia nullus actus intellectus suprà seipsum reflectere potest, aliàs suipsius imago, & similitudo extitura: ergo nec ea propositio.

58 Hi quidem admisso eo principio, quod assumunt difficultatem omninò exhauriunt. Cæterùm principium illud omninò falsum est. Siquidem tendentia physica longè operosior, & difficilior est, quam intentionalis, & ratione suæ imperfectionis plus postulat illa, quam hæc : quo pacto per actionem physicam tendere nequit agens in passum, nisi sit existens alicubi, nisi etiam sit præsens, nisi denique prius operetur in medio, cum tamen per actionem intentionalem, siue cognitionem ferri possimus in obiectum, quin sit existens in rebus, quin præsens,

sed absens quantumlibet, & tandem absque eo, quod prius cognoscamus in medio posita. At plures modi physici in seipsos physica ratione tendere, siue suprà seipsos physice reflectere possunt, vt conspicere est in actione ignis, v.g. productiua, ac simul per seipsam producta, nec non in vnione per semetipsam vnita, atque aliter res extremas, quas interiacet, neutiquam vnitura. A fortiori ergò cognitiones haud paucæ in se intentionaliter reflectere, ac se cognoscere valebunt. Vide in Metaph. lib. 7. tract. 11. cap. 2. paulò post medium, tum hanc rationem latius propositam, tum alias quasdam aduersus Nominalium sententiam.

59 Octauò alij respondent, propositionem illam omninò repugnare: non, quia nulla propositio supra se reflectere potest: sed, quia nulla propositio capax est eius reflexionis, qua seipsam falsam esse affirmet: siquidem nulla propositio potest affirmare duo contradictoria: at propositio se esse falsam affirmans duo contradictoria affirmaret, videlicet obiectum suum esse, & simul non esse: ergo, &c. Minor probatur, quia inprimis affirmaret obiectum suum esse, quod omni propositioni affirmatiuæ commune est. Deinde affirmaret, obiectum suum non esse: siquidem propositionem falsam esse, est eius obiectum non esse: at ea propositio seipsam falsam esse affirmat, vti supponitur.

60 Verùm actus intellectus, esto duo contradictoria explicitè, & clarè proposita vt talia simul affirmare nequeat, saltem ex natura rei, & citrà miraculum (de quo vide, si lubet dicenda à nobis in Metaph. lib. 7. tract. 4. cap. 8.) implicitum tamen, & confusum e is consensum exhibere potest: at propositio seipsam falsam esse affirmans, implicitè tantum, & confusè duo contradictoria affirmat; nec explicitè, & clarè contradictoria affirmare potest absque eo, quod se esse falsam, & se non esse falsam, affirmet, quod tamen non affirmat: quamobrem ex hoc capite ea propositio minimè repugnat.

61 Assumptum constat primo: quia quoties intellectus concessis præmissis negat consequentiam, duo contradictoria implicite, & confusè adstruit, cum negatio conclusionis, seu conclusio negata præmissis contradicat, & negata identitate immediata extremorum, eorum mediatam identitatem virtualiter, & implicitè neget, quam tamen præmissæ simul affirmant. Secundo: cum rusticus credit, se peccare, si audiat sacrum, quia excommunicatus est, & peccare etiam, si sacrum non audiat, quia dies festus est, duo contradictoria confusè, & implicitè asserit, videlicet se peccare, si audiat sacrum, & etiam se non peccare, si audiat sacrum: prius expresè, vt supponimus: posterius implicitè, quia idem reipsa est eum peccare, si sacrum non audiat, ac non peccare, si illud audiat: quare altero explicitè concesso alterum etiam implicitè conceditur. Tertiò ex Aristotele 4. metaph. text. 19. hic actus, *omnis propositio est vera*, duo contradictoria implicitè affirmat, videlicet se esse veram, & etiam se esse falsam. Cum enim affirmet, contradictoriam suam esse veram & hoc idem sit, ac ipsam esse falsam, sanè se esse falsam affirmat. Rursus eadem ratione hic actus, omnis propositio est falsa, se etiam esse veram, atque adeo duo contradictoria implicite affirmat, vt ex Aristotele constat ibidem: non igitur est cur ex titulo ab aduersariis allegato controuersa propositio repugnet.

62 Tandem alij respondent, eam propositionem, in euentu argumenti, esse omnino falsam: non ob rationes, quibus Sotus, & alij nituntur: sed, quia ea affirmat, se esse veram, quod omni propositioni commune esse censent, & simul affirmat se esse falsam: quo fit, vt duo contradictoria adstruat, atque adeo sit essentialiter falsa. Contra tamen sic argumētor primo: non omnis propositio de se esse veram, aut aliud quidpiam formaliter affirmat, vt ostendam Metaph. lib. 7. tract. 11. cap. 2. Deinde ea propositio determinate affirmat, se esse veram, si se esse veram vllatenus affirmat, & indeterminate tantum, & in disiuncto cum aliis propositionibus se esse falsam adstruit: in quo quæ repugnantia est? nulla certè, cum aliud non sit, quam ipsam esse veram, & ipsam, vel aliam esse falsam. Præterea, esto ea propositio duo contradictoria affirmet, non est quapropter ea copulatiuè affirmet, & non potius præcisiuè, siue disparatè: non igitur est, cur illa propositio sit omninò falsa, & non potius simul vera, & falsa respectu diuersorum, ad modum, quo hic actus, *Petrus currit, Petrus non currit*, si possibilis sit, non omninò falsus est, sed simul verus, & falsus intuitu plurium.

63 Denique, darentur simul duæ contradictoriæ falsæ iuxtà hunc sentiendi modum: siquidem hæc propositio, *aliqua propositio falsa existit in instanti A*, est falsa, vt ipsi quibus cum disceptamus supponunt, & hæc etiam, *nulla propositio falsa existit in instanti A*, falsa est, vt intuenti clarebit, cum tamen priori contradicat. Dicunt nonnulli aduersariorum, haud posse dari simul, & semel contradictoriam propositionis positæ, eò quod supponatur casus, in quo sola falsificans existat. Contrà tamen, quia licet sola illa propositio reflexiua in instanti A supponatur existens, non est tamen, cur in instanti sequenti eius contradictoria, nimirum hæc, *nulla propositio falsa existit in instanti A* à Petro non proferatur: si ergo propositio reflexiua conseruetur à Paulo, quin prius eam protulit, sanè duæ contradictoriæ simul falsæ à Petro, & Paulo in instanti B. proferentur. Contra secundò, quia duæ contradictoriæ, neque successiue possunt esse falsæ respectu eiusdem obiecti, vt cernere est in his propositionibus; *Petrus currit in instanti A: Petrus non currit in instanti A*, quæ etiamsi successiuè proferantur, haud possunt esse ambæ falsæ, haud etiam ambæ veræ: vbi ergò propositioni reflexiuæ eius contradictoria in alio succedat instanti, quod certè contrà hypothesim argumenti non est, iam duæ contradictoriæ erunt successiuè falsæ. Contra tertiò, quia contradictoria propositionis reflexiuæ in mente diuina est: erit ergò in Deo simul falsa, atque adeo absurdum non euitatur, sed cumulatur.

64 Quamobrem planius, ac facilius respondetur propositionem illam insolubilem, siue inextricabilem in euentu argumenti omninò impossibilem esse interius, ac mentaliter, iisque vocibus, *aliqua propositio falsa existit in instanti A*, tantum subiici in mente hunc conceptum; *aliqua propositio à me distincta existit falsa in instanti A*, cuius contradictoria est falsa, & ipsa vera: in quo cum septima, & octaua sententia conuenimus, & à reliquis dissidemus. Cæterum in alio euentu, quo aliqua alia propositio falsa existit in instanti A sanè propositio controuersa quoad totam suam entitatem, ac repræsentationem sibi essentialem existere potest, eo quod tum se non falsificet: in quo cum reliquis sententiis consentimus, & ab octaua, & septima dissentimus.

65 Decisionis nostræ inter extrema aliorum mediæ posterior pars est perspicua: tum, quia in eo, quod asserit,

asserit, nulla visitur contradictio: tum propter dicta paulo suprà, & alibi aduersus Nominalium sententiam, & sequentem proximè. Prior pars suadetur, quoniam id est impossibile, ex quo sequuntur contradictoria: sed ex propositione reflexiua in argumenti sequuntur euentu: tum ergo ea repugnat. Minor suadetur primò, quoniam sequitur simultanea veritas, & falsitas eiusdem propositionis, vt in ratione dubitandi apertè demonstratum. Secundò, quia sequitur subalternantē esse veram, & subalternatā esse falsam: hæc enim propositio in instāti A solitariè, prolata, *aliqua propositio particularis existēs in instanti A, est falsa*, haud dubie falsa est, quia se falsificat, & hæc, *omnis propositio particularis existens in instanti A est falsa*, hæc, inquam, est vera, cum se non falsificet, nec suprà se reflectat, eo quod non sit particularis, sed vniuersalis: at prior est subalternata, & posterior subalternans. Tertiò demum, quia sequitur præmissas esse veras, & conclusionem esse falsam: siquidem in hoc syllogismo; *omnis conclusio existens in instanti A est falsa, sed aliqua conclusio est existens in instanti A: ea ergò, quæcunque sit, est falsa in instanti A*, in hoc inquam, syllogismo, casu quo præter eum nullus alius syllogismus, aut actus intellectus existat, præmissæ sunt veræ, quia se non falsificant, nec sunt reflexiuæ, & conclusio est falsa, quia in se reflectendo se falsificat, cum tamen ex præmissis recte deducatur.

66 Et quidem vti assensus in sensu composito dissensus circa idem obiectum in eodem intellectu impossibilis est, secus verò in sensu diuiso, non video cur è contrario propositio illa falsificans, de qua hactenus, impossibilis esse nequeat in sensu diuiso alterius propositionis falsæ existentis in instanti A; secus verò in sensu composito, cum ex illo priori, non verò ex hoc posteriori contradictoria sequantur, vt huiusque ostensum. Quod si de hac falsificante; *ego sum falsa*; sermo sit, vt prisci dialecticis esse solet, ea absolutè, & in omni euentu impossibilis: siquidem simul vera, & falsa esset, & implicantia misceret. Qui plura velit de insolubilibus videat Nazianzenum oration. 3. de Theolog. Ciceronem locis superius citatis, Iulium Castellam aduersus academ. Ciceron. Antonium Cassilium, Dominicum Sotum, & Lemosium.

CAPVT V.

Simultas veritatis, & falsitatis in eodem actu respectu eiusdem obiecti discutitur vlterius.

67 EAndem propositionem intuitu eiusdem obiecti esse posse simul veram, & falsam probari potest, & solet hunc in modum. Ineat Deus hoc pactum cum Petro v.g. si prima propositio, quam protuleris, sit vera, gratiam tibi infundam, aliter eam non infusurus. Quo posito prima propositio à Petro elicita sit hæc, *in gratia non sum*. De qua vera, an falsa sit interrogatus. Si vera: Deus ergo gratiam Petro statim infundit, aliàs pacto inito non statuimus: eo autem ipso, quod ei gratiam illicò infundat, propositio illa simul falsa esse debet, siquidem gratiam infusam esse negat. Si autem ea propositio falsa sit, simul etiam vera esse debet: aut enim Deus gratiam Petro infundit, aut non? si secundum, ea propositio manifestè vera erit, vtpotè qua gratiam negat infusam: si primum, etiam vera non esse nequit, nisi enim vera esset, Deus Petro gratiam non infunderet: id enim pactus est, vt supponimus.

Respondeo, ea propositio omnino vera est: ex quo 68
neutiquam sequitur, quod Deus Petro gratiam infundat, sicut ad simultaneam falsitatem eiusdem propositionis oportet: nam, cum Deus paciscitur Petro gratiam infusurum, si prima propositio ab eo prolata vera sit, id intelligendum est, si veritas ea cum infusione gratiæ compossibilis sit, secus verò, si incompossibilis, aliàs promissio Dei ad impossibile ferretur, qui enim pollicetur aliquid sub aliqua conditione, quod ipsi conditioni repugnat, & incompossibile est, aliquid eum impossibile promittere, manifestum est. Cum ergo veritas eius propositionis, *ego non sum in gratia*, incompossibilis sit cum infusione gratiæ, & è conuerso, inde est, vt Deus sub conditione, quod ea propositio vera sit, gratiam se non promittat infusurum, sed tantum ex hypothesi, quod alia. Eiusmodi ergò propositione prolata à Petro, Deus ei gratiam infundere minimè tenetur.

Secundum argumentum pro simultate veritatis 69
cum falsitate in eodem actu, & contemplatione eiusdem obiecti tale esto. Hoc ipso, quod duæ contradictoriæ sint simul veræ, alterutra earum est simul vera, ac falsa: vera, vt supponitur: falsa, quia quælibet aliam falsificat. Atqui duæ quædam contradictoriæ sunt simul veræ, scilicet hæ: omne inintelligibile non potest intelligi, seu cognosci, aliquid intelligibile potest intelligi. Quod ad priorem attinet, eam esse veram, probatur; siquidem idem est formalissime, rem esse inintelligibilem, ac non posse intelligi: enuntiatio ergò, quæ inintelligibile non posse intelligi adstruit, verissima est, cum idem de eodem enuntiet. Deinde suadetur, posteriorem esse veram: namque id, de quo aliquid affirmatur, est intelligibile, imò actu intelligitur, & cognoscitur: at de inintelligibili aliquid asserit secunda propositio; ergo est intelligibile: posterior ergo propositio, quæ illud esse intelligibile, siue posse intelligi affirmat, est vera, vt quæ maximè.

Respondeo: eæ propositiones obiectæ contradictoriæ 70
sunt, & adhuc veræ: ideò enim subiectum vtriusque chimæricum, & impossibile est, quia de eo verificantur duæ contradictoriæ: quamobrem à communi regula contradictoriarum, qua statuitur, haud posse eas esse simul veras, quæ sunt de subiecto impossibili, sunt excipiendæ. Quod etiam communiter dici consueuit, contradictoriarum alteram falsificare alteram, id intelligendum est, quando non sunt de subiecto chimærico, nec possunt esse simul veræ. Proinde earum, quæ obiiciuntur in præsenti, nulla reddit aliam falsam, sicut oportet ad alterutrius simultaneam veritatem & falsitatem.

Respondeo secundo, eas propositiones fortassis 71
non esse contradictorias. Pro cuius luce animaduerto, cum dicitur propositiones contradicentes, inuicem debere esse eiusdem de eodem, opus esse, vt subiectum non solum sit idem respectiuè, & in ordine ad propositiones, ita, vt de eodem vtraque, quod enuntiatur, enunciet, verum etiam in se absolutè, ita, vt subiectum sibi idem, & cohærens sit, hoc est, vt plura inuicem repugnantia non sit. Cum ergò subiectum earum propositionum hoc posteriori intellectu idem non sit, & plura sibi minime eadem, & cohærentia, sed potius opposita: & incompossibilia, de more reliquorum entium rationis, inuoluat; inde est, vt eæ propositiones contradictoriæ non sint, aliouè modo oppositæ. Quandoquidem ergò neutra opponitur alij, quid mirum, si neutra

falsificetur ab alia, sed potius alterutra sit tantum vera, ac non simul falsa?

72 Tertio obiici consueuit: Hæc propositio; *si daretur homo equus, esset rationalis*, est simul vera, & falsa: ergo &c. Suadetur antecedens. Homo connectitur essentialiter cum rationalitate: sed, si daretur homo equus, esset homo; ergo, si daretur homo equus, esset rationalis, adeoque propositio modò hoc affirmans est vera. Pari ratione equus connexionem habet essentialem cum irrationalitate, siue carentia rationalitatis, at si daretur homo equus, esset equus: ergo esset irrationalis, aut, quod perinde est, non esset rationalis; ac proinde propositio nunc affirmans eum ex hypothesi illa futurum rationalem est plane falsa.

73 Prima solutio huius argumenti est, eam propositionem esse omninò falsam, & non veram: quia, *homo equus*, est tantum homo chimærice, & secundum quid: illud enim additum, *equus*, facit, ne sit simpliciter homo multò magis, quam, cum dicitur, *homo pictus*, particula, *picti*, hominem diminuit, aut potius alienat: quare si daretur homo equus, haud esset absolutè, & proprie homo: haud ergo tum esset rationalis: propositio ergò conditionalis id modò affirmans prorsus est falsa, & non vera. Verum nullo negotio refellitur hæc solutio. Namque idcirco, *homo equus*, est chimæra, quoniam in illo vera, & propria ratio hominis cum equo, à quo reuera distinguitur, ratione tamen vnitur, atque identificatur: falso ergò supponitur, hominem equum haud esse, si detur absolutè, & propriè hominem. Quod autem sit chimærice homo, hoc arguit, non esse tantum hominem verum, sed eum, & simul equum cum homine repugnantem. Atque hinc facilè constat ad id, quod adducitur de homine picto.

74 Secundo alij succumbunt oneri, respondentque, eam propositionem esse simul veram, & falsam, videlicet, quia eius obiectum est, & non est, omnisque propositio ab eo, quod res est vel non est, dici debet vera, vel falsa. Cæterum in primis obiectum eius propositionis, cum sit impossibile, mirandum non est, quod oppositas, & realiter contradictorias denominationes subeat, nimirum fore, & non fore rationale, si daretur. At propositio nostra haud est impossibilis, haud ens rationis, & chimæricum, sed potius ens reale positiuum: quorsum ergò, more sui obiecti, suscipiat prædicata realiter opposita, cuiusmodi sunt veritas, & falsitas. Hinc certe euidenter colligitur, nullum esse in præsenti argumentum ab obiecto ad actum, à quo tamen ad hunc argui posse insinuant aduersarij.

75 Ad hæc: repugnat, eandem propositionem esse simul veram, & non veram, vt lumine naturæ claret, vtque his Recentioribus, quibus cum cernimus, est in concesso: at ea propositio simul vera, & falsa, esset hoc ipso simul vera, & non vera: veritas eius supponitur. Non veritas suadetur, & perquam facilè: nam primò eam esse falsam est esse non veram, vti esse irrationale iuxta omnes est esse non rationale: deindè vti ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, vnde hi neoterici colligunt, eam propositionem conditionalem esse simul veram, & falsam; ita etiam ex eo, quod res est, vel non est, dicitur propositio vera, vel non vera: si namque res est, propositio est vera: quod si non est, ea erit non vera: quo ergò iure à contrariis propositio in controuersia posita censetur simul vera, & falsa, eodem censenda, & admittenda est simul vera, & non vera: quo tamen nihil fingi potest à veritate magis alienum.

Præterea: Deus etiam cognoscit, quid futurum esset, si daretur homo equus, eumque adeò fore rationalem, & etiam irrationalem, vt optimè docet P. Theophilus Raynaudus in explicatione nouæ libertatis 2. parte cap. 6 n. 29. & in lib. qui inscribitur optimæ vitæ finis pessimus cap. 10. n. 16. vtque hoc argumento demonstratur aperte: Deus modo cognoscit hanc propositionem nostram, si daretur homo equus, esset rationalis, eiusque affectionem omnem cognoscit ergò eam esse simul veram, & falsam: re namque vera veritatem habet, & falsitatem iuxtà aduersarios, sed eam esse veram, est, si daretur homo equus, fore rationalem; & eam esse falsam, est, si daretur homo equus, fore irrationalem, seu, quod iuxtà est, non fore rationalem: Deus igitur modò affirmat, quod, si daretur homo equus, esset rationalis, & simul non esset rationalis: iam ergò diuina propositio erit simul falsa, & vera, vbi talis sit nostra: quo tamen nihil cogitari potest magis absurdum. 76

Dicendum ergo est, eam propositionem conditionalem de subiecto impossibili esse veram, & nullatenus falsam: id, quod manifestè conuincitur argumento posito ad finem numeri superioris. Ad probationem contrariam respondeo, non esse obiectum falsificare propositionem, cum non esse excludit eius esse: quandoquidem ergò non esse rationalem hominem equum non excludit ab eo, si detur, esse rationalem, eò quod sit chimæra quædam, adeoque vtramlibet contradictionis amet partem, inde est, quod propositionem conditionalem affirmantem eum esse rationalem, illius irrationalitas non falsificet. 77

Instabis tamen primo: esse rationalem verificat propositionem illam, tametsi non excludat à subiecto chimærico, homine scilicet equo, non esse rationalem: contrà ergo non esse rationalem falsificat eā propositionem, estò non reiiciat ab homine equo esse rationalem: Instabis secundo: non est potior ratio, cur dicatur ea propositio vera à rationalitate conditionata hominis equi, quam falsa à non rationalitate conditionata illius: quin magis est, vt falsa sit, quam vera, quia denominatio sequitur debiliorem partem. Instabis tertio: contradictoria eius propositionis, nimirum hæc, si daretur homo equus, non esset non rationalis, siue esset non rationalis, est vera: ergò & falsa ea, cui contradicit: fieri enim nequit, vt sint simul veræ duæ propositiones contradicentes inuicem: Instabis quartò, implicari in adiecto, cum dicitur irrationalitatem, siuè non rationalitatem haud excludere rationalitatem: ecquid enim est, quidpiam non esse rationale, siue esse irrationale, quam rationalitatem eliminare? 78

Harum instantiarum nulla magnopere vrget. Ad primam respondeo, ab eo, quod res est propositionem affirmatiuam dici veram, non verò ab eo, quod suū non esse excludat pro quodā posteriori signo rationis: nil mirum ergò, si propositio, de qua sermo, sit vera, propter id, quod eius obiectum sit, & homo equus conditionatè sit rationalis, quantumlibet eum esse non rationalem haudquaquam excludatur. Cæterum non esse obiectum falsificat propositionem affirmatiuam, si sit plenè non esse eius, illudque simul esse neutiquam compatiatur: quamobrem ea propositio, qua de loquimur, haud erit falsa, propterea, quod si daretur homo equus, non esset rationalis: simul enim foret rationalis. Ad secundam instantiam respondeo, esse potiorem rationem, cur propositio illa dicatur vera à rationalitate conditionata hominis equi, quam falsa ab eius irrationalitate conditionata, eam scilicet, quæ proximè tradita est. 79

Ad

80 Ad tertiam instantiam respondeo, propositionem illam conditionatam, si daretur homo equus, esset rationalis, nec non eam, si daretur homo equus, non esset rationalis, aut non esse contradictorias propriè, aut etiam si tales sint, esse simul veras iuxtà dicta in solutione secundæ difficultatis. Ad quartam instantiam respondeo, esse quidem repugnantiam, & implicationem manifestam, quod non esse rationale, siue exclusio rationalitatis non sit eius exclusio: verum hanc contradictionem intimè inuolui in conceptu hominis equi ac supponi ad præsentem quæstionem. Vide dicenda à nobis in Physica l. 4. tract. 2. cap. 8.

CAPVT VI.

An eousque incomposibilis sit veritas cum falsitate, vt ne respectu diuersorum obiectorum eadem propositio possit esse simul vera, & falsa?

81 PRopositio aliqua quadrifariam plura repræsentare potest: primo copulatiuè, vt Petrus, & Paulus currit: secundo disiunctiuè, vt Petrus, vel Paulus currit: tertiò indefinitè, vt homo currit: quartò disparatè vt Petrus currit, Paulus currit. Quibus positis, assero primò. Propositio copulatiua nequit esse simul vera, & falsa respectu diuersorum obiectorum. Probatur in primis, quia propositio copulatiua tendit in omnia obiecta sua per modum vnius, & non in vnum seorsim ab alio, sed in vnum cum ordine ad aliud: eius igitur veritas sumi non potest ab vno obiecto seorsim ab alio, sed ab vtroque instar vnius, atque adeo nequit esse simul vera ab vno obiecto & ab alio falsa. Antecedens est perspicuum. Consequētia probatur, quia ob id veritas propositionis vllius sumi nequit à subiecto seorsim à prædicato, aut è contrario, sed à subiecto, prædicato, & copula ritu vnius, quia subiectum, prædicatum, & copulam, non seorsim, aut cum præcisione vnius ab alio, sed per modum vnius, & cum relatione, & comparatione mutua, actus verus quatenus verus respicit: similiter ergo, &c. Rursus secundò, si hæc propositio copulatiua, *Petrus currit, & Paulus currit*, intuitu diuersorum simul vera, & falsa esset, eadem ratione hæc copulatiua, *Petrus non currit, & Paulus non currit*, contemplatione diuersorum simul vera, & falsa esset quamobrem hæ duæ copulatiuæ ita comparatæ essent, vt ambæ incapaces essent simultaneæ veritatis ac falsitatis gratia eiusdem obiecti: proinde essent contradictoriæ: at propositioni copulatiuæ affirmanti propositionem disiunctiuam negantem contradicere superius demonstratum est lib. 4. tr. 4. c. 12.

82 Assero secundò: Propositio disiunctiua nequit esse simul falsa, & vera comparatione diuersorum. Probatur ob rationes nuper positas huc applicari faciles. Nam inprimis propositio disiunctiua repræsentat plura per modum vnius, & non duntaxat plurium, ac tametsi diuersa exprimat, cæterum nonnisi cum eorum confusione, & relatione quadam per particulam, *vel*, expressa. Deinde, si hæc propositio, *Petrus currit, vel Paulus currit*, est simul vera, & falsa, talis etiam erit hæc, *Petrus non currit, vel Paulus non currit*: earumque prior eatenus erit vera, qua posterior est falsa, & eatenus falsa, qua posterior est vera: ambæ ergo erunt contradictoriæ. Consequens est falsum: quod enim priori contradicat, non disiunctiua vlla negans, sed potius copulatiua aliqua, videlicet hæc, *Petrus non currit, & Paulus non currit*, ostensum est à nobis lib. 4. tra. 4. c. 12. paulò suprà citatis.

Et sanè haud comperio inter authores, vel vnum, 83
qui assertioni huic, aut præcedenti refragetur. Vtriusque ratio à priori, eaque me iudice manifesta est hæc. Ad veritatem adæquatam propositionis copulatiuæ omnium suorum obiectorum desideratur existentia, & ad eius omnimodam falsitatem cuiuis non existentia sufficit. Contra vero ad veritatem totalem propositionis disiunctiuæ satis est vnius obiecti sui existentia, & ad eius omnimodam falsitatem opus est, vt nullum eius obiectum existat vt per ipsam affirmatur. Hæc earum propositionum, hic tendendi modus. Aut ergò, vt exemplis positis insistam, tam Petrus quam Paulus currit, & ita hæc propositio, *Petrus currit, & Paulus currit*, est omninò vera, aut saltem alter eorum non currit, & ita omnino falsa. Deinde neutro eorum currente disiunctiua erit omnino falsa, aut vno solo currente omnino vera. Operæpretium haud est in his amplius immorari: adeo sunt per se, ac sponte sua manifesta.

Assero tertiò: Propositio indefinita simul vera, & 84
falsa respectu diuersorum esse nequit. Suadetur primò: quia ea propositio repræsentat plura per modum vnius, & non vndequaque plurium, idque non minus, imò multomagis, quam propositio disiunctiua, aut copulatiua, cum hæ pluralitatem aliquam, à qua illa præscindit exprimant: at propositio disiunctiua, & copulatiua ideo simul vera, & falsa esse non potest respectu vnius obiecti seorsim ab alio, quia non repræsentat vnum seorsim ab alio, sed potius plura per modū vnius: ergo à fortiori propositio indefinita simul vera, & falsa esse nō sustinet. Rursus secundò propositio indefinita in materia cōtingenti æquialet particulari, seu disiunctiuæ, & in materia necessaria, siue impossibili propositioni vniuersali, seu copulatiuæ, vt omnibus dialecticis est in confesso: sed propositio copulatiua, & disiunctiua ita institutæ sunt, vt neutra simul vera, & falsa esse possit, gratia diuersorum: similiter ergo propositio indefinita, &c. siquidem propositio partim vera, & partim falsa æquipollere nequit omnino veræ, aut non minus falsæ.

Recentiores nonnulli oppositum tuentur, quia 85
eadem, inquiunt, propositio respectu instantis successiui, quod indefinitè significat, successiuè vera, & falsa esse potest: similiter ergo eadem propositio intuitu obiecti permanentis, quod indefinitè significat simul vera, & falsa esse sustinet. Allegant etiam B. Thomam 1. part. quæst. 17. art. 3. vbi definitionem circuli simul veram, & falsam respectu diuersorum adasserit.

Verum in primis quod eadem propositio succes- 86
siuè mutabilis sit de vera in falsam propter indefinitam instantium repræsentationem, satis, cumulateque confutatum est supra cap. 1. 2. & 3. huius tractatus. Deinde esto eadem enuntiatio successiuè, & ex interuallo esse posset vera, & falsa, id eo præcisè non esset, quia instans vnum, vel plura indefinitè repræsentat, perperam ergo arguitur hinc ad propositionem de subiecto indefinito: consequentia est perspicua: suadetur antecedens, quia aliàs non successiuè, sed simul, & in primo instanti suæ prolationis ea propositio respectu diuersorum instantium simul vera, & falsa esset, quandoquidem in primo instanti repræsentat instans indefinitè, & provt omnia instantia, nec disiunctiuè, nec copulatiuè complectitur. Quamobrem, si propositio aliqua successiuè vera, & falsa esse potest respectu

diuer

diuersorum instantium, non propterea id verum est, quoniam ea indefinitè refert, sed ob alias rationes, quæ, cum non procedant in hac enunciatione; *homo currit* ex. g. non est, cur ea simul vera, & falsa esse sustineat. Quod afferunt aduersarij ex B. Thoma non vrget: etenim Sanctus Doctor ibi non asserit, eundē actum esse simul verum, & falsum, sed diuersos, quorum alter definitionem circuli circulo, & alter eam homini attribuat: id quod ex contextu manifestè liquet: siquidem loquitur de definitione circuli & in ea exemplum adhibet: at nullus actus definiens circulum idem manens esse potest simul verus, & falsus: omnis enim est in materia necessaria, aut remota prout definito, vel alij à definito definitionem applicat, atque adeo omnis est, aut omninò falsus, aut ex toto verus.

87 Assero quartò: aliqua propositio potest esse simul vera, & falsa intuiu diuersorum, quæ præcisiuè, seu disparatè respiciat. Ita P. Valentia 1. part. quæst. 17. punct. 3. P. Ripalda tom. 1. de ente supernatur. disp. 47. sect. 2. num. 16. & P. Compton. disp. log. sect. 5. ac Cardin. de Lugo de fide disput. 4. num. 103. Idem innuit P. Hurtadus disp. 5. de anima sect. 7. §. 56. &, quod caput est, Augustin. lib. 2. Soliloquiorum c. 5. Assertio probatur hunc in modum, Possibilis est propositio illa, *Petrus currit, Paulus currit*, aliavè similis, quæ plura disparatè, & præcisiuè asserat. At simul vera, & falsa esse potest respectu diuersorum, videlicet, si Petrus currat, & Paulus non currat, ergo, &c. Maior probatur primo: quia eadem visio materialis plura præcisiuè, & disparatè respicit: quando namque vnâ, & eâdem candorem & nigredinem conspicio, ea nequit esse copulatiua aut disiunctiua: sicut enim sensus materialis suam ob imperfectionem componere, & diuidere non potest, ita nec copulare, aut disiungere: similiter ergo aliquis intellectus nostrī actus plura valet præcisiuè, seu disparatè attingere. Secundò: quia idem actus intellectus diuini præcisiuè, & disparatè omnia obiecta creata repræsentat: non ergo est, cur nobis similis repræsentandi modus denegandus sit, cum perfectionem infinitam ex suo cōceptu non arguat. Tertio demum; quia actum aliquem intellectus nostri disparatè, & præcisiuè exprimere plura, aliud non est, quam eum pluribus æquiualere in modo repræsentandi: in quo quæ repugnantia?

88 Probata maiore principali, principalis minor probatur primo: quia, actus ille *Petrus currit, Paulus currit*, Petro currente, & Paulo, quiescente, affirmaret, solum Petrum currere, esset verus: at modo ita affirmat Petrum currere, ac si nihil aliud affirmaret: modò igitur est verus: deinde eadem ratione falsus est; siquidem eodem modo affirmat Paulum currere, ac si nihil aliud affirmaret. Secundo: quia non est potior ratio, cur is actus sit verus merito Petri currentis, quam falsus propter id, quod Paulus non currit: respectu ergo vnius est verus, & contemplatione alterius falsus. Dices esse, cur potius falsus sit, quam verus, videlicet, quia denominatio sequitur debiliorem partem, quæ citrà dubium est falsitas. Contra tamen sic insurgo: vetus illa paræmia tunc locum habet, cum vtraque pars simul denominare nequit: id autem modò interrogamus, cur veritas, & falsitas simul denominare nequeant eum actum verum, & falsum respectu diuersorum. Quamobrem præfata solutio principium repetit.

89 Tertio ea propositio, aut est omnino vera; & ita eius contradictoria, nimirum hæc, *Petrus non currit, Paulus non currit*, eadem ratione omninò vera erit: cur enim prior duplicem cursum affirmans ratione vnius solius omninò vera sit, & hæc posteriot duplicem cursum negans vno solo deficiente non sit etiam omnino vera? quare duæ contradictoriæ simul, vt aiunt, & semel erunt omninò veræ, quod tamen impossibile est. Aut, quod verisimilius est, ea propositio est omnino falsa Petro currente, & Paulo quiescente: & ita eius contradictoria, videlicet, *Petrus non currit, Paulus non currit*, eadem ratione omninò falsa erit, vt intuenti clarebit: proinde duæ contradictoriæ simul falsæ erunt, quod non minus falsum est: Vt ergo vtrumque videtur incommodum, asserendum est, duas illas contradictorias esse simul veras, & falsas respectu diuersorum, ita, vt respectu vnius obiecti altera vera, & altera falsa sit, & intuitu alterius vna etiam vera, & alia falsa: in quo nulla apparet repugnantia: haud enim aliud est, quam contradictorias materialiter sumptas esse simul veras, & falsas, non verò formaliter vsurpatas, ac provt sunt contradictoriæ, & vnum, idemque obiectum ambæ respiciunt.

Dices, contradictoriam illius propositionis, *Petrus, currit, Paulus currit*, esse non quam assignauimus, sed potius hanc, *non Petrus currit, & Paulus currit*, aut certè hanc, *non Petrus currit, vel Paulus currit*. Sed in contrarium est cum propositio, de qua controuertitur, particula, *&*, & *vel*, careat non esse, quapropter eius contradictoria ea gaudeat. Dices secundo contradictoriam eius propositionis, qua de agimus, esse hanc; *non Petrus currit, Paulus currit*. Contra tamen argumentor: propositio controuersa duplicem habet copulam principalem: ambæ ergo negari debent: at altera solum in assignata contradictoria negatur. Quid? quod particula, *non*, haud tantum in hac vltima contradictoria, verum etiam in duabus primis infinitat, vt potè subiecto, seu nomini præposita, & non negat, sicut ad contradictionem oportet. Vide quæ diximus in hanc rem suprà libro quarto, tract. 4. capite 12. parum ab initio. 90

Quartò tandem: eadem propositio potest esse clara, & obscura, certa, & incerta, aut, quod perinde est, fidei, & scientiæ, vel opinionis, & scientiæ respectu diuersorum obiectorum, vt ex communi nostrorum sententia suo loco ostendam. Cur ergò hic actus, *Petrus currit, Paulus currit*, intuitu plurium obiectorum simul verus, & falsus esse nequeat? sicut enim veritas, & falsitas comparatione eiusdem obiecti in eodem repugnat actu, ita similiter claritas, & obscuritas, certitudo, & incertitudo: vti ergo contemplatione diuersorū claritas, & obscuritas, certitudo, & incertitudo conuenire possunt in eundē actum, quidni etiā veritas, & falsitas? Aut paulo aliter: eadem cognitio etiam copulatiuè, vel disiūctiue in plura tendens, nihilominus esse potest clara, & obscura, certa, & incerta respectu illorum: Ergo à fortiori cognitio aliqua præcisiuè, ac disparatè proficiscens in plures res poterit esse vera, & falsa earum intuitu, licet si in eas ferretur copulatiuè, aut disiunctiuè haud posset veritatem cum falsitate coniunctam earum comparatione sortiri propter rationes huius initio capitis propositas. 91

Obiicies primo. Propositio de subiecto vniuersali, quæ formaliter, nec copulatiua, nec disiunctiua est, æquiualenter tamen alterutra est pro materia contingenti, aut necessaria, seu remota, in qua existit, vt declaratum est supra lib. 4. tract. 3. cap. 2. similiter ergo propositio de subiecto non vniuersali, quæ formaliter, nec est copulatiua, nec disiunctiua, qualis est ea, *Petrus currit, Paulus currit*, æquiualenter tamen copulatiua, vel disiunctiua erit, atque adeò, 92

adeò, aut omninò vera, aut omnino falsa erit, sicut copulatiua seu disiunctiua, cui æquipollet; alioqui certè aliud valitura.

93 Respondeo: propositio de subiecto vniuersali, cuiusmodi est hæc: *homo currit*; aut hæc, *homo est animal*, plura per modum vnius subiicit, & cognoscit, seu, quod iuxtà est, plures affirmationes per modum vnius affirmationis virtualiter, & æquialenter continet: vna autem affirmatio alteri vniri quodammodo nequit, nisi per particulam, *&*, aut particulam, *vel*, proindè id genus propositio æquialenter particulam cohibebit alterutram, & copulatiua erit, aut disiunctiua. Cæterum propositio de subiecto singulari suapte natura multiplici, ac disparatè cognito plura per modum plurium affirmat, nec æquialenter complectitur plures affirmationes inter se vnitas, seu comparatas: non est ergò, cur æquialenter copulatiua sit, aut disiunctiua.

94 Obiicies secundò, eundem actum futurum esse posse simul bonum, & malum respectu diuersorum obiectorum, ea si disparatè amplectatur. Verum hoc an repugnet, necnè, non est huiusloci. Interim consule Ripaldam citato lib. 3. de ente supernat. disput. 47. sect. 2. circa hanc, & alias similes sequelas.

TRACTATVS III.

De Variis speciebus Veritatis.

CAPVT I.

De veritate complexa, & incomplexa.

1 VERITAS complexa est ea, qua intellectus dicit intra se rem esse, vel non esse, quave componit, aut diuidit. Ad hanc veritatem respexit Aristoteles lib. 1. de interpret. cap. 1. his verbis, *quemadmodum autem in anima conceptus interdum sine veritate, falsitatevè est, interdum verò talis, vt alterum horum ei competat necessario; sic & in voce esse videtur: nam & falsum in compositione consistit.* Et lib. 6. metaph. cap. 2. *quod autem* (inquiens) *tanquam verum ens; & non ens, vt falsum: quoniam circa compositionem, & diuisionem est, & omninò circà partitionẽ contradictionis: verum etenim affirmationem in compositione habet, negationem vero in diuiso: falsum verò huius partitionis contradictionem.* Eodem modo loquitur cap. 3. lib. 5. primi de interpret. & lib. 3. de an. cap 6. aliisque in locis. Ad eandem veritatem alludit B. Thomas 1. p. q. 16. art. 2. *propriè loquendo veritas est in intellectu componente, & diuidente non autem in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est.* Eius etiam meminit. 1. contra gentes c. 59. & quæst. 1. de verit. art. 3. Tandem veritatem complexam, ac perfectam veritatis nomine haud raro absolutè vocari solitam in compositione, & diuisione collocant Durandus in 1. dist. 19. quæst. 5. num. 14. Herueus quodlib. 3. q. 1. art. 2. Caietanus citata 1. p. q. 16. art. 2. & cæteri communiter authores. Suadetur autem facili negotio: namque hoc ipso, quod intellectus componat vnum cum alio, asseratque Petrum v. g. esse album, si reuera est albitudine præditus, resultat rectitudo quædam in nobis, vt luce clarius: ergò & veritas: quæ, quia ex genere suo in compositione, aut diuisione plurium fundatur extremorum, quidni appelletur complexa?

2 Veritas incomplexa in eo sita est, quod cognitio aliqua sit imago, & repræsentatio propria cuiusdam obiecti, siuè de eo aliquid quodammodò asserat, aut neget, siuè secus. Hanc admittunt, ac esse propriè loquendo veritatem, tametsi diuersi generis à nuper explicata Aristotel. 3. de anim. cap. 6. text. 26. & 9. metaph. cap. 12. B. Thomas 1. p. q. 16. art 2. supra laudatis, & q. 17. art. 17. art. 3. corp. Capreolus in 1. dist. 19. q. 3. art. 1. concluſ. 3. Ferrara 1. contra gentes cap. 59. & 60. Soncinas 6. metaph. q 17. Ægidius quodlib. 4. q. 7. Suarez disp. 8. metaph. sect. 3. Fonseca lib. 4. metaph. c. 2. q. 6. sect. 4. Balthasar Tellez in logica disp. 11. sect. 2. Hurtadus disp. 9. de an. sect. 2. Arriaga disputat. 14. log. sect. 4. quamuis hi duo posteriores vocum vsu à nobis dissideant. Probatur autem, ac non ægrè: eo ipso, quod quis tantum apprehendat animal rationale, seorsim ab omni cõpositione, aut diuisione, censetur verum, & quidditatiuum hominis conceptum efformare: negari ergò nequit, quin propriè loquendo sit aliqua veritas incomplexa distincta ab ea, quæ complexa dici consueuit, & est in componendo, & diuidendo.

3 Verumenimuero P. Vasquez 1. p. tom. 1. disp. 75. cap. 2. negat esse veritatem propriè eam, quæ dici solet incomplexa, & absque compositione, & diuisione visitur. Primò autem mouetur testimoniis Aristotelis, B. Thomæ, & aliorum antiquorum, quorum est facta mentio huius initio capitis. Cæterum omnes id tantum volunt, veritatem aliquam peculiariter sitam esse in componendo, & diuidendo, nimirum complexam: at aliam incomplexam veritatem propriè talem haud abnuunt, possuntve: Quid est autem, quapropter veritas complexa speciali modo appellanda sit, veritas declarabitur paulo infra.

4 Mouetur secundo, quia in voce simplici nulla est veritas stricte, & proprie, nulla, nisi in oratione composita: nam, si quis proferat hanc vocem, *homo*, nondum verum dicit, aut falsum, ac tum censetur alterutrum dicere, cum ait, homo est animal, homo non est albus, aut quidpiam simile. Pari ergò ratione in conceptu simplici, nihilque componente, aut diuidente nulla est veritas rigorosè talis: eo potissimè, quod voces non, nisi per imitationem conceptuum, ac denominatione ab eis petita veri nuncupentur. Sed dicendum est, simplicem vocem haud esse veritatis expertem: quis etenim neget hoc vocabulum, *homo*, esse verum nomen hominis, eiusque proprium, ac germanum signum; contra verò hanc vocem, *leo*, non, nisi impropriù, falsumque, & translatitium eius nomen propter illius aliquando cũ leone similitudinem quandam in fortitudine, feritate, aliasve virtutibus, aut vitiis. Quod autem dici consueuit, simplicem vocem, nec esse veram, nec falsam, id accipiendum est de sola veritate, ac falsitate complexa, non verò de omni propriè sumpta.

5 Tertio mouetur P. Vazquez: Contraria sunt circa idem subiectum, & ab eo se mutuo depellunt: at simplex conceptus haud est capax falsitatis: licet enim apprehensio aurichalci falsa auri apprehensio dici soleat, sicut ipsum aurichalcum falsum aurum appellatur, remotè tamen, & occasionaliter talis dici debet, eò quod sit occasio iudicij, quo quis aurichalcum verum aurum esse falsò diiudicet, cum interim rigorosè ac propriè loquendo sit vera, & germana notio aurichalci, & non alterius obiecti: ergo etiam veritatis propriè sumptæ est incapax conceptus simplex: veritatem autem habet incomplexam:

hæc

hæc ergo haud est propriè veritas. Respondendum est, quemadmodum diuina cognitio est propriè vera, & tamen nullatenus esse potest falsa; id etiam, quod cernitur in non paucis iudiciis nostris, ita similiter conceptum simplicem esse posse propriè verum, videlicet incomplexè, tametsi nequeat esse falsus, aut incomplexè, vt constat, quia contraria veritas est ei essentialis, suapteque natura habet, vt sit imago propria sui obiecti, aut etiam complexè propterea quod nihil componat, aut diuidat. Quod autem opponitur, contraria se expellere ab eodem subiecto, adeoque vnum, si conueniat subiecto, posse ei conuenire alterum; veritas ergò, si conceptu simplici competat: haud posse eum incapacem esse falsitatis; at huius esse incapacem; ergo & illius: hoc inquam non vrget: primò, quia expellere se ab eodem subiecto duntaxat est de ratione contrariorum propriissime talium, vt demonstrandum est in metaph. lib. 3. tract. 8. cap. 1. tantam autem contrarietatem fortasse non habent inuicem veritas, & falsitas, saltem aliquæ: rursus secundò, vt loco nuper citato ostendendum est, si fortè vnum contrarium est naturalis, ac inseparabilis proprietas subiecti, haud est necesse, vt possit aliud ei conuenire, & ab eo prius eiicere; idque, etiam si contrarietas non tantum sit propria, sed etiam propriissima: quo pacto nigredo corui strictissimè contrariatur eius albitudini, cum tamen hæc coruo haud possit competere, aut ab eo nigredinem abigere.

6 Quamuis autem negandum sit, solam veritatem complexam esse strictè, & propriè veritatem, at id cum omnibus scholasticis concedendum est, eam esse peculiari modo veritatem, quo talis non est incomplexa. Primò, quia perfectior est, quam incomplexa: ac fortassis hæc sola belluis competit, illa verò non homini tantum, sed Deo, & Angelis, quippe quos componere, ac diuidere ponendum & exponendum est in Metaph. lib. 7. tract. 4. cap. 4. Secundo, quia vti homo speciali modo dicitur sensibilis, quo non animal in communi, quoniam super sensibilitatem huius propriam addit differentiam aliquam, & non est sensibilis vtcunque, sed cum respectu ad discursus, ac velut eorum principium, & radix in hoc corporis ergastulo, ita similiter haud est, cur dici non debeat veritas complexa speciali quadam ratione veritas, qua non incomplexa, quando non solum commune habet cum hac, quod sit propria imago, & repræsentatio sui obiecti, verum etiam quod illud pro eo, ac est ex parte rei componat, aut diuidat, idque, quod est de eo enuntiet, aut quod non est de eo abnuat.

7 Tertio veritas incomplexa, & simplex haud est aliud, quam veritas transcendentalis cognitionis: quemadmodum enim homo est verus homo, quia propriam obtinet naturam hominis, ita apprehensio hominis est vera, propterea, quod sit propria imago, & similitudo hominis, vt sæpè sæpius dictum. At veritas complexa distinguitur formaliter à veritate transcendentali, quæ consequitur rationem entis in actu. Quartò: veritas complexa ex genere suo sustinet expelli ab actu per contrariam falsitatem, secus verò incomplexa: quamobrem illa dicenda est peculiari modo veritas, quo non hæc: ad modum, quo in actibus liberis, & humanis est specialis bonitas, quæ non in aliis entibus necessariis: ab illis enim non ab his exterminari potest bonitas per contrariam malitiam moralem. Quintò veritas complexa, sin minus semper, at certè haud rarò constituitur per actum, & obiectum, vt visum est supra tract. 2. c. 3. 4. & 5. cum tamen incomplexa iuxtà preroſque authores (nec enim modò libet meam interponere sententiam) sita sit in actu solo, & quod hic sit cognitio, siuè imago rei cognitæ per rem ipsam, nec ex parte constituatur.

Sexto tandem: veritas incomplexa est in cognitione tanquam in habente illam: at quæ est complexa, est in actu, non solum velut in obtinente illam, sed etiam velut in cognoscente illam, si non signatè, at saltem virtualiter, & exercitè: quando namque post duplicem apprehensionem, alteram hominis, alteram animalis superuenit iudicium, complexè verum, asserens, hominem esse animal, id certè implicitè, & in actu exercito, vt aiunt, adstruit, conceptum animalis esse conformem homini, eiusque imaginem, & repræsentationem: nam reipsa perinde est, hominem, & animal esse idem, quod asseritur in actu signato, atque conceptum vnius alterutrum quodammodo exprimere, & ei esse conformem. Atqui cognitio incomplexè vera haud componit vnquam vnum cum alio, haud consequenter conceptum præuium vnius cum alio comparat, aut vtriusque conformitatem vllatenus repræsentat. 8

CAPVT II.

De veritate apprehensiua, & iudicatiua.

CIrca quas id impræsentiarum disputandum est, an sola veritas iudicatiua sit complexa, vel potius, quod talis sit, id cum illa commune habeat veritas apprehensionis propria. Assero primo: Probabile est, apprehensionem meram, nihilque cohibentem iudicij aliquandò tamen esse complexè veram, vnumque cum alio componere, & diuidere. Suadetur autem hunc in modum: vti se habet voluntas inefficax ad efficacem, ita apprehensio ad iudicium: atqui non efficax tantum voluntas, sed etiam aliquando inefficax componit affectiuè vnum cum alio, vnumvè ab alio ita diuidit, vt cum Deus vult omnes homines saluos fieri, & salutis cum hominibus quandam facit comparationem, siue compositionem, neutiquam efficacem, vel ad exitum deducendam; aut contrà, cum nullum hominem vult peccare, ac denominationem peccantis ab homine separat affectu non omninò efficaci, sed potius eo, quem sæpè tanto cum damno nostro frustramus. Similiter ergo haud iudicium tantum, sed etiam apprehensio infrà iudicij perfectionem longo sistens interuallo poterit cognoscitiue extrema aliqua componere, & diuidere. 9

Rursus secundo: (eodem fermè redit:) voluntas inefficax potest frustrari, & cassa reddi: ergò & aliqua apprehensio mera similiter poterit falsificari: at apprehensio nihil componens, aut diuidens haud potest effici falsa: eius enim veritas est incomplexa, & non alia, quam quod sit imago propria sui obiecti: hæc autem ratio imaginis ei nè diuinitus deesse potest: ergo nec veritas eam potest deficere, aut in falsitatem commutari: admittenda igitur apprehensio componens, aut diuidens extrema, quæ sit falsitati obnoxia: id genus autem apprehensio citrà dubium esse potest complexè vera. Tertio: Nequaquam credibile videtur, quin bruta quodammodò componant, ac diuidant: quorsum enim ouis lupum fugit, nisi eum esse sibi inimicum imaginatur? aut contrà cur pastorem agnoscit, sequiturque nisi, quia sibi conuenientem apud se statuit? Sed in 10

belluis

belluis haud est iudicium, haud, nisi apprehensio mera: hæc ergo capax est veritatis complexæ, siue compositionis, & diuisionis. Atque ita absolutè sentiunt Scotus in 2. dist. 1. quæst. 3. Bargius in 1. dist. 1. quæst. 3. Apollinaris 3. de an. quæst. 24. Niphus quæst. 19. text. 21. & apud eum Auerroes, in hæc verba: *intellectus primò intelligit singularia, deinde ea componit aut diuidit: tertio iudicat.* Item Durandus quæst. 1. prologi, Okamus, & Gabriel ibidem, & cum eis Marsilius quæst. 2. prologi art. 1. Ex nostris Card. Tolet. 3. de an. q. 19. & quamuis vocibus dissentiant, re tamen vera Hurtadus disp. 9 de an. sect. 2. §. 8. & Arriaga disput. 14. logic. sect. 4. concluſ. 2. num. 74.

11 Oppones tamen primò. Si apprehensio esset non solum incomplexè, verum etiam complexè vera, vnumque cum alio componeret, aut ab alio dissepararet, sanè iudicium foret, cum hoc situm sit in componendo, & diuidendo, in eove, quod rem esse aut non esse significet. Respondeo, apprehensionem ita significare rem esse, aut non esse v. g. Petrum album esse, aut non esse album, vt sit compossibilis ex natura rei, & citra miraculum cum apprehensione oppositum statuente: vnde nil mirum, si neutra sit affirmatio, aut iudicium, cum non firmiter, aut efficaciter adhæreat obiecto suo, aut circa illud pugnent, seve expellant: alterutra ergò tantum est dicenda semi assensus quidam, aut affirmationis inchoatio quædam, & vmbra, vel si mauis dubietas aliqua, quam his vocibus commodè exprimas: Petrus fortè est albus: Petrus fortè non est albus. Consule disputata superius lib. 4. tract. 1. cap. 3. vbi deliberatum est à nobis iudicium consistere, non in eo tantum, quod esse quidpiam tale, aut non esse adstruat, sed in hoc insuper, quod aliud oppositum adstruens in eodem intellectu secum non toleret.

12 Oppones secundò. Propositio ab Aristotele 1. de interpr. c. 4. vel definitur, vel certè describitur, quæ verum, vel falsum significat: at non explicat Philosophus iudicium per falsitatem, aut veritatem in complexas, vt per se claret, vtque omnibus est in confesso: ergò per complexam: hæc ergo haud potest in apprehensionem conuenire: quid enim esset ineptius, quam iudicium explicare per id solum, quod ei cum apprehensione commune est, & non minus, huic, quam illi competit.

13 Nihil est in hoc argumento momenti. Et inprimis, quod valdè absurdum est, eo conficitur, in apprehensione non solum non esse veritatem complexam, sed etiam nullam propriè sumptam: nam si ad verba Philosophi attẽdas, ea certè nullius veritatis distinctionem faciunt, sed omnem indiscriminatè comprehendunt. Rursus secundò: quemadmodum aduersarij Philosophum de veritate non incomplexa, sed complexa, quarum neutram exprimit, tamen explicant, cur non æqui, bonique consulant, si nos etiam eum explicemus de veritate complexa, non tamen quacunque, sed ea solum, quæ est incompossibilis cum actu oppositum affirmante: ita autem liquet, quamuis apprehensio sit quodammodo vera complexè, haud propterea debere esse iudicium huiusve definitionem ab Aristotele traditam sortiri.

14 Oppones tertiò. Fieri nequit, vt apprehensio aliqua componat vnum cum alio, eave diuidat, ac secernat inuicem, quin subiectum, ac prædicatum, & copulam realem, adeoque totum obiectum iudicij cognoscat. Atqui iudicium, & apprehensionem conuenire in obiecto videtur absonum: actus enim specificantur ab obiecto: proinde repugnat, vt diuersi actus, cuiusmodi haud dubiè sunt iudicium, & apprehensio diuersa etiam obiecta non vendicent, vtve eodem sint contenta. Respondeo apprehensionis, & iudicij idem esse posse, & solere obiectum, vt latè, ac pro dignitate demonstrandum à me est in met. lib 7. tract. 4. c 1. vbi etiam multis exemplis ostendam, haud ita specificari semper actus ab obiectis, quin plures ac diuersi in vnum, idemque ferantur sæpissimè.

Oppones quartò, & vltimò. Si apprehensio componens, ac diuidẽs est possibilis, pro eo ac statuimus, in Deo erit necessario admittenda: eius enim intellectus cognoscit totum obiectum huius meæ propositionis vocalis, aut mentalis, *homo est equus*, at illud non iudicat, eique nullum præbet assensum, vt est certo certius: id ergo tantum apprehendit: apprehendere autem hominem v. g. esse equum, est alterum cum altero apprehensiuè componere, si fortè apprehensioni conuenire potest, quod componat, aut diuidat: haud igitur eo principio concesso negari potest, quin Deus apprehensionem habeat componentem, aut diuidentem extrema à se cognita. Consequens autem est absurdum: fit enim ex eo vlterius, Deum fingere, & errare: quæ enim vspiam fictio, nisi talis sit per apprehensionem strictè dicere quod homo v. g. sit equus, cum tamen à natura equi quam longissimè absit. 15

Respondeo, citato lib. 7. Metaphysicæ eiusque tract. 4. c. 1. vbertim à nobis declarandum esse, haud perinde esse actum aliquẽ attingere compositionem obiectiuam extremorum quorundam, vnumve eorum esse reipsa aliud, atque componere, aut asserere eorum identitatem, quamobrem, tametsi Deus Optimus Maximus attingat identitatem hominis cum equo à me falsò cognitam, haud propterea eam etiã apprehensiuè, & inefficaciter asseret. Etquidem id genus apprehensio, qua quodammodo dicatur hominem esse equum, quin planè id decernatur, aut iudicetur, licet vltro permittamus eam non esse absolutè falsam, & erroneam propter illius inefficacitatem, ac remissionem in componendo, nihilominus Deo repugnat: haud enim est in eo vtilis, vel necessaria, quia obiectum ita se habet, potius enim aliter se habet, haud etiam, vt disponat ad iudicium virtualiter distinctum, ac subsequens de eodem obiecto commentitio, ac falso; tale siquidem iudicium in Deo locum non habet iuxta omnes: haud etiam vt disponat ad iudicium de contrario obiecto vero; potius enim ab eo auertit eiusmodi apprehensio: quorsum ergo adstrui debeat in Deo, tametsi in nobis admittatur. 16

Assero secundò: Probabilius nihilominus est, solius iudicij proprium esse componere, & diuidere, & veritatem, ac falsitatem complexam suscipere. Ita Gregorius quæst. 1. prologi art. 3. Fonseca lib. 4. metaph. cap. 2. quæst. 6. sect. 6. Conimbr. tom. 2. log. in cap. 4. de orat. quæst. 4. art. 1. vbi etiam pro eadem sententia referunt Aristotelem, Boëtium, B. Thomã, Albertum, Caietanum, & cæteros Thomistas. Suadetur autem primò, quia ex ipsis terminis manifestum videtur, haud aliud esse iudicare, siue enuntiare quam componere, ac diuidere, quamve asserere, quod res sit, aut secus. Secundò, quia qualitercunque & quantauis imperfectione sequatur, cognitio identitatis extremorum inter se ex præmissis, quarum est cognoscere eorum mediatam, siue in tertio identitatem, eo ipso talis illatio est discursus, & tertia operatio intellectus: quo ergo cunque modo, & quantumuis imperfectè diuidat, aut componat intelle- 17

tellectus, censendus tamen erit iudicare, ac secundam, quam vocant, operationem suam exercere.

18 Tertio ex libertate, & indifferentia voluntatis oritur, vt possit affectiuè componere, ac diuidere, idque non vno modo, sed multiplici, ac prius inefficaciter, & postea efficaciter, & perfectè, aut è conuerso diuersisque motibus, & contrariis intentionaliter ferri, atque hac, illac agi: intellectus ergò cum non sit potentia libera, sed necessaria, haud poterit componere, aut diuidere, nisi vno modo, haudvè plus asserere per apprehensionem, quod negat per iudicium, aut per illam negare, quod per hoc adstruit, quam lapis potest, cum ruit deorsum simul niti sursum. Quarto: aut omnis compositio, ac diuisio intellectus nostri est naturaliter incompossibilis cum alia opposita, & contrarium adstruente, aut potius cum ea componi apta nata. Secundum haud videtur posse sustineri: quî enim fieri potest, vt intellectus contradictoria simul asserat, etiam imperfectè? Quod si admittatur primum; consequens est, vt omnis compositio, & diuisio sit iudicium, & nulla possit esse apprehensionis propria: illius enim ab hac id discrimen à nobis traditum est supra lib. 4. tract. 1. cap. 3. quod sit actus intellectus cum alio circa idem obiectum ex modo sui tendendi incompossibilis, naturaliter vtique, ac citrà miraculum.

19 Hinc liquet ad primum, & secundum argumentum à nobis adducta in probationem contrariæ assertionis. Ad tertium respondeo, vt belluæ obiecta sibi conuenientia appetant, aut dissentanea refutent, sat esse, ea si simpliciter apprehendant, & absque vlla compositione, & diuisione ex parte actuũ solam compositionem, aut diuisionem obiectiuam cognoscant. Quamuis autem, hæc propter, probatior nobis sit eorum opinio, qui soli iudicio vim tribuunt componendi, ac diuidendi, at haud improbabile etiamnum arbitramur, eadem vi pollere apprehensionem meram. Quæ porro à nobis obiecta sunt in contrarium, etsi satis verisimilia sint, haud tamen omninò conuincunt.

20 Etsi enim euidens appareat, componere, aut diuidere perinde esse, ac iudicare, id fortasse oritur ex eo, quod deludatur intellectus noster similitudine, & cognatione apprehensionis componentis, diuidentisvè cum iudicio. Quod ad secundam rationem nostram attinet, vt vnius iudicij ex alio sequela semper est discursus, & tertia mentis operatio; ita similiter omnis affirmatio, hoc est omnis assensus firmiter adhærens obiecto, & circà illud incompossibilis cum alio contrario est iudicium, & secunda intellectus operatio: huius certè cum tertia sic optimè seruatur propositio, quin vt ambæ sibi respondeant opus sit, vt quemadmodum omnis sequela conclusionis ex præmissis est discursus, similiter omnis compositio, & diuisio sit iudicium. Et quidem, vti non omnis cognitio sequens duas præmissas rationem obtinet discursus, vt patet in apprehensione quauis vi præmissarum excitata, ita forsan haud est, cur omnis cognitio componens, & diuidens esse debeat iudicium.

21 Tertiæ rationi nostræ potest satisfieri sat probabiliter, hunc in modum. Quamuis intellectus sit potentia formaliter necessaria, at certe est radicaliter libera; quippe subdita imperio voluntatis: nil mirum ergò, hæc si possit eum inflectere in varios actus, & facere, vt componat apprehensiuè ea quæ iudicando diuidit, aut contrà per apprehensionem diuidere, quæ iudicatiuè, vt sic dixerim, componit: haud aliter ac ipsa nunc hac nunc illac sese inclinat. Hæc autem ratio haud procedit in lapide, & aliis similibus rebus, quæ ne in radice sunt liberæ, sed prorsus necessariæ. Ad quartam rationem nostram dicendum est, non adeò manifestum esse, quod intellectus nequeat simul contradictoria asserere imperfectè, & inchoatè, eisque semi assensum præbere, quin multi, inter quos Auerroes 6. metaph. comment. 8. contrarium sentiant.

CAPVT III.

De veritate mediata, & immediata, practica, & speculatiua.

22 Circa priorem diuisionem, earum quæ titulo capitis sunt præfixæ, veritatis scilicet in mediatam, & immediatam id modo discutiendum est, an illa sit maior, quam hæc, præmissasque, quod consequens, est denominet veriores assensu conclusionis Sententiam negantem amplector, & hunc in modum suadeo. Nulla propositio potest esse verior alia omninò vera: ita B. Thomas q. 1. de veritate art. 9. Ferrarienses 1. contragent cap. 13. ad finem. Conimbricenses tom. 2. log. 1. poster. cap. 2. q. 2. art. 5. Hurtadus disp. 11. log sect. 2. §. 8. Arriaga disp. 14. log. sect. 3. num. 66. Balthasar Tellez parte 1. in logicam disp. 17. sect. 4. num. 1. At conclusio, vt supponimus, est omninò vera, & nullo modo falsa: nequeunt igitur præmissæ ea esse veriores. minor, & consequentia sunt extra dubium: maior probatur; veritas consistit in eo, quod obiectum actus sit absolutè, & quomodocunque, dummodo id sit, quod affirmatur: is autem essendi modus adeò præcisus nullam admittit inæqualitatem, totusque positus est in indiuisibili: in eo igitur est sita veritas: haud ergò vna potest esse maior alia, aut reddere vnam propositionem veriorem alia; haud secus, ac quia punctum consistit in indiuisibili, vnum nequit esse maius alio. Confirmatur probatio maioris alio exemplo, haud minus apposito: linea A si omnino æqualis, & conformis sit lineæ B, alia nulla ei esse potest magis æqualis, vt certo certius: similiter ergo in præsenti &c.

23 Sit tamen primum aduersus nostram sententiam argumentum: ex ipsis terminis manifestum videri, hanc propositionem, *Deus est*, veriorem esse, quam istam, *Petrus est*. Respondeo, veritatem actus aliam esse formalem, ac sitam in eius adæquatione, & conformitate cum obiecto, & hanc propter dicta haud susципere magis, vel minus: aliam verò esse radicalem, & à certitudine, ac infallibilitate actus indistinctam; & hanc subire magis, & minus iuxtà disputanda in Metaph. lib. 7. tract. 6. cap. 5. Quando ergo velut manifestum ab omnibus admittitur, propositionum nobis obiectarum priorem esse magis veram, quam posteriorem, id intelligendum est de maiori veritate radicali, siue de maiori certitudine, non autem de maiori veritate formali, qua de tantum agitur impræsentiarum.

24 Secundum argumentum contrarium est, vnum actum voluntatis esse meliorem in genere moris alio; quid ni ergo, & vnus actus intellectus esse possit verior alio? vt enim veritas posita est in conformitate cognitionis cum obiecto, ita & bonitas moralis in conformitate voluntatis nostræ cum ratione: posterior ergò conformitas, si admittit magis, & minus, cur non & prior: Respondeo, conformitatem cum ratione, ac syndæresi magis, & minus susципere, vnumque voluntatis actum (quod perindè est) esse posse rationi conformiorem alio, quia ratio potest,

potest, & solet magis dictare vnam actionem, quam aliam, eamque velut magis perfectam, & laudabilem præscribere, illam v. g. quæ sub consilium cadit, quam, quæ duntaxat sub præceptum: mirandum ergò non est, si bonitas moralis in prædicta conformitate sita reapse sit inæqualis: Atqui conformitas cum obiecto ita omninò existente, vt affirmatur per cognitionem, haud subit magis, minusvè vt prædictum est: nam si vna res existit, pro eo, ac enuntiatur, certè nequit alia ita magis existere, quod adeò manifestum est, vt ex ipsis terminis fidem asserat: nec refert existentiam Dei v. g. maiorem, ac perfectiorem existentia creaturæ cuiusuis, &, si placet, illum magis existere secundum se, esseque magis ens, quam hanc: haud enim ob id magis existet Deus, vt affirmatur per actum verum, quam creatura, hæc, si omninò existit, vt cognoscitur. Quocirca veritas in conformitate cum obiecto sita non erit inæqualis, non vlla maior, quam alia. En quatenus, admisso argumenti antecedente, eius consequentia est nulla. Et quidem eam nullam, ac friuolam esse iam olim innuit Plato in Theæteto hisce verbis; *ego autem meliora aliis alia dico, veriora nequaquam,*

25 Tertium argumentum contrarium est tale. Vnus actus intellectus esse potest, soletq; falsior alio: vnus igitur esse sustinet verior alio: quidni ergo præmissæ conclusionem veritatis gradu antecellant? Respondeo cum Hurtado suprà citato, & aliis, negato antecedenti. Siquidem, esto, propositio aliqua affirmet, viginti homines currere nullo currente, & alia enuntiet, viginti equos currere currentibus vnde viginti, & vno tantum non currente, haud propterea prior erit magis falsa, quam posterior. Ratio est, quia falsitas consistit in indiuisibili non minus, quam veritas, in eoque sita est, quod obiectum actus absolutè non sit, vti repræsentatur: tam autem non est, vt cognoscitur obiectum posterioris, quam anterioris: falsitas ergo vnius tanta est quanta alterius. Quod porro affirmans viginti homines currere in pluribus deficiat à veritate, nihilque eius, quod affirmat, sit à parte rei, cum tamen affirmans cursum viginti equorum in tot obiectis non deficiat à veritate, & aliquid saltem eius, quod enuntiat, sit à parte rei, haud arguit falsitatem vnius esse maiorem falsitate alterius, sed à pluribus eam enasci causis: quilibet enim viginti hominum à cursu cessans falsificat priorem propositionem, facitque, vt absolutè non sit eius obiectum, hoc est viginti homines currere: at vnus tantum equus non currens in causa est, vt propositio viginti equorum affirmans cursum, haud sit vera. Quo ergò plura sunt viginti, quam vnum, eò plures sunt causæ falsificantes priorem propositionem, quam quæ posteriori falsitatem inludunt. Cæterum hinc haud colligitur, vnam falsitatem esse maiorem alia, ambæ si sumantur propriè, & secundum se: quo pacto etsi pluribus de causis existat vnus ignis, quam alius, alterque producatur simul à Deo, sole, & aliis ignibus, alter vero à solo Deo, haud propterea alter altero magis existet.

26 Enimuerò alij, inter quos Arriaga, censent, vnum actum intellectus esse magis falsum alio, quamuis vna veritas aliam nequeat superare. Pro quorum sententia oppones primò. Tametsi vna æqualitas alia maior esse nequeat, tamen vna inæqualitas potest esse maior alia cum linea bicubita magis inæqualis sit lineæ quincubitæ, quam linea tricubita: similiter ergò licet vna veritas esse non possit alia maior, tamen vna falsitas antecellere valebit aliam. Respondeo primò. Inæqualitas vnius lineæ respectu alterius est necessariò coniuncta cum earum æqualitate, quoad aliquas partes: quamobrem quò plures fuerint partes æquales vnius lineæ, quam alterius intuitu tertiæ, eo vna, quam alia intuitu tertiæ minus erit inæqualis, & contrà, quò paciores, magis inæqualis: at cum propositio aliqua est omninò falsa, nulla eius pars obiecto conformis, aut vera est: vnde perperam ab inæqualitate ad falsitatem arguitur in præsenti. Respondeo secundò: inæqualitatem vnam dici maiorem alia, non propriè, & primario, sed improprie, & secundario; vt propter id aliqua linea dicatur quodammodò magis inæqualis alteri tertiæ, quam alia, quoniam vna in se est maior, ac longior, quam alia pluribusque partibus prædita, non verò eo, quod ipsa relatio inæqualitatis immediate, & strictè inæqualitatem subeat vllam. Vide quæ in hanc rem disputabimus in metaph. libr. 3. tractat. 6. capit. 25. parum ab initio.

Oppones secundò: & eodem fermè recurrit. 27
Quamuis, si duo sint Romæ, tam sint in vrbe ambo, nec magis reuera vnus, quam alter, tamen qui Roma absunt, haud æque ab ea distant, sed plus ille, qui est in Hibernia, quam qui Neapoli, aut Venetiis. Similiter ergò, licet veritas, quæ posita est in eo, quod obiectum reipsa sit, haud esse possit maior in vno actu intellectus, quam in alio, at nihilominus falsitas collocari solita, & iure merito in eo, quod non sit obiectum reipsa, sed potius in illius veluti distantia à veritate, esse poterit maior in vna cognitione, quam in alia. Verum respondeo vt paulo suprà, etiam distantiam vnam haud esse maiorem alia, nisi mediatè. & secundariò, videlicet, quia interuallum, ac spatium fundans vnam est maius, quam id, quod est fundamentum alterius, siue, quod instar est, quia maiori intercapedine loci distant, ac secernuntur extrema vnius distantiæ, quam alius, cum interim ipsa relatio secundum se, ac propriè sumpta cõsistat in indiuisibili, nec admittat inæqualitatem: posita enim est in eo, quod vnum extremorum non sit immediatum localiter alteri: quod autem maior sit, vel minor intercapedo faciens, vt vnum non sit absolutè alij immediatum, aut spatio loci proximum, id est per accidens respectu ipsius relationis distantiæ, eam si ad metaphysicum, ac scholasticum rigorem exigamus.

Oppones tertiò. Etsi inter duo puncta non possit 28
produci vna linea recta maior, ac longior alia, sed omnes rectæ duo inter extrema sint necessario æquales; at obliquarum diuersa est conditio, earumque vna potest aliam excedere. Pari ergò ratione veritas, quæ est rectitudo quædam actum, & obiectum quodammodo interiecta, & ab hoc in illum deriuata, poterit esse inæqualitatis omnis nescia, & ea, quæ nusquam sit maior, minorvè, quam alia, quin exinde liceat inferre, falsitatem, quæ est obliqnitas quædam cognitionis, & etiam facultatis cognoscitiuæ, haud posse esse nunc maiorem alia, nunc minorem. Respondeo, lineam obliquam haud consistere in indiuisibili, sed partibus coalescere: mirum ergo non esse, si admittat magis, & minus, quorum est incapax falsitas, propterea, quod iuxtà superius disputata posita sit in indiuisibili. Quo autem iure linea obliqua respectu alterius vtrinque pariter terminatæ subit inæqualitatem, quia est diuisibilis, & partibus cohærens, eo ipso certè linea recta, quæ haud dubiè partibilis, ac diuidua est, esse posset modò maior, modò minor inter eosdem terminos, nisi eius obstaret definitio: at obstat: eam enim definit Archimedes apud Clauium nostrum lib. 1. elemen-

torum defin. 4. *minimam earum, quæ terminos habent eosdem,* & Campanus, *breuissimam ex vno puncto in aliud extensionem*: fieri autem nequit, vt linea minima, ac breuissima sit minor, breuiorque alia, vtve sit alia maior, ac protractior, vt est luce clarius. Cæterùm lineæ obliquæ definitio nullam eiusmodi inæqualitatem duo inter extrema prohibet.

29 Oppones quartò. Peccatum, quod est error quidam voluntatis, suscipit magis, & minus, vnumque est grauius alio: similiter ergò error intellectus, & falsitas haud semper est æqualis, sed iam maior, iam minor. Consequentia videtur perspicua. Antecedens est fide sanctum aduersus Stoicos, quos delusit exemplum distantiæ, & aliarum relationum prædicamentalium haud admittentium formaliter, & proprie magis, & minus: hinc tritum illud inter eos dictum quod referunt Ceporinus in scholiis super Dionysium de situ orbis, Buidas, & alij: *qui centum stadijs distat à Canopo, & qui vno, æquè non est in Canopo: sic quoque plus, & minus peccatum æquè non est in rectè agendo*, id est plus, inquiunt, & minus non propriè, & reipsa, sed impropriè, & ex vulgi sensu: Stoicis accedere videtur Lipsius in lib. quem edidit de constantia.

30 Respondeo, perperam argui impræsentiarum ab errore voluntatis ad eum quo intellectus deuiat. Primò, quia plerique aduersariorum contrà Stoicos Catholicè tuentur, actus voluntatis alios esse meliores aliis: & tamen intellectus actus haud propterea iuxtà ipsos sunt alij aliis veriores: quanquam ergò voluntatis actus sint inæqualiter mali, non ob id fiet actus intellectus esse inæquali ratione falsos. Secundo, quia malitia moralis sita est in difformitate cum dictamine rectæ rationis: ratio autem dictat magis vnum flagitium esse vitandum, quam aliud v.g. parricidium, quam alterius sanguine non deuincti cædem, & incestum, quam simplicem fornicationem: difformitas ergò illa, ac proindè malitia in genere moris poterit esse iam maior, iam minor: ea terum difformitas cum obiecto, in qua constituitur falsitas, semper est eadem, vt toties decretum est, neque potest cre cere, aut decrescere: haud enim aliud est iuxtà superiora, quam obiectum non esse absolu è vti affirmatur: quæ negatio præcisa est, atque abstracta ab omnibus circumstantiis, vnde oriatur inæqualitas: omnesque intuitu illius, adeoque falsitatis se habent omninò per accidens.

31 Oppones quintò Aristotelem lib. 4. metaph. c. 4. ad finem, vbi sic loquitur: *inest tamen in verum natura magis, & minus: neque enim æquè paria esse duo, ac tria dixerimus, nec decipietur æquè is, qui quatuor, atque is, qui mille quinque esse existimauerit: quod si non æquè decipiuntur; perspicuum est, alterum minus decipi.* Ecce iuxtà Aristotelem deceptio, & falsitas subit magis, & minus.

32 Verum, si ad Aristotelem appellandum est, is haud magis loquitur allegato loco de falsitate, quam de veritate: statim enim subiungit ibidem: *quo sit, vt magis verum dicat* (is scilicet, qui minus decipitur) *si ergo id, quod magis tale dicitur, propius accedat; erit profecto aliquid verum, cui magis verum sit magis propinquum.* At Arriaga, & plerique aduersariorum haud admittent, consentaneum esse Aristoteli, aut veritati, quod hæc sit modò maior, modò minor. Quapropter nec Aristotelicum esse potest eorum dogma, qui falsitati inæqualitatem tribuunt. Respondeo ergo pro cunctis, sermonem esse hilosopho eo loci, quo obiicitur, de falsitate, non formali, qua de tantum agimus, sed radicali, quæ nihil aliud est, quam impossibilitas actus, vt suo conformetur obiecto: hæc autem est sæpissimè maior in vno actu, quam in alio saltem extensiuè: nam quo plures homines v.g. non currunt, eò plus impossibilis est hæc propositio, *viginti homines currunt*, obiecto suo conformari, ac vera euadere: quando quidem ergò omnes viginti non currunt, toties certè est impossibilis eius actus veritas, & cum obiecto conformitas. Cæterum vnde viginti equis currentibus, & vno solo non currente semel tantum repugnat hunc actum, *viginti equi currunt*, esse verum: nec nisi vna tantum est impossibilitas, vt suo conformetur obiecto, ac verus euadat.

Porro, vt ad principale reuertamur institutum, 33
aduersus nostram sententiam de æqualitate veritatis mediatæ, & immediatæ quartum, & postremum argumentum sic se habet. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale: sed conclusio est vera propter præmissas: hæc ergò sunt conclusione veriores, adeoque immediata veritas mediatam superat. Cæterum in Metaph. lib. 7. tract. 6. cap. 6. multis exemplis est à nobis declaratum Aristotelicum illud axioma propter quod vnumquodque tale, &c. haud vbiuis valere, tantumque esse necessario, & irrefragabiliter verum in causis finalibus, ac voluntariis: hoc enim ipso, quod voluntas amet medicinam propter salutem, hanc oportet magis amari. At præmissæ eo genere causæ haud concurrunt ad conclusionem, sed potius è conuerso, cum voluntas nostra non alio fine præmissas imperet, nisi, vt conclusio sequatur: hæc ergo poterit esse non minus vera, quam principiorum assensus.

Quod deliberatum hactenus, omnes actus veros 34
esse æqualiter veros, falsosque similiter æqualem habere falsitatem, ea certe lege tenendum est, si actus sint omnino tales, falsique pariter nihil admixtum habeant veritatis: sin autem sermo sit de actibus, partim veris, partim falsis, & vtrique denominationi simul obnoxiis, ob respectum videlicet ad plura obiecta disparata, & sine ordine vnius ad aliud expressa; ita certe haud inficier, vnum actum alio esse veriorem, aut falsiorem: v. g. hunc *Petrus currit*, *Paulus currit*, ambobus currentibus esse veriorem, actu isto, *Ioannes loquitur*, *Ignatius loquitur*, altero duntaxat eorum loquente: prior enim est omnino vera, posterior vero ex parte falsa: illa etiam esset hac falsior, si, nec Petrus, nec Paulus currerent pro eo, ac posset contingere.

Iam quod superest, id breuiter explicandum est 35
circà posteriorem diuisionem huic capiti præstitutam; eam videlicet, qua veritas dissecatur in speculatiuam, & practicam, an harum vtraque sit propriè veritas, id est, an, non solum cognitio speculatiua, sed etiam practica sit strictè vera? Esse tuentur cum Aristotele 6. Ethicorum cap. 2. Franciscus Suarez disput. 8. metaph. sect. 5. & cæteri omnes scolastici. Atque iure merito. Nam inprimis quis denegare ausit veritatem diuinæ cognitioni? at ea est practica respectu creaturarum, ad quarum dirigit effectionem.

Deinde, scientia rigorosè sumpta, est, non solum 36
speculatiua, sed etiam practica multoties: quamuis enim id negent Sanchez tom. 1. log. quæst. 12. Valius 2. posterior d sp. 4. parte 3. quæst. 4. & quidam alij; at probatum est à nobis supra lib. 2. huius operis tract. 3. & 4 estque Aristotelis lib. 1. metaph. cap. 2. & lib 2. tex. 3 quem sequuntur Suarez vbi suprà, Auersa quæst. 26 log. sect. 3. & quæst. 27. sect. 1. & communiter reliqui Doctores: sed omnis scientia est vera: aliqua ergò cognitio vera est practica,

ac

ac proinde è conuerso aliqua practica est vera. Tandem à priori cognitio vera est ea, cuius obiectum ita se habet, sicut per illam repræsentatur: at cognitionis practicæ, qua dialecticus tradit definitionem esse componendam ex genere, & differentia, aut architectus domum esse fabricandam ex tecto, & parietibus obiectum perinde se habet, ac affirmatur: quidni ergo sit vera.

37 Enimuero obiicies primò, cognitionem speculatiuam in eo iuxta omnes differre à practica, quod huius finis sit opus, & illius veritas, vtique obiectiua: prior ergo sola erit formaliter vera, non verò posterior, cum sine veritate obiectiua repugnet formalis. Obiicies secundò: obiectum est mensura veritatis, quæ resplendet in actu, vt innuit B. Thom. 1. part. quæst. 16. art. 1. at solius cognitionis speculatiuæ veritas mensuratur ab obiecto, non verò practicæ: quamuis enim ideo sit vera speculatiua scientia, quia eius obiectū est, at non idcirco cognitio practica est vera, quia eius obiectum est, sed potius ob id illius obiectum, videlicet res artefacta verè est, quia præcessit in artificè practica, & artificiosa cognitio ad eius effectionem dirigens, eamque causans quodammodo.

38 Ad primum horum respondeo, cognitionis practicæ finem dici opus, non veritatem obiectiuam, non quod hanc non respiciat, sed quod in ea more speculatiuæ cognitionis non sistat, sed vlterius ad eius executionem gradum faciat. Ad secundum respondeo, si mensura veritatis perinde sit, atque causa illius obiectiua, merito cuius refunditur in actum pro eo, ac loquuntur communiter authores, certè ea relatio mensuræ non est necessaria ad omnem veritatem: cognitio namque Dei de seipso est verissima, & tamen est ab obiecto, vt indistincta, sic incausata: item est vera intuitu creaturarum, quarum tamen nulla in veritatem Deo essentialem causalitas, nullus influxus: poterit ergo cognitio nostra practica esse vera, vtvt veritas haud mensuretur ab obiecto: Quid? quod ab eo mensuratur: obiectum enim huius actus, *definitio est oratio constans genere, & differentia*, bifariam vsurpari potest, & solet; primo existentialiter, secundo essentialiter. Priori ratione non mensurat regulam illa practicam, & dialecticam, sed potius ab ea mensuratur: haud enim ideo illa est vera, quia existit definitio per eam cognita: quin, esto intellectus nihil actu definiat, ei veritas sua manebit sarta, atque tecta: quod si fortè contingat, intellectum quidpiam definire, ideo existet definitio, quia est vera præfata regula, quatenus sit definiendum ostendens. Posteriori ratione obiectum mensurat cognitionem practicam: ideo enim illa, qua vsi sumus exempli gratia, est vera, quia essentia definitionis est, constare genere, & differentia: & huiusmodi connexio essentialis prædicatorum prior natura est, quam eius cognitio sit vera, non è conuerso: atque quoad hoc nullum est discrimen scientiam practicam inter, & speculatiuam.

CAPVT IV.

De veritate copulatiua, & disiunctiua causali & absoluta.

39 QVod attinet ad priorem diuisionem, sciscitaberis, an quemadmodum ad veritatem propositionis copulatiuæ requiritur, vt omne eius obiectum ita sit, vti affirmat, & nullum aliter, v.g. si enunciatio sit hæc, *Petrus, & Paulus currit*, vt ambo currant, & neuter desinat currere, ita similiter opus sit ad veritatem huius disiunctiuæ (par autem est ratio cuiusuis alterius) *Petrus, vel Paulus currit*, non solum, vt aliquis eorum currat, verum etiam, vt aliquis non currat, nec totum quod asseritur existat reipsa.

Affirmant Cicero in Topicis hisce verbis, *reliqui dialecticorum modi plures sunt, qui ex disiunctionibus constant: aut hoc, aut illud: hoc autem non igitur illud: Itemque aut hoc, aut illud: non autem hoc: illud igitur. Quæ conclusiones idcirco ratæ sunt, quod in disiunctione plus vno verum esse non potest.* Aulus Gellius lib. 16. noctium Atticarum cap. 8. *ex omnibus*, inquiens, *quæ disiunguntur, vnum esse verum debet, falsa cætera: quod si, aut nihil omnium verum, aut omnia, plurave, quam vnum, vera erunt, tunc id disiunctum mendacium est.* B. Thomas, opusc. 48. cap. 18. vbi sic habet: *ad hoc, vt propositio disiunctiua sit vera, semper oportet, quod altera pars sit falsa, ita videlicet, quod prima pars sit falsas & secunda vera.* Item Iauellus tract. 3. log. cap. 4. & tract. 9. cap. 4. parte 6. §. *sed aduerte*. Titelmanus lib. 3. dialecticæ considerationis cap. 20. ad finem, & lib. 4. cap. 28. Auersa tract. 3. institutionum cap. 9. tamersi moderatione quadam adhibita, quæ me iudice non est ad rem. Tolet. lib. 1. Summul. cap. 19. 40

Contrarium tamen, & his temporibus communis est, & sponte sua verisimilius. Suadetur autem primò, quia hæc propositio, *aliquis homo currit*, non asserit aliquem non currere: luce clarius enim est, eam esse affirmatiuam, non negatiuam: aut ergo aliquem hominem non currere neutiquam requiritur, vt sit vera; aut certè veritas illius non desumitur ab obiecto, eove quod repræsentat, quo tamen quid falsius? Rursum secundò, vt optimè arguunt Arriaga nobis fauens disp. 2. summul. sect. 3. num. 16. & Hurtadus disp. 4. Summul. sect. 3. §. 11. ita nostram amplectens sententiam, vt nonnihil contrariæ deferat quod ait Christus Matthæi cap. 18. *vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, verum esse potest tametsi non duo tantum, sed tres etiam sint in eius nomine congregati: ac facta hypothesi vtriusque numeri, haud propterea desinet Christus esse in medio suorum: similiter ergo hæc disiunctiua, *Petrus currit, vel Paulus currit*, esse poterit vera, licet non vnus eorum duntaxat currat, sed vterque. Deinde tertiò: voluntas disiunctiua non est exclusiua alterutrius extremi, alias præceptum, quo Ecclesia Sacramentalem confessionem aliquo ex quindecim diebus Paschatis præcipit, quindecim dierum excluderet aliquem; nec ei satisfaceret, qui iis diebus quotidie confiteretur: pari ratione propositio disiunctiua alterutrius extremi exclusiua non est, ac proinde quamuis vtrumque simul existat, nihilominus vera euadet. Quartò tandem hæc propositio, *nullus homo est animal*, est falsa: ergo est vera eius contradictoria, nimirum hæc, *aliquis homo est animal*: at quin aliquis homo desinat esse animal: haud ergo opus est ad veritatem disiunctiuæ propositionis, vt non sit reipsa pars altera disiunctionis per eam repræsentatæ. 41

Non me latet eum, qui exterius profert hanc propositionem, *Petrus, vel Paulus currit*, innuere, se habere conceptum internum, quo iudicat alterum duntaxat eorum currere, alterum verò, quod consequens est, non currere: nam concipiens, ac iudicans vtrumque currere, friuolè, & satis ex vano exterius affirmet vnum, vel alterum, & non potius vtrumque currere, vt optimè animaduertit Aristoteles lib. 10. metaph. cap. 4. Hinc fit, vt, si vterque currat, & id à 42

loquente cognoscatur, eius locutio, & externa oratio sit mendax fallaxque: significat enim adesse conceptum, qui reuera non adest, sed potius oppositus.

43 At hoc nostræ non obstat sententiæ: præterquam enim, quod quæstio potissimè sit de propositione disiunctiua interna; aliud est externam esse mendacem, aliud falsam: prior denominatio est à respectu ad obiectum, *quo*, siuè conceptum locutioni præuium, posterior à respectu ad obiectum, *quod*, siuè rem cognitam: prior conuenit huic propositioni externæ ab hæretico mysterium Trinitatis non credente prolatæ, *Deus est trinus*: mentitur enim Acatholicus ita loquens: posterior verò, nimirum falsitas ei non competit: transeat ergo propositionem externam disiunctiuam, ne sit mendax, nevè non verax, opus habere, vt aliqua disiunctionis pars non sit, vtve simul haud sint ambæ: ceterum id non requiritur ad hoc, vt ea sit vera, & non falsa: impræsentiarum autem non de veracitate, sed veritate, nec de fallacia, aut mendacio, sed falsitate, quæ multoties est sine mentiendi crimine, disputamus. Adiice, cum propositio externa disiunctiua est doctrinalis, & in materia necessaria, cuiusmodi est superius adducta, *aliquis homo est animal*, eam haud significare conceptum exclusiuum alterius partis, & consequenter, quin talis detur exclusio à parte rei, posse esse, non veracem modò, sed veram, & non tantum à mendacio, verum etiam à falsitate materiali: quam vocant, omninò alienam.

44 Quod spectat ad posteriorem diuisionem; quæres eam circà, an propositio causalis absolutæ ritu postulet ad sui veritatem, vt id, quod affirmat esse, quia aliud est, absolutè sit, vel potius vera sit hoc solo, quod causa per particulam, *quia*, denotata, siuè existat effectus, siue secus, sit ad eum necessaria, aut saltem vtilis?

45 Censeo cum Auersa loco superius citato ad veritatem propositionis causalis vtrumque desiderari, scilicet, & quod res absolutè sit, & quod dependenter à causa, suprà quam particula, *quia*, appellat. Probatur autem hunc in modum: propositio causalis non adstruit solum, dependere rem à causa, sed insuper, quod sit absolutè; neutrum ergo sufficit, vt ea vera sit, sed potius ad hanc denominationem opus habet vtroque: consequentia est euidens, ac manifesta: suadetur antecedens.

46 Primo, quia hæ propositiones sunt falsæ, Petrus est equus, quia hinnibilis, Iudas saluus factus est, quia perseuerauit in gratia: at si tantum adstruerent dependentiam equinitatis ab hinnibilitate, aut saluationis æternæ à dono perseuerantiæ, essent veræ, vt quæ maximè: non ergò dependentiam alterutrum affirmant, sed præterea Petrum esse absolutè equum, & Iudam esse absolutè saluatum.

47 Secundo, quia ex his præmissis: omne rationale est homo, Petrus est rationalis, haud dubie colligitur semper, Petrum esse hominem: at ex iis colligitur haud rarò conclusio suprà præmissas reflectens, & affirmans, Petrum esse hominem, quia est rationalis, & omne ratione est homo vt constabit ex dicendis in metaphysica lib. [illegible] tract. 4. c. 13. & seqq. eiusmodi ergo propositio causalis asserit, Petrum absolute esse hominem.

48 Tertio, quoniâ hæc propositio, *dies est, quia sol est*, merito particulæ illius causalis, *quia*, vel denotat diē absolutè dependere à præsentia solis; & ita significat etiam, diem absolute esse, pro eo, ac contendimus in præsenti, cum fieri nequeat, vt effectus aliquis absolute dependeat, & emanet à causa, quin absolute sit in rebus, esse enim à causa est simpliciter esse: Vel propterea denotat tantum diem, si existat, dependere à sole; atque ita ea propositio erit non causalis, sed conditionalis, quo nihil magis ridiculum, absonumvè. Quarto tandem, quia ob id propositio conditionalis non affirmat rem absolute esse, quoniam esse tantum conditionatè, & esse absolute opponuntur inuicem: at esse tantum dependenter à causis, nec, nisi per influxum earum, & esse absolutè, non sunt contraria, sed potius connexa mutuò: quid ni ergò propositio causalis affirmet rem absolute esse? quid ni consequenter hoc ad sui veritatem efflagitet?

Contra tamen opponi potest. Hæ propositiones 49
sunt veræ; omnis propositio est vera, quia conformis obiecto, omnis est falsa, quia difformis obiecto, omnis actus voluntatis est bonus, quia rationi consentaneus, omnis est malus, quia auersio à summo, & incommutabili bono, & conuersio ad commutabile, & creatum, omne ens finitum existit, quia causatur à Deo, omnis anima amat, quia prius cognoscit: At absolutè non omnis propositio est vera, nec omnis falsa, haud etiam omnis motus voluntatis est moraliter bonus, omnisvè in genere moris malus; haud item omne ens finitum absolute existit, sed plura sunt merè possibilia, & in abysso nihili latentia: multæ quoque animæ præcisè non amant, sed vel odio, aut timore, vel certè nullo sollicitantur affectu. Non paucæ ergò propositiones causales sunt veræ, propter solam dependentiam effectus à causa sine huius absoluta existentia, & productione in lucem rerum à Deo creatarum.

Hæc obiectio quamuis verisimilitudinem præ- 50
seferat aliquam, haud tamen ægrè potest repelli. Respondeo igitur, sensum prædictarum propositionum esse hunc: omnis propositio, vera est vera, quia conformis obiecto, omnis falsa est falsa, quia difformis obiecto, omnis actus voluntatis bonus, est bonus, quia rationi consentit, omnis malus est malus, quia auersio, &c. omne ens finitum existens est existens, quia causatur à Deo, omnis anima amans est amans, quia prius cognoscit: At luce clarius est, omnem propositionem veram esse absolutè veram, & omnem falsam esse absolute falsam, omnem item voluntatis actum bonum esse absolute bonum, & malum, malum, omne quoque ens finitum existens existere, & voluntatem omnem amantem amare.

TRACTATVS IV.

De veritate propositionum de futuro contingenti, absoluto, & conditionato.

CAPVT I.

De veritate propositionum de futuro contingenti absoluto.

ASSERO primo, propositiones de futuro 1
contingenti absoluto determinate veræ, aut falsæ sunt: Hæc assertio omnium Catholicorum reipsa mihi esse videtur, licet aliqui inter quos præcipuè Nominales solo nominum

minum, & vocum vsu à reliquis suo more dissideant. Probatur primò, quia propositio ab Aristotele definitur, aut si mauis, describitur, oratio verum, vel falsum significans: at propositio de futuro contingenti absoluto verè propositio est. Secundo, quia propositiones contradictoriæ ita comparatæ sunt, vt altera vera, altera falsa sit: at eæ propositiones de futuro contingenti, Petrus cras peccabit, Petrus cras non peccabit, sunt contradictoriæ. Confirmatur, quia propositiones vniuersales de futuro contingenti iuxtà Aristotelem præcipuè nobis aduersarium determinate falsæ, & nullo modo veræ sunt, quod Aristoteles edocuit ea fortè ratione ductus, quia moraliter impossibile est, vt in tanta hominum multitudine aliquis non currat, quod ad falsitatem vniuersalis affirmatiuæ sufficit, aut aliquis à curiu non abstineat, quod ad vniuersalis negatiuæ falsitatem satis est: at eo ipso, quod tales propositiones vniuersales de futuro congenti determinate falsæ sint, non poterunt non determinatè veræ esse propositiones particulares de futuro contingenti, nimirum hæ; aliquis homo currit, aliquis homo non currit: ergo, &c. Minor probatur, quia eæ particulares de futuro contingenti illis vniuersalibus contradicunt: particulares igitur determinatè veræ erunt, vbi vniuersales determinate falsæ sint.

2 Tertio propositiones de præterito contingenti determinatè veræ, aut falsæ sunt, vt vel aduersarij fatentur: ergò & propositiones de futuro contingenti: cur enim obiectum propositione anterius eam verificare, aut falsificare possit, magis, quam obiectum ea posterius: cumobiectum propositione anterius, & respectu illius præteritum non magis existat, cum propositio existit, quam obiectum ea posterius, & quod respectu illius futurum est. Quarto, quia Deus de futuris contingentibus in particulari iudicat, & propositiones efformat iuxta illud Sapient. 8. cap. *signa, & monstra scit antequam fiant, & euentus sæculorum, & temporum.* Quod etiam aliis mille locis scriptura testatur: at omnis propositio diuina positiuè vera est. Demum à priori, aut Petrus currit in instanti A. aut non: alterutrum enim necessario eligendum est iuxta illud irrefragabile principium quodlibet est vel non est. Si primum; hæc igitur propositio, Petrus currit in instanti A. prius prolata determinatè vera est, cum obiectum eius ita se habeat sicut ipsa repræsentat: Si secundum, ergo ea propositio prius prolata eadem ratione falsa est.

3 Assero secundo propositiones nostræ de futuro contingenti antea, quam earum obiecta existant, nec determinatæ veræ, nec determinate falsæ sunt, si proprie, & cum rigore loquendum est. Probatur; quia veritas propositionis nostræ de futuro contingenti est complexum ex actu, & existentia rei, quæ futura enunciatur; at nullum complexum propriè existit, anteaquam omnes eius partes existant: veritas igitur de futuro contingenti non existit propriè, antea, quam eius obiectum existat, esto impropriè, & in communi vsu loquendi ante existentiam obiecti propositio de futuro contingenti vera dicatur, eo, quod ante eam existentiam principalius veritatis constitutiuum existat. Hoc, & non aliud cum Aureolo plerique Nominales reipsa censuisse mihi videntur.

CAPVT II.

Quatenus præscientia futurorum cum eorum contingentia, & libertate cohæreat?

ARistoteles 1. Perihermenias cap. 8. & Tullius lib. de fato, & cum iis non pauci hæretici veritatem, & falsitatem propositionum de futuro contingenti in particulari negant, & consequenter Deo futurorum præscientiam, ac prouidentiam denegant: quorum fundamentum est, quia præscientia Dei, aut etiam præscientia humana futurorum contingentiam, & libertatem de medio tollerent: quod fundamentum bifariam proponi solet; primo quia omnis suppositio antecedens, & essentialiter connexa cum effectu eius libertatem euertit, licet enim determinatio consequens effectum eius libertati non deroget, aliàs nullus effectus liber remaneret, cum omnis effectus ex aliqua suppositione consequenti, saltem ipsius effectus determinate, & ineuitabiliter existat, omne enim, dum est, necessario est; cæterum determinatio antecedens, seu, quod perinde est, suppositio antecedens effectum, & cum eo determinate connexa omnium confessione eius libertatem tollit: at scientia Dei de peccato Petri est suppositio quædam antecedens illud peccatum, quo nimirum tota æternitate prior, & anterior est, & aliunde ratione suæ veritatis infallibilis cum eo peccato essentialiter connectitur: libertatem igitur peccati penitus euertit. 4

Secundo: quoties antecedens est Petro, v. g. necessarium, & ineuitabile, consequens etiam ei necessarium, & ineuitabile est: at antecedens huius enthymematis, Deus scit ab æterno Petrum peccaturum, Petrus ergo peccaturus est, Petro necessarium, & ineuitabile est: igitur & consequens ei necessarium, & ineuitabile est, atque adeo præscientia futurorum in Deo admissa, Petrus, non libere, sed necessario, & ineuitabiliter peccabit. Maior probatur: quia quoties antecedens est absolute necessarium, & consequens est absolute necessarium, vt cernere est in hoc enthymemate, Deus est: ergo omnipotens est: quoties igitur antecedens respectiuè necessarium est, consequens etiam respectiuè necessarium erit. Minor probatur, quia Petrus nequit facere, ne in Deo scientia illa peccati sui extiterit: ea ergo scientia Petro necessaria, & ineuitabilis est, atque adeo antecedens, &c. probatur antecedens, tum, quia ad præteritum non datur potentia, vt fert commune proloquium: at si Petrus posset facere, ne scientia Dei de peccato suo non fuisset, ad præteritum esset potentia: tum, quia scientia Dei de peccato Petri à Petro peccante non dependet, nec eo posterior est, cum talis dependentia, & posterioritas manifestam imperfectionem in Deo arguat non ergo potest Petrus facere, ne existat in Deo scientia de peccato suo, sicut facere nequit, ne existat in Deo scientia de peccato alieno Iudæ v. g. quia scientia eius peccati ab eo independens est, & eo neutiquam posterior. 5

Hoc argumentum, vt faciat homines liberos facit sacrilegos, vt rectè notauit Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei c. 9. pro cuius solutione noto primò, duplicem esse prioritatem, & antecedentiam, aliam temporis, naturæ aliam, de quibus supra nonnihil differuimus. Noto secundò determinationem, siue connexionem antecedentem antecedentia naturæ obesse libertati effectus, quem respicit, siquidem 6

causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, vel non operari, ac proinde effectus liber est, qui à causa, & requisitis omninò indifferentibus ad vtrum libet & non connexis, ac determinatis ad vnum proficiscitur; connexio igitur causæ, aut alicuius requisiti, aut conditionis complentis causam, seu, quod recidit in idem, eius determinatio ad vnũ libertati obest: cum ergo connexio, & determinatio antecedés natura sit connexio, & determinatio causæ, & cõplementi eius in actu primo, non potest non connexio hæc, & determinatio antecedens indifferentiæ causæ in actu primo, ac proinde libertati effectus non obesse. Noto tertiò, connexionem, & determinationem antecedentem antecedentia temporis libertati effectus non obesse: siquidem ex definitione libertatis nuper posita solam connexionem, ac determinationem antecedentem natura libertati obesse colligitur: cur ergo determinatio antecedens tempore ei obesse videatur.

7 Noto quartò, scientiam Dei de peccato Petri quoad denominationem, & determinationem eo posteriorem esse, & ab eo dependere; quia ideo Deus præscit, Petrum peccaturum, quia Petrus peccaturus est, & non è conuerso, vt Sapientissimus P. Molina in concordia quæst. 14. art. 13. disp. 50. docet ex communi Patrum sententia, quorum vnum, aut alterum sectione sequenti laudabimus: scientia igitur Dei de peccato Petri eo posterior est, aliàs sanè, cum dicitur, ideo lignum calefieri, quia igni applicatur, calefactio applicatione posterior, & ab ea dependens negari potest. Quanquam autem Thomistæ dependentiam hanc, ac posterioritatem cum imperfectione diuini actus coniunctam esse aliis, aliisque verbis inculcent, manifestè tamen fallũtur; siquidem hoc, quod est deficere maius argumentum imperfectionis est, quam dependentia, ac posterioritas, at scientia Dei quoad terminationem, ac demonstrationem absque vlla imperfectione deficere potest, vt vel aduersarij fatentur, ergo & absque imperfectione obiecto creato posterior, & ab eo dependens est. Deinde maior est posterioritas originis, qua filius patre posterior est, quam posterioritas, qua scientia Dei obiecto suo posterior est, cum scientia sit posterior obiecto velut mera conditione, sine qua non esset, non tamen à qua sit, filius verò patre æterno velut principio eius realiter productiuo posterior sit: at prior illa posterioritas cum imperfectione coniuncta non est: igitur nec posterior.

8 Noto tandem, potentiam ad præteritum duplicem esse; aliam directam, & physicam, aliam indirectã, & intentionalem; potentia physica, & directa ad aliquid præteritũ ponendum, aut tollendum est, qua causa provt relata ad tempus præsens in aliquid iam præteritum physicè, & directè influit, & cõcurrit, aut concursum physicum & directum in illud omnino cohibet, & suspendit: hæc autem potentia ad præteritum planè impossibilis est; quo enim pacto causa in tempore iam transacto, in quo non existit, operari potest, aut operationem cohibere? potentia intentionalis, & indirecta ad aliquid præteritum, actũ v. g. intellectus se anteriorem ponendum, aut tollendum est, qua causa aliqua creata relata ad tempus præsens operatur aliquid cuius existentia sit infallibilis conditio ad hoc, vt actus scientiæ præteritus, & tempore, vel æternitate anterior in Deo, aut in homine existat, in quam conditionem dum Petrus v. g. physicè, & directè influit in actum scientiæ ab ea pendentem, indirectè & intentionaliter influit & quam conditionem dum destruere, aut non ponere potest per suspensionem concursus directi, & physici, sanè indirectè, & intentionaliter efficere potest, ne actus scientiæ anterior vnquam extiterit & hæc potentia ad præteritum neutiquam repugnat sed potius sacris litteris, & Patrum testimoniis conformis & accommoda est, vt videre est apud P. Suar. in opusc. l. 1. c. 9. n. 20.

Quibus positis ad primum respondeo: determinatio antecedens natura, non vero tempore libertatem euertit, vt ex notatione secunda, & tertia constat: at scientia Dei de peccato Petri extituro est determinatio quædam illud, non natura, sed tempore anteuertens, & illo natura posterior, vt ex notatione quarta constat. Ad secundum respondeo: scientia Dei de peccato Petri Petro ineuitabilis, & necessaria non est, sed potius contingens, & euitabilis, potestque Petrus facere, ne ea scientia in Deo vnquam extiterit, ex quo neutiquam fit, ad præteritum dari potentiam physicam, & directam, sed tantum intentionalem, in quo nulla repugnantia est, vt ex notatione quinta constat. Rursus inde non fit, scientiam Dei quoad entitatem à peccato Petri dependentem sed tantum quoad determinationem, & denominationem ab eo dependere velut mera conditione, non à qua sit, sed sine qua non esset, in quo etiam nulla repugnantia est, vt ex notatione quarta perspicuum. 9

CAPVT III.

Quatenus de præscientia rerum in æternitate, & earum futuritione sentiendum sit.

EXplicata concordia præscientiæ futurorum cum libertate arbitrij, superest explicandum medium in quo Deus futura prænoscit: quæ difficultas priori leuior non est, & non paucos coegit, vt de præscientia rerum in æternitate, & earum futuritione plura subtilius, quam verius differerent, alios verò præsertim Nominales, vt difficultatem hanc in hac vita insuperabilem omninò esse assererent: etenim scientia Dei, (& eadem est ratio de humana nequit esse determinatè vera de peccato Petri futuro antea quam existat: quin peccatũ Petri determinatè futurũ sit antea, quã existat: at peccatũ Petri nequit esse determinatè futurum antea, quam existat: scientia ergo Dei de eo determinatè vera esse nequit. Maior perspicua est, qua enim ratione quod determinatè futurum nõ est à Deo velut futurũ verè cognosci potest? Minor probatur, quia ab æterno anteaquam peccatum Petri existat, nihil assignari potest, per quod determinatè futurum sit, cum ab æterno sola carentia eius peccati existat, quæ carentia, cum indifferens sit, vt postea peccatum existat, vel non existat, peccati futuritio esse nequit. 10

Respondent primo Thomistæ, Deum non cognoscere peccatum Petri esse futurum, iuxtà illud D. Gregorij. *Deo futurum nihil est ante cuius conspectum non transeunt futura, neque veniunt.* Cui Augustinus, Boëtius D. Thomas, & alij Patres astipulantur; sed cognoscere peccatum Petri velut sibi ab æterno præsens iuxtà illud Boëtij. *Talia apud se præsentia spectat, qualia in tempore futura proueniunt*, cui Patres allegati consentiunt. Prior pars huius sententiæ ex iis, quæ numero superiori allata sunt, ab iis suaderi solet: posterior autem pars ab iis probatur primo, quia æternitas est tota simul, omnisque successionis 11

incapax

incapax iuxta eius definitionem à nemine non receptam. *Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio* : æternitas igitur creatis, ac successiuis durationibus simul, & non successiue coëxistit, è conuerso igitur durationes successiuæ, & creatæ simul, & non successiue æternitati coexistunt : fieri autem nequit, vt omnes durationes successiuæ, & creatæ simul, & absque vlla successione æternitati coëxistant, quin quæuis illarum antea, quam in propria temporis differentia existat, in instanti, & nunc æternitatis existat : si enim quæuis illarum æternitati non coexistit, nisi quando in propria temporis differentia existit ; omnes ergo solum successiue æternitati coexistunt, cum in propriis temporum differentiis procul dubio successiue existant. Secundo aliquantulum aliter; æternitas est indiuisibilis duratio, & tota simul, at quæuis creatura æternitati physice coexistit: toti igitur æternitati coexistit, ac proinde ei ab æterno coexistit.

12 Tertio in hanc præsentiam physicam rerum in æternitate nonnemo ex nostris etiam inclinat, eamque aliter explicat, & probat, quia ab æterno, & ante vllam temporis differentiam hæc propositio, Petrus existit, est vera : Petrus igitur ab æterno & ante propriam temporis differentiam æternitati coexistit. Consequentia videtur perspicua, quia eo ipso, quod in hoc instanti A sit verum dicere, Petrus existit, nequit Petrus non existere in instanti A : eo igitur ipso, quod ab æterno, & ante propriam temporis differentiam sit verum dicere, Petrus, existit nequit Petrus ab æterno, & ante propriam differentiam temporis æternitati non coexistere. Antecedens probatur, quia Petrus non minus existit in instanti, & nunc æternitatis, quam in instanti, & nunc temporis successiui: sicut igitur propositio correspondēs his vocibus; Petrus existit, referre potest existentiam Petri ad instans successiuum præsens præscindendo ab æternitate, ita è conuerso poterit referre existentiam Petri ad instans, & nunc æternitatis præscindendo à quouis instanti, & nunc temporis, & sicut vera est, cum refert existentiam Petri ad solum instans successiuum, ita similiter vera est, cum refert illam ad solum instans, & nunc permanens æternitatis : at eo ipso, quod illa propositio, Petrus existit, vera permanens referat existentiam Petri ad solum instans, & nunc æternitatis, non est, cur vera non sit ab æterno & ante quamuis differentiam temporis, siquidem instans æternitatis, quod vere respicit, ab æterno est, & omnem temporis differentiam anteuertit ; pro tunc ergo vera est, atque adeo Petrus ab æterno, & ante propriam temporis differentiam æternitati physice coexistit.

13 Duo tamen mihi in præsenti certa, & indubitata sunt : Primum, nullam rem creatam ab æterno, & prius tempore, aut duratione reali æternitati coexistere, quia nulla res æternitati coexistere potest, quin eo ipso absolutè, & in seipsa existat, at nulla res ab æterno, & prius realiter, quam in propria temporis differentia existat absolute, & in seipsa existit, vt fide sanctum est: nulla ergo res ab æterno, & realiter ante propriā tēporis differentiā æternitati coexistit. Maior probatur, tū, quia hæc illatio *existit in æternitate, siue æternitati coexistit, ergo existit : non est à secundum quid, ad simpliciter, sed est ab inferiori ad superius affirmatiuè, quia existere in æternitate non est conditio diminuens ipsum existere in se, sed addit supra illud denominationem, siue relationem ad aliud simul existens*, vt rectè hic arguit Magnus Suarez cuius verba etiam referre libuit : nequit igitur aliquid æternitati coexistere quin absolute, & in se existat : Tum, quia non potest aliquid alteri coexistere in loco communi quin absolute, & simpliciter in loco existat : haud igitur valet aliquid æternitati in duratione communi coexistere absque eo, quod absolute, & simpliciter in aliqua duratione existat.

Porrò autem hoc argumentandi genus, quo contendimus non posse creaturam coexistere creatori ab æterno, quin absolute existat ab æterno, quamuis à nostris aduersariis parui habeatur, tamē per se manifestum est, atque inter Ecclesiæ Patres in multis aliis materiis satis solemne: Eorum longo, & superuacaneo censu prætermisso vnus sufficiat Claudianus de statu an. lib. 1. cap. 2. vbi sic ait: *sed quid ego nunc de affectu differam, eundemque passibilem fore disputando conuincam, cum is ipse, cui contradicimus, haud dubio passus sit crucifixo homini Deum fuisse cōpassum : Quidnam, quæso, istud est, non sensit patientis sensu, sed sensit, quidve, non sensit ? Aut quomodo passus est, si non sensit ? Nunquid si quispiam dicat, ambulat ille, & ille coambulat, aut loquitur ille & ille colloquitur, nonne & colloquentem loqui, & coambulantem ambulare significat ? Aut si quis ait: mortuus ille est, vt ille commortuus, nonne vtrumque mortuum fuisse confirmat: nam qui commoritur, vtique moritur: ergo & qui compatitur vtique patitur : passa est igitur, si compassa diuinitas: ergo & fortassis mortua: aut si istud etiam cogitatu nefas est, non ergo passus est Deus: igitur nec affectus : vbi est nunc compatientis affectus ?*

Ad primam rationem oppositam respondeo: æternitas Dei non simul, sed successiue rebus creatis coexistit: ad quod opus non est, vt in æternitate sit aliqua successio, aut vicissitudinis obumbratio, sed satis est, vt ea sit in rebus creatis; haud secus, ac Deus creaturis est imperfecte similis, & ab iis imperfecte participatur, non, quia in Deo aliqua imperfectio, sed quia in creaturis ei assimilibus: proinde è contrario res creatæ æternitati successiue, & non simul coexistent, ac per consequens nulla creatura ab æterno, & ante propriam temporis differentiam erit æternitati præsens. Ad secundum. Quæuis creatura coexistit quidem toti æternitati, at non totaliter, & provt æternitas omnes temporum vices amplectitur vnde non est, cur ei coexistat ante propriam temporis differentiam, & semper, siue ab æterno: Sic omnis creatura toti immensitati, sed non totaliter, siue vbique coexistit; Et sic quæuis corporis pars totam animam rationalem, sed non totaliter suscipit. 14

Ad tertiam rationem oppositam. Quod hæc propositio, Petrus existit relata ad nunc æternitatis semper vera sit, esto falsa aliquando sit, si instans successiuum connotet, quod, inquam, ea semper vera sit, tantum arguit Petrum semper, & ante propriam temporis differentiam æternitati coexistere, non præsentia physica, & reali, de qua sermo, sed præsentia intentionali, & rationis. Quod suadeo, quia etiam hæc propositio, Petrus existit in instanti A ab æterno, & ante instans A vera est : at propterea Petrus physice, & realiter non existit in instanti A ab æterno, & ante ipsum instans A, sed tantum intentionaliter, & per actum intellectus: ergo similiter, &c. Ad Patres, quibus tam Thomistæ, quam nostri recentiores præcipue innituntur. Cum ante conceptum Dei nihil esse futurum asserunt, non cognitionem futurorum, qua talium ei denegant, sed tantum id volunt nihil ei esse futurum intentionaliter, quod contra nos neutiquam militat, & verissimum est, siquidem id futurum intentionaliter est, quod modo non cognoscitur, & postea cognoscetur: Cum autem omnia Deo præsentia esse tradunt, aut loquuntur de præsentia intentionali, qua omnia ab eo æternum cognoscuntur, 15

cognoscuntur,

gnoscuntur, aut certe de præsentia physica, qua cuncta æternitati, non tamen ab æterno sint præsentia.

16 Secundo mihi certum, & exploratum est, creaturas prius natura, quam in propriis temporum differentiis existant, coexistere radicaliter æternitati, siue ei præsentes esse, quia Petrus, v. g. prius natura existit secundum se, quam in instanti successiuo, at pro illo priore æternitati radicaliter coexistit, & præsens est: ergo, &c. Maior est perspicua: sicut enim Petrus vbicationem, situm, quantitatem, bonitatem, malitiam, & alia accidentia ordine naturæ anteuertit, non est, cur durationem successiuam similiter non præcedat; præsertim, quia ideo successiue durat, quia existit, non è conuerso, quæ causalis in rebus distinctis certissima index est naturalis antecessionis. Minor probatur primo, quia pro illo priori, quo Petrus anteuertit natura durationem successiuam, intelligitur habere prædicata omnia sibi essentialia: at radicalis coexistentia æternitati ei est essentialis: Secundo, quia nunc æternitatis est prius natura, quam nunc successiuum instantis A, cum hoc ab illo dependeat: si enim Deus non esset, nullæ temporum vices essent: prius ergo natura Petrus in nunc æternitatis radicaliter quam in nunc successiuo formaliter existat: sicut, quia prius tempore est instans A, quam B, prius tempore Petrus instanti A, quam B. coexistit. Cæterum res omnes creatæ, quæ ad prædicamentum quando attinent & ad aliquam temporis differentiam sunt essentialiter alligatæ non prius natura æternitati radicaliter coexistunt, quam in tempore existant, cum pro quouis priori tempus essentialiter respiciant.

17 At alij secundo respondent, res futuras velut tales à Deo ab æterno verè cognosci, easque ab æterno futuras constitui per actum scientiæ, quo à Deo cognoscuntur. Displicent tamen primo; quia non ideo res futuræ sunt, quia à Deo cognoscuntur, sed potius è conuerso: at si cognitio Dei futuritio rerum esset, & res futuras constitueret, ideo plane res futuræ essent, quia à Deo cognoscuntur, sicut, quia Petrus constituitur in ratione hominis per animal rationale, ideo sane Petrus est homo, quia est animal rationale: cognitio ergo Dei nequaquam est futuritio rerum: Maior probatur ex Origene lib. 7. in epist. ad Rom. ibi *non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum.* Ex Hieronymo in princ. cap. 16. Hierem. ibi: *non ex eo, quod Deus* scit *futurum aliquid, idcirco futurum est:* Quibus plerique Patres adstipulantur apud Molin. in concord. quæst. 14. art. 13. disp. 50. Secundo, quia si scientia Dei esset futuritio rerum perinde esset rem esse à Deo scitam, ac esse futuram: vnde in instanti, quo res existit, sicut absolute à Deo scitur, ita absolute futura esset; quod tamen omnino falsum est, cum potius in eo instanti absolutè præsens sit.

18 Tertio alij futuritionem rerum esse aliquid existens in mente diuina per modum speciei impressæ malunt. Verum immerito: tum, quia sicut ex obiecto nondum existenti velut à conditione, sine qua non, species illa impressa in Deo quodammodo resultat, cur quiam ip a scientia Dei sine ea specie resultare nequeat in Deo immediate? tum, quia species impressa in creatis instituta est suapte natura ad supplendum concursum obiecti in actum; concursum, inquam cuius actus est capax, aliàs haud posset suppleri: at ad scientiam Dei concursus omnis impossibilis est, cum sit à se, & improducta: species igitur impressa ad eam est impossibilis: tum denum, quia diuina voluntas ratione suæ perfectionis habitibus superadditis caret, vt aduersus Herreram cæteri tradunt scholastici: ergo & intellectus diuinus speciebus impressis.

Quarto demum alij, inter quos Alexander Pesantius 1. part. quæst. 14. art. 13 d. 5. rerum futuritionem constituunt in decreto diuinæ voluntatis, quo Deus eas efficaciter decernit. Verum inprimis inexplicata manet futuritio peccati, in quod diuina voluntas neutiquam fertur. Deinde haud exponitur ex sufficienti futuritio vllius actus liberi etiam studiosi, si forte Deus nullum actum liberum efficaciter velit, aut præfiniat. Tandem in hac sententia res cum præsens est, & actu existit, simul futura esset, cum tunc à Deo volita sit, vt supra in simili arguebamus. 19

Quamobrem dicendum est futuritionem rerum esse conceptum successiuum, & realiter consistere in carentia antecedenti, & existentia consequenti, atque adeo res ab æterno propriè, & strictè futuras non esse, sed partim ab æterno, partim in tempore: Quamuis autem rerum futuritio proprie, & strictè ab æterno non sit, ab æterno tamen cognosci potest à Deo, quia scilicet ea est infinitas, & perfectio diuini intellectus, vt ea, quæ nondum sunt, tanquam si essent perspicacissime cognoscat, iuxta illud Pauli ad Roman. 4. *vocat ea, quæ non sunt tanquam ea, quæ sunt.* 20

Non me latet Theophylum Raynaudum in discip. moral. dist. 2. num. 344. Thomam Braduardinum lib. 3. de causa Dei cap. 18. Dionysiumque Cistercien sem in 1. dist. 38. quæst. vnica art. 2. tametsi collocent mecum, & Hurtado disp. 9 de anim sect. 9. subsect. 1. §. 36. aliisque plerisque scholasticis futuritionem in carentia antecedenti, & existentia consequenti, siue, quod perinde est, in non esse ante esse, existimare tamen, eam esse æternam, eoque ex titulo posse illam à Deo æternam cognosci. At male: primo, quoniam vocula illa, *ante*, denotat relationem veluti prædicamentalem inter non esse, & esse: sed relatio prædicamentalis suis extremis est realiter eadem: *ergo non esse ante esse* inuoluit intime, tum esse, tum etiam non esse: at esse non est ab æterno: ergo nec futuritio proprie, & adæquate sumpta: Secundo, quoniam eis aperte contrariatur Augustinus lib. 11. confess. cap. 20. vbi sic ait: *quod autem nunc liquet, & claret, neque futura sunt, neque præterita. Nec proprie dicitur tempora sunt tria, præteritum, præsens, & futurum:* Et inferius; *dicatur, & tempora sunt tria, præteritum, præsens, & futurum, sicut abutitur consuetudo; dicatur, nunc non curo, nec resisto, nec reprehendo: dũ tamen intelligatur, quod dicitur: neque id, quod futurum est esse iam, neque id, quod præteritum est. Pauca sunt enim, quæ proprie loquimur, plura non proprie, sed agnoscitur, quid velimus.* Hinc sic arguo: res vt futura, siue eius futuritio iuxta Augustinum proprie non est: ergo nec est proprie ab æterno, si quid valet argumentum à superiori ad inferius negatiue: Deinde quorsũ hæc locutio, *res est futura*, sit iuxtà Augustinum impropria, nisi, quia particula, *est*, denotat præsentiam, & simultatem, ac particula, *futura*, successionem; sic vt ambæ terminos iungant repugnantes in præfata propositione: ea ergo non, nisi per metaphoram & improprietatem quandam est vera: ac proinde rem esse futuram ex toto, & proprie sumptum haud potest esse ab æterno. 21

CAPVT

CAPVT Vltimum.

De veritate propositionum de futuro contingenti conditionato.

22 PRopositiones de rebus contingenter, conditionatéque futuris esse destinatè veras, Deumque earum certam, ac infallibilem habere scientiam, adeo exploratum est, vt, vel Deus obiecta absolutè futura non cognoscat, vel conditionate extitura non ignoret: totidem vtrobique rationes, totidem testimonia scripturarum, Conciliorum, ac Patrum militant. Quid euidentius illo testimonio Matthæi c. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ in te factæ sunt, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Quid eo testimonio Augustini de dono perseuerantiæ cap. 9. clarius? *certe poterat Deus præscius illos esse lapsuros auferre de vita.* Quid aliis similibus, quorum census non exigui voluminis opus est, nec modo breui pagella circumscribi patitur.

23 Hæc illa scientia media, qua aduersus nostri temporis hæreses auspicatissimè vsus est P. Ludouicus Molina, vir singularis modestiæ, ac religionis, & ingenij acumine, ac eruditionis laude præstantissimus si quis alius; ab eo *media* iure merito nuncupata, vel, quod nec merè possibilia, sicut scientia simplicis intelligentiæ, nec absolutè existentia, sicut scientia visionis, sed conditionatè existentia, & medio statu prædita cognoscat; vel quod, nec à determinatione, & decreto diuinæ voluntatis dependens sit, sicut scientia libera, qua v.g. Deus mundum extiturum cognoscit, nec necessaria, & non esse impos sit, veluti scientia necessaria, qua Deus mundum possibilem esse cognoscit, sed potius inter vtramque sistens, cum alterutra partim conueniat, partim differat.

24 Hæc illa scientia media, quæ cognata senioribus Patrum, coæua Scholasticorum primis, ad nos vsque per tot annorum series, ac temporum interualla semper inoffenso, semperque secundo cursu deuenit, pro qua suprà septuaginta Doctores laudat P. Didacus de Baëza tom. 3. in Euang. lib. 14. §. 25. & quam quisquis apud antiquos nouam, aut apud nouos antiquatam censet: is certè in sole caligat, atque in meridie cæcutit. Hæc illa scientia media totius prædestinationis cardo, libertatis nostræ, & efficacis gratiæ Dei sequestra, dissidentium conciliatrix mysteriorum, grauissimarum litium media, vt aiunt, manus, Pelagianis, & semi Pelagianis ignota, Lutheranis, & Caluinistis exosa, & qua quasi cynosura felicissimè reguntur omnes quotquot surgentes infido Aquilone procellas contra Ecclesiam Dei, non è littore securi prospectant, sed inter iras, minasque maris eluctantur.

25 Hæc illa scientia media in quam constanti & irresoluta pace coaluit alma parens Societas Iesu, hinc atque hinc totas natorum accincta phalanges; qualis ille credentium sator, vbi lacessit nascitura propage littus arenosum, sydereasque faces: aut, si sacra licet miscere profanis,

-----Qualis Berecynthia mater
Læta Deum partu centum complexa nepotes,
Omnes cælicolas, omnes supera alta tenentes.

Vt frustrà sperem tantulo spatio concludere Molinas, Suarios, Vazquez Bellarminos, Toletos, Valentias, Fonsecas, Lessios, Albertinos, Ruizios, aliosque nostræ scholæ primores, quos indefessus labor, religiosa humilitas, vitæ sanctitas, ac piæ vocationis gratia super omnis scientiæ, & sapientiæ verticem extulit. Hæc demum illa scientia media, quæ in luce Romanæ curiæ, & coram supremo illo, & Apostolico confessu toto decennio discussa sospes, & salua euasit, hostesque suos victrix detriumphauit, vt rectè in eam congruat illud Maronis.

Quam, nec Tidides, nec Larissæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Thomistæ autem nostris argumentis conuicti 26
sententiam suam honestè retractarunt, & cum antea scientiam conditionatorum merè coniecturalem Deo concederent, vt apertissimè constat ex Ledesma, & aliis eiusdem familiæ, qui ineunte hac controuersia prælo sua scripta dederunt, modò certam, & infallibilem conditionatorum scientiam Deo nobiscum largiuntur. Ne vero in nostram sententiam discessisse, & à sua recessisse viderentur, circa euentus omnes sub conditione futuros decreta quædam efficacia Dei excogitarunt, in quibus futura conditionata cognoscentur: quæ scientia, aiunt, media non est, sed visionis, & libera: visionis, quidem, eo quod eius obiectum primarium, & formale sit aliquid existens, nimirum decretum aliquod diuinæ voluntatis: libera autem, eo quod tale decretum supponat, & ab eo dependeat. Quam optarem, vt per locum, & tempus mihi liceret ostendere, quatenus hæc decreta libertatem arbitrij tollant, gratiæ Dei sufficientiam euertant, Deum auctorem peccati constituant, eique prouidentiam omnino superfluam, & absurdam affingant. Verum hæc non otij nostri sunt, non instituti.

Obiicies primò obiectum non est determinatè 27
futurum sub conditione: propositio igitur asserens obiectum ita futurum non est determinatè vera: probatur antecedens, quia nihil est, per quod obiectum determinatè futurum sub conditione constituatur: cedo enim, quale illud esse possit? Respondent aliqui obiectum esse determinatè extiturum sub conditione per ipsam scientiam Dei conditionatam. Alij, per aliquid existens in mente diuina, per modum speciei impressæ. Alij, per decretum efficax conditionatum diuinæ voluntatis. Alij demum per complexum ex actu libero possibili, & conditione, à qua, si poneretur, actus dependeret. Verum hæ solutiones, dempta vltima, in simili impugnatæ manent, cum de futuritione absoluta ageremus superius. Vltima autem apertè falsa est, quia actus liber possibilis esse potest, & simul conditio possibilis etiam esse potest, quin actus liber sit extiturus sub conditione, sed potius sub ea non extiturus: hoc ergo, quod est actum liberum esse extiturum sub conditione in eo complexo ex actu libero, & conditione possibilibus perperam collocatur.

Respondeo ergò, actum liberum non existentem, 28
nec absolutè extiturum constitui, & denominari extiturum subconditione per aliquod prædicatum positiuũ sibi intrinsecum, quod est medium inter prædicatum puræ possibilitatis, & prædicatum puræ existentiæ, actuique statum medium attribuit. Quid autem sit hoc prædicatum, obiectumvè medium, siue rem esse extituram sub conditione, tametsi inintelligibile esse aliqui existiment, cæterum non minus intelligibile mihi videtur, quam prædicatum possibilis, aut prædicatum absolutè existentis, quæ sunt actui intrinseca.

Dices, actus merè extiturus sub conditione 29
simpliciter aliquid non est, nec simpliciter existit: illud ergò prædicatum, in quo futuritio conditionata à nobis collocatur ei intrinsece

secè inesse nequit : ei enim , quod aliquid non est , quî aliquid intrinsecè inesse sustinet. Respondeo, existentia conditionata non est simpliciter existentia, nec simpliciter aliquid : vnde intrinsecè inesse potest actui , esto hic simpliciter non existat, nec sit aliquid. Vrgebis: nulla causa excogitari potest, à qua prædicatum illud , in quo conditionata futuritio à nobis constituitur, oriatur, & in actum resultet: liberum enim arbitrium adiutum gratia Dei, à quo esse possit, nondum existit. Respondeo existentiam illam conditionatam, cum simpliciter existentia , aut aliquid non sit, oriri & proficisci quodammodo posse à libero arbitrio adiuto gratia Dei , esto hoc nondum aliquid sit , & simpliciter omni esse careat. Insistes : si existentia conditionata esset prædicatum aliquod intrinsecum actui , quod in eo ita resultat, vt non resultare posset, aliqua certè daretur libertas in statu conditionato, atque adeo meritum aliquod, & demeritum, quod tamen semi Pelagianismum redolet. Respondeo libertas est indifferentia ad operandum , vel non operandum : at in statu conditionato non est indifferentia , aut facultas ad operandum simpliciter, aut non operandum: operari enim sub conditione , aut ita non operari non est simpliciter operari, vel non operari: quamobrem in statu conditionato nulla libertas simpliciter , ac proinde nullum meritum , aut demeritum visitur.

30 Obiicies secundò : propositiones de futuro contingenti conditionato disparatæ , qualis est hæc , si Turca ludat, Persa saluabitur, nunquam sunt determinatè veræ: ergo nec propositiones de futuro contingenti conditionato etiamsi non sint disparatæ. Respondent nonnulli , negato antecedenti. Perperam tamen, quia propositio ea, si Turca ludat, Persa saluabitur, vbi verè conditionalis sit, vt hi recentiores existimant, affirmat, Persam saluandum sub conditione lusus Turcæ , atque adeò lusum Turcæ esse conditionem ad salutem Persæ virtualiter affirmat: at lusus Turcæ neutiquam est conditio ad salutem Persæ : propositio igitur illa , si strictè conditionata sit , semper erit falsa , & nunquam vera: minor probatur, quoniam conditio, vt talis est, aliquam connexionem, vel conducentiam habet ad id, cuius conditio est, connexionem, inquam, vel conducentiam physicam, aut certè moralem, & ex decreto Dei, de qua sermo est lib. 4. Reg. cap. 13 : *si percussisses quinquies, aut sexies siue septies, percussisses Syriã vsque ad consummationem*: at lusus Turcæ respectu æternæ salutis Persæ nullam habet connexionem, nullam cõducentiam physicam, aut moralem, aliàs propositio illa, qua de loquimur verè conditionata esset, contrà quam aduersarij supponunt,

Melius ergo cum P. Suarez de scientia conditionata lib. 2. cap. 6. respondeo. Propositio illa si Turca ludat, Persa saluabitur, aut significat meram concomitantiam, & coexistentiam lusus, & salutis ita, vt in mente sit hæc, *quando Turca ludet Persa saluabitur*; & ita non cõditionalis, sed categorica complexa est, ac vera esse potest : quare ex ea contra veritatem propositionum conditionalium non disparatarum argui non potest ; tum , quia conditionalis non est, tum etiam , quia vera esse sustinet. Aut ea propositio significat dimanationem, & dependentiam conditionatam vnius ab alio ; & ita verè conditionalis est ; cæterum nunquam vera est, ob rationem num. superiori assignatam: inde tamen perperam ad conditionales non disparatas arguitur , in quibus conditionatum à conditione dimanat, & dependet, sicut ad earum veritatem oportet. 31

Obiicies tertiò. Ad veritatem propositionis conditionalis requiritur essentialis connexio conditionis cũ conditionato: hanc enim particula, *si*, designat: nec aliud apparet. cuius ea possit esse signum: at propositiones de futuro contingenti conditionato non procedunt sub conditione, inter quam, & conditionatum vlla reperiatur connexio: nunquam ergò sunt veræ. Nescio quo iure Thomistæ neoterici maiorem assumant, quam indubitanter falsam , & seculo suo inauditam esse tradit Sotus lib. 3. summul. c. 8. lect. 3. Ad eius probationem respondeo, particulam, *si*, significare, non connexionem conditionis cum conditionato, seu illationem necessariam consequentis ex antecedenti, sed existentiam rei sub conditione, siue cum ea connectatur , & ab ea ineuitabiliter inferatur, siue secus. Quid autem sit, aliquid esse extiturum sub conditione, aut quod erit ea posita, non, nisi religiosè nimis, & importunè à quibusdam interrogatur iterum , atque iterum , cum sponte sua notius sit, quam vt explicari possit amplius. 32

Obiicies quartò. Futuritio absoluta per nos carentiam importat ante existentiam : perperam ergo videmur explicuisse futuritionem conditionatam sine carentia aliqua. Respondeo, futuritionem conditionatam latè sumi solere, vt solam concernat existentiam conditionatam rei : quod genus existendi, quia solum fermè est, de quo ab authoribus controuertitur in præsenti, idcirco futurum sub conditione, provt cum eo recurrens , expositum hactenus. Haud propterea tamen imus inficias rem strictè esse futuram sub conditione, inuoluere duo , nimirum nunc absolutè non existere , & esse extituram sub conditione, vel nunc, vel postea; adeoque complecti, præter esse conditionatum, non esse, siue carentiam aliquam. 33

INDEX

INDEX RERVM,

Quæ in hoc primo Tomo continentur.

Prior numerus paginam notat: Posterior est marginalis.

A.

Accidens.

ACcidens quid sit? 345.12.& seqq.

Actus.

Inter actus intellectus, & voluntatis affectus id interest, quod horum artificiosa dispositio ad voluntatem, illorum verò ad intellectum attineat. 35.48

An, & quousque distinguatur veritas ab actu vero. 364.28.& seqq.

Distinctio & indistinctio veritatis ab actu vero vlterius explicata. 367.51,& seqq.

Quatenus varij de distinctione, & indistinctione veritatis ab actu vero sentiant? 369.62.& seqq.

Adamus.

Adamus an fuerit primus author sermonis, quo cum vxore, ac liberis vtebatur? 213.34

Æquiuoca.

Vide, *Terminus.*

Æquipollentia.

Æquipollentia propositionum quid sit? 148.54. & seqq.

Vide, *Propositio.*

Analoga.

Vide, *Terminus.*

Appellatio.

Vide, *Terminus.*

Appellatio est reflexa applicatio vnius termini ad alium. 5.21

Argumentatio.

Loci Argumentandi vtiles. 11.45.& seqq.

Loci Argumentandi inutiles, & captiosi. 14.57. & seqq.

Ascensus, & Descensus.

Vide, *Terminus.*

C.

Causa.

CAusæ, & effectus quoties reales sunt, causalitas etiam realis, & vera esse debet. 34.47

Cognitio.

An veritas sit conformitas nostræ cognitionis cum scientia diuina. 360.1.&seqq.

An veritas sit conformitas nostræ cognitionis cum re cognita, an verò huiusce cum ipsa provt est extra intellectum? 362.14.& seqq.

Conclusio.

Conclusiones propriè vniuscuiusque scientiæ deducuntur ex principiis aliarum. 25.10

Non semper verum est conclusionem sequi debiliorem partem. 25.11

Cur conclusio theologica ex præmissa fidei; & præmissa scientifica originem ducens, nec est actus fidei, nec actus scientiæ, neutriusque præmissæ turam omninò imitatur. ibid.

Concretum,

Vide, *Terminus.*

Concretum quomodo sit vnum, aut multiplex. 5.18

Quid quælibet concreta importent, & quo pacto? 98.16. & seqq.

Quid de concretorum prædicatione verius videatur 354.1. & seqq.

Confessio.

In Sacramento confessionis, hæc verba, *Ego te absolvo à peccatis tuis*, duplicem habent significationem. 24.8

Conuersio.

De conuersione propositionis. 148.45.& seqq.

Conuersionum regulæ. 149.56.& seqq.

D.

Definitio.

DEfinitio est oratio explicans naturam rei. 11.42

Definitionis bonæ leges. ibid.& 222.6.& seqq.

Denominatio.

Denominationes generis, speciei, &c. ad Logicam veluti obiectum formale ac proprium attinent. 29.27

Denominationes Logicę bigeneres: alię sunt actiuæ, quibus actus nostri dicuntur definire, diuidere, argumentari, enunciare, &c. aliæ verò passiuæ, quæ rebus conueniunt, eisque rationem generis, speciei, subiecti, prædicati, aliámve similem impertiunt. 34.44

Denominationes cognoscentis & cogniti, ita sunt connexæ, vt nequeant etiam diuinitus separari. 35.51

Deus.

Cognitio Dei confert ad cognitionem entis vt sic. 2.6.

Quatenus præscissio obiectiua in diuinis etiam locum habeat? 263.71.& seqq.

An de Deo, Personisque Diuinis aliquod ex quinque prædicabilibus dici possit? 346.1.& seqq.

An præter quinque prædicabilia sint admittenda respectu Dei, ac trium personarum alia assumptiua dici solita. 347.13.& seqq.

Dialectica.

Vide, *Obiectum.*

De quibus Dialectica agat propriè,& per se. 2.7
Dialectica habet veritatem pro obiecto attributionis. 3.9
Ordinatur ad præcauendos errores. ibid.
Tendentia multiplex Dialecticæ in sua obiecta. 3.10
Dialectica docens est scientia practica,& nullatenus speculatiua. 3.11
Dialectica non concurrit efficienter ad actus aliarum scientiarum, sed tantùm directiuè. ibid.12
Non est simpliciter necessaria ad alias scientias comparandas. ibid.
Dialectica cur vocetur scientia rationalis. 26.13
An & quatenus actus intellectus sint obiectum Dialecticæ. 28.24.& seqq.
An & quatenus res sint obiectum Dialecticæ? 31.33 & seqq.
Dialectica habet pro obiecto formali veritatem & falsitatem, quæ actu intellectus constituuntur. 29.26
An, aut quatenus medium aliquod positiuum inter ens reale, & rationis sit obiectum formale Dialecticæ. 41.73.& seqq.
Quatenus Dialectica docendo, & vtendo obiectum suum repræsentet? 59.& seqq.
An, & quatenus Dialectica instar sapientiæ, prudentiæ, intellectus, opinionis, suspicionis, artis, scientiæ obiectum suum repræsentet? 63.18.& seqq.
An Dialectica ex modo repræsentandi obiectum suum practica vel speculatiua sit. 67.36.& seqq.
Qua vtilitate, necessitate, ac subalternatione Dialectica obiectum suum repræsentet. 73.64.& seqq.

Differentia.

Quid sit differentia? 336.1.& seqq.
Quotuplex sit differentia? 337.9.& seqq.
An differentia subalterna sit de conceptu infimæ? 338.20.& seqq.
Non leues difficultates circa diuisionem differentiæ in infimam,& subalternam. 342.42.& seqq.

Dilemma.

Dilemma, siue argumentum cornutum est, quod ferit vtroque cornu,& concludit semper aliquid contra respondentem, vtramcumque contradictionis partem concedat. 9.33& 202.21

Diuisio.

Diuisio est Oratio totum in suas partes distribuens. 11.43
Diuisionis bonæ leges. ibid.& 224.19.& seqq.
Enodantur quædam dubia de diuisione. 226.1. & seqq.

E

Ens rationis.

Ens rationis aliud obiectiuum, subiectiuum aliud. 3.8
Ens rationis subiectiuum, est cognitio vera,& realis. quæ in intellectu, & ratione subiicitur. 33.42
Ens rationis obiectiuum aliud est formaliter & propriè tale, aliud solum fundamentaliter, & impropriè tale. 33.42
An aut quatenus ens rationis sit obiectum Dialecticæ. 33.42.& seqq.
Ens rationis subiectiuum, nempe actus intellectus, est obiectum formale Dialecticæ. 33.43

Enthymema.

Enthymema est argumentatio ex duabus tantùm pronunciatis constituta: quæ non est, cur in mente semper sit syllogismus tres propositiones complectens. 9.33

Epicherema.

Quid sit? 202.19

Epicurus.

Epicuri somnia circa figuras, quas è summis quibusque corporibus dicebat effluere. 36.54

Exemplum.

Quid sit? 202.18

F

Facile.

à Facilioribus seu communioribus ad difficiliora progrediendum. 1.1

Falsitas.

An cum falsitate veritas eousque sit incompossibilis, vt eadem propositio ne successiue possit esse vera & falsa. 370.1.& seqq.
An ita sit incompossibilis veritas cum falsitate, vt eadem propositio nequeat esse simul vera,& falsa respectu eiusdem obiecti. 376.47. & seqq.
Simultas veritatis, & falsitatis in eodem actu respectu eiusdem obiecti discutitur vlterius. 379.67. & seqq.
An eousque incompossibilis sit veritas cum falsitate vt ne respectu diuersorum obiectorum eadem propositio possit esse simul vera, & falsa. 371.81. & seqq.

Figura syllogistica.

Vide, *syllogismus.*

De figura syllogistica, 169.14.& seqq.

Futurum.

Vide, *Propositio.*

Quatenus præsentia futurorum cum eorum contingentia,& libertate cohæreat. 391.4.& seqq.
Quatenus de præscientia rerum in æternitate, & earum futuritione sentiendum sit. 392.10. & seqq.

G

Genus.

Genus quid sit? 298.1.& seqq.
Argumentum difficile aduersus definitionem generis. 300.11.& seqq.
Quod sit definitum in definitione generis? 304.28. & seqq.
Quatenus genus cum speciebus comparetur. 306.41. & seqq.
Genus respectu indiuiduorum explicatur. 307.47 & seqq.
An relatio generis ad species, & indiuidua sit vna, vel multiplex? Quodnam sit eius primum,& adæquatum correlatiuum? 311.68.& seqq.
Quænam esse possint genera, & species. 319.23. & seqq.

I

Indiuiduum.

Indiuiduum quid sit. 323.1.& seqq.
An detur ratio communis indiuidui? 327.22. & seqq.
Quid alij de conceptu communi indiuidui sentiant. 329.40.& seqq.
Quatenus cognosci possit indiuiduum? 333.65. & seqq.
Quotuplex sit indiuiduum? 334.75.& seqq.

Intellectus.

Esse obiectiuè tantum in intellectu, est præter ei obiici: ab eoque cognosci, omni prorsus esse destitui,

tui, tam positiuo, quam negatiuo, tam actuali quam possibili. 33.42
An fiat vniuersale per operationem intellectus agentis? 270.113.& seqq.
An fiat vniuersale per operationem intellectus fingentis? 271.118.& seqq.
Per quam operationem intellectus passibilis fiat vniuersale? 274.133.& seqq.

L.

Logica.

Vide *Dialectica.*

LOgica quomodo apud omnes vna tantum sit? 27.18.
Ita se habet Logica respectu vocum, quemadmodum Mathematica respectu sphæræ ligneæ, & Medicina contemplatione hominis anatomici. 26.14

M.

Materia, & Forma Propositionis.

Vide, *Propositio.*

Medicina.

MEdicina ad quid ordinetur? 3.9
Discrimen inter in speculationes Metaphysicas, ac regulas Medicinæ, 2.6

Medium Syllogisticum.

Vide, *Syllogismus.*

Modus Sciendi.

Modus sciendi quotuplex. 10.41
Modus sciendi, id est oratio ignoti manifestatiua, est ea, quâ clarè dignoscitur, quod prius, aut non cognoscebatur, aut certè tantum obscurè. 10.42

Modi Syllogistici.

Vide, *Syllogismus.*

De modo syllogistico directè, & indirectè, vtiliter, & inutiliter concludente. 171.24.& seqq.
Quibus principiis modorum vtilium vtilitas, & inutilium inutilitas nitantur. 175.45.& seqq.

Multiplicitas,

Multiplicitas rei vniuersalis propria. 232. 7. & seqq.
Verior explicatio multiplicitatis illius, quæ rei vniuersali proprie conuenit. 234.18.& seqq.
An ex identitate,& multiplicitate reali vniuersale à parte rei saltem de potentia Dei absoluta sequatur? 244.24.& seqq.

Mysterium.

Bifariam sumi potest mysterium reuelatum, videlicet incomplexè, & secundum se præcisè, vel in consortio reuelationis, & provt ei subest. 32. 38

N.

Nomen.

NOmen est vox declinata per casus. 10.39
Explicatur quidditas nominis. 216. 1. & sequent.

O.

Obiectum.

Vide, *Dialectica.*

OBiectum in communi, quid? 1. 3
Obiecti variæ diuisiones. 2. 4
Obiectum attributionis. ibid. 5
Diuersimodæ eiusdem obiecti conditiones. ibid.
Multiplex Dialecticæ obiectum. 2. 7
Voces sunt proprium ac formale obiectum Dialecticæ. ibid.
An & quatenus actus intellectus sint obiectum Dialecticæ? 28.24.& seqq.
An & quatenus res sint obiectum Dialecticæ? 31. 33.& seqq.
An aut quatenus ens rationis sit obiectum Dialecticæ? 33.42.& seqq.
An, aut quatenus medium aliquod positiuum inter ens reale, & rationis sit obiectum formale Dialecticæ? 41.73. & seqq.
Veritatem actuum intellectus esse obiectum attributionis Dialecticæ authoritate probatur. 45. 1. & seqq.
Quatenus Dialectica docendo,& vtendo obiectum suum repræsentet? 59. 1.& seqq.
An,& quatenus Dialectica instar sapientiæ, prudentiæ, intellectus, opinionis, suspicionis, artis, scientiæ obiectum saum repræsentet? 63. 18. & sequent.
An Dialectica ex modo repræsentandi obiectum suum practica, vel speculatiua sit? 67. 36. & sequent.
Qua vtilitate, necessitate, ac subalternatione Dialectica obiectum suum repræsentet? 73. 64. & sequent.

Oratio.

Oratio sunt plures dictiones congruè se habentes. 10. 39
Duplex, perfecta & imperfecta, ibid.
Oratio enunciatiua, quid, ibid. 40
Explicatur quid sit oratio,& aliqua circa eam dubia enodantur. 13.& seqq.

Oppositio.

Oppositio propositionum, quæ,& quotuplex. 6.15
Quatenus alij oppositionem tùm in communi, tùm in particulari definiant. 136 1.& seqq,
Verior oppositionis tùm in communi, tùm in particulari explicatio. 139.12.& seqq.
Oppositionum leges. 142. 30.& seqq.
Oppositionum proprietas, inæqualitas, conuenientia,& distinctio. 145 41.&seqq.
Oppositio, æquipollentia, & conuersio hypotheticarum. 155.86.& seqq.
Oppositio, æquipollentia, & conuersio complexarum. 157.92.& seqq.

P.

Philosophia.

PHilosophia est formaliter, ac propriè de rebus; 31.33
Quemadmodum se habet Philosophia moralis ad actus voluntatis, ita Dialectica ad actus intellectus. 48.10

Physica.

Physica quomodo possit dici vocalis? 26.16

Populus.

Variorum populorum varia Sermones proferendi ratio. 27.18

Præcognita.

Cuiusmodi esse debeant præcogita syllogismi demonstratiui. 190.8.& seqq.
Vlterior explicatio præcognitorum ad demonstrandum. 192.18.& eqq.

Prædicabile.

An prædicabile sit ratio communis vniuoca ad quinque prædicabilia. 286.18. & seqq.
An abstrahi possit ratio communis vniuoca prædicabilis; seu vniuersalis à reali, & solius rationis, aut fictitio? 295.61.& seqq.
An de Deo, Personisque Diuinis aliquod ex quinque prædicabilibus dici possit? 346.1.& seqq.
An præter quinque prædicabilia sint admittenda

reſpectu Dei, ac trium perſonarum alia aſſumptiua dici ſolita ? 347. 13. & ſeqq.

Præſcientia.

Quatenus præſcientia futurorum cum eorum contingentia, & libertate cohæreat ? 301. 4. & ſeqq.

Quatenus de præſcientia rerum in æternitate, & earum futuritione ſentiendum ſit, 392. 10. & ſeqq.

Præſciſſio.

Vide, *Vniuerſale.*

Quatenus præſciſſio obiectiua in diuinis etiam locum habeat? 263. 71 & ſeqq.

Propoſitio.

Propoſitio aut eſt neceſſaria, aut contingens, aut impoſſibilis. 6. 23

Propoſitio, ſiue complexa veritas eſt actus intellectus oppoſitionis cum alio ex modo tendendi capax. ibid.

Propoſitio identica non tantum in voce, ſed etiam in intentione reperitur. 6. 24

Propoſitio alia eſt infinita, ſiue termino conſtans infinito, alia denique priuatiua. ibid.

Propoſitio negatiua de prædicato finito non infert irrefragabiliter, ac vi formæ propoſitionem priuatiuam. ibid.

Propoſitio multifariam diuiditur. 121. 1. & ſeqq.

Propoſitionis diuiſio in formalem, identicam, directam, & indirectam. 123. 7. & ſeqq.

Propoſitionis diuiſio in neceſſariam contingentem, & impoſſibilem. 125. 18. & ſeqq.

Diuiſio propoſitionis in finitam, & infinitam, atque priuatiuam. 130. 42. & ſeqq.

Materia, & forma propoſitionis. 133. 1

Quantitas, & qualitas propoſitionis. 134. 7. & ſeqq.

De æquipollentia propoſitionis. 148. 54. & ſeqq.

De conuerſione propoſitionis. 55. & ſeqq.

Oppoſitio, æquipollentia, & conuerſio propoſitionum ſingularium. 154. 51. & ſeqq.

Quatuor propoſitionum modalium ſpecies declaratur. 158. 1. & ſeqq.

Æquipollentia, oppoſitio, & conuerſio propoſitionum modalium. 159. 5. & ſeqq.

De propoſitione exponibili. 163. 25. & ſeqq.

Quatenus alij de propoſitione exponibili ſentiant. 164. 31. & ſeqq.

De veritate propoſitionum de futuro contingenti abſoluto. 390. 1. & ſeqq.

De veritate propoſitionum de futuro contingenti conditionato. 395. 22. & ſeqq.

Proprietas, Proprium.

Quid ſit proprium ? 343

Proprietatis cognitio refertur ad cognitionem eſſentiæ. 51. 20

R.

Reductio.

Reductio ſyllogiſmorum oſtenſiua, & per impoſſibile. 175. 50. & ſeqq.

Quatenus abſque reductione ad modos perfectos imperfecti irrefragabiliter concludant ? 177. 58. & ſeqq.

Relatio.

An relatio generis ad ſpecies, & indiuidua ſit vna? vel multiplex? Quodnam ſit eius primum, & adæquatum correlatiuum ? 311. 68. & ſeqq.

Res.

Vide, *Vniuerſale.*

Res ab intellectu cognitæ ab obiecto formali Dialecticæ prohibendæ non ſunt. 29. 27

Rerum carentiæ alioqui poſſibilium non ſunt entia rationis ficta. 42. 77

Quatenus res fiant per intellectum vniuerſales? 254. 11. & ſeqq.

Quot fiant res vniuerſales ab intellectu per obiectiuam præſciſſionem rationis communis à ſuis inferioribus ? 255. 16. & ſeqq.

S.

Scientia.

Scientiæ omnes aliæ mentales, aliæ vocales. 26. 16

Signum.

Signum in communi eſt, quod in alicuius veritatis cognitionem quempiam ducit. 9. 35

Signum formale eſt, quod informando potentiam, eamque denominando facit aliquid cognoſci. 9. 36

Inſtrumentale, quod prout extrinſecè informatum, cognitumve facit quidpiam alicui innoteſcere. ibidem.

Signum naturale eſt, quod ex natura ſua; arbitrarium, quod ex aliorum placito aliquid repræſentat. 9. 37

Significatio arbitraria vocum haud conſiſtit in relatione vlla fictitia. ibid.

Quid ſit ſignum in communi, 203. 1. & ſeqq.

Enodantur aliqua dubia circa ſignum in communi. 205. 9. & ſeqq.

Per quid differant inuicem ſignum naturale, & arbitrarium ? 207. 1. & ſeqq.

An voces noſtræ inter ſigna arbitraria vel potius naturalia ſint recenſendæ ? 210. 20. & ſeqq.

Signa arbitraria quid, & quo pacto ſignificent? 213. 36. & ſeqq.

Sorites.

Quid ſit Sorites ? 202

Species.

Quid ſit ſpecies ? 315. 1. & ſeqq.

Summulæ.

Qua de cauſa, & à quibus Summuliſtica doctrina primum tradita ? 1. 1

Summulæ, via ad Dialecticam maximè conducens, ac facillima. ibid.

Liber proœmialis à Scholaſticis iure nominantur. ibid. 2

Summulæ ſunt ad Logicam, quod aurora ad ſolem. ibidem.

Suppoſitio.

Vide, *Terminus.*

Suppoſitio termini eſt poſitio vnius ſignificati pro alio, vi copulæ enuntiatiuæ termino annexæ. 5. 19

Suppoſitio diſtributiua, ceu copulatiua quid ſint. ibid. 20

Suppoſitio formalis eſt, qua terminus ponitur pro alio à ſe; materialis, qua non pro alio, ſed pro ſe. 5. 19

Suppoſitio ſimplex, eſt qua terminus ponitur pro ſolo ſuo ſignificato immediato; perſonaliſque, qua pro mediato. ibid.

Syllogiſmus.

Syllogiſmus eſt argumentatio, in qua ex duabus propoſitionibus tertia neceſſariò conficitur. 7. 28

Figura ſyllogiſtica triplex eſt pro triplici connexione extremorum cum medio. 7. 29

Modi ſyllogiſtici variantur pro varietate, ac diuerſitate quantitatis, & qualitatis propoſitionum ſyllogiſmi. 8. 30

Modi vtiles communiter aſſignari ſolent vndeviginti. ibid.

Syllo

Syllogiſmus hypotheticus, aut eſt à poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis cum eo connexi, aut à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis. 8.32
Syllogiſmus modalis, quis. ibid.
Syllogiſmus ſophiſticus ratione formæ haud eſt verè ſyllogiſmus. 8.32
Syllogiſmus demonſtratiuus eſt, in quo ex præmiſſis euidentibus euidenter quidpiam concluditur. ibidem.
Quid ſit ſyllogiſmus, & quænam eius forma? 366. 1. & ſeqq.
De figura ſyllogiſtica. 169.14.& ſeqq.
De modo ſyllogiſtico directè, & indirectè, vtiliter, & inutiliter concludente. 171.24.& ſeqq.
Reductio ſyllogiſmorum oſtenſiua, & per impoſſibile. 175.50.& ſeqq.
Quatenus abſque reductione ad modos perfectos imperfecti irrefragabiliter concludant? 177. 58. & ſeqq.
De ſyllogiſmo obliquo, & circulari. 178. 1. & ſeqq.
De ſyllogiſmo oppoſito, infinito, & conglobato. 179.10.& ſeqq.
De ſyllogiſmo expoſitorio, ſiue ſingulari. 181. 19. & ſeqq.
De ſyllogiſmo hypothetico, & diſiunctiuo. 185 40. & ſeqq.
De ſyllogiſmo modali. 186.48 & ſeqq.
Quid, & quotuplex ſit ſyllogiſmus demonſtratiuus? 188. 1.& ſeqq.
Cuiuſmodi eſſe debeant præcognita ſyllogiſmi demonſtratiui. 190 8.& ſeqq.
De ſyllogiſmo probabili. 196.37. & ſeqq.
De ſyllogiſmo ſophiſtico. 197.47.& ſeqq.

T.

Terminus.

TErmini Dialectici definitio, eiuſque variæ partitiones. 4.14
Terminus concretus, connotatiuus, reduplicatiuus, quid ſint? ibid.17
Diſtractio termini eſt, qua refertur ad tempus aliquod diuerſum à tempore importato per copulam. 5.21
Status termini eſt, cum copula, & ſubiectum idem tempus connotat. ibid.
Diuiſio termini in ſubiectum, & prædicatum. 82.1. & ſeqq.
Diuiſio termini in tranſcendentem, & non tranſcendentem: & an vterque poſſit infinitari? 85. 15. & ſeqq.
Diuiſio termini in directum, & reflexum. 88. 25. & ſeqq.
Diuiſio termini in æquiuocum, & vniuocum. 88. 28. & ſeqq.
Diuiſio in analogum, & denominatiuum. 91. 43. & ſeqq.
Terminus in communi vlterius quintupliciter diſſecatur. 95.1.& ſeqq.
Quatenus præcipuam termini proprietatem, videlicet ſuppoſitionem Authores explicent? 105. 1. & ſeqq.
De aliis duabus proprietatibus termini, aſcenſu nimirum, & deſcenſu. 113.45.& ſeqq.
De cæteris proprietatibus termini. 115.51.& ſeqq.

Theologia.

Theologiæ obiectum, aliud totale, aliud partiale. 1. 2

V.

Verbum.

VErbum eſt vox coniugata per tempora. 10.30
Eſſentia verbi exponitur. 217.8.& ſeqq.

Veritas ſimplex.

Vide, *Terminus.*
Veritatem actuum intellectus eſſe obiectum attributionis Dialecticæ, certum eſt. 45. & ſequent.
Veritas eſt proprietas Demonſtrationis. 51.20
Veritatis cognitio ad perfectam cognitionem Demonſtrationis refertur. ibid.
Veritas totius Dialecticæ nequit eſſe obiectum attributionis. ibid.
Veritas in communi eſt pars modi ſciendi, aut Demonſtrationis. ibid.21
An veritas ſit conformitas noſtræ cognitionis cum ſcientia diuina. 360.1.& ſeqq.
An veritas ſit conformitas noſtræ cognitionis cum re cognita, an verò huiuſce cum ipſa provt eſt extra intellectum? 362.14.& ſeqq.
An, & quouſque diſtinguatur veritas ab actu vero. 364.28.& ſeqq.
Diſtinctio & indiſtinctio veritatis ab actu vero vlterius explicatæ. 367.51.& ſeqq.
Quatenus alij de diſtinctione, & indiſtinctione veritatis ab actu vero ſentiant? 369.62& ſeqq.
An veritas eouſque ſit incompoſſibilis cum falſitate, vt eadem propoſitio ne ſucceſſiua poſſit eſſe vera & falſa. 370.1 & ſeqq.
An ita ſit incompoſſibilis veritas cum falſitate, vt eadem propoſitio nequeat eſſe ſimul vera, & falſa reſpectu eiuſdem obiecti. 366. 47. & ſequentibus.
Simultas veritatis, & falſitatis in eodem actu reſpectu eiuſdem obiecti diſcutitur vlterius. 379. 67. & ſeqq.
An eouſque incompoſſibilis ſit veritas cum falſitate, vt ne reſpectu diuerſorum obiectorum eadem propoſitio poſſit eſſe ſimul vera, & falſa? 381.81. & ſeqq.
De veritate propoſitionum de futuro contingenti abſoluto. 390.1.& ſeqq.
De veritate propoſitionum de futuro contingenti conditionato. 395.22.& ſeqq.

Vnitas.

Vnitas rei vniuerſalis propria. 232.4.& ſeqq.
An ex vnitate, ſiue identitate reali & diſtinctione oppoſita vniuerſale ex parte rei de facto inferatur? Vbi ſententia Platonis examinatur. 240. 1. & ſeqq.
An ex vnitate, ſiue identitate, & diſtinctione formali, aut ex natura rei ſequatur vniuerſale à parte rei? 246.1.& ſeqq.
An ex vnitate, ſiue identitate, & diſtinctione virtuali intrinſeca ſequatur vniuerſale à parte rei? 249.12.& ſeqq.

Vniuerſale.

Quomodo ab Ariſtotele definiatur? 15.68
Quidnam ſit vniuerſale in communi? 231.1.& ſeqq.
Multiplicitas rei vniuerſalis propria. 232.7.& ſeqq.
Verior explicatio multiplicitatis illius, quæ rei vniuerſali proprie conuenit. 234.18.& ſeqq.
Modus eſſendi multis rei vniuerſalis proprius. 236. 31. & ſeqq.
Amplior declaratio modi illius eſſendi in multis, qui rei vniuerſali proprie congruit. 238.43.& ſeqq.
An ex identitate, & multiplicitate reali vniuerſale à parte rei ſaltem de potentia Dei abſoluta ſequatur? 244.24.& ſeqq.

De vniuersalitate denominatiua. 250.1.& seqq.
De vniuersalitate causali,& relatiua. 251.9.& seqq.
Quatenus res fiant per intellectum vniuersales? 254.11.& seqq.
Quot fiant res vniuersales ab intellectu per c[illegible] actiuam præscissionem rationis communis à [illegible] inferioribus? 255.16.& seqq.
An fiat vniuersale per operationem intellectus agentis? 270.113.& seqq.
An fiat vniuersale per operationem intellectus fingentis? 271.118.& seqq.
Per quam operationem intellectus passibilis fiat vniuersale? 274.133.& seqq.
De vniuersalitate vocali,& sensibili. 276.1 & seqq.
De vniuersalitate,quæ est effectus voluntatis nostrę, necnon Angelorum,ac Dei optimi Maximi. 280.24.& seqq.
Quædam de vniuersalibus dubia. 281.33.& seqq.
An prædicabilitas, sit essentia,vel potius propria passio vniuersalis. 285.1.& seqq.

Vninoca.

Vide, *Terminus.*

Vox.

Voces sunt obiectum proprium & formale Dialecticæ 22.1.& 3
Per accidens possunt voces rem clariùs,atque perfectius significare audienti.quam loquenti. 10 38
Voces primariò, & directè res ipsas significant. 10. 38
Voces sunt obiectum duntaxat partiale, & inadæquatum Dialecticæ: 23.6
Duplex vocum significatio, altera grammaticalis, altera dialectica. 248
Voces sunt signa,& imagines conceptuum, quibus substituuntur, vt conceptus rerum,quibus subrogantur. 26.15
Artificiosa vocum dispositio, qualis ea cunque sit, non est ens rationis obiectiuum, ac proprium. 35.49.
An voces supponant pro rebus, vel conceptibus. 107.12.& seqq.
An voces nostræ inter signa arbitraria vel potius naturalia sint recensendæ? 210.20.& seqq.

Z.

Zeno.

ZEno non tam rerum inuentor fuit,quàm nouorum verborum. 27.20

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


tom. I
Th
937a

